OPVS MEDICVM PRACTICVM, VARIVM, VERE AVREVM, ET POSTREMAE LECTIONIS.

CLAVDII GALENI PERGAMENI, MEDICI LONGE OMNIVM CLARISSIMI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM

localium, siue secundum locos, Libri decem, recens fideliter & pure conuersi à IANO CORNARIO medico physico.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI COMMENTARIORVM MEDICORVM IN EOSDEM GALENI libros conscriptorũ Libri decem.

In quibus omnes corrupti illorum librorum loci restituuntur, & omnes difficiles exponuntur, ampliusq́ꝫ aliquot millia rerum ac locorũ in græcis ac latinis medicis obiter explicantur, emendantur, ac restituuntur.



BASILEAE ANNO M. D. XXXVII.
Cum priuilegio Cæsareo ad IIII annos.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ALBERTO CARdinali ac Archiepiscopo Moguntinensi ac Magdeburgeñ. administratori ecclesiæ Halberstateñ. Marchioni Brandeburgeñ. &c. Ianus Cornarius medicus physicus s. d.



NIHIL equidem uereor, ut uel illustriss. Celsitudini tuę ingratum futurũ sit, uel inepte à me admissum iudicari possit hoc meum factum, quo Reverendiss. C. T. ALBERTE illustrissime & sacratissimæ religionis & regnorũ princeps, Galeni de medicamentis localibus libros, omniũ eius scriptorũ præstantissimos & postremæ lectionis, à me in latinam linguam conuersos, & cōmentarijs nostris medicis illustratos dedicare constitui. Tametsi enim ego C. T. ignotiss. sim, & doctrinæ ac conditionis meæ tenuitatem non ignorem: tamen is semper optimarum artium earundemq; professorum status fuit, ut summi principes nullum eorum genus unquam fastidierint, sed & illas amauerint, & horum opera sibi dicari gloriosissimum duxerint. Viderũt enim hauddubie prudẽtissimi uiri, & regnorum & terrarum Imperia salua esse non posse, imò neq; religionis integritatem consistere, nisi & literarum & optimarum artium studia integrum statum habeant: & propterea nō tantum studijs bonis fauere, eademq; tueri ac defendere, quidã ex ipsis gloriosum putauerunt: sed nominibus etiam suis philosophiæ datis, ipsi quoque commentari ac scribere, scriptaq; sua edere honestissimum existimauerũt. Nec hic libet paucos aliquot ex immẽsa multitudine regiorum scriptorum referre, hoc dicam plerosq; infimi generis scriptores operibus suis magnis principibus dedicatis maximã gratiam inijsse: ut uel hoc nomine minus dubium apud me sit, C. T. hoc meum erga se studium acceptum fore: maxime quũ honestiss. artis Medicæ præstantissimũ autorem GALENVM, qui suo tempore apud Imperatores Antoninos Augustos in summo honore ac dignatione fuit, nunc tandem primum latinè per me loquentem C. T. offerã, dicem ac dedicem, atq; illũ ipsum in tali opere, quod quantæ utilitatis sit uix paucis satis explicare possim, quo magis expertem turũ me ab ineptiæ calũnia planè confido. Quid enim aptius fieri posset quàm publicæ utilitatis insigne opus eius nomini publicari, qui uelut publicum aliquod bonum rebus mortalium iuuandis diuina clementia præfectus sit? & qui omnes conatus suos eò dirigat, ut res pietatis literarumq; ac bonorũ studiorum in tranquillo statu cōseruentur? Si autẽ citra omnem assentationem id quod res est dicere Celsitudo tua permittit, Tu ut Primas diceris Germaniæ princeps, ita primatum tuum splẽdidissimis uirtutibus longe illustriorem reddis, pietatis

ac philosophiæ studia & fauore prouehendo, & sumptibus ac præmijs excitando, & honore ac dignitatibus ornando, ut ex Germaniæ principibus conferri tibi pauci possint, præferri certe nemo. Testatur hoc multa insignia monumenta. Testantur tot celebres uiri, tum in aula tua, tum aliàs ad summam dignitatem euecti. Quibus sanè nominibus à studiosis ac doctis omnibus prædicandus uenis, & laus ac gloria immortalis tibi certatim debetur. Et certe eo nomine etiam ego omnem meorum studiorum fructum c. T. me debere confiteor. Quanquam quod ego has meas uigilias c. T. offero, nō tam c. T. honorificum ac gloriosum uideri potest, quàm mihi cōmodum ac gratiosum & omnino necessariū. Nimirum ut opus per se exellens per c. T. amplitudinem orbi commendabilius fieret, quod fortassis ob nostram tenuitatem uilescere uulgò poterat. Quod si autem utrunque assequor, planè me felicem, qui pariter & c. T. & publice omnibus, de eadē ut aiunt, fidelia, me commendabilem feci, ut hic non paruam à me initurus sit gratiam, c. T. medicus primarius doctissimus uir Philippus Pucheymerus, qui sæpenumero prædicata splendidissima c. T. magnificentia, quæ factum hoc meum benignissime exceptura sit, hanc audaciam me audere fecit, aliàs uix ausurū ut c. tuæ nomen tam confidenter usurparem. Nam quum nihil hodie receptius sit quàm indiscriminatim quoscunque libellos magnis principibus inscribere, ijsdemque laudandis maximam præfationum partem insumere, nullo alio ut apparet respectu, quàm ut sibi fauorem ac gratiā aliquam eblandiantur, nulla consideratione quàm aptū sit principi munus, uel quàm utile & Reipub. literariæ cōducibile opus, ut hoc modo per magna nomina impostura magis fiat, quàm beneficium aliquod uel à principe uel à studiosis agnoscendum: ualde sanè ueritus sum, ne & hoc meum factum tale uideri posset: quod uidelicet Reuerēdiss. ac illustriss. c. T. ad nugas meas uulgò uēditandas usurparim, & c. tuæ laudes proferendo, gratiam eiusdem sic emereri uoluerim. A qua suspitione me doctiss. illius uiri c. T. medici consilium & autoritas, ut spero, liberabit. Et tamen ut etiam ipse quod res fatear, c. tuæ gratiā ac clementem fauorem me ambire non nego. Quis enim tanti principis fauorem non expetat? quum ut ille inquit, principibus placuisse uiris non ultima laus sit. Verum quod laudibus c. T. hic explicandis datum mihi locum putarim, aut quod nugis meis per nominis tui splendorem claritatē inducere uoluerim, nequaquam uideri posse puto. Nam & illæ maiores sunt quàm ut tam paucis chartis comprehendi debeant aut possint: & ego minorem me esse scio artificem, quàm ut tanto operi recte absoluendo sufficere possim. Et si etiā me parem tāto oneri fore sperarē, tamē hic locus nō ferebat, angustior nimirū tantis uirtutibus, iusto uolumine aliquando immortalitati cōsecrandis. Hoc uero opus quod c. T. offero, & per c. tuæ clementem magnificentiam orbi communico, nugas dicere uel inuidentissimi calumniatores eo nomine

mine prohibebuntur, quod summi medici Galeni tractatio est à nobis latinè cōscripta: qui ut uir fuit in omni doctrinæ genere excellentissimus, sic ab omnibus qui unquam docti haberi uoluerunt, summo honore habitus est, & extra inuidiæ aleam collocatus. Cæterū ut huius operis Galeni omnium ipsius scriptorum postremi, præstantia propius æstimari queat, non uelim quidem aliam potiorē hos libros uertendi mihi causam fuisse uideri, quàm ut studiosam rerum medicarū adolescētiam à barbaris & ineptis, tum Arabibus, tum Italis medicis practicis, planè empiricis autoribus auocem, ut aliquando relictis putidis riuis, cognoscant quantum præstet à fonte bibere, qui certè quantū ad componenda pharmaca localia attinet, in his libris limpidissimus cōspicitur: quāquam Galenus aliquando præter institutū, etiam abunde declaret, quæ ad affectuū, quorū gratia pharmaca componuntur, differētias cognoscēdas cōducant. Tāta autē limpiditas ac sinceritas huius fontis ex quo cōponendi medicamenta ratio scaturit, existit: ut qui inde se proluat atq; exatiet, reliquos riuos facile fastidire, aut certe de ipsis quāti faciendi sint integre pronunciare possit. Omnes enim & Græci & Arabes, & cōsequenter Itali ac Galli practici, sua ex hoc ante deriuarunt: quanquā postremi tres ferè nihil præter putidam fecem ac limum hauserint, cuius rei iudicium ex his libris uel imprimis ferre licet. At uero sicut Græci posteriores à Galeno omnes, Galenum hac parte sequuti sunt, eademq; aliquando ad uerbū transcripserunt: sic Galenus nō ueritus est hos libros uelut Rhapsodian quandā cōfarcinare, quādo sanè omnia quæ tradit ex prioribus medicis trāsumit, Heraclida Tarētino, Archigene, Apollonio, Hera, Andromacho, Asclepiade, quemadmodum etiam hi ex prioribus sua per successionem quasi per manus acceperūt, ex Antonio Musa uidelicet, Mātia, Asclepiade Bithyno, & plerisq; alijs quorū nomenclationes diligenter adscribit Galenus: nimirum ut medicamenta maioris ponderis existant, à tantis autoribus prodita, usuq; ac experimento confirmata: quando sanè hoc potissimum in ipsis spectari debet ut experimento cōstent, eoq; non uulgari, sed per grauem aliquem autorem facto, ne uidelicet casu, aut intrinseca uel extrinseca aliqua aduētitia causa successum habuisse suspecta fiant. Quare nō dubium est quin ex horum librorum doctrina studiosis iudicandi uis continget de omnibus compositis medicamentis, tum ueteribus, tum hodierni temporis myropoliorum, quorum aliqua dij boni quantis ignorantiæ tenebris sunt obuoluta? Sed & ipsi iuxta Galeni doctrinam similia componendi facultatem adipiscentur. Porrò quam nos his latinè reddendis operā impendimus, adeò nō exilem censutos spero utriusq; linguæ ex æquo doctos medicos, ut longe maioris operæ pronunciaturos esse confidam, hæc latinis legenda dedisse, quàm Galeno scripsisse, atq; id ob duplicem maxime causam, Primā quidē quod Galenus præter distinctionis & ordinis rationem,

iudicijsq; in eligendo ac expendēdo acrimoniā nihil magni in his libris præstitit, ut qui priorū medicorū præscripta sequutus, nō sententiam tantū, sed ipsam etiam uerborum seriem, nullo præterquam transcribendi labore expressit. Nos autem eadem ordinis ac distinctionis ratione iuxta interpretis fidem seruata, easdem citatorū ab ipso medicorum sententias ac uerba, alicubi ob temporum illorū usum iam exoletum longe difficilima, non solum expendere, sed etiā in aliam linguā transfundere necesse habuimus: in qua parte nō paruam difficultatem, ob dictionis diuersitatem, uidere est, quum alienissimo ab omnibus alijs sua tradendi modo Archigenes utatur, & ab alijs non parum dissidet Heraclidæ phrasis, sicut ab his omnibus ex æquo ea quam intertexit Galenus. Accedit ad hāc altera difficultatis causa, quòd exemplar Venetijs inuulgatum, quod in his uertendis unicum sequuti sumus, tam corruptum ubiq; est, ut operæpretium uisum fuerit commētarijs adiectis interpretationem nostram declarare: quo & fidem nostrā studiosis approbaremus, & non solum optimum librum in integrum restitutū legendum, uerum etiam difficilem intelligendum, publice proponeremus: atque ut hoc rectè à nobis præstari posset, non iuxta quorundam huius seculi interpretum morem, statum aliquod tempus operis absoluendi propositum habui, sed modo producto, modo recondito opere, singula quantum fieri potuit diligenter expendi, quo non abruptum, sed ad plenum completum opus à nobis inuulgaretur. Longe enim ab his dissentio qui uilissimi lucelli gratia bibliopolis gratificantes, in præfationibus etiam fatentur, se opera sua non aliter extrudere, quàm quomodo uulgo dici solet, Sutor cum calceis festinans ad forum: aut quod sibi etiam nuper quidam ex his nō libenter pessimus præfandum duxit, quomodo canis festinās cæcos catulos parit: quod mox alius quidam ex eodem ouo prognatus, tanquā maxime in loco dictum, sibi itidem usurpandum putauit. Sed quid mirum est, esse qui hoc modo cōuersa ac scripta suo nomine extrudere audent, quum sint qui etiam magno sumptu typis excudant, & qui excusa etiā magno coemant? At uero multo prudentiores hac parte mihi Hieronymus Frobenius ac Nicolaus Episcopius, typographi ac ciues Basilienses uidentur, in hoc ille paternas hic soceri uirtutes præclara laude imitantes, qui hoc genus librorum ne gratis quidem sibi obtrudi patiantur, nedū optimas chartas talibus exarandis misere perdant, & diuendendis studiosis imponant: id dictū familiariter subinde usurpantes, quod etiam IOANNES Frobenius cuius hæredes sunt libris aliquibus præscripsit: Paruo emit qui bonū librum magno emit, Magno emit qui malum paruo. Quod dictum ut prima sui parte de nostro opere uere posse dici uehemēter expeto, Ita affirmate possum, me nihil studij ac diligentiæ intermisisse, quo hic meus labor talis uere sit, qualem uideri cupio. Quod si tamen quid humanitus nobis, quod possibile est, admissum

fuerit,

fuerit, non dubitabimus nosipsos aliquando repetita editione co͞uincere ac superare. Interim non diffidimus quin hi libri omnibus rerum medicarum amatoribus commodissimi sint futuri: qui per Reuerendissimæ c. tuæ gratiam & autoritatem non minus quàm per autoris sui diligētiam ac beneuolentiam, ut spero, placebunt. Imò c. t. hanc gratiam debebunt medicinæ studiosi, quod publice legendos ex autoritate eiusdem r. c. t. inuulgaui, quam diu ualentem, ac pietatis & bonarum artium studijs conseruandis superstitem, deus Opt. Max. sospitet: illud tantum impetrem oro, ut r. c. t. hanc nominis sui usurpandi audaciam, non ad imposturam, sed publicam quam plurimorum utilitatem clementer nobis indulgeat. Northusæ, Calen. Martij, Anno Christi M. D. XXXVII.

CAPITA PRIMI LIBRI.

INDEX VOCVM ET RERVM IN HOC OPERE TRACTATARVM COPIOSISSIMVS QVEM QVI SIBI VOLuerit esse usui, in numeris paginarum à 248 usque 353 centenariam notam corrigat.

* ἀμφι

lipare

N

O

T

V

FINIS

CLAVDII GALENI
PERGAMENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM LOCALIVM SIVE SECVNDUM LOCOS, LIBER PRIMUS IANO CORNARIO MEDICO, INTERPRETE.



VOD non solum affectus qui curatur curationem ipsam indicet, sed tum ipsius ægri temperamentũ, tum affectæ particulæ natura, nõ parũ illam simul demonstret, idipsum sane ante in curãdi methodo docuimus: quemadmodũ etiam quomodo quis ex simplicibus medicamẽtis per se compositũ aliquod faciat, compendio quidem in illa ipsa methodo, fusius uero in septem libris ante hunc item editis, totius disciplinæ adhibita ratione ostendimus. Nunc uero quomodo quis per se ex methodi ratiõe pharmacorũ cõpositiones preparet, ad singulas corporis partes cõuenientes, et quomodo à prioribus medicis inuentis recte utatur, percurrere propositum est, à capite initio facto uelut omnes etiam ante nos Medici fecerunt. Accidũt aũt capiti plurimæ affectiones cum reliquis omnibus partibus cõmunes: uerum capillorum affectionẽ cũ paucis cõmunem habet: propterea quod pilosum esse iuxta primam rationem non multis inest. Generatio enim pilorum eadem est quæ terræ nascentium, quemadmodum in libris de temperamentis est demonstratum. Quemadmodum enim ex istis quædam arte & arbitrio agricolæ: quędam uero iuxta naturales causas proueniũt: Eodem modo & in animaliũ corporibus contingit, quum aruo quidem alicui triticum, aut hordeum, aut aliud quoddam cerealium seminũ, in se insita habenti, caput adsimiletur. Alijs uero herbis quæ iuxta humidiores regiones proueniunt, reliqui totius corporis pili similem generationem habeãt: non enim secundũ primam rationem, sed per accidens quodam natura eos generare solet. Et pili quidem palpebrarum ac superciliorũ non paruam utilitatem animalibus exhibent, uelut alibi est ostensum: menti uero & pudẽdorum pili minoris utilitatis gratia producti uidentur. Quapropter etiam affectiones pilorum in oculis & superciljs, præcipue nos ad curam sui ipsarum impellunt: secundum uero locum capitis capillorum affectiones habent, deinde menti & pudendorũ. Sũt autem pilorũ affectiones, perfecta perditio, & coloris ipsorum alteratio, uelut in uitiligine alba, Leuce græcis appellata, fieri cõsueuit Ad hæc etiam in alopecijs & ophiasi non modicũ atq; indecorum detrimentum simul capillis accedit. Quidam igitur promiserunt ueluti has, sic etiam incipientem caluiciem, se ne augescat prohibituros: sunt autem qui hoc impossibile esse dictitant, Itaq; ad alopeciarum & ophiasis curationem progressi, pharmaca scripserũt per quæ perfectam ipsarum sanationem pollicentur. At uero pleriq; medici ex ipsorũ usu aliquando non solum successu longe frustrantur, sed etiam uehementer nocent, ut affectio ipsa incurabilis reddatur: quod sane ipsis etiam circa alia pharmaca contingit, quibus citra methodi rationem utũtur. Ego uero id quod Hippocrates præcepit, in artis operibus facere semper annitor: nimirũ ut quod auxilij loco adhibetur, uelut ille scripsit, iuuet uel certe non noceat. Quod uero pharmacorũ citra methodũ usus nõ solum non prosit, sed frequẽter etiam obsit, ex illo sane discere licet. iam uero ordiẽdi quod proposuimus tẽpus adest.

De Alopecia, Caluicie & Ophiasi. Cap. I



Vemadmodũ plantæ aliquæ ob humoris inopiam resiccatæ corrumpuntur, aliquæ uero ob humoris alieni ab ipsarũ natura attractionẽ: eodem modo & capilli aut propter humorũ ex quibus nutriri cõsue uerũt inopiam, aut propter eorundẽ uitiationẽ corrumpũtur. Et propter inopiã sanè humorũ caluicies cõtingit, propter uitiatos uero humores Alopecia, & Ophiasis. Vnũ quidem ambæ secũdum morbosam affectionẽ malum, nomina autẽ iuxta figurã habentes diuersa: serpẽti enim similis læsa capitis pars in ophiasi apparet. Alopecias autem ob id appellatas ferunt quod uulpibus frequẽter accidant. Nos autem propter quid sic appellari contigit non quærimus, unde uero oriantur causam quærentes, eam ipsam humorum uitiatorum redundantiam comperimus. Quales autem tandem sint corrupti humores, ex colore cutis capitis cognosces: aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior. Quare in istis primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitã ducente exhibito, aut quod bilem pallidã, aut nigram trahit, cõiectura redũdantis humoris ex colore cutis facta. Ego uero semper per hieram purgaui, aliquando ueratro nigro adiecto, ubi atræ bilis expurgare uolui humorem, aliquando scammonia, si amara bilis purganda esset: si uero pituitosiorem exuperare cõiecissem humorem, nihil ammiscui. Tales enim præsertim ex capite, hiera ex colocynthide purgare consueuit, simulq; cum his etiam alios quosdam humores, etiam si scammonia, aut ueratrum nigrum, aut epithymum non addatur. Quin & ex aloe catapotia quæ tum scammoniam tum colocynthidem admixtam habent, commodius ita affectos purgare solent. Cæterũ post totius corporis purgationẽ, Apophlegmatismis pituitam è capite detrahere præstat, atq; deinde localibus auxilijs uti: de quorum compositione dicturũ me hoc opere recepi. Oportet enim uelut in alijs, sic & in his affectioni mederi, cuius accessio siue symptoma est uitiatus capillus. Siquidem igitur uitiatus humor circa unum locum fuerit collectus, scopus medendi erit ut is quàm celerrime euacuetur, prius quàm ab ipso cutis in quendam malum habitum deducatur: tãtum ut etiam si quis uitiatum ipsius humorẽ euacuet, & boni sanguinis influxũ præparet: is adeo etiã à malo in ipsa habitu prius inducto corrũpatur. Si itaq; uitiatum humorẽ in cute euacuare uolueris, discussorijs pharmacis opus habebis. Atqui cõtradicet forsan aliquis, cõmunem scopũ in omnibus affectionibus quæ ex influxu humorũ fiunt, cõtemni ac subuerti ratus: repelli ipsos debere asserens partem refrigerando ac adstringẽdo, non attrahi calfaciendo: esse autem discussoria omnia facultate calida. Et certe affirmamus nos quoque uere hæc dicta esse. Incipientes enim ophiases & alopecias per huiusmodi pharmaca prohibere oportet ne augescãt: non tamen principium ipsorum alopeciam aut ophiasin appellari, sicut neq; psoram aut lepram iam appellamus quæ ex lichene orditur. Ego itaq; quemadmodum nostis, etiam iam factas alopecias aliquãdo sola purgatione sanaui, nullo amplius medicamento post ipsam ad locũ affectũ admoto: ut autem ampliorem eius rei experientiam facerem, ex eiusmodi quopiam successu sum impulsus. Adolescens quispiam bonæ habitudinis & exercitijs adsuetus hanc affectionem in capite habebat: erat autem satis familiaris mihi, ut diætam ipsius qua iam per tres aut quatuor menses usus erat, probe nossem: explebat enim se quotidie ferme fungis. Hũc itaq; sola hiera ex colocynthide purgaui, bis in quinque diebus: in prima sanè purgatione quatuor ex ea drachmis, in secũda quinq; exhibitis. Prius quàm uero ad has purgationes peruenirẽ, catapotia ex aloe undecim ei præbui, ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Habent autem

catapotia

catapotia hæc: Colocynthidis partem unã, aloes & scammoniæ utriusq; partes duas, his ego unã partẽ succi absinthij addo. Antea uero etiam mastichen chiam & bdellium adieci, Hoc enim modo Quintus utebatur. Verum propter quid ea reiecerim postea, alio sermone explicabitur, quem in cõpositionis purgantium pharmacorũ libros reseruo. Quũ igitur post has tres purgatiões homini pituitam è capite deducere per apophlegmatismos uellem, atq; deinde pharmacũ quod/dam ad affectã partẽ adhibere, contigit ipsum de repẽte in profectionem quan/dam ablegari: in qua quum boni succi cibis, de quibus à me instructus erat, utere tur, post dies forte uiginti rediit ab affectione circa capillos penitus curatus. Ex hoc sane successu incitatus ego quũ in alijs eandem curationẽ fecissem, expecta/ui ut uiderem quid citra pharmacorũ ad caput adhibitionẽ, esset sequuturũ. Cu/rati sunt itaq; omnes hoc modo, non tamen in iam inueteratis huiusmodi expe/rientiæ periculũ feci. Difficulter enim eluũtur in his cum impacti, serosi humores, multo uero magis in his quibus iam ipsa cutis ad malum habitũ peruenit despe/rãda est per solas purgationes curatio. Atq; hæc quidẽ necessario præfatus sum. Cæterũ de pharmacis affectioni huic cõmodis iam dicere incipiam. Euacuatiua igitur omnino esse oportet ipsa affligẽtis humoris, uerum euacuare nihil potest quod non discutiendi ui sit præditũ, eam uero uim citra calefactionẽ habere non potest. Sed si quidem ex ueheméter calfacientium numero fuerit, cutem exuret: quod si uero nõ urat, in principio quidem præclare iuuabit, progressu uero tem poris cuticula capitis super resiccata talis euadet, qualem in caluis uidemus. Nõ tamen simpliciter moderate calidũ esse pharmacũ oportet, intra uidelicet fines scopi propositi retentum. Nam & tenuium partium ipsum esse cõuenit, quod sa ne in altum sit progressurũ, unde radices capillorũ generationis suę principium habent, & ui qualem diximus præditũ: propterea quod crassior sit & durior ca/pitis cutis, & ob id medicaměto opus habeat efficaciore. Itaq; si supra hoc quod uitiatos humores discutiat, etiam idoneum sit ad bonum sanguinem adtrahen/dum, uelut est thapsia, optimum sane pharmacũ est censendum. At uero quum thapsia longe calidior sit quàm affectioni sit ex usu, meritò eius adhibitionẽ per se uitamus: exulcerationes enim in cute excitare cõsueuit, & omnino quosdam inflammatos tumores, qua propter necessario quædam quæ eius uehementiam mitigent admiscemus. Idipsum uero ceratum ex oleo apparatum præstare po/test. Sit autem tenuium partium oleum quale est Sabinũ, præstat item modera/te esse uetustũ. Ad hanc rem cõfert item oleum cicinũ, quod mox ab initio eius/modi naturam habet, quali præditum est Sabinum inueteratũ. Quod si neutrũ horũ ad manũ sit, ex reliquis græcis oleis citra oleãrũ germina apparatis quod/cunq; tandem admiscemus, præsertim si sit uetustum. Perspicuum itaq; esse opi/nor oleum ex Iberia, aut Hispania, aut quomodocunq; quis eam appellare uelit, fugiendum esse, itemq; quod ex oliuis nondum plenè maturis apparatur, Omo tribes & omphacinũ à gręcis appellatũ. Vsus sum autẽ & sola thapsia uehemen ti eius facultate larga aquæ ammixtione exoluta. Verum nosse operæpretium est circa thapsiæ usum, maximam differentiam esse recentis ad uetustiorem. Vis enim huius pharmaci post annũ multũ exoluitur, atq; amplius adhuc post duos annos, ausimq; ferè dicere inutilẽ penitus eius usum ad trienniũ progressæ. Eius igitur ætatis animaduersione habita imparem aquæ modum admiscebis. Ad re/centem enim plurimum aquæ addes, eamq; sæpe singulis diebus illines: ad eam uero quæ per tempus imbecillior reddita est, minus adfundes, quo & ob crassi/tudinem diutius adhærere, & propter liquiditatẽ non statim defluere contingat. Quin & quum compositum pharmacum paras quod thapsię ammixtionem re/

quirit, quale est quo ego assidue utor, non æquale semper pondus thapsię ammi scebis, sed quantū pro tempore ætatis eius cōuenit, tantum ipsum pondus auge bis. Cęterū de hac tota re paulo pòst diligētius quum ad cōposita peruenero explicabo, ubi prius simplicia pharmaca affectioni huic familiaria recensuero. Etenim ex his quæ fortiter calfaciunt est euphorbiū: quæ autē sufficienter, laurinum siue oleum siue ungentū, aut quocūq; tādem nomine id appellare uelis. Nam & his unà cum calfaciendi ac discutiendi facultate inest uis adtrahendi sanguinē in locū ab ipsis calefactū. Licet igitur ipsis per se uti, euphorbio quidē in oleo trito ac leuigato, laurino uero solo citra alterius ammixtionē illito: si tamen nimis fluidum appareat, parum ceræ addatur. Quū uero multo calidius sit recens euphorbium, si quidē eo quod duorū aut trium annorū est uteris, ad librā unam rhomanam olei, euphorbij unciam unam inijcies, quæ sanè duodecima olei pars existit. recenti uero euphorbio parce utaris, q̄ minima eius parte primū ammixta, aut etiā ceræ uncia una insuper addita, quo uideas quātum hominē excalefaciat: licebit enim tibi ubi rursus uti uoles, denuo addere siue oleū siue cerā malis. Eodem modo etiā thapsia utendum est, omnibusq; fortibus medicamētis. Peccatū enim infra modū nullum detrimentū affert, supra uero aliquando exasperat & exulcerat cutem, inflammationemq; suscitat. Atqui etsi in sequētibus cōpositis pharmacis quādoq; euphorbiū aut thapsia scribatur, pondus ipsorū in uigore existentiū non ueterū intelligere oportet. Valde enim uetusta omnino fugere oportet, non solū in his pharmacis, sed omnibus etiam alijs, quę uidelicet succi & liquores, & flores, & folia, & fructus, & radices, & semina existunt, quādo sanè etiā Metallica ipsa per longioris tēporis situm uires suas amittant. Vtimur tamen quibusdā pharmacis uiginti aut etiam triginta annorū, propterea quod nondum uergentem omnino habeāt ętatē: alia enim aliam tum uigentē, tum uergentē seu inclinatam ætatē habent, atq; etiā si ita dicere libeat senectam. Vnūquodq; aūt propriū uigorem his qui ea sæpe uiderūt indicat, tum ex odore, tum ex gustu, aliquando etiam ex colore, & secundū crassitiem cōpage. Quemadmodū in alijs omnibus pharmacis non solum quòd calefaciant operæpretiū est cognoscere, sed & quanta distātia quotoq; ordine id faciant. Sic item in his quæ alopecijs cōferunt pharmacis nosse oportet quòd calidissimū quidem ex eis est euphorbium, Eo aūt minus calidum est thapsia, post thapsiam autē sinapi & nasturtiū. Iuxta aliū autem modum limnitis nulli horū secundū est, habet autem præter hanc duas alias appellationes: nam & Adarcium & Adarce uocatur. Post hæc succedunt sulphur, & nitri spuma, ipsumq; nitrū molle ustū, & quod Berenicariū appellatur, quemadmodum & Aphrolitrū album, leue, ac laxū, quod nullam in se terream asperitatem habet. Deinde ueratrū utrunq; & erucæ semen, & laurinū siue oleum siue ungentū uelis appellare. ad hæc alcyonium utrunq; ustum & nō ustum: præstat tamē ustum: & calami radices itemq; cortex, ambo usta. Quin & pix liquida, & cedrinum quod aliqui cedriam appellant, & murium stercus, ursæq; adeps: præstat autem si uetustior extet, quanquam etiam hyenæ, leonisq; ac pardalis ac anseris adipes conueniunt, & quicunq; tenuiū partiū substantiā habent, quo promptè in cutis profundū penetrare queāt, atq; ad radices usq; capillorū pertingāt. Sed & amygdalæ amaræ totæ ustę commodæ sunt, & thus aceto acerrimo subactum. Subactum autem intellige quum pluribus diebus & maxime ad solem frequēter cum acri aceto sit cōtritum. His itaq; omnibus pharmacis licet utaris, ad fortia quidem cerato liquido addito, debilibus uero oleo laurino imbutis. Et inueteratas quidem ac difficulter curabiles cum fortibus persanare conaberis, incipientes autem & paruas cum debilibus.

Ad

Ad Alopecias composita.

Caeterũ pharmaca cõposita, quæ partim a prioribus medicis qui alicuius æstimationis fuerunt, magnopere sunt laudata, partim uero à nobis ipsis per longam experientiam sunt examinata ac probata, eiusmodi existũt. Euphorbij, thapsiæ, laurini, singulorũ drach. ij, sulphuris uiui, ueratri utriusq; drach. unã, neque refert albo an nigro ueratro quod ad manum sit utaris. his ammisce ceræ drach. vi. laurino aut cicino aut ueteri oleo liquefactas, utereq; hoc ut fortissimo pharmaco, ad inueteratas & ægre curabiles alopecias. His etiã aliquãdo nasturtij drach. unam, aut alcyonij usti drach. I. ammiscui. præstat autem in hunc usum alcyoniũ quod durius est & magis asperũ. Quod si thapsia nõ adsit, pro ipsa tantum pondus seminis nasturtij aut erucæ addes, aut ipsum adeo nasturtiũ. Si uero laurinum non habeas bonum, picem liquidam adde: laurinum nanq; picem liquidam non multum excellit, thapsia uero reliquorũ respectu maximum excessum habet. Hoc sane pharmacũ omnium quæ ad hanc affectionem efficaciter faciunt fortissimum & ualentissimũ est, quãdo uidelicet affectio ægre recipit curationem. Quæ enim parua est & incipiens etiamnum, sola purgatione sanatur, & per singula quæ recensui simplicia usta, laurino aut cedrino, aut liquida pice, aut cicino uel ueteri oleo excepta. Ammiscui etiam aliquando mel pro cerato, minori tamen copia & pondere, neq; peius euasit pharmacũ. Porrò quæ ex adipibus cõponuntur modica itẽ thapsia ammixta, similiter prosunt, præsertim si euphorbium & adarciũ addatur. Sit autem adeps trium generũ leonini, pardalij, & hyænæ, cuiusq; pars una. Si uero hyænæ adeps nõ adsit, sufficit præsentibus reliquis duobus uti, anserino ammixto: Si uero omnes quatuor habeas, simul omnes misceis, addito insuper si adsit ursino. Ad totam uero eorũ molem duodecimam thapsiæ aut euphorbij partem addere satis est: aut si omnino fortius facere uelis, ambo addes: nam & per experientiam hæc ipsa pharmaca efficacia sunt iudicata. Maioris enim experiẽtiæ habendæ gratia, petentibus subinde medicis à me amicis, singulis aliud atq; aliud eorum quæ experiẽtia cognita habui, rudi modo digestum exhibui, & reperta sunt sane plurima ex eis optime conducentia. Verum ante omnia methodi meminisse oportet circa eorũ usum, quæ cõmunis in omnibus præsertim fortibus pharmacis existit, quare etiã sæpe eius mentionem facio, utpote in qua magna omnino uis sita est. Qui enim singulis fortibus pharmacis utitur, in principio quidem ipsa molliora adhibebit, ammixtione uidelicet eorũ quæ uires ipsorũ exoluunt: qualia sunt oleum & cera, & ex simplicibus quæ diximus debilia, uelut est thus, & calami cortex ac radices exustæ, & amygdalæ amaræ, & quæcunq; eius generis existũt. At uero post primũ usum quum iam secundo adhibere uoles, intueri oportet qualem alterationem in affecta particula prius admotũ pharmacũ fecit, atq; illius respectu aut uehemẽtiam facultatis eius lenire, aut augere. Velut in hac quam iam tractamus affectione, primum quidẽ capillos nouacula tollere oportet, deinde affectã cutem per linteolũ neq; asperum neq; molle nimis cõfricare, ac uidere ad quantũ ruborẽ per huiusmodi molimen ac confrictionẽ peruenit. Magnã enim spem successurę curationis tibi iniiciet, si per modicas defrictiones rubefiat, quæ moderatæ affectionis significatio existit. Si uero per multas tandem, grauiorẽ tum affectionẽ, tum curationem indicat, præsertim quũ quædã cuticulæ etiãsi multũ cõfrices non rubefiant. Manifestũ igitur est has omniũ difficillime curari, sicut cõtra facillime, quæ facile rubescũt: quæ uero inter has medio modo habet, tantũ inter se differũt, quantũ uel ad pessimas uel moderatissimas accedũt. Atq; hæc quidẽ obiter & extra propositũ dicta sunt, quanq; non omnino prꝫter rem sint. Rursus itaq; ad id quod pro-

positum erat reuersus methodi te cōmonefaciam quam usus pharmacorū requirit. Post primam igitur pharmaci cuius usum elegeris adhibitionem, intueri conuenit primum quidem An etiam ante confrictionem cutis coloratior appareat: deinde autem an cum pauciore quàm prius frictione, aut an cum æquali quidem, magis tamen quàm prius rubicūda fiat. Præ omnibus uero animaduertere oportet ne in fortium pharmacorum admotione cutis ultra quàm conuenit concalescat, id quod tum ex colore ipsius, tum digitorū tactu deprehendes. Colore nanque flauior apparebit, & digitorum cōtactu satis calidam cognosces. Horū itaq; animaduersionem habere oportet: periculum enim est iterum atq; iterum repeti to eorū usu, cutem exuri. Quare ad molliora transeundū est, aut eodem utendum quidem, sed cerati, aut adipis, aut liquoris cuiusdam oleosi ammixtione, ui ipsius exoluta. Vtēdum est & olei calidi dulcis irrigatione, & cataplasmate ex pane, fomentisq; & scarificationibus ac cucurbitis, & ceratis, uirium item refectrice diæta. Cæterum perseuerante affectione utendum est assidua rasura, & rubificatorio ex sinapi uelut est prædictū, item & frictionibus præscriptis, & sequentibus diebus illita pice aut oleo cedrino, & post confrictionem scarificationibus. Quidam uero aciculas colligantes hoc modo ut aciem ad cutem uergentem habeant, per ipsas cutem compungūt. Verum post rubificationem per defrictionē inductam, & post scarificationem, pharmacis quæ ex alto euocare ac meatus transmutare possunt, Metasyncritica Græci appellant, utemur. In omnibus aūt cōmunis scopus hic sit, ut in aere calido pharmacum ipsum adhibeamus, & maxime si fieri possit in loco insolato, qui non habeat auram ipsum perflantem, hyemis autem tempore præstiterit in balneo his pharmacis uti.

De pharmacis compositis ad Alopeciæ affectionem à senioribus me medicis conscriptis.

HEras quidem igitur in ferula iuxta dictionis seriem sic scribit: Alcyonium quod asperius est ustum ac cum oleo tritum ac leuigatum loco illinito, sit autem oleum maxime ex lucernis acceptum. Hæc quidem sunt Heræ uerba: Verum nosse oportet medium esse uiribus hoc pharmacū, & propterea ad medias magnitudine alopecias curandas sufficiens. Moderatum equidem pharmacum est si calami radicem aut corticem, aut amygdalas amaras, aut eius generis quippiam ustum cum oleo cōmittas. fortia uero sunt quæ ex euphorbio & thapsia & adarco apparantur. In medio uero istorū est alcyoniū ustum, sed & ipsum moderatius redditur oleo ammixto, fortius uero liquida pice aut laurino affuso. Misce tur itē prædictis adipibus, & sane ego cuidā qui ad hanc affectionē ursino adipe usus erat, nec quicquā profecerat, alcyoniū ammiscere consului, à quo postea breui sanus euasit. Cæterū oleū lucernarū non ob aliam rationem aptum est, quàm quod magis tenuium partium existit, id quod ipsi ex lucerna in qua ueluti coquitur accedit, fitq; tum ueteri, tum cicino adsimile, ueluti si etiā alias ad ignem oleū uelis calefacere. Itaq; & sordes quæ in candelabris liquido luto similes gignuntur, his qui apud nos ruri degunt cognitæ sunt, ad ulcera in medio digitorum pedum curanda efficaces, quæ ulcera frequenter illis oboriuntur propter illuuiem & negligentiam perluendi ea singulis diebus. his itaque sordibus lutosis consului cuidam rurali alopeciā quam scalptam mihi ostenderat illinire, unà cum assidua loci rasura: qui sane ab ipsis persanatus, etiam alios tentauit hoc modo curare, utpote qui putaret omnem alopeciam ab hoc pharmaco posse curari. Verum ego quum moderatā eius affectionem essem intuitus, speraui ipsum quidem per illas sordes sanitatem consequuturum.

Aliud

Aliud compositum pharmacum Heræ pueris aptum.

ALiud autem deinceps pharmacũ Heras post præscriptum, iuxta seriem dictionis hoc modo scripsit: Seminis erucæ, partẽ I. nasturtij, partem I. nitri, partẽ I. In aliquibus aũt exẽplaribus simpliciter scriptũ est. Erucæ, partẽ I. nasturtij, partẽ I. nitri, partẽ I. cõtritis picẽ liquidã affunde, et loco prius cõfricato impone: atq; ubi abstuleris pharmacũ, locũ spongia calida imbuta extere: auferes autẽ bis per diẽ, & in pueris maxime efficax cõspicitur hoc pharmacũ. Fortius enim est priore, Verũ inueteratã & ægre cedẽtem alopeciã nõ curauerit, quod ipsum etiã Heras indicat, qui in pueris ipsum maxime efficax adscripsit, hoc est in corporibus molli cute preditis, Ex huiusmodi enim uitiati humores facile discutiuntur. Habent autem consimilem pueris cuticulam eunuchi & mulieres.

De his quæ Crito ad Alopecias conscripsit.

CRito uero in tertio libro eorum quæ ad corporis ornatũ pertinent, sic scripsit: Ad affectionem alopeciã appellatã quæ capillos deuastat, & cõmuniter deformitatẽ inducit, subscriptis cõpositionibus utendũ est, ut Heraclides Tarentinus tradit: Amygdalas amaras cum corticibus ustas ac tritas aceto excipe, modico item affuso melle: usu uero expetente loco per mundũ linteolum præfricato, assidue illine. Prodest autem maxime etiã assidua rasura antequam pharmacum imponatur. Aliud quo Moschus usus est: Herinaceorũ marinorũ testas exustas & aqua subactas locis præfrictis impone. In quibusdã exemplaribus nõ aqua, sed adipe ursino excipi debere Herinaceorũ cinerem reperi, quod mihi magis placuit. hoc enim modo efficacius redditur. Aliud, Calami radices ustas adipe ursino excipe atq; impone. Aliud, Thapsiæ corticẽ tritum cum aceto imponito. Aliud, Chamęleonis radicem cum aceto diligenter tritam imponito. Hæc præfatus Criton deinceps ita scribit. Quod si uero perseueret affectio, subscriptis compositionibus utendum est. quibus uerbis plane indicat per præscripta medicamenta moderatas affectiones sanari: itaque deinceps quæ ad fortiores affectiones conducũt scribit, quæ iuxta seriem dictionis ipsius hoc modo habent.

Quæ Heraclides ad inueteratas Alopecias descripsit.

AD alopecias uelut Heraclides Tarentinus tradit. Orestini ad alopecias inueteratas: muscerdę drach. II. thuris drach. II. aceto acerrimo dissoluta pręrasis locis illine. Aliud, Herinaceorum marinorũ unà cum testis exustorũ drach. II. gallarũ omphacitidũ, tantundem. amygdalarũ amararũ ustarũ, tantundem. muscerdæ drach. I. aceto dissoluta & probe trita imponito. Aliud Orestini, Pilorum ursi ustorum, adianti usti, radicũ calami ustarum, foliorum fici ustorum, panniculi Cilicij usti, singulorũ æquales partes adipe ursino & cedria excipe. Usus uero tempore, loco soto & per ficifolia cõfricto, ac per nitrũ exterso, pharmacum quotidie illine. Quod si cutis superficies exulceretur, ceratum ex oui luteo impone, & farinarum tritici ac hordei succum recentem superline. Aliud Orthonis Siculi accommodatũ, Cineris ranarum minimarum in ollula ustarum, partem I. muscerdæ, ueratri albi, radicis calami ustæ, piperis albi, singulorũ æquales portiones aceto excipe, & ad præfrictũ ac prærasum locum utere. Aliud, Cineris ungularũ caprinarum ustarum, succi thapsiæ, alcyonij, muscerdæ, spumæ nitri, myrrhæ, piperis albi, zingiberis, singulorũ æquas partes probe tritas felle caprino excipe.

Quæ Cleopatra in libro eorum quæ ad corporis ornatũ pertinent scripsit.

IN libro Cleopatræ de ornatu corporis, ad alopecias descripta sunt pharmaca, quæ iuxta illius dictionis seriem hoc modo habent: Sandarachã tritam lar

goq; uisco quercino exceptam, & in linteolum inditã, loco per nitrũ prius præparato imponito. Ego uero etiam nitri spumã ad prædicta anmiscui, & egregie efficax pharmacũ reperi. Aliud, Scillæ drach.I.uetarri albi drach.I.ex aceto trita prærasis & nitro cõfrictis illinito Aliud, Sinapis drach.unã, nasturtij drach.unã, trita ex aceto, prærasis & nitro extersis locis imponito. p̃stat aũt locũ uulnusculis impactis scarificare. Aliud, Corticis calami drach.iiij. spumę nitri drach.iiij. pice liquida exceptis utere. Cęterũ locũ assidue radere oportet, & cum linteolo cõfricare, sic enim quàm celerrime pilos producet Aliud, Muscarũ capita contrita affrica. Aliud, Muscerdas tritas illine, loco prius per linteoli affrictũ subcruento reddito. Aliud, Amygdalas amaras unà cũ corticibus exustas cum aceto & melle cõtere, & loco per defrictionẽ subcruẽtõ reddito illine, idq; ipsum assidue facere perge, & locũ nouacula rade: sic enim capilli cito prodibũt Aliud, Cæterũ ea quæ sequitur cõpositio omnes ui sua præcellit, faciens item ad profluuiũ capillorũ, cum oleo aut ungento dissoluta, facit & ad rarescentes in principio capillos, & in caluiciẽ prolabẽtes. Estq; omninõ admirabilis: Muriũ domesticorũ ustorũ partem unam, panniculi ampelini ustĩ partem unam, dentium equinorum ustorum partem unam, adipis ursini partem unam, medullæ ceruinæ partẽ unam, corticis calami partẽ unã. Hæc omnia arida leuigentur, & sufficienti melle ammixto ad crassitudinẽ mellis redigantur, indeq; adeps & medulla liquefacta addantur, & pharmacũ ipsum in æream pyxidem reponatur, ex eoq; alopecia donec capillos producat defricetur. Similiter autẽ & proflui capilli quotidie ex eo illinantur. Porrò inter hæc ipsa pharmaca itemq; ea quæ deinceps describentur, non difficile est dijudicare quæ acriora ac fortiora, rursusq; quæ molliora & imbecilliora existãt, modo quis ea quę in principio dixi in memoriam reuocet. Ita enim & rectus eorũ usus continget, nimirũ ad mediocres alopecias mediocribus adhibitis, ad fortiores fortioribus, uelut etiam ad eas quæ fortissimæ sunt, fortissima remedia admouentur.

Quæ Archigenes ad Alopecias commoda conscripsit.

Archigenes item hæc pharmaca ad alopecias hac uerborũ serie descripsit. Alopecias leues & in superficie herẽtes, nitro cõfricatas ac linteolo extersas, uerbenaca in sole trita acetoq; diluta largiter illine. Aut eodẽ modo extersis betæ folia impone, insuperq; linteolo humecto cõtege, aufer autẽ ea per loci humectationem. Cęterũ in altum progressas cum aceto, nitri gleba, aut sepiæ testa, aut aspera squatinæ cute, aut fici folijs, usq; ad dilaniationẽ defrica: deinde deterso sanguine, betã ex uino coctã impone, aut caricas ustas cũ uino, aut lentis farinam cũ uino pro cataplasmate adhibe. Aut buprestĩ cũ aceto, aut ranunculo, aut ari radice in cerati formã redactis, & per noctẽ impositis, bullas ex alopecia excitato: mane uero bullas cõpunctas, apio aut buselino, aut fremij folijs intege. Probe faciũt etiã post excitatas bullas hippocãpi marini usti, & cũ modico atramẽto sutorio crudo trito inspersi, itemq; ossa maxillarũ suillarũ usta. Aut rasis & cum nitri spuma extersis, & cũ alcyonio ex acri aceto cõfrictis donec cruẽtę reddantur, nucũ ponticarũ putamina usta cũ melle leuigata illine, atq; id bis in die facito: sedat ac sistit eas ut plurimũ in diebus decẽ. Aut mures domesticos in olla exustos tritosq;, axũgia excipe, & præfrictis cũ allio alopecijs in splenio impone, idq; donec capilli enascant quotidie repete. Aut ranũculos paruos similiter exure, eorumq; cinerẽ cũ pice sæpe usq; quo crassa facta sit feruefacta illine, loco neq; raso neq; prius cõfricto. Aut muscerdas & thus æquali portione cum aceto ad mellis crassitudinem redacta loco prius rubificato illine. Aut ficus aridas ustas cum oleo tritas illine. Aut ueratrũ albũ, piper, muscerdas, præfrictis & cõscalptis ex

aceto

aceto illine. Aut raphano & cepis oblique concisis probe cōfrictas illine. Aut alcyonium torrefactū cum digito oleo madefacto diligenter affrica, donec morsum percipiat, & correctam alopeciā emendabis. Aut alcyoniū ad lucernā torrefactū, adipemq; ursinū similiter liquefactū misce, & præfrictis ad solem, illine. Aut præpunctis pro more, cepas tritas cum melle cataplasmatis modo impone. Aut raphani corticē eodem modo. Aut facta scarificatione, calami corticē superiorem quem Aegyptij Siphtheriū appellāt, ustum cum pice liquida committe, spleniumq; impone, & quater aut quinquies solue, deinde exterge ac aliud splenium impone. Quidam nitri decimā cineris ipsius partem ammiscēt, ualdeq; eis succedit. Aut squamam stomomatis ferri cum aceto & oleo illine eodē modo. Aut felis siue crocodili stercoris drach. vi. sinapis drach. iiij. cum acri aceto illine. Aut cantharidas ustas pice liquida exceptas ad cerati liquidi formā redige, præfrictisq; ex nitro aſso locis, & exterſis in splenio impone, & per noctem sine: mane uero tolle, locumq; exiccari permitte usq; quo circū circa rumpatur: ubi uero eruperint capilli eos aſsidue rade. Aut nasturtium, uel ut alij piper, muscerdas, ueratrum album, æqualibus portionibus ex aceto illine. Aut cum aspera squatinæ cute, aut folio ficulneo, aut pumice leui, superne alopecias cruētas facito, deindeq; amygdalas amaras ustas cum aceto mulso illinito, idq; aſsidue facito ac radito: augescent enim statim capilli. Aut testudinis marinæ sanguinem illine, ex laudatiſsimis enim hic est. Aut hippopotami corium ustum illine. Aut nuces ponticas ustas & staphidas syluestres cum unguento laurino. Hoc enim ab Archigene laudatur. Aut muscerdas & ueratrum album illinito. Aut corticis calami usti & nitri æquas partes cum pice liquida ad malagmatis formā redige. Aut nuces amaras unà cum corticibus ustas ex aceto aut melle craſsius illine, idq; loco prius per linteolum exterſo: post uero aſsidue radito. Aut ammoniacum thymiama cum succo tithymalli affricato. Aut felis stercus aridum ex aceto. Aut rhois drach. iiij. uel ij. sinapis drach. ij. cum acri aceto illine. Aut amygdalas amaras & pumicē illine. Dionysodorus autē medicus, Soleam inquit, nouam ustam cum acri aceto illine. Egregie autem facit ad inueteratas alopecias, si thapsiæ succum aut radicem cerato exceptū loco imposueris, etiamsi nihil præterea aliud facias. Decedit enim superna cutis & sanie serosa madet, capilliq; sua spōte subnascuntur. Vides itaq; quomodo Archigenes ex thapsia pharmacum collaudet, neq; enim aliud eo præstātius reperias. Auget autem fidem commoditatis eius consona historia experimenti, quapropter & ego omnia apud Empiricos medicos obseruata hic adscribo.

Quæ Asclepiades in libro de Alopecia scripsit.

NOn recētioris nunc mentionem facio Asclepiadæ, qui memorabiles sane pharmacorum compositiones in multis libris conscripsit, sed uetustioris Bithyni uidelicet. Hic itaq; Asclepiades curandi uiam se reperiſſe gloriatur, per quam multos immedicabiles alopecias habentes sanatos dicit. Verū plus ad curationem totam diætā ualere quàm pharmaca ipsa tradit. De diæta itaq; hæc scribit: Abstinendū itaq; ab omni uino in totū propter has ipsas causas. Manifestū uero est inde, ipsum antea retuliſſe causas, quas si quis discere uelit ex libri ipsius lectione requirat. Deinde subiungit: Abstinendū etiam à nimia repletione. Prohibet autem & carnium esum, & casei, & lactis, & leguminū, omniumq; simpliciter quæ etiam exigua copia accepta plurimum nutriunt & inflant. Quin & exercitia plurima fugere iubet, uelut etiam aſsidua balnea, & multas exudationes. Cæterum de pharmacis iuxta seriem dictionis sic scribit. Est autem primum unguentum tale: Spumæ nitri partes duas, salis ammoniaci partem unam, usta trita

trita acerrimoq; aceto diluta donec ſtrigmentorũ craſſitudinem accipiant, præſcalptæ leuiter alopeciæ, quo denſetur & cruentus reddatur locus, moderate illinimus, defricamusq; donec caput ea concipiat, & pharmacũ in altũ probe deferatur, atq; ita quieſcere uſq; ad crepuſculũ ſinimus, poſtea ad ueſperam idem repetentes, ſimiliterq; ſequẽti ac tertia die, magnam permutationem reperimus. Siſtitur enim nome ſiue ulceratio ſerpens, & capilli uellicati, imò & ui tracti reſiſtunt, & non euelluntur. Deinde ſequenti die præfrictis acetum cataplaſmatis modo imponimus, uſq;quo bullæ exurgant, & cutis leuem exulcerationẽ incurrat: poſt uero pertuſis bullis ad biduũ aquoſitatem effluere ſinimus quæ ab ipſis ulceribus prodit. Indeq; rurſus eodem ungento utimur, ulceratis tantũ locis parcentes eosq; tranſgredientes, Sanos uero contingentes, eosq; defricantes uſque ad crepuſculum quieſcere ſinimus, quo idem repetentes paulatimq; confricantes uſq; ad ſeptimum aut octauũ id facere pergimus diem: quo ſanè tempore uidemus iam ab extremis alopeciæ non amplius tenues ut ante, & lanuginoſos prodire pilos, ſed longiores & robuſtiores, conſimilesq; poſtea paulatim etiam in partibus denudatis excreſcentes, uiciſſimq; tenues & imbecilles deficientes. Contingitq; ſimile quiddam quale in ulceratis uidemus. In ulceribus enim cicatrix ab extremo initium faciens, poſtremum in medio ulcere deſinit ac coit. Ita in alopecia partes piloſis uicinæ primum conualeſcunt & denſæ pilis reddũtur, quæ uero in medio ſitæ ſunt omnium poſtremo pilos producũt. Si itaq; curatio hoc modo proceſſerit, reliquis medicamẽtis nihil opus habebimus, ſed uno hoc per multũ tẽpus ſemper utimur: ceditq; benigniter affectio, niſi omnino magna nuditas exiſtat. Medio autẽ tempore ſcalpturã per acutum cœlum aſſidue facimus. Aliquãdo etiam cuſpide acuti ſpiculi cute pertuſa, per fiſſuras ipſas ſanguinem moderate elicimus. Hæc his uerbis præfatus Aſclepiades, deinceps de raſura cõtra quàm alij tradit: neq; enim aſſidue ſed per interualla affectam partem radere iubet, ubi iam mediocriter denſi capilli in ea fuerint exorti: prodeuntes autẽ iam & adhuc tenues raſura non dignatur. Cęterũ poſt raſuræ factam mentionẽ, deinceps hæc uerba ſcribit. Quod ſi uero remoretur capillorum exortus ad ſubſcriptas cõpoſitiones confugimus. Sunt autẽ tales: Herinacij terreſtris caput aut coriũ, uſtum tritum ac melle ſubactum illinito. Aliud, Hippocampũ marinũ & nitri parũ coexure, adipeq; anſerino ammixto, loco nitro p̃parato illine. Aliud, Thapſiam aqua maceratam illine. Aliud, Muſcerdas aceto tritas illine. Aliud, Calami Cyprij folia in olla exurito, deinde reſina pinus cinerẽ ipſum excipito, & pręſcarificatæ alopeciæ imponito ac obligato. Aut corticem ſiue comam calamorũ eodem modo præparato, ampliusq; nitri parem cineris modum ammiſceto, & pice exceptis utitor. Eſt autẽ non inualidum ſed plurimum efficax. Poſt hæc uero etiam muſcarũ Aſclepiades meminit, iubens quàm plurima ipſarũ capita mox ubi captæ ſunt, nudis alopeciæ partibus affricari, atq; id maxime ubi alopecia fuerit exulcerata. Etenim confert, inquit, muſcarum ſanguis partibus tunc per pharmaca ex nitro ac alijs cõpoſita exacerbatis, nimirum quum non mordeant hæc ipſas tantum, ſed bullas etiam in eis excitent.

Quæ Soranus ad Alopecias conſcripſit.

PRæfatur quædam quæ iuxta propriæ ſectæ ductum digeſſit, meminitq; eorum quæ Aſclepiades ſcripſit: deinde uero hæc, hac uerborum ſerie ſubtexit. Quapropter ubi recens malum eſt, primum abſtinentia proderit, deinde ſimplex cibus boni ſucci, & irrigatio ex oleo dulci calido, & panis in cataplaſmate, fomentaq; & ſcalpturæ, & cucurbitæ, ac cerata. Vires item reparentur. Inueterata autẽ iam affectione aſſidua raſura, & rubificatio ex ſinapi; & frictiones pręſcriptæ

scriptæ,ita ut in sequentibus diebus picem superlinas aut oleum cedrinum. Proderit item rubificatio ex affrictu foliorum fici aut cæparum, aut linteoli pollici aut indici obuoluti,et post frictionẽ scarificationes. Quidã uero acus cõligantes ita ut cuspides ipsarũ in eundem locum porrigãtur, per ipsas cutem cõpungunt. Cæterum post rubificationẽ per defrictionem inductam, postq; scarificationem pharmaca conueniunt ex alto euocantia ac transferentia, metasyncritica græcis appellata, tum illita, tum emplastri modo imposita. Eiusmodi aũt multa particulatim existunt. Nam & cepe tritum, & raphani cortex, utrunq; cum melle impositum ualet. Aut spumæ nitri partem unam, rhois partes duas, salis ammoniaci partem unam, usta & cum acri aceto trita ad strigmẽtorum crassitudinẽ rediganrur. Scripta sunt & alia multa, inquit, apud Asclepiadem & Heraclidem Tarentinũ, Elephãtidemq; ac Moschionem in libro de ornatu. Ex quibus sane & ipse ea quæ ex Asclepiade præscripta uidisti exscripsit, & alia item quędam quorum deinceps mentionem faciam: Adipis ursini partem unam, cineris foliorum calami ustorum partem unã, squamæ stomomatis ferri partem unã, aceto & oleo uereri subacta illine. Aliud, Stercoris felis aut crocodili drach. viij. sinapis drach. iiij. ex acri aceto. Aliud, Hordei usti & muscerdæ par pondus ex acri aceto. Aliud, Nasturtiũ & muscerdas, ueratrũ albũ, piper, æquali mensura ex acerrimo aceto. Aliud, Sinapi & nasturtiũ aut spondyliũ usta trita ex aceto illine. Aliud, Ranarũ ustarũ drach. xviij pumicis usti drach. xij. alij xv. habent. sinapis drach. viij. nitri drach. iiij. nucum ustarũ, drach. xxiiij. Aliud, Præstat & ceratum ex pipere, pyrethro, calce, & oleo myrteo. Oportet autem & partem affectam præfricare uel per alcyonium ustum, donec morsum persentiscat, uel per herinacij marini usti cinerem linteolo inuolutum, donec locus rubefiat. Alia pharmaca quæ partim mihi, partim præceptoribus meis, partim amicis medicis in usu fuerunt. Pumice rubificatorio præfricato, præfomentatoq;, & thapsiæ succum donec cutis eleuetur illinito, deindeq; somẽto adhibito, cerato rosaceo utitor. Aliud, Foliorum ac radicis calami ustorũ, pilorum ursi, adianti, adipis ursini, picis liquidæ, pilorum caprarum ustorum, cedriæ, omnium octo par pondus accipe, liquidaq; cum aridis committe, & præfrictis adhibe. Aliud, Fici folia cũ aceto donec lanugo prodierit affrica: deinde uero herbæ quæ Stœbe appellatur succũ illine. Aliud, Ranas paruas ustas pici liquidæ tepidæ insperge, deinde neq; prærasis neq; p̃frictis illine. Aliud, Spumæ nitri, drach. iiij. stercoris muris, drach. ij. corticis calami usti, drach. ij pice liquida excipito, & spleniũ formato, idq; prærafo ac cũ nitro preparato loco imponito, & ante biduũ uel triduũ nõ auferto. Aliud, Sinapis & stercoris felis æquas utriusq; partes, loco præfricto illinito. Aliud, Scarificato ac sepiæ atramentum illinito, aut marrubium uiride tritum illinito. Aliud, Sphæritidis folia torrefacta cum aceto leuigata imponito. Appellatur autẽ sphæritis, cupressus quæ sphæria, id est, pilulas producit. Aliud, Nuces amaras unà cum putamine ustas, prærasis ex aceto & melle illine. Aliud, Herinaciorũ marinorũ testas ustas, ex melle & aceto prærasis illine. Aliud, Alcyonium ustum & muriũ stercora cum porri succo illine. Aliud, Radicis thapsiæ, drach. iiij. radicis chamæleonis, drach. ij. uisco probe subacto excipe & cataplasmatis modo impone, quumq; exacerbatus æger fuerit adime. Aliud, Foliorum calami græci ustorum, drach. iiij. muscerdæ, drach. ij. herinaciorum ustorum, drach. unam cum aceto trita illine. Aliud, Salis ammoniaci, drach. unã, nitri drach. unã, utrunq; torrefacito, acetoq; rigata ter in die illinito, loco prius cum nitro præparato. Aliud, Amygdalarũ amararum

testarum obolos tres, pumicis obolos duos, salis ammoniaci, obolos iij. similiter illine ex aceto. Aliud, Piper, muscerdas, ueratrũ albũ ęquali pōdere cum aceto illine. Aliud, Squamā stomomatis ferri cum aceto & modico oleo illine. Aliud, Locum per pumicem proritato, & sulphuris, spumæ nitri, ammoniaci singulorũ æquas partes mixtas cũ aceto illinito. Aliud, Alcyonij drach. unam, sulphuris uiui drach. vi. muscarũ ad ariditatem torrefactarũ cyathũ unum. muscas per se terito itemq; sulphur, alcyoniũ uero aqua coctum unà cum siccis leuigato, felle suillo ac aceto paulatim affusis usq; quo stirgmento sum reddatur. Deinde axungiam à rotis derasam, & manu emollitam ut emplastri forma confiat misceto, & præ rasa alopecia ac rubificata pharmacum ut optimum cōfidenter illinito. Aliud, Alicam aceto maceratam terito, & paululo succo cyrenaico adiecto, præfricto loco illinito. Aliud, Loco præfricto ac scarificato caricas assatas cum passo cataplasmatis modo imponito. Aliud, Passum illinito, ac deinde ferulam ustā inspergito. Quę deinceps sequuntur duo pharmaca admiranda sunt, & uerbis eius qui ea prodidit inscripta ad alopecias, caluiciem, raritatem capillorum ægre curabilem in capite, in mento ac supercilijs. Pilorum ursi unc. unā, radicis calami unc. vi. filicis cum radice quadrātem ac unciæ dimidium, castanearũ hispidi corticis quadrantē, lanarum succidarũ quàm pinguissimarũ sexuncem. capita muscarũ numero xxxvi. muscas v. capitibus reiectis. Omnia in nouam ollam indita in furnum mittito, dein de cinerem ipsorum terito. Habeas autē in uino Aminæo prius trita ladani unc. unam, myrrhæ unc. unā, adijciaturq; olei ueteris sextans, & cedrini unc. una. malabathri sextans: deinde inspersis aridis tritis medicamentum reconde, atq; ubi linteolo alopeciam præfricueris, deindeq; aut cepa aut scilla uellicaueris, aut fici folio lente exscalpseris, pharmacum ipsum illitu affrica. Insequentibus uero diebus locum rigido ac aspero lintheolo confricato, atq; hoc modo illinēdo usq; ad menses duos progreditor. Quod si amplius in hac curatione perseueraris, etiam caluiciem ea persanabis. Ad caluescentes præter ætatē remediũ, Adipis taurini insolati lib. unam, adarces unc. unā, succi thapsię sesquiunciam, alij unciæ dimidiũ habent, myrrhæ bonæ unc. unā, polytrichi lib. dimidium, callitrichi lib. dimidium, membri asinini lib. unā. splenis asinini lib. unam, ladani tantundem. Ego ladanum in uino modico maceratum contriui: adipem uero aquæ uapore liquefeci, deinde asini membrum assatum donec insumatur radito: splenem uero cum callitricho & polytricho in noua olla torrefacito, contusisq; quæ contundi possunt ac cribratis, omnia gleucino aut sabino excipito, & ante balneum utitor capite prius pectinato. Manifestum uero est quod eadem pharmaca etiam ad menti pilos non enascentes cōducunt. Aliud, Fœni græci sextarios iiij. seminis lini sextarios ij. ladani bessem, succi acaciæ sexuncē, folij malabathri sexuncē, gallas numero xx, onychis aromatici sextantē, calami Syriaci sextantē & unc. dimidiũ, alij unc. unā habent, bdellij sextantē, myrti ustę sextariũ unũ, musci, quē alij splanchnon, alij bryon aromaticũ uocant quadrantē: iridis astragalitidis, alij illyricę sextantē. Singula per se cōtundito, ac per cribrũ arctius excutito, & deinceps ut præscriptũ est misceto. Vsu uero expetēte, pharmaci tertiam partem, aut quantum sufficit, in æreum aut testaceum uas conijcito, deinde uini Italici odorati tantum ut liquidum reddatur ammisceto, atq; ita prunis impositũ donec semel ebulliat cum lignea uirga agitato, animaduersione habita ne comburatur. Post uero illines ægro in aquam desidere iusso, sensimq; in solio sedenti affricabis, ac pro more capite ex aqua perfuso pharmacum ablues. Deinde autem staphidem syluestrem per se tusam ac cribratam, post quartum usus diem pharmaco

maco ammiscebis, similiterque coques, eodemque modo illines, parce tamen ac caute ne in oculos destillet. Vngento autem a balneo uteris, olei myrtei libra una, cum ladani triente contrita. Constans & certa est pharmaci huius facultas, neque citra effectum dilabitur. Aliud ad eadem, Pericalamitidis unc. I. myropisso ceri, sordis pilorum barbæ hircinæ utriusque unciæ dimidium. adipis infantis informis libram unam, succi foliorum dionysiaci tenerorum, succi foliorum ladonidis tenerorum, succi callicereos, succi herbæ uerbenacæ, succi foliorum calami, singulorum cyathos iij. cynomori, herinaciorum marinorum ustorum, utriusque sextantem aut amplius si melius reddere pharmacum uelis. acanthionis terrestris corium ustum, Hæc omnia ad plures dies in pila plumbea terere oportet, donec omnia probe leuigata uniatur, atque etiam donec a pila quippiam detritum eis accedat. Vtere loco contente ex crudo linteolo ex lino præfricto, ac deinde cum althææ siue hibisci radice deterso, illinito. Hoc pharmacum eo modo scriptum reperit Claudianus amicus noster in libello ex membranis contexto, eo qui pharmaco usus fuerat uita defuncto. Multi autem faciebat eius possessionem, propterea quod duos quosdam caluescere iam incipientes ex eo curatos conspexisset ita ut neque ulterius caluicies progrederetur, ipseque denudatus locus pilis densus redderetur. At uero nos hoc ipsum obscure & coniecturaliter scriptum nacti, singulatim considerabamus quid tandem singulis significaretur, quumque iam hoc, iam aliud mente conciperemus, per magnam experientiam tandem nos ueritatem reperturos sperabamus. Verum in præsens quidem quod sentimus scribemus, scripturi etiam in posterum si quid experientia cognitum repererimus. In præsens autem pericalamitidem, calami corticem dici putamus. Nam & alias ipsum eiusmodi affectionibus conuenire scimus maxime ustum, nouimus item alios ex eiusmodi pharmaca composuisse, quapropter credibile est quoniam cortex calamo circum adhæret pericalamitin ipsum appellari. Potest autem etiam id quod ab aliquibus limnestrum, ab alijs adarce & adarcium dicitur, pericalamitis appellari, propterea quod calamis adnascatur. At uero myropissocerum picem & ceram dici æstimamus, ungento quopiam ad huiusmodi affectiones congruenti eliquata, uelut est gleucinum & laurinum, nardinum, lentiscinum, sesaminum & cedrinum. Cæterum barbæ hircinæ sordes statim nobis uisæ sunt de ladano dictæ esse: nam ad has affectiones conuenire in confesso est. Et sane generatio eius circa mentum hircorum in quibusdam locis contingit, quod ipsum & Rufus Ephesius per hos uersus indicat:

Inuenias in Erremborum quoque ladanon orbe
Caprarum circa mentum, gratissimus illis
Succus is e cisthi folio decerptus amico.
Imbuti hoc uilli menti laterumque madescunt,
Non tamen ad morbos hoc præstat, laudem ab odore
Egregio quo spirat habet, quod plurima mixta
Pharmaca Erembi habeant diuinis uiribus aucta,
Orta solo & campo longe lateque parenti.

An quidem igitur hoc solum ladanum is qui pharmacum composuit inijcere iubet, non satis manifestum est: possibile est autem per unam speciem totum genus ab eo designari. Porro infantem informem uidetur mihi ursam dixisse, Vrsam enim parere aiunt informem quandam uelut carnis molem, uerum post per linctum matris animal formari ac effigiari. Dionysiacum autem uitem mihi dicere uidetur, quanquam & de hedera dici posse aliquis opinari queat. At uero quod ladonidem laurum appellet nemini puto dubium esse. Calliceros autem fœnum græ-

cum appellare uidetur: nominatur aūt hæc planta apud nos in Asia Aegoceros. Cynomorum deinde rubum canis uerisimile est dici. Acanthiona autem postremum terrestrem, herina cium terrestrem appellatum ab eo existimo.

De Defluuio capillorum Cap. II


St & alia pilorum affectio quæ ad raritatē cutis, inopiamq; substantiæ pilos generantis cōsequitur. Quapropter etiam curatio hoc modo læsorum, non eūdem scopum quem alopeciæ habet: in alopecijs enim ut uitiatus humor cōsumatur, intentionem summā ac primariū scopum habemus. In his uero ut capitis habitū roboremus, & boni succi allationē procuremus, cutemq; ad densitatem ac raritatē moderatā reuocemus. Quam ob rem sanè ad pharmaca humectantia aliquid moderate adstringens ammiscere oportet, quale est ladanum, quod utraq; in se moderate cōplectitur quæ ad hoc symptoma cōueniunt, caliditatem uidelicet mediocrem, & adstringendi uim iuxta eandem proportionem. propter hoc itaq; oleo mixtum quo illini possit, symptoma, siue accessionem defluuij capillorū sistit. At uero manifestum est capitis frictionem necessario huius pharmaci usui præmitti, & multitudinis pilorum resectionem, aut si anni tempus id fieri permittit perfectā ablationē. Ita enim in affrictu & illitu robusta & calida reddetur cutis, & moderatam densitatem acquiret, eam uidelicet quæ secundum naturam est. Consueuit autem hæc circa pilos oblæsio sæpe his qui ægrotarunt accidere. Raro autem citra morbum, & magis sanè diæta salubri & uires reficiente opus habet. Mulięq; citra medicamentū perfecte sanati sunt, atq; id breui. Composuerunt tamen medici eius gratia pharmaca moderatam densitatem cuti inducētia, ita tamen ut ne simul eam refrigerent: quæ enim uehementer adstringunt, omnia etiam refrigerant, & alimenti influxū reprimunt, propter cuius inopiam capilli defluunt. Intentio itaq; medicamentorum est sanguinem affluentem non solum non præpedire, sed etiam prolectare, cogere autem sensim & adstringere rarefactam cutem. Tale autem sponte naturæ est ipsum ladanum, quod quia ceræ similem compagem habet, largo aliquo conuenienti liquore indiget, quo capiti illini possit. Præstat igitur huiusmodi liquorem similem ladano esse, hoc est, ex cōtrarijs facultatibus mixtum, adtractoria timirum & coactoria. Nequaquam ergo oleum Sabinum aut uetus aut Cicinum ad hanc rem aptum fuerit, sed in Hiberia aut Hispania, aut quomodocunq; tandem appellare uelis, natū. Habet enim & adstrictoriū quippiā, atq; amplius adhuc eo lentiscinū, sponte naturæ tale existens, quale est ipsum ladanum. Quare neq; expertus sum, neq; mente concipere possum, ullum præstantius pharmacum fore ad defluos capillos, quàm est quod ex ladano & lentiscino oleo permixtum cōstat. Manifestū autem est quod raso quidem cuipiā, crassius admouere medicamentū oportet: ad ipsam uero cutem præsectos & attonsos habētibus pilos, liquidius. Quòd enim comam alere non oporteat priusquam quis curetur, euidens puto. Quod si uero large defluant capilli, & coniectare possis multā raritatem cutis capitis factam, non ineptū fuerit in præsens myrteū oleum pro lentiscino ad ladanum ammiscere. Licebit etiam aliquando ungentū nardinum adhibere in ætate frigida, & tempore hyemali. Bonum autem pharmacum ad omnia est diuitum fœminarū ungentum, quod Romæ uocant foliatum. Nō minus autem eo cōmodum est, imò magis quod appellant Spicatū, Quare cū his uel solis diuites ungi iubeto, & cum optimo nardino. Ladanū uero in duplo uase liquefacito, & liquefacto unà cū nardino ex prædictis preciosis ungenis quodcunq; ad manum fuerit ammisceto. Atq; hæc quidem medicamenta mihi suffecerunt unà cum refectoria ac salubri diæta, quæ in plerisq; etiam sola suffecit. Cōposuerunt autem

autē, ut dixi, quidā ex prioribus medicis pharmaca ad defluos capillos, in quorum relatione ubi inuicem dissentiant exponam. Primum autem referam cōpositiones ab Hera scriptas, quarum priorem quidem laudo, posteriorem uero curiosam & præter rem auctam existimo. De priore uero ita scribit.

Compositiones pharmacorum ad defluos capillos ab Hera scriptæ.

HEras in ferula duo subscripta pharmaca habet, iuxta hanc ipsam dictionis ipsius seriem, ad hoc ut capilli in capite ne defluant: Ladanum in uino austero rigatum terito, & oleo myrteo ac uino uicissim affuso ad mellis crassitudinem redigito, ex eoq; ante & post balneum, caput illinito. Præstat autem & polytrichon quod quidam Adiantum uocant, dimidia ladani portione adijcere, & cum myrteo aut nardino uti. Hæc de priore compositione loquutus Heras, deinceps hæc scribit. Compositio olei ad defluos capillos, quæ & nigros eos facit. Intra calendas & Idus Iulias, nuces uirides centum tūdito, eisq; olei primarij sextarium I. affundito, & aluminis liquidi libras III. Hæc simul in uas nouum testaceum præmadefactum indito, idipsumq; quàm diligentissime oblitum, in loco neq; humecto nimium, neq; calido reponito, & per mēses tres sub terra situm sinito, deinde auferto oleoq; utitor. Hæc ipsa secundi pharmaci est descriptio, quæ plus q̄ cōuenit ipsum pharmacū adstringens reddit. Quapropter ut uehementem adstringendi uim ipsius corrigeret is qui primus hoc pharmacum composuit, defodere ac uelut putrefacere ipsum iussit, inde nimirum magis tenuium partium reddere in eo commixta conatus. At uero tale pharmacum in tempore, regioneq; ac natura corporis calidis commodum fuerit, adeò ut in cōtrarijs non tutū sit tali uti, Etenim perfrigeratas eius usu mulieres uidi, ut inde in grauedinē ac raucedinem defluxumq; à capite ad fauces delaberentur.

Quæ Archigenes ad defluos capillos conscripsit.

ARchigenes in primo libro pharmacorum secundum genus ad defluos capillos in hæc uerba scripsit: Ladani & absinthij æquales partes, & iuniperi baccas X tritas, in linteolum illigato, & in oleo per dies V macerato, ex eoq; caput illinito, & neq; capilli defluent, neq; furfures habebunt. Aut dum capillos pectis, adiantum cum myrteo aut rosaceo oleo adhibeto. Aut adianti, myrti nigræ æquales partes, gallæ duplū, cum oleo ueteri, aut lentiscino, aut myrteo, ad mellis crassitudinem redige ac utere. Aut thus & misy, & gallam, & adiantum, æquis partibus cum uino maris experte ad mellis spissitudinem in sole terendo redige. Aut molliter cocta donec nigrescant, deindeq; cum oleo ueteri, aut lentiscino, aut myrteo mixta in usum adhibe. Aut brassicam aridam tusam cum aqua impone. Aut loti radicem eodem modo.

Quæ Cleopatra in libro de ornatu scripsit.

QVæ à Cleopatra in libro de ornatu scripta sunt, illius ipsius uerbis sic habent: Ad capillorum in capite generationem, calamorum tenerorum radices tusas exuccato, muscasq; in ollula torrefactas succo admisceto, & adipem ursinum ac oleum cedrinum in uinum trita ac unita, ijsdem addito, & ad illinendum exhibeto, Quo uero odorē obtundas uinū aut passum affundito. Aliud, Non longe post præcedens his uerbis conscriptum: Quo capilli enascantur lini semen siccum unà cum calamo suo exurito, tritumq; cum oleo sesamino illinito. Aliud paulò inferius scriptum hoc modo: Ad defluos capillos terram cimoliam solidissimam uino austero & mororum succo, tanto quātum combibere potest, rigato, eiq; hyoscyami tenuissime triti acetabulum adijcito, indeq; pastillos formato quos in umbra siccatos in uas figulinum nouū reponito. Vsu uero postulante aqua dissolutos illinere iubeto, Deinde quum exaruerint per dies quinq;

eluito, rursumq; illinito. Facit itē ad faciei & colli impetigines. Aliud, Capillos augens cito, densansq; ac denigrans. Ladanū cum oleo & uino dulci leuigatum ac crassefactum præfrictis illinito. Nō longe quoq; postea aliud pharmacum scriptum est his uerbis. Ad defluuium capillorum citra morbum accidēs. Brassicam aridam tritam ex aqua impone, aut loti radicem eodem modo.

Quomodo comptoria ab exornatoria medicinæ parte differat.

COmptoriæ quidem scopus est, ut pulchritudinem acquisititiam inducat, Exornatoriæ uero medicinæ partis, ut quicquid secundum naturam est id omne in corpore custodiat, ad quod consequitur etiam naturalis pulchritudo. Indecoro enim aspectu est caput alopecia uitiatum, uelut etiam oculi pilis palpebrarum denudati, similiterq; superciliorum capillorum defluuiū. Non solum uero ad pulchritudinem, sed multo prius ad ipsam partiū sanitatem capilli ipsi conducūt, quemadmodum in libris de usu partium est demonstratum. Quid attinet aūt dicere de lichenis, aut psora, aut lepra: quū præter naturam talia existant. At uero faciei colorem per pharmaca nitidiorem aut rubicundiorē facere, aut pilos capitis crispos, aut fuluos, aut nigros, aut quemadmodū mulieres solent, in longitudinem auctos, hæc ipsa & quæ huiusmodi sunt comptoriæ maliciei existunt, non medicæ artis opera, Verum propter societatem quandā quam cum illis habent, quādoq; ad regiarum fœminarum, atq; adeò ipsorum Regum imperium, etiam comptoria adiungimus, utpote quum his negare non liceat, docendo tamen cōptoriam ab exornatoria medicinæ parte differre. Quapropter uisum est mihi ea quæ Crito scripsit pharmaca capillos conseruantia, eosdemq; augentia, ex primo illius de ornatu libro subscribere.

Quæ Crito ad conseruandos ac augendos capillos scripsit, itemq; quæ à defluuio ipsos præseruent.

IN primo libro Exornatoriorum statim in principio post præfationem Crito hæc uerba scripsit. Ad conseruandos itaq; capillos subscriptis compositionibus utendum est. Heraclidæ Tarentini conseruatiua capillorum. Fremū florem cum oleo tritum illine, idem etiam eos denigrat. Aliud, Ladanū uino austero maceratum ac tritum oleo myrteo excipe, eoq; pilos ante balneum subline. Aliud, Verbenacam rectam appellatam unà cum radicibus arefactam cōtundito & per angustissimū cribrū concernito, deinde oleo ammixto ut strigmenti crassitudinem accipiat, in uas æreum reponito, atq; ubi cōputruerit, pro oleo similiter utitor. Aliud, Ladani partes duas, polytrichi quod quidā Adiantum appellant, partem I. uino & oleo myrteo excipe ac utere. Nos autē pro myrteo nardino usi sumus. Aliud, Quod ipsum & subnigros reddit. Baccarum myrti nigrarum quadrantēm, ladani tantundem, dissoluta cum acaciæ fructus, hoc est, siliquarum ipsius spinæ appellatarum, decocto coterē; atq; ubi limi crassiciem acceperint, nardino, aut myrteo, aut aliquo alio hedysmate excipe. Aliud, Vngentū conseruans pilos, quod ipsum etiam subnigros reddit. Baccarum myrti nigrarum sextarium I. seminis apij sextarium I. seminis betæ sextarium I. uirgultorū myrti sextariū I. adianti sextarij dimidiū, ladani tantundem. uini nigri sextarios V. usquequo penitus dissoluantur coquito, atque ubi tertia pars superfuerit, olei cuiusdam aut hedysmatis sextarios II. aut III. addito, rursumq; coquito. Vbi uero bis aut ter ebullierit, liquorē exprimito ac diligēter per saccū excolatum in hydriam recōdito. Vsu uero expetente in prærasis penitus utitor, illitis ex eo bis per diem capillis. Aliud, Passi cretici sextarium I. ladani unc. I. corticis nucū pinearū usti sextantem, polytrichi usti unc. I. adipis ursini libram I. succi betæ cyathos III. Ladanum & passum donec cogantur in

unam

unam cōpagem coquito, deinde reliqua inijcito, & sublata in uas plumbeū seruato. Vsus autē tempore quantū sufficit in quocunq; uelis hedysmate diluito. Vsus eius debet esse quotidianus, quidā uero raso capiti pharmacum illeuerūt nullo hedysmate dilutū. Aliud, Ladani unc. I. passi sextariū I. corticis nucum pinearū usti drach. II. alij sesquidrachmā habēt, spongiam marinā ustam tritam unam, panniculi Cilicij usti triti cyathos III. polytrichi usti triti cyath. II. adipis ursini lib. I. coquito & apparato ut dictū est. Aliud quod pilos conseruat, & defluētibus quoq; auxiliatur, Seminis apij sextantē, callitrichi sextantē, thuris sextantem, nuces iuglandes numero XV. ladani sextantem, corticis nucis pineæ lib. I. Omnia in nouam ollam coniecta, & cum argilla probe obturata, in balnei fornace assato, deinde extracta terito, & adiecta adipis ursini libra una subigito, & in pyxide ilicea reponito. Vsu uero expetēte quantū satis uidebitur ex pharmaco accipito, ac quocunq; uelis hedysmate conquassato, ex eoq; caput bis in die illinito. Quidam uero capite raso pharmacū illinunt cum solo adipe ursino subactū. Aliud ad caluiciem quo usus est Andromachus iunior, Leporū uentres sex accipito, probeq; siccatos in testaceo uase torrefacito, ad eosq; baccarum myrti quadrantem & uirgultorū eiusdem tantundem cōijcito, indeq; adianti quadrantē addito, omniaq; simul attente torrefacta tundito, ac per angustum cribellum excernito, deinde adipis ursi ac phocæ æquis partibus adiectis subigito, ac emollito, sublatumq; pharmacū in pyxidem plumbeā recondito. At uero ubi usus tempus institerit, quocunq; uelis hedysmate ipsum diluito, acutior. Atq; de his quidem hactenus.

De tincturis capillorum. Cap. III



QVum uero post præscripta pharmaca Crito alia quædā scribat, quæ quidem conseruationem capillorū promittunt, uerū primū ipsorum opus est ut tingant ipsos, quo siue nigri, siue flaui reddantur, uisum sane est mihi in principio ea relinquere, quū omnia talia manifeste comptorij generis existant. Quandoquidem haud scio quomodo dogma commune inoluerit, ut uetulæ fœminæ capitis capillos denigrent, tanquam turpe sit canos habere. atq; hoc ipsum etiam maritis probatur, qui onerosum esse aiunt, aniculā uxorem cano capite habere. Quæcunq; quidem præ delicijs seipsas ornant, harum nulli tale quippiam à me petenti exhibui, Quæcunq; uero honesti respectu, quo notæ culpam effugerēt, & importunitatem maritorū uitarent, pilos suos nigros reddere cupierunt, ne tamen ex adstrictoria ui nigrorem inducentium obląderentur, illis cōsului cedriæ usum, ita ut tribus aut quatuor horis ante balneū illinerent, & postea detergerent, idq; per quatuor aut quinque dies facere pergerent. Ad hoc enim quod nihil lædit, amplius etiam commoda est eis quæ facile à frigore offenduntur, Nimirum pharmacum existens cedria quod abunde calefacit. Oportet autē ipsam citra olei ammixtionem adhibere capitibus uehementi resiccatione & calefactione indigētibus, quibus scilicet humida & frigida intemperies per se inest. Alijs uero oleo mixtum adhibere pharmacum oportet. Quin & defluentes capillos corrigit, & non defluentes auctiores reddit. Cæterum odorem eius uitant delicatæ mulierculæ, qui sanè non iniucūdus est his quæ in eius usu aliquandiu perseuerarunt. Porrò in Asia apud nos agrestes mulierculę montana incolentes, non cedria solum illinuntur oleo permixta, tum capite, tum reliquo uniuerso corpori, Sed & picem liquidam cum oleo eodem modo permixtā, ad radices capillorum capitis illinunt, uocātq; hoc compositum pharmacū pissełæon, hoc est, oleum picatum, quod omnino aliud est ab eo quod pissanthos, hoc est, flos picis appellatur, quod ipsum liquidæ pici incūbit & superstat, tenuium

magis partium quàm ipsa pix existens, tum compage, tum etiam facultate. Huiusmodi itaque pharmaca tarde canescere faciunt, nulla utentiũ oblæsione. At uero quæ ex austeris & acerbis composita sunt, magnopere lædunt. Cæterum materiam ex qua cõfiunt hæc, adstringentis qualitatis ac facultatis existentẽ, etiam quippiam tenuium partium habere oportet, quo nõ in superficie tantum, sed & in profundo cutem permutent, usque ad locum radicum capillorum progrediendo. Atque hæc quidem est Methodus componẽdi ea: habes autem in simplicium pharmacorum tractatu particulatim materias ipsorum, in quibus facultates & qualitates earũ dictæ sunt. quapropter ex illis tum ea quæ iam à prioribus composita sunt iudicare ac quali nam ui prædita sint inuenire potes, tum etiam per teipsum de integro noua componere. Vtile autem hoc est & ad cognitionem affectionum quas iam incurrerunt aliquæ mulieres, & ad futurarum prænotionem, præsentiumque sanationem. Non solum enim in periculo uersatas sæpe scio fœminas, sed & mortuas, ex perfrigeratione capitis per huiusmodi pharmaca inducta. læsio autem eis maxime accidit, aliquando quidem in stuporem attonitum, aut comitialem, aut ueternum, aut soporem profundiorem, aut animi apprehensionem, Catalepsin Græcis appellatam, delabentibus: aliquando uero destillationibus indissolubilibus apprehenduntur, ut inde etiam pulmo afficiatur, & tabes ex eis consequatur. Offenduntur autem citius quæ frigidius temperamentum capitis habent, tardius uero quæ calidius. Frigidæ enim particulæ frigidis affectionibus, calidæ calidis facilius corripiuntur. Atqui periculum minus subeunt, utpote quum à minore causa læduntur, quæ frigidius temperamentum habent. At uero calidæ propterea quod ægre & uix tandẽ à frigidis causis lædi possunt, quum sane à magnis causis fuerint exuperatæ, maiorem læsionem incurrunt, quæ communi & uniuersali rationi subiacet, in Aphorismis ab Hippocrate relatæ, In morbis minus periculum subeunt ægrotantes, quibus congruus naturæ, ætati, habitui, ac tempori adfuerit morbus, quàm quibus nihil secũdum hæc ipsa congruerit.

De pharmacis capillos denigrantibus. Archigenis.

PAulo antè dixi quòd nõ ex mea sententia medicus eiusmodi pharmaca contrectat, Verum quum regiæ aliquando fœminæ, quibus minime negare licet nigros aut flauos capillos reddere expetant, eam sane ob rem etiam Archigenem puto, quanquam honestissimũ uirum, de illis scripsisse in hæc ferè uerba. Denigrant capillos hæc. Radicẽ capparis tritã cum muliebri lacte, aut ut alijs placet asinino, ad tertias coquito, & ad noctẽ pro cataplasmate imponito. Aut urina canis in quinque aut sex dies adseruata lauato. Aut corticem radicis ilicis donec mollis fiat coquito, eumque cataplasmatis modo imponito, cum aqua uero decocti lauato. Aut quod in fremio intrinsecus nigrũ est, cum oleo myrteo tritum affricato. Aut spumam argenti, cimoliam, alumen liquidum, pari mensura prælotis & siccatis capillis in noctẽ illinito, & betæ folijs superne obligato. Aut selinusiam terram, argenti spumam, calcem, cum aqua ad mellis crassitudinẽ redige, & capillo ex lixiuio liquido prœloto illinito, similiterque betæ folijs impositis obligato. Mane uero distẽtos pilos defricato. Aut absinthij, ossium palmarum syriacarũ, fabarũ ægyptiarũ, omniũ ustorũ cinerem pari mẽsura cum uino Mendesio ad strigmenti crassitudinẽ redigito, & cerato myrteo liquido ammixto affricato. Aut corticis salicis succũ cũ oleo affricato, Summe denigrat. Aut nodos ad racemorũ similitudinẽ ex arbore nuce enatos coquito, & bitumine liquido ammixto utitor. Post prædicta etiã hæc Archigenes adscripsit, Denigrant barbam, Suber aridum, & plumbũ ustum cum betæ crudæ succo mellis spissitudine

tudine illita. finito usq; ad prandium, deinde abluito. Aut ferri retrimentum ac plumbũ in aceto cocta ad tertias, illine citra oleũ. Post hæc Archigenes ex comptoria damnata arte accepta hæc scripsit. Fuluos autem reddunt capillos lupini crudi cum aqua & nitro illiti. Flauos ac crispos pilos reddentia. Crispos autem reddes capillos si spuma salis cum myrrha cõfricaueris. Aut succo carpasi illine, & manebunt crispi ac nigri. Aut myrti baccis ac betæ semine æquali pondere cum oleo tritis utitor. Aut asphodeli radicem cum mero illine. Aut lupinorum cortices ac parum nitri in aqua ad quatriduũ macerato ac utitor. Horum pharmacorũ mentionem ob id feci ut ostẽderem necessario quosdam etiam honestissimos uiros talium sibi comptoriorũ experientiam parare. Quando enim Archigenes hæc scribere nõ est ueritus, multo amplior uenia Critoni danda est, qui in Imperatorijs ædibus est medicatus. Apparet autẽ & Heraclidem Tarentinum multa & probata pharmaca cõptoriæ speculationis scripsisse, quanq; nondum tantæ deliciæ fœminas occuparant, quantæ nunc sunt. Verũ quæ Heraclides, & Cleopatra, & quicunq; alij post ipsos interiecto tempore medici scripserunt, ea omnia Crito cõaceruauit, ad quẽ sane remitto eos qui quomodo capilli nigrescant aut flauescãt, & alia huiusmodi, discere uolunt. Scripsit enim quatuor de ornatu libros qui in omniũ manibus uersantur. Quid igitur ego nunc ipsa frustra transcriberem? quũ possint ex illo discere qui adeo ea cognoscere uelint. In primo quidem libro omnia quæ ad capillos pertinent statim in principio scripta sunt, reliqua uero deinceps iuxta propriũ quodq; ordinẽ. Quo itaq; facile inuenire queant singula talium pharmacorũ absq; longa inuestigatione, uisum mihi est capita singulorum librorum indicare. In primo itaq; libro capita hæc sunt.

PRIMI libri Critonis de ornatu Capita. Cõseruantia capillos. Augentia capillos. Præseruãtia capillos. Tincturæ canorum. Tincturæ flauos & auricolores capillos reddẽtes. Smegmata capillorum. Illitiones præseruãtes. Faciem erugantia. Illitiones faciẽ nitidã reddentes. Cataplasmata faciẽ nitidã reddentia. Superciliorũ illitiones. Supercilia denigrantia. Oculorũ illitiones. Illitiones ex stibio. Ad graueolentiam nariũ. Dentifricia. Manducationes. Ad fœtorẽ sub alis affrictiones. Mãducationes ad fœtorem oris. SECVNDI libri capita. Quæ nigredines colli repurgent. Illitiones ad exudationes sub alis. Illitiones mamillas cõseruantes. Vẽtrem purgãtia. Smegmata manus nitidas reddentia. Ad nigredines à partu. Ad rugas à partu. Ad fissuras à partu. Illitiones ad eminẽtes umbilicos. Quæ pueros impuberes cõseruant. Quæ uirginitatẽ conseruant. Ad humectas & frigidas mulierculas. Ad cicatrices nigras. Psilothra capillorũ. Smegmata attenuantia pilos omnis generis. Illitiones capillos disperdẽtes. Smegmata totius corporis. Repurgatoria nitorem inducentia omnigena. Cõspersiones aromaticæ uestiũ. Odoratæ tincturæ uestiũ. Aspersiones thalamorũ & ambulacrorũ. Suffimentorũ omnigenorũ cõpositiones. Illitionũ & ungentorũ omnis generis cõpositiones, uidelicet amygdalini, balanini, nucum, sesamini, myrtei, lentiscini, laurini, rosacei, gleucini, melini, œnanthini, sampsuchini, telini, susini quod aliqui crininum, hoc est, liliaceũ appellant, cicini, irini, narcissini, phœnicini, cyprini, crocini, nardini, amaracini, hedychroi, mendesij, malabathrini. TERTII libri Critonis capita. Ad furfures omnigenos. Ad capitis eruptiones. Ad achoras, hoc est, ulcera manantia. Ad pediculos & lẽdes. Ad alopecias. Ad scabiosas faciei affectiões. Ad lẽtigines. Ad maculas à sole prouocatas. Lotiones faciei. Ad stigmata. Ad liuẽtia. Ad sugillata. Ad uaros.

Ad pustulas nocte erumpentes. Ad menti tubercula. Ad menti liche nes, lichenorũ illitiones. Epithemata excoriatoria. Emplastra uiridia quæ ab excoriatione imponuntur. Emplastra alba ad cicatricem inducen/dam. Pharmaca emollientia quæ lichenis affricãtur. QVARTI libri capita. Ad alphos, id est, uitiligines nigras & albas. Ad cicatrices nigras. Ad leucas, hoc est, uitiligines altius insidẽtes. Ad lepras. Ad ungues scabiosos. Ad pruriginosas affectiones. Ad tubercula parua psidracas græcis appellata & ad excoriata. Ad serpiginosas affectiones. Ad scabies. Ad thymos uerrucæ genus. Ad uerrucas. Ad formicarias uerrucas. Ad umbilici inflationẽ. Ad intestinorũ delapsionẽ. Ad hydrocelas. Ad apellas. Ad procidentes anos. Ad chimethla hyemis tempore oborta ulcera. Ad rimas pedum. In his quatuor libris Crito diligentissime omnia fermè exornatoria pharmaca scripsit, appositis etiã commptorijs quæ spuriam pulchritudinẽ non ueram inducunt, quapropter etiam ego ea relinquam. Solumq́; mentionem eorũ faciam quæ pulchritudinem secundum naturam conseruant. Quanquam enim uel maxime cognita habeam smegmata corpori nitorẽ inducentia, itemq́; quæ in uirginibus mamillas cõseruant, & quæ impuberum puerorũ testiculos ad multum tempus paruos cõseruant, similiter & quæ pilorũ exortum cohibent, uerecundor tamen eiusmodi scribere, atq; multo magis eas quas Crito tradidit conspersiones uestium aromaticas, odoratasq́; uestium infectiones, & aspersiones thalamorum ac ambulacrorum, Suffimentorum item omnis generis uarietates, illitionumq́; & ungẽtorum. Extra enim medicinæ documenta talia existunt. At uero ubi decoris secundum naturam conseruatiua scripsit, si quando locus ita tulerit ea referam, ac primum quidem quæ circa capillos medicis utilia mihi uidentur, docebo.

De pharmacis pilos corrumpentibus. Cap. IIII



Quemadmodũ ex pharmacis quæ pilos augẽt, alia medici usus, alia cõptorij existunt, Eodẽ modo & quæ ipsos corrumpũt. Aliquãdo enim & his medici necessariò utũtur iuxta triplicẽ eorũ differentiã, Nempe quũ quædã ex eis proprie psilothra appellantur, alia Attenuatoria capillorũ, alia uero ipsos penitus extirpãtia. Hæc itaq; postremo loco nominata periculosi sunt usus, Ex eis enim illitę corporis partes, nõ solum in posterũ depiles omnes penitus redduntur, sed & usq; ad caput, & mentum, supercilia q́; & palpebrarũ pilos nuditas ipsa procedit. Reliquæ uero duæ differentiæ usum minime periculosum habent. Et quæ quidem pilorũ denudatoria sunt, & proprie, ut dixi, psilothra uocãtur, rantũ non quotidie in omnium muliercularum, fermè etiam quorundam uirorũ, usu habentur. Altera uero quæ tenuiores pilos reddũt & minores, eis cõueniunt qui duros & magnos, multosq́; & crassos pilos habent, & ob id suillis non absimiles existunt. Cęterum hæc ipsa secundũ excessum & defectũ inter se differunt, quum unum genus sit pharmacorum quod in hunc usum compositũ est, nimirũ eorum quæ erodentem, & ustoriam habẽt facultatem; præstant autem erodentẽ facultatem habentia, quod minori periculo admouẽtur: periculosiora autem quodammodo sunt ustoria, quæ si quis paulo negligentius adhibeat, bullas excitant, & exulcerant, & aliquantulum cutem exurunt. At uero particularem eorum syluam omnem in commentarijs de simplicium pharmacorum facultate tradidi, Sed tamen exempli gratia ea quibus assidue utor recensebo. Ex liquidis igitur est lixiuium tali ut prædictum, Ex aridis autem & metallicis arsenicum & sandaracha, & calx non extincta, quam plerique uiuam, Græci uero etiam solius assuesti nomine appellant

Manifestum

Manifestum itaq; est uehementem ipsorũ uim per ammistionem imbecilliorum pharmacorum tum liquidorum tum aridorum frangi, quorum cõgruentem mixturæ modum coniecturaliter primum faciet uirium eorũ expertus. Deinde uero per experientiam defectum corriget, aut etiam addet. Quo uero etiam eorum, quæ per experientiam iudicata sunt notitiam habeatis, adscribam ea quæ in primo libro de ornatu à Critone sunt relata, ubi prius ostendero etiam medicis fæpiusculè ipsorum usum necessarium esse. Quemadmodum tincturas expetentibus, honeste negare possumus, ut quæ cõptoriæ sint maliciei. Sic depilatoria negare minime licet. Si enim moderatos quispiam habeat capillos, non subseruiemus ipsi ad superfluas delicias. Si uero multos & longos durosq; habeat, honestum esse uidetur & rationabile ipsos pauciores, & tenuiores, molliores q; ac rariores facere. Contingit autem aliquando necessitas, ut eis qui multos & alte nixos, nõ tamen duros habent, in totũ pilos tollamus, quando aut picatione opus habet totum corpus (quandoq; enim hoc præsidio iuxta medicinæ rationem utimur) aut quando pharmacũ Emplaston, hoc est quod meatus obducat, imponere uelimus: tunc enim necessario à parte pilos prius tollimus, quod quidem per nouaculam facere licet. Quidam uero siue reuera siue ficte nouaculæ timorẽ confitentur, quoniam periculum sit ex ea cutem fauciari, Quidã autẽ non citra rationem fortasse metuunt, maxime quum partes gutturis radi oportet. Quapropter necessarium est medicum etiam huiusmodi pharmacorũ experientiam habere, tum quod ad compositionem, tum quod ad usum attinet.

Psilothra à Critone hac uerborum serie conscripta.

Psilothra capillorũ, auripigmenti auricoloris scrupulos VII. aut X. calcis uiuæ tantundem, amyli sextantem, terræ quæ Romanis Selinusia appellatur, unc. I. Omnia trita & per angustifs. cribrum excussa reponito. Vsus uero tempore ex pharmaco quod sufficit acceptũ aqua cõquassato, deinde illinire iubeto ac animaduertere ne exurat. Aliud, Eustigio leuẽ reddit: Calcis uiuæ partes II. auripigmenti partẽ I. hęc in mortariũ plumbeũ coniecta, aqua aut ptisanæ succo affuso terito, atq; ubi nigra reddentur, calefacta illini maxime in balneo iubeto, leue enim corpus reddunt. Quod si uero tenuis capillus enascens subeat, calcem coquito, & auripigmentũ cum aqua terito, & in uas fictile nõ picatũ coiecta coquito, atq; ubi coacta fuerint, nigraq; reddita illinito. Paridis saltatoris psilotbrũ, Statim pilos aufert: Sãdarachæ unc. I. calcis uiuę sextariũ I. Trita cũ aqua diligẽter coquito, atq; ubi ebullire cœperint, ablatis utitor. Experimentum huius facies, si pinnulã in ipsum psilothrũ immergas, breui enim glabra fiet. Aliud, Amyli unc. I. calcis uiuæ unc. I. auripigmẽti unc. I. cõtusa & cribrata repone, utereq; ut dictũ est. Heraclidæ Tarẽtini psilothrũ, Eustigio pilos tollit: Calcis uiuæ sextariũ I. cimoliæ sextar. I. pumicis usti sext. I. auripigmẽti partes IIII. trita ac leuigata reponito. Vsus uero tempore aqua dilutis, ut dictũ est utitor. Hæc quidẽ igit Crito scripsit. Cęterũ eorũ usus melior est quẽadmodũ nũc mulieres utunt, post corporis uidelicet illitionẽ in tepidã balnei domũ ingredietes, atq; ubi exudare cœperint, strigili pharmacũ ex aliqua corporis parte detrahẽtes; deinde quũ simul auferri pilos senserit, reliquũ corpus omne abluẽtes.

Quæ pilos disperdant.

Scriptum quoq; de his est, quæ pilos disperdant in cõptorijs libris, quæ sane iam ex medica materia exciderũt. Quapropter & ego simplicium tantũ ex eis faciã mentionẽ, in simpliciũ itẽ pharmacorũ tractatu à me relatorũ. Iuxta rationẽ enim proposita pharmaca componunt. Ex lepore marino, hepate thunni putrefacto, cedria, ranarũ in uiridibus arũdinetis degentiũ cruore siue muco, marinæ

testudinis

testudinis sanguine, lachryma uitis albæ, lachryma hederæ, similiterq; bryoniæ, ac oleo quod insulsum appellatur. Ex marinis itē scolopendris, urticaq; marina, & stellis marinis, nitro ac amurca ad hæc ammixtis. Quin & fortiora his ex herinaceis & salamandra componūt in oleo coctis. Ammiscent autem ipsis & alcyonia & sandatachen, & quæcunq; alia eius generis existunt.

Quæ pilos attenuant. Cap. V



Vtetur etiam aliquando medicus uelut dixi, his quæ pilos attenuant, quæ nō eandem cum depilatorijs facultatem habent. Quam enim in simplicium pharmacorum commentarijs extersoriam facultatem appellauimus, eiusdem sunt etiā ea quæ pilos attenuant. Quemadmodū autem in omnibus eiusdē generis pharmacis, differentia secūdum excessum & defectum existit, Sic etiam in exterforijs habet. Ordei itaq; farina, & fabarū, amplius; erui, spuma nitri, ac ipsum nitrū, familiaria pharmaca sunt omnibus ad tollendas sordes usurpata. Assiduus autē eorū usus etiam pilos attenuat. Quæcunq; uero fortiori ui exterforia prædita sunt, in his qui ualde dutos & magnos pilos habent adhibere conuenit. Eius itaq; generis pharmacorū est nitrū ustum, & nitri spuma, & aphrolitrum spumosum. In assiduo autem usu faciunt item Nigra appellata uasa Alexandriotica, contusa uidelicet & tenui cribro excreta. Cæterum pauperibus ego etiam fictilium, & clibanorū in quibus aliquid sub textu coquitur, testas, itemq; pumicem ustū, ac non ustum indicaui. Vili autem & gratis habuerit quis circa mare degens, aut urbe quapiam non longe à mari sita, testas ustas, tum buccinorum, tum purpurarum, aliorumq; ostreorum, Sepiæ uero testam etiam citra ustionē. atq; hæc quidem pro ualde egenis indico, pro alijs uero alcyonium, & herbam lanariam, utrunque ueratrum, Bryoniæ itemq; dracunculi radicem, aristolochias, canchry, & panacis radicem, & quæcunque eius generis existunt: plura enim, ut dixi, relata sunt in simplicium pharmacorum tractatu. At uero si hæc ipsa odorata facere uolueris, cyperū, & melilotum, rosasq; siccas, & iunci odorati florem, iridem illyricam, melissophyllumq; & cydoniam herbam, eis ammiscebis. Et si pro diuitibus paraueris, spicam nardi indicam, celticamq; & montanam injcies, & terram Eretriada. Addes etiam folium malabathri, amomum, myrrham, crocum, costum, & hedychroum. Qui uero preciosiori materiæ parandæ non sufficit, ei utiliores hi qui exornatoria composuerūt, excogitauerunt. Quorū etiam Crito meminit in primo de ornatu sic scribens: Ollam nouam figulinam magnam, operculum habentem accipito, in eamq; cimoliæ glebas pro situs ratione cōjcito. Componantur autem hæ quantum fieri potest ad theatri formam, ut in medio ipsarum locus uacuus relinquatur. Inter glebas autem uicissim mala cotonea recentia uiginti locentur, hæc autem per interualla uariare iubeto, deinde operculo imposito marcescere ipsa mala finito. Vsu autem expetente quantū satis uidebitur accipito, terito, ac uti iubeto. Post psilothrorum uero impositionem, suauem quendā odorem habet. Aliud, Rosas quàm odoratissimas per diem unā in umbra refrigeratas, quo humor saltem ab eis deficcetur, in uas figulinum componito, eodemq; modo ut dictū est glebas cimoliæ indito, ita ut rosæ substernātur, rursusq; inter glebas eædē imponātur, deinde operculo addito, combibere finito. Vsus iam demonstratus est.

De furfuribus. Cap. VI



Vibusdam se scalpentibus, furfuribus similia ex capitis cute decidūt, & propterea furfures medici hanc accessionē siue symptoma appellant, à uitiatis serosis humoribus prouenientē quos cōsumere scopus est eis qui malum hoc sanare uolunt. Manifestū igitur est discussoria & exter-

& exterioria pharmaca adhibenda esse præparato prius uniuerso corpore, si uitiatis humoribus repletũ uideatur. In omnibus enim huius rei meminisse oportebit, etiamsi aliquãdo in sermone relinquatur. Ammiscuerunt autẽ quidã prædictis pharmacis quædam adstringẽtia, quo per ea affectũ membrũ corroboretur, ut ne facile in seipsum suscipiat influentes humores serosos, sed resistat eosq; repellat: & ob hoc sane Archigenes in pharmaco ex atramento sutorio composito hæc uerba adiecit, Hoc inquit adeò efficax est, ut neq; in posterum fiant. Crito equidem in tertio libro de ornatu, eiusmodi pharmacorum syluam scripsit in principio statim ipsius libri, quare uelut paulo antè dixi, minime necessariũ est me ipsa hic rursus describere, quum omnes illius habeant libros. Cæterum quæ Archigenes scripsit indicabo ob id maxime, quod quibusdam ex eis adscripserit, Quod non permittant symptoma hoc rursus fieri. Scribit autem hoc modo suis ipsius uerbis: Diæta eis constituatur flatus expers, nihil ex crassi succi cibis habens admixtum, quales sunt tubera, fungi, bulbi, legumina, carnesq; maxime bubulæ, ac quæ similia existunt. Sint autem cibi quibus uescuntur boni succi, faciles concoctu, & mel ijsdem addatur. Intinctus conferunt, acetum cum sapa. Condimenta, cuminũ & fœniculum. Alijs parce utantur, & à bellarijs omnibus maxime abstineant. Vinum conducit eis album & tenue: uoluptatis uero gratia dulce, & uinum mulsum. Ex fructibus optima est uua arefacta, deinde ficus, quibus ante cibum reliquum uesci præstat. Verum ante omnia bonæ concoctionis cura habenda est, Deambulationes lenes plurimæ & mane & uesperi optimæ sunt, lauatio ex frigida balneis præstat. Si uero quis calida lauit, incongrua ei est longior in aere mora, & perfusio capitis præ folio est eligenda, postea uero larga frigidæ adfusione refrigerato. Dormire ad satietatem usque utile est. Ira, indignatio, uersatio in sole, & uehemens refrigeratio uitanda, omnia item quæ caput replent. Archigenis ad furfures capitis. Quibus furfures caput occuparunt, his cum fœno græco, betæ succo, ac nitro præfrictis & extersis, cimoliam felle bubulo aut suillo acetoq; subactã illine. Deinde post horam ablue, atramentumq; sutorium ac nitrum cum oleo trita illine. Aut myrobalanum & fabaceã farinã æquali pondere trita, in aqua coque, & affrica. Aliud, Amygdalas amaras decorticatas cum aqua aut aceto affrica, quumq; exaruerint capilli calida ablue. Aliud, Aut maluam syluestrem aqua marina ad decimæ partis residuum coctam terito & affricato. Aliud, Aut nitri spumam & atramentum sutorium, æquis partibus cum uino, ter aut quater in mense affricato, hoc adeò efficax est ut neq; in posterum fiant. Aliud, Aut uini Rhodij fecem, & pumicem, & nitrum, pari pondere cum lupinis adfrica. Aliud, Aut cimoliam cum fœni græci cremore adhibe. Aliud, Aut nitrũ assatum & bulbum. Aut hæc omnia simul pari pondere affrica. Aliud, Aut ubi picis liquidæ serum illeueris, alumen insperge.

De Phthiriasi, hoc est, morbo pediculari. Cap. VII

Pediculorũ generatio quibusdam in capite cõtingit acetuatim, ex multis uidelicet humoribus calidis quidem, sed non ad tantã caliditatem progressis, ad quantã perueniunt acres & serosi humores. Quare manifestum est in profundo cutis, pedicularis morbi affectionem fieri, ubi etiam animalia hæc generari possibile est, nõ in superficie cutis, in qua furfures consistere diximus. Pharmaca itaq; ipsorũ necessariò exiccantia sunt, & quæ ex alto trahere ac euacuare possunt, magis utiq; quàm ea quæ furfuribus conueniunt. Atq; hæc quidem Methodus est ea componẽdi, Verum sylua eorum quæ experiẽtia cõstant (Oportet enim, ut dixi, in omnibus maxime attendere ac considerẽ

fidere his quibus experimentum testimoniū præbet,) in tertio libro Critonis de ornatu scripta est, Apponam autem etiam nūc ego ab Archigene scripta hac seriē uerborum. Remedia morbi pedicularis: Morbo pediculari affectis hæc cōferunt. Staphidis sylvestris partes II. sandarachæ & nitri utriusq; partē I. cum aceto & oleo capiti illine. Aut Rhoen qui in obsonia additur cum oleo tritum similiter illinito. Aut oxylapathi radicem cum oleo eodem modo. Aut ueratrū album, & staphidem sylvestrē, & nitrū pari pondere cū oleo in balneo adhibe. Aut cum aqua marina, aut muria meraca cum aceto perfundito. Quod si nuditas pilorum adsit, sylvestrem staphidem cum oleo & aceto imponito. Aut alumen tritum cum oleo illinito.

De Achoribus, hoc est, ulceribus capitis manantibus. Cap. VIII

Inter affectiones cutis capitis connumeratur quoq; ea quæ Achor appellatur, ex genere tumorū præter naturam existens: propriam autem & singularem appellationem nacta, ob accessionum quæ ad eam cōsequūtur proprietatē: ualde enim tenuibus foraminibus eroditur, quæ tenuem in se humorem modice uiscosum cōplectuntur. Ad similitudinem uero eius proxime accedit alia cutis affectio quę fauus, græcis Cerion uocatur: maiora tantum foramina habens, in quibus humor hymettio melli similis continetur. Generatio ipsis ex humore mixto est, qui partim tenuem serosumq; ac mordacem, partim uero crassum succum in se habet. Tenuis itaq; humor utpote mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu uero temporis ad scalpturam tum tumor augescit, tum foramina circa ipsum erumpūt. Manifestū igitur est euacuare oportere humores affectionem ipsam operātes. Qui si etiam influant amplius, prohibendus primum est ipsorum influxus, per capitis euacuationem, pręmissa totius corporis purgatione, uelut in alopecijs est proditum. At uero si parua affectio existat, sola localia & partialia appellata remedia, citra totius corporis euacuationem sufficerint. Conueniunt aūt ipsis ob crassitudinē uidelicet & uiscositatem humoris eas generantis, pharmaca quæ ipsum incidant, quæq; facultate sua necessario discutiant & repellant. Atqui acetum ex incidentium ordine existens, ultra hoc quod discutit, præcipuum quiddam in se habet, quo reprimitq; ac quod influit depellit, utpote quod substantia sua modice calidum est, plurimum uero frigidum & partium tenuium: tali nanq; facultate præditum esse, in primo de simplicium pharmacorum facultate demonstratū est. Sit itaq; acetum exquisite acidum, in quo nulla penitus uini qualitas appareat: hoc ipso sane pharmaca metallica appellata, modo hoc, modo aliud imbues, achoribusq; ex eis medeberis. Incipere autē ab imbecillioribus præstat, presertim si dolor simul ipsis adsit. Cimolia igitur ad hanc rem apta est, & Cretica lemniaq; terra, pompholyxq; & spodium, spuma argenti & cadmia tenella. Quod si neq; ex his quiescat malum, pharmacum ex charta siccum aceto dilutum illinito. Neque obscurum est tollendos prius capillos antequam talia admoueas. Si uero acrius tibi ex charta pharmacum appareat, miscebis ipsi argēti spumā: siquidē sufficienter mordacitatem eius exoluere uelis, pari copia: si uero modice tantum remittere uelis, minori, quemadmodum etiam si plurimū eius uim exoluere placeat, maiorem eius copiam addes. Porro quum aliquādo ruri degenti mihi pharmacum ex charta ad manum non esset, conspecta in ægri domo inutili aliās charta faculam postulaui, exustaq; charta ac aceto diluta, locum affectū illeui, hominemq; ad me postridie uenire iussi: sciebam enim quòd quum duræ carnis esset pharmacum ferre posset, qui ubi uenisset, parū aberat quin curatus esset: quare ad aliud pharmacum non transiui, sed eodem uti iussum, postera die perfecte sanitati restitutum

tutum cōspexi. Prudenti igitur uiro, quod sæpe iam dixi, opus est, & qui tum curandorum morborū substantiam, tum ægri naturam probe norit. Insuper & pharmacorū facultatē non iuxta genus tantum, sed & iuxta quantitatem enim cognoscat, quo singulis diebus quasi presidio opus sit cōiectet. In extēdenda enim aut exoluenda pharmaci, quod prioribus diebus admotum fuit, facultate in quantum sane affectio ipsa indicat, congrua curatio consistit. Ad Achoras inflāmatos. Quod si quando in ulcus manās inflammatū simul & dolorosum incidas, lenies primum per humectum concoctoriumq; ac emolliens & acrimoniā arcens pharmacum dolorem, Tale autem est parygrū appellatum, ab Hera alijsq; plurimis descriptū. Satis manifestum autem est quod ipsum in manu per specillum latum cum rosaceo emollitum & ad unguenti formam redactum, non emplastri forma, qualem à principio habebat, adhibere oportet. Conueniunt etiam hoc tempore, ea quæ ad sedem ex ulceribus aut rupturis dolentem faciūt, de quibus priuatim destinato sermone ac tempore dicetur, Sicut etiam conueniunt ea quæ cancros mitigant. Hæc igitur omnia ubi prius cōsideraueris, etiam particularem pharmacorum uarietatem utiliter cognosces. De qua ego quoq; dicere aggrediar, Quæ apud præstantissimū quemq; medicum laudata reperi pharmaca deinceps scripturus. Ad Achoras Archigenis. Archigenes in primo pharmacorū iuxta genus, ad Achoras sic scripsit. In quibus Achores, aut papulæ feruidæ, aut eruptiones circa caput ulcerosæ sunt, ab omni acri & salso abstineant, itemq; acido. Deinde derasis capillis, aut ter, aut sæpius quotidie ex calida in qua myrtus, aut lētiscus, aut rubus, aut bryonia, aut sycomorus, aut lupini, aut lētes, aut asparagi radix incocta sint, lotis & maxime ubi multa sanies effluxerit, salicis folia ex aqua imponito, aut lentem cum melle, aut asparagi radicem coctam eodem modo. Aut fœnum græcum betæ succo maceratum pinguibus emplastris usu cognitis ammisceto ac utitor. Aliud præclare faciens. Pinus corticem cum cerato. Aut cadmiam cum oleo ueteri illinito. Aut cinnabari similiter tritū imponito. licebit & myrti baccas, aut ordeū ustum, aut argenti spumam, aut cerussam, aut ostreorū testas ustas ammiscere, singula etiam cum oleo ueteri illinire. Aut spodium & mannam ex uino. Egregie constanter facit & chalcitis cum aceto & oleo ueteri illita. Aut betæ decoctum cum modica cimolia, sale & uino ammixtis, in balneo affrica. Aut hyoscyamum & semperuiuū minus, trita cum rosaceo mellis spissitudine illine. Aut ulceribus ex smegmate quopiam repurgatis, Terram cimoliam torrefactā cum uino, aut fecem uini rhodij ustam cum uino ueteri, aut radicis cucumerū syluestris decoctum adfundito ac proluito. Aut tragacantham aut argenti spumā, aut sandarachæ duplum, cum uino, aut etiam cum oleo myrteo, ut pingui quopiam illinito. Aut argēti spumā & calcem pari pondere cum aceto & oleo illine. Aut chalcitidem cum myrteo oleo uel suillo felle liquido illine. Hæc quidem Archigenes scripsit, doctrinam tradēs non modo Empiricam sed etiam indefinitā. Inuenire itaq; est apud Empiricos, qui sane non in contentiosis sermonibus uitam contriuerunt, sed in medicæ artis operibus diligenter uersati sunt, quod in quibusdā apparētibus cognitionibus euidentia discrimina retulerūt, qualia & ego paulo ante in alopecia feci. faciam autē & nunc in his quæ Archigenes scripsit pharmacis. Quædā enim ex eis incipientes achoras, citra humorū in uniuerso corpore uitiationē aut eorūdem multitudinē redundantē, sanant, adstringentem nimirū & repulsoriā uim habētia. Quædam uero ubi magnū quoddā malum minātur Achores, eos augeri prohibent, simul & quod influit repellentia, simulq; quod iam in eis continetur concoquentia & discutientia, quæ euidēs est mixtæ facultatis esse oportere. Quædā autē eis quæ

in superficie hærent, paruisq; tantū auxiliantur, quæ moderatis uiribus prædita esse oportet, & nihil quod irritet habere, ex discussoria nimirum facultate. Alia autem uiribus omnino robustissima sunt, adeò ut etiam Achoras ex crassis ac uiscosis humoribus obortos, ineluibiliterq; cuti infartos euacuare possint, atq; id adeò ualide ut etiā si obduratū quid habeant, idipsum deturbare ualeant, quāuis ipsum cutis habitū in eiusmodi malum habitū inducant, ut quod influit corrumpatur, etiamsi cōmodum id existat. Hæc autem sunt ex efficacissimis pharmacis cōposita, quale retulit Archigenes ubi salem ad reliqua discussoria ammiscet. Sal enim & chalcitis, & uini fex usta & sandaracha, & calx uiua fortissima uiribus pharmaca sunt, calfacientia, mordentia & discutiētia. Eius generis est etiam fel calidorū & siccorum animaliū, quorū non meminit Archigenes, sed unius suilli tantū, quod omnium moderatissimū existit: ad cuius facultatem etiam proxime cinnabari accedit, propinquū deinde locum habent cōchæ ustæ, & hordeum, & post hæc oleum uetustū. Quemadmodū autem hæc emouent, secant & discutiūt uiolenter impactum, Sic repellunt adstringentia, Aliqua quidē simpliciter citra cōtrariæ facultatis ammixtionē, aliqua uero per dominiū adstringentis in eis facultatis. Myrti equidem earumq; baccæ, & pinus cortex, ex eorū numero sunt quæ non habent cōtrariæ facultatis ammixtionem, uelut etiā rubus & sycomorus, quāuis moderatius adstringant, q̄ myrti earumq; baccæ, sed tamen adstringendi uim sensibiliter in se habent. Mixtæ aūt facultatis est oleum myrteū. Nam & ex oleo, & ex baccarum myrti, aut ipsius etiam myrti succo est compositum. Oleū autem ipsum emolliente habet facultatē, Myrtus autem eiusq; baccæ adstringentem, non mollire, sed cogere & stringere natam. Rosaceū item quanquā minus q̄ myrteum adstringat, tamen & ipsum mixtæ facultatis existit. Quemadmodū autē hæc per præparationē mixtas uires habent, Sic alia sponte naturæ talia sunt, uelut lētiscus, cyprus, & lentes: quod ipsum in sermone de his est demonstratum. Cæterū discussoria & repurgatoria, citra sensibilem caliditatē, facultate præstāt ex eis quæ iam Archigenes retulit, Beta ipsa, & cimolia usta, priusq̄ uero uritur imbecillior uiribus q̄ beta est, sed fortior his est cucumeris, et bryoniæ ac asparagi facultas. Spuma uero argenti præstantius quidē quàm cimolia usta pharmacū est, Multo uero debilius q̄ ad propositæ affectionis sufficiat medelā. Cadmia autē moderate habet ad mediæ magnitudinis achoras. Citra mordacitatem uero reficcat spodium. Manna autē etiam concoquit. Oleum uero ut iam dixi, laxantē quidem habet uim, sed eam non adeò forte, atq; ob id per mixturā facile exuperatur. Itaq; ubi fuerit cum obducentibus meatus & refrigerantibus permixtū, uelut est cerusa, possibile est hanc magis uim suam demonstrare, quæ est cogere, oppilare, & adstringere substantiam corporū quæ cōtingunt. Porrò hæc omnia in Archigenis sermone confusa sunt, neq; in quibus achoris, neque quādo eis utendū sit, ipso demōstrante. Vtitur aūt & uino in eodē sermone, neq; apponit quale probet. Atqui multijuga circa uinū differētia existit, Aliud enim austerū, aliud acerbū, aliud dulce, aliud acre manifeste est, aliqua etiā plures qualitates simul ex se ostendūt, nimirū & dulce quippiā & adstringēs & acre cōplectentia. Quando igitur simpliciter quis scribat, dilui debere quippiā uino, lectorem cōiectare oportet quem scopū pharmaci cōpositio habeat, & ad illum respiciendo, id quod aptum fuerit uinū eligere, Adstringens quidem ubi repellere uelit, acre uero in quibus discutere. Reliquis item utetur quemadmodum uniuscuiusq; uim demonstrauimus in loco ubi de uinorū differentijs docuimus. Acetū uero in omni occasione ad achoras aptissimū est, utpote crassos & uiscosos humores secans, atq; id quod influit discutiensq; & repellens. Verū ipso non utiq;

per se

per se quispiam utetur, siquidem non proluere aut lauare achoras uelit, sed ad diluenda cum eo pharmaca, moderata quidē in quibus incipit & adhuc parua est affectio, fortia uero in maioribus & diuturnioribus, fortiora autē adhuc in inueteratis iam & ægerrime curabilibus. Verum differentia pharmacorū iuxta fortitudinem iam ante à me relata est, Cæterum ex relatis ab Archigene pharmacis, in totum non uti exoptem semperuiuoq; & cerusa, Illud enim strenuius refrigerat quàm conuenit incipientes achoras refrigerari. Cerusa uero modicā quidem habet frigiditatem, & ex pharmacis est obducentibus meatus, pro ea autem uti possumus spodio & pompholyge.

Quæ Apollonius in primo de parabilibus ad Achoras scripsit.

Apollonius in primo de parabilibus ad achoras primū quidem sic scripsit: Rosaceo oleo caput illine. Deinde post hoc, betæ succum similiter illine. Tertium deinceps, Testudinis sanguinem eodem modo adhibe. Quartum, Laurino oleo caput illine. Et quintū, Crocinum ungentū inunge eodem modo. Ex his sane primum debilissimū est pueris & mulierculis teneræ carnis in principio affectionis utile existens, Concoquit enim & discutit ac repellit, eaq; omnia moderate facit. Secundū uero ubi betæ succo uti cōsulit, efficacius quidem est rosaceo, discussoriā uim habens, nō tamen ad fortes ac iam obfirmatos achoras sufficit, At uero testudinis sanguis curiosum & superuacaneū est pharmacū, neq; unquam tentaui eius periculum facere. Quod uero deinceps scriptū est laurinum, fortiter calfacit & discutit, opusq; habet corporis totius & capitis euacuatione, quo discutiat humores achoras facientes. Crocinū deinde ungentū discussoriū quiddam habet & astringens, & cōcoctorium, atq; ea tria fortiora in ipso sunt q̄ in rosacei natura: ex eis igitur quæ de illo dicta sunt, etiā de hoc ratiocinari licet. Post hæc autem ipsius uerbis ita scriptum est: Tauri urinā affrica, Deinde sequitur, facit & cameli urina eodem modo. Vtendū autem eis, inquit, ad plures dies. Verū ego utiq; dixerim ad ipsum, Non esse quod ad multos dies, sed ne ad unū quidem, purus homo tolerare queat, ut ullius alicuius eiusmodi animalis urinā capiti affundatur, præsertim in affectione adeò parua, & quæ facile curari potest, Bis enim per omnia (quod dicitur) distās est, rosaceo uidelicet uti, quod penitus exiguam habet ad propositum symptoma facultatē, & tauri ac cameli urina quæ acerrimæ grauissimæq; & penitus iniucundæ existūt. Deinceps uero tale quoddam pharmacū his uerbis scriptū est: Furfurū chœnicē dimidium in aquæ heminis duabus madefacito, posteaq; terito ac succum excolato, cumq; dimidia aceti hemina ad limi spissitudinē coquito, & ex eo caput fricato, Deinde aqua in qua beta, aut fœnum græcū, aut lupini cocti sint, abluito. Vngēto autē irini fece utitor. Hoc pharmacum discussoriū est citra mordacitatem, ex repurgantibus atq; extergentibus appellatis cōpositum. Eiusmodi enim facultatis sunt furfur, beta, & lupini: discutit autem simulq; calefacit non uehementer fœnum græcū: ex eo autem genere est & irini ungēti fex. De aceti uero facultate antea quoq; dictum est, quòd aptum sit ad achorum affectionē, quare hoc ut cōuenientissimo & efficacissimo pharmaco utendū est. Aliud deinde post hoc pharmacū scriptū est ab Apollonio his uerbis: Cucumeris syluestris radices decoquito, & succum affricato. Didicimus autem cucumeris radicē plurimū discussoriæ facultatis esse. Et postea hoc pharmacū scriptum est: Terræ cimoliæ, sulphuris uiui, par pondus cū aceto terito, & in balneo affricato, calidaq; abluito. Hoc illinire etiā cōuenit pharmacū, nō solum ut dixit in balneo adhibere. Omnes enim habet facultates quibus affectio indiget, aceto quidē ipsas habente uelut antea est dictū, Solū uero sulphur ulterius quàm cōuenit excalfacere & discutere potest. Qua-

propter cimoliam ei ammiscuit, quæ cõpositionem ex utroq; ad moderatã temperaturam reducit. Cæterũ quod sequitur pharmacũ ubi inquit, Maluam exiccatam & tusam in urinam inspergito & affricato, reprehendo, in quantum etiam superius urinæ usum detestatus sum, etiamsi facultatem eius affectioni cõuenire non negauerim. At quod deinceps scriptũ est, in quo ait fici folia in aqua coquito, & aquam sub diuo per noctẽ exponito, iniectaq; in ipsam fece usta affricato, post hæc uero tepurgãtibus pilos, eluito. Acre ualde hoc extersoriũ medicamen tum est, quod si in balneo tantũ adhibeatur, nõ uehemẽter ualet achoras irritare, præsertim si quis, ut ipse deinceps iubet proluat, hoc est, ex aqua dulci caput perfundat. Ad illitionẽ uero eiusmodi pharmaco uti periculosum est. Est enim plurimum acre medicamentũ fex usta, quemadmodũ in libris de simplicium medicamentorũ facultate est cõmonstratũ. Quod uero sequitur pharmacũ securi usus est, eóq; confidenter quis utetur ex spuma argenti laurinoq; cõposita. Miror autem quomodo, ut laurino simile, oleum simplex ammiscet, sic quodamodo scribens, Argẽti spumã cum oleo albo, aut laurino tritam, ubi calida prælaueris circumlinito. Longe enim deficit à laurini facultate, oleũ cõmune quod album appellauit, ea ipsa usus est à laurino distinctione. Quin & quod post hoc scriptum est, consimilem habet absurditatem: pro spuma enim argenti cerusa utitur, diluit autẽ ipsam myrteo aut laurino, quũ multã omnino differentiã hæc pharmaca habeant: alterũ enim repulsoriũ est, alterũ uero plurimũ calfacit & discutit. Vsusq; eorum est repulsorij quidẽ in principio, discussorij uero ubi humor qui achoras generat iam est firmatus. Amplius autẽ deinceps quũ rubi canini folia cõtundere & exuccare iubet, deindeq; oleo miscere, imbecille est pharmacũ, & incipiẽti adfectioni solùmodo aptũ, utpote quũ rubus caninus adstringat. Tale pharmacum est etiam plumbago cum cerusa, uino subacta, usq; quo ad cõpagem quæ illini queat redigatur. Porrò contrariæ prædictis facultatis sunt quorũ æqualiter, nulla distinctione apposita meminit, id uidelicet quod ex nasturtio, & quod ex Scilla constat. De priore quidẽ hæc uerba tradens. Nasturtij & salis parem modum adipi anserino ammisceto, terito ac utitor. De altero uero sic scribit: Scillã in fornace uelut cucurbitã cinere obruito, quumq; mollis fiet, exprimito, deinde ad succũ oleo non multo ammixto, illinito. Manifestũ uero est multò uehementius esse quod ex nasturtio apparatur. Quod uero deinceps tradit ex mitigatoriorum pharmacorũ genere est, quod ubi dolor quispiam uehemens circa achoras existit, donec eum leniat, conuenienter adhibetur. Si uero duros & inueteratos achoras discutere uelimus, omnino imbecille est. Scripsit aũt in hunc modũ de eo Asclepiades: Olei quàm optimi heminã in pilam plumbeam infundito, & plũbeo pistillo terito, donec crassum & subnigrũ reddatur. Deinde seorsim spumæ argenti libram I. & cerusæ tantũdem terito, oleoq; ammisceto. Postea uero eloto & siccato capite pharmacũ illinito. Neq; uero ex simplici tantum oleo, sed quandoq; rosaceo, quandoq; myrteo apparabis, & ad rugas ani intumescentes rimasq; ac fissuras sedis, ad ulceraq; dolentia, omniaq; alia quæ ex fortiorũ pharmacorum usu exacerbata sunt, optimũ medicamentũ habebis. Egregie enim ea lenit, etiamsi serpendo exedentia, aut etiã cancerosa, aut quomodocũq; maligna existant. Nequaq; itaq; eius cõpositionem nunc scribere oportuit, sed quemadmodũ ego antea dixi, sufficiebat illud dicere quòd dolorifici achores eiusmodi pharmacis mitigantur. Cõmune enim hoc est in omnibus dolore adfectis, proprie autem faciens ad achoras. Deinceps autẽ tale pharmacũ scripsit: Spumæ argenti drach. VIII. foliorum rutæ tenerorũ drach. V. olei drach. VIII. aceti heminæ quartã partẽ, simul trita capiti illinito. Hoc sanè pharmacũ multo usu habemus exploratum.

exploratū. Propinquū autē ipsi facultate est id quod cōsequenter ab eo est conscriptum, iuxta hanc cōmensurationem. Cerusæ drach. VI. spumæ argēti drach. IIII. ceræ tantūdem. sulphuris drach. VI. olei rosacei aut myrtei quod satis est ut ceratū liquidū fiat. arida cum cerato cōmittito, caputq; inde illinito. Hoc autē & ad omnes in toto corpore eruptiones ueheméter cōmodū est, ut rite sit ab Apollonio conscriptū. Quin & quod postea sequit plurimū discussoriū est, ut quod spumā nitri habeat multā, adeo ut nisi olei multitudine castiget, acrius sit q̄ cōuenit. Iubet autē ad unā spumæ argēti partē, quintū plū spumæ nitri ammisceri, hisq; dum terūtur paulatim oleū adfundi, donec ad cōpagem illitioni aptā redigatur.

Quæ Crito ad achoras pharmaca scripsit.

IN Methodo de curādis morbis uniuersales facultates pharmacorū ad singulos morbos recensui, uerū paucorū definitæ materiæ exemplorū mentionem feci, dilata tum multitudinis ipsorū cōmemoratione. At uero in præsenti, quam nunc in manibus habemus, tractatione, omnia quidē quæ omnes pharmaca scripserunt, longū fuerit recensere. Quæ uero à probatis medicis per experientiam tradita sunt, Ea omnia uisum est mihi conducibilius enumerare, quo etiam inter se propinqua, & quæ omnino eadem apparent, paululum uero iuxta apponderationem aut præparatione euariant, hi qui in his scriptis uersantur cognoscant, eaq; maxime præparent quorū materias in promptu habent. Cōtingit enim aliquando ut aut in totum ea quæ in cōpositionem miscentur non reperiamus, aut talia reperiamus, ut ipsa iniicere non audeamus. Cæterū eius maxime in cōponēdis pharmacis cura habēda est, ut bona integraq; & in uigore sint omnia quæ ammiscentur. Ob id igitur etiam iam omniū quæ Crito tradidit mentionem faciam, nam is sane diligentius achorū curā tractasse mihi uidetur, In quinq; itaq; sermones doctrinā de ipsis distinxit, quos primū & ipse recensebo. PRIMVS Critonis sermo de achorū curatione. Scribit itaq; Crito hæc uerba. Ad achoras in capite contingentes, qui plerūq; furfuribus præcedentibus fiūt, & ferme etiam scabie, in principio subscriptis cōpositionibus utemur. Ad achoras recentes, gluten fabrile aqua coctū oblinc. Aliud, Papaueris syluestris & hyoscyami folia cū oleo impone. Aliud, Fici uirgulta aut folia tenera trita cū aqua imponito. In inueteratis uero cū aceto terito. Aliud, Nucū amararū nucleos in aquā tepidā iniectos & decorticatos, cū aqua terito, & cerati crassitudine prærasis imponito. In inueteratis cum aceto diluito. Aliud, Recrementū ferri & rosarū par pōdus cū uino terito & imponito. Quidā uero trita cerato rosaceo excepta adhibēt. SECVNDVM sermonē ad achorū affectionem his uerbis conscripsit. Circūtensa autem cute, & ob id molestiam inferente, subiectis cōpositionibus utendum est. Lipara seu pinguis cōpositio ad achoras, psydracas, papulas feruidas, intertrigines. Est cōmoda quoque uitijs sedis. Spumæ argenti drach. L. foliorū rutæ tenerorū drach. XXV. aceto diluito, & rosaceo aut myrteo excepta, cū penna illinito. Alia, Spumæ argenti drach. CC. cerusæ drach. CL. rutæ drach. C. staphidis syluestris drach. XXV. aceti sextarios III. myrtei libras III. particulatim singula terito, & affuso liquore, ut dictum est cōponito. Alia, Cerusæ drach. CL. spumæ argēti drach. C. rutæ drach. C. myrtei sextarios III. particulatim tritis liquore affundito. Alia, Cerusæ ustæ drach. C. rutæ drach. C. mannę thuris tantūdem. corticis pinus drach. L. olei myrtei sextarios II. aceti tantūdem similiter cōponito. Alia, Recrementi plumbi drach. C. pampinorū uitis drach. C. thuris drach. C. myrrhæ & spumæ nitri tantundē, aceti & myrtei quantū sufficit. In TERTIO autē hæc tradit. At ubi affectio inueterata fuerit, subscriptis cōpositionibus utendū est, & dein-

ceps ita scribit. Damocratica cōpositio ad achoras humectos & inueteratos. Ladani drach. VIII. cerusæ tantundē. sulphuris uiui drach. IIII. uino & myrteo oleo subactis utitor. Alia, Spumæ argenti drach. VIII. pampinorū uitis drach. VIII. succi hypocisthidis drach. IIII. spumæ nitri drach. II. gallarū drach. III. aut II. ex aceto & myrteo adhibe. Alia, Malicorij, gallarū, acaciæ fuluæ, Malicorium & gallas uino macerata coquito, acaciam uero uino dilutā reliquis probe tritis adijcito, quumq; recte omnia cōparata fuerint myrteo excipito. Alia, Spumæ argēti, cerusæ, hyoscyami, misyos, ramulorū cicutæ, æquales portiones, thuris usti, ramulorum oleæ tantundem. aceto & oleo lentiscino exceptis utere. Alia ualde cōmoda. Cerusæ ustæ drach. VIII. spumæ argenti drach. VIII. atramēti sutorij drach. IIII. Rhois rubri drach. IIII. sulphuris uiui drach. II. opij drach. II. myrrhæ drach. II. aceto & lentiscino oleo excipe. QVARTVM uero sermonem de achoris curandis hac uerborū serie cōscripsit. Quando uero ex his quæ ad achoras scripta sunt pleraq; reficcāt, magisq; dolorē inferūt, utpote cute in ipsis affectis circūtensa, itaq; subscriptis cōpositiōibus utendū est p quas post hæc omnia citra dolorē emēdari. Leuce emplastrū albū inexuperabile, Facies ad humectos achoras, & qui ægre tolli possunt, facit & ad papulas feruidas & intertrigines. Spumæ argēti drach. C. ceræ drach. C. alij L. habet. cerusæ drach. C. thuris drach. XXV. aluminis scissi drach. XVI. terebinthinæ drach. XXV. piperis albi drach. III. olei sextariū I. arida tundito. Oleū uero & argēti spumā ac cerusam in ollā nouā cōiecta ad prunas coquito, atq; ubi mutationem acceperint, ceram & resinam addito, ac donec nō inquinet amplius manus agitato, deinde ab igne ablatis, & quodāmodo refrigeratis arida adijcito, & in pilam translata diligenter emollito. Vtitor aūt in linteolum impactis, soluitoq; tertia die. Magis autem cōmodarit pharmacū hoc si cum Melino emplastro Pasionis fuerit permixtum, ita ut emplastri inexuperabilis, Anicetū Græci hoc appellant, partes duę, Melini aūt Pasionis una pars committantur. Alia, Cerusæ drach. CXX. spumæ argēti drach. LXXXX. ceræ drach. XXIIII. terebinthinæ drach. XII. mānæ drach. XVI. aluminis scissilis drach. VIII. olei heminas II. cōmitte ut dictum est. Melinum Leucij emplastrum, quod omnem fluxū reficcat, faciens ad achoras inueteratos & humectos. ceræ drach. VIII. sandarachæ drach. IIII. adipis uitulini drach. IIII. terebinthinæ drach. II. thuris drach. I. myrrhæ drach. I. aluminis scissi usti drach. I. corticis pinus drach. I. olei myrtei q̄d satis est: liquefacta cū aridis cōmittito. Aliud Melinū Hygieni, reficcās omnē fluxū. Spumę argēti lib. I. cerusæ lib. I. salis fossilis lib. I. aluminis scissi libræ dimidiū, atramenti sutorij sexūcem. olei sextarios II. aceti sextariū I. Oleū, salem, cerusam, spumā argēti donec nō inquinēt manus coquito, arida uero tusa, cribrata, acetoq; diluta, ad refrigeratum pharmacū addito paulatim adstillando ac assidue agitādo, deinde in pilā translata ac probe emollita, tollito ac utitor. Thebæi emplastrū ad achoras humectos. Spumæ argenti drach. XLVIII. cerusæ drach. XXIIII. corticis thuris drach. XII. gallæ omphacitidis drach. XII. ceræ drach. VIII resinæ terebinthinæ drach. XVI. olei sesquiheminā. cōponito ut dictū est. QVINTVM postremū sermone de achoris Crito ita ordit. Cæterū ubi affectio decreuerit & cicatrix perfecte fuerit obducta, ad totius mali translationē subsequentibus cōpositionibus utendū est. Deinde smegmata plura scribit, unūquodq; iuxta hanc cōpositionis formā. Smegma ad achoras, furfures, asperitates & scabies. Terræ cimoliæ lib. I. nitri rubri lib. I. retrimentorū quæ ab expressa myrobalano reliqua sunt sex unce, alij lib. VI. habent. myrrhæ drach. VIII. piperis albi drach. VIII. nardi celticæ drach. IIII. casiæ drach. IIII. costi. drach. IIII. cō tusa & cribrata repone, ac utere in

balneo

balneo. Aliud, Nitri rubri lib. IIII. terræ cimoliæ tãtundem. retrimentorũ ab expressa myrobalano lib. II. cypri lib. I. alij IIII. baccarum lauri lib. I. iridis aridæ lib. I. radicis bryoniæ, alcyonij, amygdalarũ repurgatarum, cornu ceruini usti, singulorũ lib. I. Componito ut dictum est. Aliud, Fecis uini ustæ quam Romani feculã, nos tryga appellamus lib. XXIIII. aquæ pluuialis sextarios XLVIII. thuris lib. II. terræ famiæ lib. II. olei Sabini lib. IIII. alij sextarios IIII. ceræ lib. III. & dimidiam. Fecem & aquam in dolium figulinũ non picatum conjecta ad dies VII. madescere sinito, & ter in die cum ferula agitato. Sequenti deinde die dilutum & sacco excolatũ liquorem in uas æreum stanno oblitum transferto, & igni impositum coquito, luculentiore aũt igne utaris: atq; ubi tertia pars reliqua sit, oleum & ceram iniice, rursusq; ad lentũ ignem decoque: postquam uero iniecta fuerint liquefacta, thus, & terram famiam trita, addito, conquassato, & in uitreũ uas robustũ transferto, Tenuia enim rũpuntur. Vsus autẽ tẽpore affectos locos circũlinens & diligẽter cõfricans, abluere iube. præstaret quidẽ in balneo id facere, quod si fieri nequeat, in domo abluat. Cõmodum est pharmacũ ad omnes sordes, asperitatẽq; ac scabiem cutis, itemq; ad lichenas. Aliud, Fecis uini ustæ lib. I. aquæ pluuię sextarios VI. thuris albi lib. II. mastiches lib. II. alcyonij lib. I. ammoniaci thymiamatis lib. II. terræ famiæ lib. II. olei rosacei lib. II. ceræ Tyrrhenicæ albæ lib. II. fecẽ in aqua ut dictũ est macerato. ter singulis diebus cũ ferula strenue agitãdo. Deinde excolatũ per saccũ liquorẽ in uas stãno oblitũ trãsferto, positũq; ad ignẽ ad dimidiã partẽ coquito, deinde liquescibilia adijcito, atq; ubi dissoluta fuerint, alcyoniũ tenuissime tritũ infarcito. Habeas aũt ad manũ prompta, in fecis aqua dissoluta, probeq; trita, thus, ammoniacũ, mastichen, terrã famiam, eaq; frigmenticia prædita crassitudine, reliquis infarcito ac diligenter cõquassato, & ablatis utitor. Aliud Diasmyrnũ appellatum. Fecis ustæ lib. XXIIII. aquæ pluuialis sextarios quadraginta octo, olei Sabini lib. IIII. ceræ lib. IIII. terræ famiæ lib. II. thuris lib. II. masticheslib. I. ammoniaci Thymiamatis lib. I. myrrhæ drach. VIII. Componito ac utitor ut dictum est.

Quæ Clepatra in libro de ornatu ad achoras scripsit.

Porro quæ Cleopatra ad achoras scripserit ea deinceps referent illius ipsius uerbis. Fœno græco tenui cocto, et in betẽ nigrẽ succo macerato caput eluatur: aut betæ decocto, aut terra cimolia in his macerata, Post ablutionem uero myrto cũ uino & oleo trita illinat, superneq; betæ folia imponantur. Aliud ad ualde ulceratos. Cerusæ frictæ drach. II. thuris drach. II. sulphuris drach. I. trita ex oleo illinito. Aliud, Quod & ad furfures facit. Nitri, atramenti sutorij, utriusq; drach. I. terito affuso oleo & illinito. Aliud ad achoras. Myrrham & myrti albæ folia uiridia uino trita illinito. Aut terrã cimoliam torrefactã cum uino nigro illinito. Aut cerusæ & plũbaginis æquales partes cũ myrteo tritas illinito. Aut sulphuris uiui, drach. VI. thuris masculi, drach. I. aluminis scissi, staphidis syluestris, erucę, spumę nitri, singulorũ drach. I. atramẽti sutorij drach. I. rutæ ramulos tres, terito aceto moderate affuso, itẽq; laurino, aut myrteo, aut crocino, aut oleo ueteri adstillato, quo pinguis cõpositio fiat, eaq; ubi prius hoc smegma affricueris illinito. Smegma, Hyssopi chœnicẽ. I. lupinorũ chœnices II. ptisanæ chœnicẽ I. fabæ fresæ chœnicẽ. I. radicis cucumeris syluestris drach. IIII. Hæc trita misceto & adfricanda præbeto. Idem & ad leprã & ad uatos facit.

Quæ pharmaca Soranus ad achoras scripsit.

Quandoquidem uero & Soranus de achoris, tum in quarto de medicina, tum in unico medendi libro quem Monobiblũ inscripsit, pharmaca quædam tradidit, quæ etiã nobis per experiẽtiam constant, partim quidem proprio,

partim uero præceptorũ, aut medicorũ amicorũ usu cognita. Quare etiã ea ipsa hic apponemus iuxta ipsius dictionẽ hoc modo tradita. Vbi multus saniei fluor existat, & uexatio doloris uehementer incubat, lenticulam coctã tritam cũ modico melle cataplasmatis modo imponito. Aut panem cum coriãdro, aut plantagine, aut solano, aut seride, aut polygono, aut perdicio herba. Soranus quidem igitur uelut in implicata affectiõe, eiusmodi remedia adhibet, iuxta propriã sectã ratiocinatus. Apparẽt aũt reuera cõmoda in principijs & circa generationes, communi repellendi ratione. Deinceps uero inquit, Vbi autẽ exacerbationes remiserint, radendi sunt loci, & fœni græci decocto aut betæ, & similiũ, ex aqua, nõ urina cõfricandi, Quemadmodũ etiã nos prius reprehendimus eos qui per urinam eiusmodi mixturas faciunt. Postea uero pharmaca scribit etiam nobis, ut dixi, cognita. Plumbaginis, sulphuris uiui, æquales partes terito, & affuso rosaceo, aut myrteo, aut lentiscino donec strigmentosum reddatur, illinito. Aliud, Sulphuris uiui, spumæ argenti, cerusæ, omniũ æquales partes, croci dimidiam, trita cum passo cretico illinito. Aliud, Rutæ leuigatæ, drach. IIII. Spumæ argẽti drach. VIII. aceto & oleo rosaceo ammixto illine. Aliud, Spumæ argẽti drach. XX, calcis uiuæ, drach. XX, aceti heminã unã, terito ac uelut liparan aliquã seu pinguem compositionem illinito. Aliud, Chalcitidis drach. II. sandaraches drach. IIII. spumæ argẽti drach. I. uino austero & myrteo oleo simul trita illinito. Deinceps uero Soranus aliud forte pharmacũ cõscripsit, quod pro suæ sectę instituto Metasyncriticũ, hoc est, quod ex alto euocat humores ac trãsfert, appellauit: conuenit aũt in inueteratis & ægre cedentibus achoris, ex eiusq; usu quispiam medicus nobis amicus magnũ nomen adeptus est. Olei cedrini sextariũ I. aceti acris sextarios III. coquito donec exhalet acetum, deinde adijce adipis suilli ueteris sale seruati lib. II. eoq; liquefacto, ollam ab igne auferto, & nitri triti bessem, sulphuris uiui sexuncẽ, sandaraches unc. I. infarcito. Postquam uero illitum pharmacum exaruerit, in balneo per prædicta smegmata cõfricari iubẽ, perq; uinum & oua ac nitrum, & per radicum cucumeris syluestris decoctũ: aut fece rhodia, & pumice, cum aqua calida.

Ad psydracia, & achoras, pustulasq; ulcerosas, helcydria Græcis appellatas, & eruptiones in capite. Cap. IX.

Ad prescriptas affectiones cõuenienti diæta uti oportet, corporisq; ac capitis purgationẽ adhibere, per pilulas ex aloe, colocynthide & scãmonia, ita ut brassicæ succo coactæ ex his pilulæ exhibeatur. Deinde ipsa locali curatione utendũ est, cuius generis est, adiantũ cũ rosaceo illitũ. Aut fœni græci decoctũ adfrictũ. Aut malua cum farina ordeacea pro cataplasmate imposita. Aut melilotũ cũ farina fœni græci ex uino impositũ & cicerũ decocto, ipsumq; cicer coctũ impositũ, nuces amaræ cõmansæ & illitæ. Discutit aũt maxime & lilij radix affricta, & thus cũ uino & aqua, & lupinorũ amarorum decoctũ affrictũ, bulbi cum nitro affricti, thus ex aceto illitũ, putamen mali punici cum laurino illitum. Aut anchusæ radicẽ ustam & tritã cum oleo donec strigmenticiam crassitudinem accipiat, cum pinna illinito, & ægrum iuuabis.

Finis primi Libri.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

CLAVDII

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SE-cundum locos, Liber II. Iano Cornario medico interprete.

De omni capitis dolore, dimidiæque eius partis affectione, uniuersalis doctrina. Cap. I



VICVNQVE citra distinctionem indiscriminatimque doloris capitis auxilia scripserunt, maius detrimentum, quam emolumentum his qui eis fidem habuerunt, attulerunt. Neque enim omnes ob unam affectionẽ caput dolent: sed tum ipsæ affectiones plures sunt, tum curatio ipsarum singularum propria existit. Vna etenim affectio est iuxta intemperiem simplicem, citra humorum complexum, Alia iuxta humorũ qualitatẽ, uelut etiam tertia quæpiam alia iuxta multitudinem tantum ipsorũ humorum contingit. Quibus accedit ea quæ fit, quum humores transitus liquorum ac uaporum obturarint. Et ad hæc alia est, quum in quibusdam capitis partibus, propter imbecillitatem, flatuosus spiritus innascitur. Quandoque etiam ob causam aliquam externam & lacessentem, procatarcticen Græci appellant, uelut est ardor, frigiditas, ebrietas, plaga, capitis dolor contingit. Vehementissimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatem & frigiditatem, maxime quum inequales existant. Moderati uero iuxta siccitatẽ, Ad humiditates uero nullus consequitur dolor. Eodem modo quum ob redundantes humores siue iuxta omnes capitis partes, siue iuxta unam quamcunque tandem, siue duas, dolor contingit, uehementior quidem ob calidos & frigidos, Moderatior autem ob resiccantes citra caliditatem aut frigiditatem manifestam oboritur. Humectantes uero penitus nullum dolorem inducunt, quantum ad qualitatem ipsorum attinet, ob multitudinem sane instrumentalium partium morbos faciunt, nõ tamen similarium partium ullum aliquem, in quibus solum affectiones iuxta intemperiem simplicem fiunt. At uero affectiones ob humorum multitudinem, citra quidem obturationem, caput grauant: cum obturatione uero, si quidem ea moderata fuerit, moderate dolorosæ, sin fortis, fortiter contingunt. Quod si etiam mordacem qualitatem humorum multitudo cõplectatur, etiam iuxta hanc dolorem augebit. Atque hæ quidem differentiæ sunt affectionũ, quantum ad causas attinet eas producẽtes. Aliæ uero sunt iuxta affectarum partium naturam, Aliquando enim extra caluariam affectio est, aliquando intra. Et quandoque quidem omniũ exteriorum aut interiorum est, quandoque non omnium, sed unius tantum corporũ generis, Arteriarũ uidelicet, aut uenarũ, aut neruorũ, aut membranarum, aut cutis, aut ipsius adeo cerebri. Itaque difficilimũ est affectũ cognoscere locũ, siue unus, siue plures uno existant, aut qui tandẽ hi ipsi extent: nec uero affectionem inuenire promptum est, sed & hoc exercitato homine indiget, qui tum per rationis exercitium, tum per multam & assiduam affectionis ægrorum inspectionem, eam cognoscat. Proprietates enim aliquæ quidem omnino dici non possunt, quædam uero ægre circa ægrotantia corpora ostendi possunt, utpote quæ tantum his qui eas sæpe uiderunt cognobiles existant. Non parum uero ad affectionis cognitionem faciũt quædam ex causis lacessentibus & externis, quæ priuatim procatarcticæ medicis Græcis uocantur, uelut quum manifestus sensus & offensa ægros ardoris aut frigoris contigit: & facile sane

eiusmodi

eiusmodi affectiones recentes sanantur: probecp & rite ab eis initium sumpserũt medici, qui præsidia ac auxilia morborũ cum distinctionibus descripserũt. Multa quidem igitur à uetustioribus pharmaca simplicia & composita ad huiusmodi affectiones descripta sunt, Mihi uero etiam hic satis erit ex recentioribus apponere, qui sanè tum ea quæ ueteres inuenere conscripserũt, tum ipsi etiam alia quædam addiderunt. Equidem uniuersum curationis scopum singularum affectionum ratio nos docet, At uero materiæ facultates experientia ipsa demonstrat. Per hanc igitur auxiliorum copia progressu temporis augetur, Atq; adeò nunc tempus adest sermoni, propria auxilia iuxta singulas affectiones describendi, Initium ab his quæ secundum qualitates solas à naturali cuiusque particulæ statu discesserunt, facturo.

Quæ Apollonius ad capitis, propter ardorem, dolorem conscripsit.

Apollonius igitur in primo de parabilibus ad capitis dolorem propter ardorem sic scripsit: Rosaceo assidue caput irrigato. Aut lanam siue linteolum rosaceo tingito & imponito. Aliud, Narcissino ungento similiter utitor. Aliud, Melino ungento eodem modo utitor. Aliud, Aut mori succo per linteolum expresso, cum pari rosaceo utitor. Aliud, Portulacæ folia tusa, per se, & cũ polentæ flore imponito. Aliud, Cupressi folia trita per se & cum polentæ flore imponito. Aliud, Solanum per se & cum polentæ flore imponito. Aliud, Sesamum terito & rosaceo adstillato imponito. Aliud, Vitis folia cocta trita cũ mulsa aqua imponito. Aliud, Folia ricini contusa & in octo aquæ heminas coniecta sub diuo per noctem exponito & cum aqua caput perfundito, & posthæc descripta iam ante imponito. Aliud, Conyzæ odoræ fasciculum decem & sex digitorum, in aquæ heminas octo coniectum, sub diuo per noctem exponito, & leniter aquam effundito. Vtendũ & cibi subtractione, & uentris euacuatione, somnoq; & quiete. Vitanda autem maxime uinum, sol, & balneum. Amplius autem & fomenta, clamor, contentio, omnisq; mentis perturbatio, & percussio. In bona autem animi habitione & firmitate degendum.

Ad capitis dolorem ex frigore.

Irino ungento calido caput rigato, Vtere etiam lanis ac linteolis in eo madefactis. Aliud, Laurino ungento similiter utere. Aliud, Farina cocta cum aqua mulsa utitor. Aliud, Lauri folia tenera cũ irino ungento trita capiti infunde. Aliud, Samsuco cum uino trita aut rosaceo similiter utitor. Aliud, Cyperum tusum adipe anserino ammixto, capiti illinito. Aliud, Cornu cerui exurito, eiusq; acetabulo, uinum odoratũ dupla mensura ammisceto, terito ac illinito. Aliud, Conuenient & fomenta per spongias calida imbutas & expressas, maxime si lauri folia tenera in aqua fuerint incocta, aut samsuci, aut cyperi, Et lanarum mollium fasciculi ungento irino & uino rigati, capitiq; circumpositi, Item tegmina, & tepor, & ciborum subtractio, ac uentris euacuatio. Amplius autem & somnus & quies, & corporis tranquillitas ac lætitia. Vitanda uero similiter clamor, contentio, uini potus, & frigiditas. Hæc quidem auxilia aduersus capitis dolorem ex ardore obortum Apollonius scripsit. Appellant autem ardorẽ ex sole æstiuo circa caput factam perseuerantẽ caliditatẽ. Omnes enim homines in sole æstiuo diutius uersantes capite incalescunt, non tamen omnibus æqualiter caliditas permanet, sed statim quiescit, quibusdã etiam ante balneũ, plerisq; uero post lotionem: quibuscunq; autem permanserit, affectionem capitis iam iuxta habitum non simplicem modo contactum factam putantes, ardorem appellant. Aliquando igitur sola

intemperies

intemperies cõsistit, affectione circa caput calidiore facta: aliquando uero etiam humorum aut uaporum multitudo ad ipsum caput decurrit: & maxime quũ redundantia quædam humorũ, quam Erasistrati sectatores plethoran, hoc est, plenitudinem uocãt, in toto corpore oberrat, fit autem hæc quatuor humoribus ex æquo auctis, aut etiam sanguine solo, Nam quum alius quispiam humor redundarit, uelut est pituita, & flaua bilis itemq; nigra, eiusmodi auctionẽ siue redundantiam, non plenitudinẽ, neq; simpliciter multitudinem, sed cum appositione, pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ, in corpore factam multitudinem dicunt. Caeterum eis qui ex ardore caput dolent, cutis tactui aridior ad primum cõtactum apparet oculosq; rubros habẽt, frigidisq; tum perfusionibus, tum illitionibus gaudent. Principio igitur repulsoria curatione utendũ est, ex refrigerantibus & adstringentibus constante. Postea uero mitigatoria & concoctoria pharmaca ad repulsoria ammiscere oportet. Deinde etiam ex discussorijs quippiam addendũ, paulatim detractis pharmacis quæ repellunt. Optima sunt autem cẽsenda quæ tenuium partium substantia prædita adhibentur. Quapropter in principio quidem melius est rosaceo probe apparato quàm frigidissimo caput perfundere, lanæ fasciculo in orbem circumposito, Iuxta frontem quidem, ubi pilosa eius pars desinit, iuxta utrunq; uero eius latus, ubi pili ipsi aures contingunt: & retro in loco post uerticem, non tamen longe inferius. Neque enim facile exurinur capitis ea pars quæ occiput, & græcis Inion appellatur: neque etiam citra molestiam, refrigerantia sustinet, propterea quòd isthic principium medullæ spinalis existat, ad stirpis modum in multos ramulos diuisæ, in sexaginta puto iuxta numerum neruos. At uero regio capitis iuxta sinciput, propter laxitatem coarticulationis iuxta coronalem suturã, & ob ossium tenuitatem & raritatem, facile tum caliditatem tum frigiditatem omnium quæ adhibentur pharmacorum intrò distribuit, Quare siue refrigerare oporteat ex caliditate ardorem, siue calfacere frigiditatem, aptissimus est capitis iuxta sinciput locus. Optima autem in principio refrigeratio ex rosaceo frigido, æstiuo tempore existente, in quo maxime ardoris affectio oboriri cõsueuit. Dictũ autem est mihi de rosaceo iam sæpe, quòd optimũ est ex oleo crudo, quod Omotribes & omphacinon bifariam appellant, citra salis admixtionem confecto, rosis quàm plurimis in eo maceratis præparatum. Sit autem rosaceum non uetus, sed eo ipso anno confectum, siue in uere, siue principio æstatis, Proximũ à rosaceo chamæmelinum locum habet, in his corporibus quibus uehementem frigiditatem inducere ueremur, qualia sunt fœminarum, & eunuchorum, ac puerorum, & quicunq; molli carne præditi albumq; habentes colorem, solis sunt insueti. Mensuram autem tum rosacei tum chamæmelini, quod ad refrigerationem attinet, ex prædictis corporis habitibus, & ex ardoris magnitudine inuenire oportet, cõsideratа simul ægri ætate, et ambientis nos aeris teperie, nõ minus aũt & domo in qua æger decũbit. Refrigerabis autẽ quæcũq; adhibere uoles, in aqua uehemẽter frigida collocata: quæ si non adsit, niuem uasculo circũpones. Hoc auxilium siue humorum siue uaporum multitudo in caput impetũ faciat, præclare auxiliatur. Repellit enim eos infraq; in corpus detrudit, adeò ut ego in sexcentis hoc medendi modo usus, nullo alio habuerim opus. Nam & frigidorũ fontiũ multa Romæ ubertas est, & niuis apud nos in Pergamo, & in plurimis Asiæ Græciæq; ciuitatibus. At uero in calidis regionibus qualis est Aegyptus, in qua & fontiũ frigidorũ & niuis penuria est, necessarium est præfrigerato rosaceo, per expositionẽ sub diuũ per integrã noctẽ, & per obuersionẽ ad auræ alicuius afflatũ, Ita demũ addere ei sempuiui succũ, aut portulacæ, aut lactucæ, aut psyllij, aut polygoni, Quin & solani aliquãdo paululum & pampi-

& pampinorum uitis,& uuarum immaturarum. Tales enim sunt adhuc tempore æstatis. A papaueris uero & mandragoræ succo abstinendum, non enim citra damnū refrigerat. uitanda etiam quæ cum refrigeratione manifeste adstringunt: quare si quando necessitas postulet, parum quiddam ex eis ad refrigerantia ammiscere oportet. Propterea sane & Solani succū, aut nunquā penitus, aut omnino modice ammiscemus, sic etiā mali punici,& mali cotonei,& mespili. Ad hanc tamen rem malorum punicorū acidorum succus præstantior est, magis enim refrigerat. Porrò quum aliquādo ruri degerem nihilq; horum ad manum esset, cucurbitæ ramenta exsuccata ad uuæ immaturæ succum ammiscui. Poterit autem quispiā in tali loco etiam seridis succo uti, lactucæq; tum hortēsis, tum syluestris, quam proprie Thridacinen Græci appellant: hortensem enim Thridacem uocant. Quin & sycomororū succus aptus ad refrigerandum. Sint autem nō ualde matura. Quod si caluus sit æger, aut omnino breues habeat pilos, maxima ubertas refrigeranriū existit. Quæcunq; enim ad Erysipelata auxiliaria scimus ex cataplasmatis & liquidis ceromatis, ea omnia ab ardore exustis conueniunt. Cæterum Apollonius Ricini folia tenera tusa in aquam conijcere iubet, & deinde per totam noctem uasculum in quo cōtinentur sub dium exponere, & postera die uti. Ego quidem igitur nō ualde expertus sum ricini facultatem, uerisimile est autem Apollonium qui longo tempore in Alexādria uixit, per magnam experientiam uim eius cognouisse. Atqui oleum ex ricino factum manifeste cognoui calidius esse facultate oleo quod apud nos est: quare etiamsi non præsens sit, uteremur. Puto autem & potamogetonem & Niliacum Stratioten quiddam refrigeratiuū habere, mirorq; eorum Apolloniū nullam mentionem fecisse. Quin & Tribolus apud nos, uelut etiam Polygonum, quiddam refrigerans habent, tenera uidelicet,& nondum dura ac sicca facta. Conyzam autem non solum refrigerare impossibile est, uerū & moderate calfacere potentem noui, & miror sane cur Apollonius eam inter refrigerantia retulerit. Quod si & ab arboribus & fruticibus auxilia ad caput præter naturā calidius petere oporteat, uitex cōuenientior ad hoc existit, & uitis, & lentiscus, & platanus, si quis eorum teneris germinibus acceptis, deinde tritis, ab ipsis succū exprimat. Erasistratus uero magnum quoddam præseruatiuū in calidis habitibus tradit, quū uidelicet eos solem perferre oportet, Si spongiā latam & densam ac cauam in aqua madefactā, & probe expressam capiti imponas. Porrò signa dolentium caput ob frigiditatem, contraria sunt eis quæ ex ardore oboriūtur, Nam & incontracta minimeq; arefacta, & decolor ipsorum facies existit, & frigidis neque gaudent, neq; ab eis iuuātur. Quemadmodū autem ardor non ægre solubilis affectio est, Ita neq; frigiditas ex ambiente nos aere contracta difficulter curatur si recens est, sed sufficit oleum rutaceum calidum, sincipiti ut dictū est affusum, perfecte hominem liberare. Si uero uehementiori calfactione opus sit, Euphorbium ad oleum cōijciatur, & quæcunque ex pipere pharmaca constant. Inungenda autem est facies & nares hisce ungentis, maxime quidem irino & amaracino, & nardino. Quin & comptoria ungenta ex calfacientium numero existunt, atque adeò ipsa opulentarum fœminarum preciosa ungenta, quæ foliata & spicata Romæ appellant. Opobalsamū uero sæpe experti sumus, nullum manifestum cōmodum ad ullam aliquam affectionem calfactione indigentem conferre. Quemadmodum autem rutaceū conuenire dixi, Sic etiam samsuchinum & laurinum laudo, itemq; serpyllinum, sepe & in plerisq; ipsis usus. Dandum etiam uinum tenuium partium,& motus corporis præcipiendus, lauacraq; calida, & quandoq; à raphano uomitus.

De inueteratis capitis affectionibus calidis & frigidis.

IN inueteratis capitis doloribus ac affectiõibus necessariò pilos radimus, aut ualde ad ipsam usq; cutẽ præsecamus, pharmacaq; tum emplastrorũ ac ceratorum forma, tum etiam liquida adhibemus: atq; ea quidem quæ emplastrorũ ac ceratorum formam habẽt, rasis penitus adhibemus, liquida uero his qui breuissime præsectos pilos habent. Est autem & horũ materia multiformis, quod partim quidem magis, partem uero minus refrigerentq; & calfaciant. Ea igitur quæ frigefaciũt ex his quæ erysipelata curant transferenda sunt, calfacientia uero ex pharmacis calfactorijs componẽda. Quorum simplicissimum est ex euphorbio præparatum. Sufficit autem unciam euphorbij unam, ad tres ceræ liquefactæ in olei libra una cõijcere. Vtendum autem oleo ad omnes affectiones calefactione opus habentes, neq; omphacino, neq; eo quod uulgo ab omnibus hispanum appellatur, neq; omnino eo quod cum olearũ germinibus præparaẽ. Sed eo quod ex maturis oliuis conficitur apud pleraſq; gentes circa germinum iniectionem. Optimum autem ex eis quę ego noui, est sabinum, non procul ab urbe Roma in Sabinorum regione prognatum. Cæterum pharmaca quæ recentiores medici seipsos Methodicos appellãtes, Metasyncritica, hoc est, ex alto euocãtia a trãsferentia appellant, ea omnia ad huiusmodi affectiones cõmoda existunt, ex quibus optima in septimo libro huiusce modi tractationis, quæ ante hancã me edita est, relata sunt. Tempus igitur iam est me ad aliam capitis transire affectionẽ, adscripturum primo quæ ab Apollonio cõscripta sunt, quæ iuxta illius dictionem hoc modo habent.

Quæ Apollonius ad capitis dolorem, ex ebrietate & meri potu, scripsit.

VTendũ est omnibus descriptis auxilijs ad dolorem capitis ab ardore obortum. Quod si dolores amplius inualescant, rutę folia cum aceto & rosaceo trita strigmenti crassitudine capiti illinenda. Aliud, Nuces amaras cum aceto & rosaceo ad strigmenticiã spissitudinem tritas capiti illinito. Aliud, Iridem siccam ac uiticem aridum cum aceto & rosaceo, eodem adhibe modo. Aliud, Lauri baccam & rutæ folia cum aceto & rosaceo trita adhibeto. Cõueniet autẽ somnus, fames, quies, corporis tranquillitas. In potu aqua calida, aqua mulsa, & euacuatio. Hæc quidem Apollonius scripsit, atq; huius rei gratia laudare uirum decet, quod cum discrimine de unoquoq; auxilio scripsit, quum neque Archigenes idipsum fecerit, quem quum posterior Apollonio natu sit, apponere quidpiam ad discriminum certitudinem oportebat: uerum quæ ipse in priore de pharmacis libro conscripsit, paulo pòst referentur. At uero quæ ego per longam experientiam de capitis dolore ex uini potu cognoui, iam exponam, utpote qui spem quidem utilitatis ipsorum ex affectione inueni, diligentẽ autem comprobationem per multam experiẽtiam feci. Capitis itaq; dolorem ex uinorum temperatura calidorum productum indicat, quod ipsum caput omnino uaporibus repletur, quãdoq; etiam humoribus calida temperie præditis. Nam & citra uini potũ eiusmodi ad caput prompte deferũtur. Curatione itaq; opus est, quæ scopum primum uniuersalem & communem omnibus habeat, nimirum euacuatione indigentem. Quum uero calidi sint qui caput repleuerunt humores, etiam refrigerante eos medela opus erit. Iubendi igitur sunt, si crudum adhuc in eis uinum permaneat, ut tepida aqua hausta uomant: quod si etiam post concoctionem caput doleant, refrigerantibus utendum est ac repellentibus, Quale est rosaceum per se & cum aceto, aut hederæ aut brassicæ succo. Quin & ipsa brassicæ folia calida macerata, capitiq; circumposita ac obligata, naturaliter ebrietati resistunt. Cæterum somni ac quietis cura imprimis habenda est: quod ubi factũ fuerit per

rit per totum diem, ad uesperam lotum, boni succi cibis, non tamen calfacientibus nutrire oportet. Sunt autem tales ptisanæ succus, & sorbitio ex alica, & panis ex aqua, & oua sorbilia absq; garo: ammisceatur autem eis ex melle quãtum ad edulcandum satis fuerit. Si uero ad mel accipiendũ non fuerint appositi, sales aromatũ condimentis ad saporem edulcati, pro eo addantur. Ex holeribus est lactuca, utpote boni succi & refrigeratoria, & brassica, ut quę uapores resiccet. Sic & ex leguminibus lens est. Potu uero omnino aqua utendũ est, at uero quũ stomachus in quibusdam propter aquæ potũ subuertatur, Malum punicum eis insuper exhibendũ est aut solum per se, aut cum alica flaccida calida, probe cocta. Quin & mala cestiana appellata in urbe Romana, citra cocturam quidem sunt austera, post cocturam uero stomacho cõmoda fiunt. Coquẽda autem sunt ipsa in ollam nouã aqua calida infusa, deinde malo in olla suspenso, igneq; sub ollam cõiecto, quo uapor ex aqua calidus sublatus cocturam ipsi malo præbeat. Vuæ passæ etiam & pira, aliqua quidem cruda, aliqua uero ut malũ ipsum cocta, stomachum corroborant. Abstinendum uero à glandibus palmarũ, proprietatem enim quandã habent capitis dolorem inducendi. Quod si uero post hæc probe dormire non possint, ad balneum postridie quàm celerrime inducantur, calidaq; aqua eis in balneo sæpe affundatur, deinde ubi dormierint aut omnino interposito tempore quieuerint, rursum ad balneum ducendi sunt, deinde ueluti pridie connutriendi. Si uero moderate habeant, & aquam bibere non possint, permittendus est eis potus dilutus ex uinis aquosis, quale est in Italia Sabinum. In Asia Titacazenum, & Arsyenium, & Aruisium. Quin & moderate habentibus gallorum testiculi, & alæ, & ex piscibus petrosi, & teneris carnibus præditi exhibebũtur, & columbarũ pulli. Hæc uero omnia citra garum & uinum, in albis ac simplicibus iusculis coquantur, in quibus aqua sola cum oleo, & anetho, ac modico porro, cocturam perficiat, modico adiecto sale, nõ statim in principio cocturæ, sed quum iam aliquo modo flaccida facta fuerint ac uicta. Manifestum uero quod tum hoc, tum omnes qui caput dolent, augescente adhuc & uigente dolore, quiescere melius est: remittenti uero ac decrescente, in locis aptis deambulare. Apti sunt autem his qui calfieri opus habẽt loci calidiores, qui frigefieri, frigidiores, Et ante cibum quidem pluribus deambulationibus utendum, post acceptum uero cibum breuibus & lentis. Oportet autem neq; multa comedere, neq; statim deambulare, sed post duas aut tres aut etiam plures horas. Quòd si quando ex uaporibus & humoribus in caput sublatis reliquiæ quædam relinquãtur tenuibus poris ac meatibus impactæ, & ob id etiã capitis dolor perseueret, à rosaceo quidem abstinere expedit, Vtendum est autem primũ quidem chamæmelino moderate calido, postea uero irino: maximopere enim huiusmodi affectiones iuuant. In balneo uero caput calida perfundatur, nõ solũ ob id ut quippiam circa ipsum discutiatur, sed & somni conciliandi gratia, quapropter etiam secundum, aut tertium etiam, ad uesperam balneum apparandũ est, acceptis ab eo laducis ex aceto, modico aut omnino nullo addito garo, uerũ aqua affusa multa, ut acetum planè exæquet, nisi omnino aquosum sit acetum, nam & huiusmodi magis quàm acerrimo opus habent. Caliditatem enim in se aliquam tale acetum complectitur. Post hæc uero postera die, quæ magis caput calfaciat adhibenda, Ita ut ad irinum aliquando Amaracinũ ungentũ addamus, aliquando uero Nardinũ. Quandoq; etiam preciosa, quibus opulentæ fœminæ etiamsi nihil habeat mali, uti consueuerunt. Per huiusmodi sanè medicationis ductum, capitis dolores ex uini potu obortos in totũ persanaui, nullo ab Apollonio præscripto pharmaco usus. Quum enim per ea quæ iam dixi scopum contingerem, in nullo ab

Apollonio

Apollonio ſcriptorum ſpem aliquam poſui, tanquam rite ac probe ab ipſo relata eſſent, & ſuperuacaneum amplius erat eorum experimentum facere. Cæterum poſt prædictas tres affectiones capitis dolorē inducentes, Apollonius quartam hanc inſuper addidit.

Ad dolorem capitis ex plaga aut caſu. Apollonij.

Roſaceo & aceto tepefactis caput rigato. Aliud, Roſis ſiccis maxime coctis, aut certe in paſſo maceratis, aut aqua mulſa tritis pro cataplaſmate utitor. Aliud, Meliloto ſimiliter apparato utitor. Aliud, Myrti albæ folia tenera cum uino & myrrha trita imponito. Aliud, Irino unguento & aceto illinito. Aliud, Abſinthium tritum cum uino & myrrha itidē trita imponito. Aliud, Pulegio trita ex uino ſimiliter utitor. Aliud Pulegium & myrrham trita ſimiliter adhibeto. Aliud, Apij comas cum uino coctas ac tritas imponito. Aliud, Mala cotonea cocta ex uino imponito. Cōuenient & fomenta per ſpongias aqua calida imbutas, Et mollium lanarum faſciculi aceto & roſaceo conſperſi. Ad hæc & quies, & corporis tranquillitas, Subtractio cibi, euacuatio, fuga eorum quæ offendere poſſunt, qualia ſunt ſol, balneum, uini potus, clamor, contentio, & ex his quæ alimenti loco exhibentur, acida & acria ac ſalſa. Hæc quidem Apollonius ſcripſit de capitis doloribus ex conſpicua plaga obortis. Verum operæpretium eſt noſſe nos, eiuſmodi affectionem nullam aliam quàm inflammationem eſſe, quæ non ex plaga ſolum aut caſu, ſed citra etiam manifeſtam cauſam, iuxta omnes corporis partes, propter humorum influxionem fieri conſueuit. Siquidem igitur plaga uulneris aut contuſionis cauſa exiſtat, plures ſcopi erunt ad remediorum inuentionem. Vnus quidem in uulnere, ad quod conglutinantibus & inflammationem arcentibus pharmacis uti oportet, poſtquam ulceris labia fibulis impoſitis conſtrinxerimus. Alter uero in contuſione, & tertius in doloribus, qui quandoq; in ipſis ſolis percuſſis partibus fiunt, plerunq; uero etiam ad uicinas partes extendūntur. Etenim pellicula quæ caluariam ambit, & cutis quæ forinſecus circūntenditur, utraq; propriam ſubſtantiam continuam habet per omne caput extenſam: & ob id ſane ſæpe caput ipſum dolere contingit, præſertim ſi uſque ad pelliculam os caluæ ambientem plaga penetret, quam diducta pellicula caluariam ambiente, oſſeq; conſcalpto, iuxta concarnationis modum curare oportet. Quod ſi per communionem membranæ caluam ambientis, quam ad duram cerebri membranam circa ſuturas habet, etiam intra caluariam inflammatio ipſa diſtribuatur, non abſque periculo eiuſmodi capitis dolor exiſtit. Contingit autem non parum ſæpe in caſu præſertim ex ſublimi facto, ut quædam circa cerebrum aut membranas eius, partes abrumpantur: quod ubi contigit, etiam amplius capitis dolor inualeſcit, ipſaq; affectio tota ægre curabilis redditur, & periculum ingens ac præceps imminet. Optimum itaq; fuerit in his, niſi ætas prohibeat, & niſi uitalis facultas debilis appareat, à uenæ ſectione curationis initium facere, & conuenientibus capitis irrigationibus uti, ex lana nimirum oleo dulci imbuta, capiteq; ex ea contecto. Quod ſi quippiam horum, ſiue ætas, ſiue uirium debilitas, aut etiam ambo ſimul, ſanguinis detractionem fieri prępediant, aluum per clyſterem euacuabimus, tum ut ſuperflua in ipſo recrementa extrahamus, tum ut humores qui ad affectas partes inde ferri conſueuerunt reuellamus, atque inde auxilijs ad inflammationes commodis utemur. Si uero membrana cerebri fuerit uulnerata, egregie ipſam conglutinat, inquit Archigenes, calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milij arida inſperſa. Deinde butyrum & ro-

saceum, ac adeps suillus insulsus uetus, tepefacta ac mixtim infusa. Cæterū hoc modo affectos à uino & cibis crassioribus abstinere oportet, maxime si febri sint correpti. Atqui prædictam euacuationem consulit etiam Apollonius, qualem autem fieri oporteat nō ostendit. At uero acetū rosaceo ammisceri iubet, quemadmodum in phreniticis & letargicis in principio plurimi medici facere consueuerunt, uerum non recte mensuram utriusque dicere reliquit, Empiricorum similí transitione usus, non indicatione dogmaticorum. Affectio enim ipsa nobis indicat auxilia, Quantitatem autem singulorum, & particularem materiarum differentiam simul tum affecta particula, tum ægri temperamentum indicat. Et ad hæc uitalis facultas, deinde ætas, & ambientis nos aeris temperatura, iuxta regiones, anniq; tempora, & prædominantem anni constitutionem euarians. In phreniticis quidem igitur, quum omnia quæ intra caluariam, circáque cutem & pelliculam caluariam ambientem ab affectione immunia sint, ueteres conuenienter acetū ammiscuerunt: ea ratione persuasi, quam in commentarijs de pharmacorum compositione per longum recensui: quando uidelicet ad affectiones in profundo corporis obortas, pharmaca diuersa ab his quæ ad affectiones in superficie hærētes destinata sunt, adhiberi oportere dixi. Exoluitur enim omnium ipsorum uis in transitione per profundum, & ob id ad propria affectioni auxilia, aliquando contrariæ & nocentis facultatis pharmaca ammiscemus. Quum nanque inflammatio dolorem inducat, maxime contrarium est acetum reliquis auxilijs ammiscere, utpote quod neq; mitigandi neq; laxandi uim aliquam in se complectatur, Sed quum per sinciput, (neque enim per aliam quampiam capitis partem transitus patet) pharmaci facultatem intra penetrare uelimus, tunc sanè ad ammixtionem alicuius eorum quæ propria natura auxiliantur ac in profundum ducunt, deuenimus: tenuium partium substantiam quandam inuenientes, quandoque quidē frigidam, uelut acetum: quandoq; uero calidam, uelut euphorbiū, affectione quæ curationi subiacet considerata ac perspecta, num calfacientibus opus habeat an refrigerātibus. Iuxta hanc igitur ratiocinationē, si quidem crassæ cerebri membranę nudæ rosaceum offeratur, quemadmodum in his quibus capitis officulum aliquod excisum est fieri consueuit, solum ipsum leniter tepefactum adhibemus. Quum uero citra denudationem, per capitis iuxta sinciput partem, sana & integra existente caluaria, rosaceum ad cerebri membranam peruenire uelimus, acetum ei ut eò perducat ammiscemus, Cuius item rursus uehemens facultas tum per uiarum transitionem, tum per rosacei mixturam exoluitur. Quapropter Apollonius in eo quod acetum rosaceo indefinite ammiscere iussit, peccauit. Cutis enim capitis aut quæ post eam est membrana caluariam ambientis inflammationes, citra quidem uehementem dolorem obortæ, per modici sanè aceti ad rosaceum ammixtionem iuuari possunt: lædētur autem ubi magna fuerint, doloremque uehementem induxerint. Deliquit amplius Apollonius, quod neque tempus usus singulorum ab eo descriptorum auxiliorum apposuit, Quædam enim incipientibus & nascentibus adhuc inflammationibus auxiliantur, Quædam etiam in uigore consistentibus aut decrescentibus, aut etiam induratis opem ferunt. Rosaceum itaque cum aceto incipientibus, In uigore uero consistentibus, rosaceum solum adhibemus, Quemadmodum etiam in induratis absinthiumq; ac pulegium ei ammiscemus. At uero quæ citra indurationem decrescunt inflammationes, pharmacis laxantibus appellatis solum opus habent. Relata est autem tum materia, tum compositio ipsorum in prioribus huiuscemodi tractationis commentarijs, quos edidimus antequam hoc opus sumus aggressi. Quapropter affecti loci multam indicationem faciunt

simul

simul cum ipsis affectionibus ad inuentionem remediorum. Quum igitur affectiones ab Apollonio descriptæ quatuor sint, quæ capitis dolorem faciunt, ob manifestas causas obortæ: deinde uero ex ordine transierit ad eas quæ ex obscuris causis producũtur: meritò sanè quis ipsum reprehenderit, nõ solũ quòd à dogmatica desciuerit doctrina, sed quod neq; Empirica sit usus. Distinguunt enim etiam hi affectiones per symptomatum cõcursus syndromas ab ipsis appellatos, qui sanè accessionum ad morbos ipsos congregationes sunt, quæ omnibus euidenter apparent: in quibus cõcursibus etiam externas & lacessentes causas ipsi comprehendunt, tanquam partes totius concursus existant. Verum nullam talem congregationem, neque symptomatum siue accessionum, neque signorum Apollonius scripsit, quemadmodum discemus ubi & ad sequentem uiri doctrinam non minus quàm ad priorem animum adhibebimus.

Condependens ex præcedenti Apollonij doctrina, ad temporum ac totius capitis dolores, citra manifestas causas obortos.

VNgento Mendesio caput illine. Aliud, Adipem anserinum Mendesio ungento dilutum illine. Aliud, Myrrham uino quàm optimo tritam, & ad succi ptisanæ crassitudinem redactam illine. Aliud Myrrham ungento preciosissimo tritã similiter adhibe. In pueris autem sinciput dolentibus, myrrha cum oleo trita utitor. Aliud, Viticis semen tritum & aqua dilutum imponito, aut linteolo illitum similiter imponito. Aliud, Lolij farinã cum adipe anserino contritam pro cataplasmate imponito, adipe prius liquefacto. Aliud, Portulacã per se & cum lini semine tritam imponito. Aliud, Oleæ folia tenerrima oleo ac uino nigro affuso terito ac imponito. Aliud, Cinerem quencunq; habes aceto aut aqua diluito, eoq; caput rigato. Aliud, Solanum & terram figulinam trita ac leuigata imponito, Aliud, Halicacabi fructum cum adipe anserino, aut ungento balanino tritum adhibeto. Aliud, Lentisci folia trita ex aqua imponito. Aliud, Blitũ tritum ac oleo dilutum adhibeto. Aliud, Ricini semen aqua tritum imponito. Aliud, Coriandri semen & anethi trita ac melle mixta imponito. Aliud, Melanthium tritum ac oleo dilutum imponito, Aliud, Cuminum & adipem anserinum trita imponito. Aliud, Succum papaueris fabæ ægyptiacæ quantitate, & salis partes duas, & pulegij partem unam, cum aceto & ungento optimo trita illinito. Conuenit item cibum subtrahere, & aluum euacuare, caputq; contegere, amplius uero & quiete agere, omnemq; motum uitare. Quod igitur Apollonius quemadmodum dixi, indefinite tradendo, hæc remedia ad capitis dolores, dupliciter peccarit, neque ut dogmaticus uir affectiones explicans, neque ut Empiricus earum concursus, idipsum ex illius ipsius dictione didicimus, Quod uero & pharmacorum facultates inter se non parum differant, ex tota uirium ipsorum perpensione discere licet. Etenim primum ab eo descriptum simplicis est potentiæ laxantis. Talis enim est Mendesij ungenti facultas, Secundum uero eandem uim intense possidet, in quo ad Mendesium ungentum anserinus adeps ammiscetur. Tertiũ autem propter myrrham quidem reficcatorium est, unaq; calfacit, propter uinum uero adstringit, utile his existens in quibus redundantem humiditatem simul repellere ac discutere proposuimus. Scimus porrò myrrhæ odorem plurimis etiam sanis dolorem capitis inducere, quare sanè eos ipsos qui iam caput dolent non parũ offendet. Eiusdem autem facultatis est & quod sequitur quartum. Quintum uero non pro- Myrrha odor

pe ad horum uim accedit, ubi scilicet cataplasma ex aqua & uiticis semine componit, quod non solum ab utraque facultate tum calefaciendi, tum resiccandi, quibus ea præstant, quæ ex myrrha composita sunt, multum deficit, sed & contrarium facere potest in his qui caput ob frigiditatem dolent. Quod uero deinde sequitur ex lolij farina & anserino adipe compositum, in quibus resiccare intendimus utile est, neq; in capite solum, sed & in alijs partibus rationabiliter adhibetur, idipsum uero ob anserinum adipem citra molestiam resiccantem contingit. Abunde enim pharmacũ hoc & mitigat & sedat dolorem. Verum quod deinceps sequitur, de quo hæc uerba scripsit: Portulacam per se & cum lini semine tritam imponito, refrigeratorium est pharmacum, præclare faciens ad affectiones calidas. Quod uero post hoc scriptũ est hoc modo: Oleæ folia tenerrima oleo ac uino nigro affuso terito & imponito, dolorem quidem non mitigat, uerum humiditates succorum euacuat. At uero quod deinceps scriptum est forti facultate præstat, in quo uidelicet iubet cinerem aceto aut aqua dilui, eoq; caput rigari. Si quidem enim ex aceto præparetur, inueteratas affectiones & in scirrhum induratas sanare potest, non tamen doloris mitigatiuum existit. Si uero cum aqua cinis diluatur ac percoletur, fortitudine quidem plurimum ab eo deficiet quod ex aceto constat, neque tamen sic doloris mitigatiuum erit. Quemadmodum neque id quod postea descriptum est, ex terra figulina & solano compositum. Superfluam autem compositionem Apollonius in eo quod ex halicacabi fructu constat, ostentat, utpote quod neque prædictis, neque postea dicendis quicquam amplius habeat. Quemadmodum sane ea quæ deinceps sequuntur singula alia facultate prædita sunt. Non rite autem fecit hæc omnia indefinite tradendo. Quid enim simile habet cataplasma ex blito cum oleo trito, ad illud quod ex ricini semine, aut coriandri, aut Melanthij componitur. Calefaciunt enim hæc & resiccãt, Blitum uero debiliter humectat & frigefacit. Porrò quod in fine sermonis ipsius scriptum est, primum neq; ab ullo in usum assumi experiundi gratia consuluerim, nedum sæpe. Raro enim cogimur pharmacis ex opio uti, quum uidelicet præ doloris uehementia homo de uita periclitatur. quanquam & tunc solidæ partes ex eius usu offendantur, adeò ut post hæc correctione opus habeant. Sic & ex opio collyria multis detrimento fuerunt, adeò ut debilem oculum reddiderint, & uisus hebetudinem, Amblyopian Græcis appellatam induxerint: uelut etiam auditus grauitatem inducunt, quæcunq; ad uehementem aurium dolorem ex papaueris succo cõposita sunt. At uero ob capitis dolorem uehementem nemo unquam animi deliquio cõprehensus mortuus est, neq; seipsum occidit, quemadmodum quidam coli dolore uexati fecerunt. Vtcũq; enim doleant, longè minor ipsorum dolor est, quàm eorũ qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore uexãtur. Mitigantur illi ipsi perfusionibus & cataplasmatum impositione.

Quæ Archigenes ad capitis dolorem remedia conscripsit.

Relato igitur iam Apollonio, ad Archigenem trãseamus, qui in priore libro de pharmacis secundum genus ei inscripto, hoc modo scripsit. Archigenis ad capitis dolores citra febrem obortos. Communiter in principio auxiliatur eis aquæ potus, parcitas cibi, solutio alui. Hæc præfatus deinceps pharmaca multiformia conscribit. Præstabilius igitur mihi uidetur singulatim unaquaque ipsius dictione in manus sumpta, eam considerare, & primum sanè principium eius collaudare, in quo manifeste discrimen à febri inductum distin-

xit.

xit. Fuit itaque Apollonius non quidem uulgaris medicus, uelut & Mantias & Heraclides Empiricus, uerum ad diligentiam quam circa artem fecit, etiam hoc Archigeni accessit, quod posterior natu illis ipsis fuit. Cæterum maximum hoc censeri debet, his qui artem quamcumque tandem rationalem ediscere riteuolunt, quum natura apti ad eam fuerint, ingeniosiq; & à pueris in primis disciplinis eruditi. Plerique autem ex his qui eiusmodi artes tractant, non ut ipsi sapientes in his euadant, sed ut uulgo tales uideantur studio habent. At uero Archigenes ut si quis alius, quæ ad medicam speculationem attinent diligenter ediscere studuit, atque ob id merito scripta quàm plurima memorabilia reliquit. Nō tamen in omnibus sanè quæ tradidit irreprehensibilis mihi uidetur, uerū uelut ipse pleraque eorum uirorum à quibus adiutus optimus euasit, reprehendit, sic par est ipsum delinquentem à nobis posteris redargui. Difficile enim est ut qui homo sit non in multis peccet, quædam uidelicet penitus ignorando, quædam uero male iudicando, & quædam tandem negligentius scriptis tradendo. Quemadmodum sanè & nunc mihi in distinguendo non febrientes à febricitantibus peccasse uidetur, quum non omnes eorum qui non febriunt distinctiones & discrimina apposuerit.

De his qui ex stomacho caput dolent.

STatim igitur primum in his discrimen est doloris capitis ex stomacho producti, Quidam enim etiamsi modicus quispiam humor acris in uentre, & præsertim circa os eius congregetur, statim caput dolent, atque ob id si diutius famem tolerent offenduntur. Augetur enim ipsis inediam ferentibus eiusmodi humorum malicia. Eos igitur qui hoc modo affliguntur sanare oportet, ita ut nihil remediorum capiti adhibeamus, quandoquidem neque proprius est hic capiti affectus, sed ab humorum in uentre malignos uapores excitantium in ipsum adscensu affligitur. Quemadmodum alij in suffusorum symptomata ob huiusmodi humores incidunt. Quæ igitur horum erit cura? ut uidelicet affligentes in uentre humores quàm celerrime euacuemus. Euacuantur autem ad uomitum procliuis facile ab aquæ potu, Aegre uomentibus uero difficilius, adeò ut etiam digitorum siue pinnularum immissione uenter ad uomitum irritatus, quibusdam nihil amplius effuderit. His igitur conabimur quàm primum cibum boni succi ac stomacho commodū exhibere, si res ita ferat à balneo, si non, ante balneum tantum cibi offeremus, ut ne lædantur inde postea lauantes. A cœna autem postridie modicum absinthium in potu dabimus, eóque modo in posterum diætam ipsis constituemus, donec ualde bene concoquentes ipsos uideamus, atque tum sanè modicum panem eis præbebimus circa tertiam aut quartam horam, aut paulò prius uel etiam serius, ut satis amplum spatium ad consuetam balnei horam intersit. Quicunq; uero panem citra obsonium edere non possunt, his oliuas, aut palmulas, aut uuas, aut tale quiddam addemus, per experientiam cognoscendo quid ex eis præstet, quum aliud alio melius sit iuxta naturæ proprietatem. Cæterum ad uitiosorum in uentre humorum redundantiam tum facultatis concoctoriæ debilitas, tum oris uentris infirmitas, plurimum conferunt. Quemadmodum etiam sensuum mollicies & ad hæc caput ad eiusmodi humorum uapores suscipiendos aptum, queadmodum & in quibusdam oculi. Ego quidem igitur sæpe & in multis expertus sum hanc quam narraui, curandi uiam ad capitis ex stomacho dolorem commodam. Archigenes uero quum simpliciter ad omnem capitis dolorem citra febrem, cibi parcitatem auxiliarem

scribat, palàm facit se nihil de eo qui ex bilioso humore oboritur scire. Quod sanè etiam amplius quis crediderit qui postremã eius dictionem legerit, quæ hoc modo habet. Archigenes. In his uero qui ex stomacho caput dolent, flatuosęq; distenduntur, acetum in quo papaueris capita incocta sint affundito, aut spongias eo imbutas imponito, deinde polentam cum menta & aceto fronti pro cataplasmate imponito. Aut pulegium cum iisdem. Aut solani succum cum cum rosaceo illinito. Stomachum equidem os uentris appellat, quum & medici hanc partem ita appellare sint adsueti, qui etiam stomachica animi deliquia appellant, & quosdam stomachicos esse dicunt à quopiam uidelicet in eo loco oborto affectu ita appellantes, uelut etiam hepaticos ab hepate, & colicos à colo, & nephriticos à renibus, & splenicos à splene affectos. Vnam autem ex stomacho affectionem dolorosam scripsit quæ caput occupet, eorum quos ipse flatuose distentos uocauit, quam ex uini largi potu magis oboriri scio. Qui enim propter humores caput dolent, mordacem dolorem, non distendentem percipiũt. Fames igitur in distensionibus commoda est, at non his qui mordaces humores in ore uentris habent. Quum itaque hic mordax humor fuerit amarus, pallida & flaua bilis appellatur, quæ ob naturalem leuitatem ad uentris os sursum fertur. quum uero pituitosus, aut acidus, aut salsus fuerit, magis in totius uentris spatio continetur, quàm quod in ore ipsius firmetur. optimum autem fuerit (quantum sanè nunc in his dicere licet) in fundo uentris ipsum contineri, facile enim relicto uentre in intestinum delabitur. Pessima autem fit affectio ubi uitiosi humores in uentris tunicas ineluibiliter fuerint imbibiti, Quorũ optimum remedium est ex aloe pharmacum, quod aliqui picram, hoc est, amarum, aliqui hieram, id est, sacrum ex aloe appellant: inq; eius compositionem aloes drachmas centum conijciunt, & sex uniuscuiusque reliquorum, quorum etiam sex numero existunt, cinnamomum, spica nardi, xylobalsamum, mastiche chia, asarum, crocus. Præstantius autem fit pharmacum ubi minus de aloe additur. Visum nanque mihi est, nimiam eius copiam centum drachmas esse, ad proportionem reliquorum quibus hæ adduntur, quapropter etiam per XC. drachmas ipsum composui, & per LXXX. Quin & per pauciorem aliquando crocum, propterea quod quidam ex eius usu capite lædantur, quod ipsum sæpe ex solo croci odore perpetimur. Quare optima eius fuerit compositio, quæ ex aloes drachmis XC. & croci drach. V. constat. hac ego utor. His uero qui neque croci odorem citra molestiam ferunt, sed statim capite replentur, ex quatuor croci drachmis pharmacum compono. Cogor autem assidue hoc pharmacum præparare, propterea quod non solum his de quibus iam dixi, sed & suffusorum speciem patientibus, aut etiam alia symptomata ex stomachi affectione habẽtibus, idipsum exhibeam, & præterea his qui aluo adstricta laborant, & mulieribus, quæ non probe purgãtur. In quibus maiorem efficaciam habet, ubi aloes drachmæ LXXX. & croci VI. fuerint commissæ. præstat autem & carpesium pro asaro conijcere, quanquam etiam utrisque coniectis aliquando composuerim. Datur ad summum ex pharmaco hoc drachma una, cum aquæ calidæ cyathis non pluribus quàm tribus. Minimum uero dimidium eius præbetur. Datur & intra hos modos, quantitate iuxta ætatem, corporis magnitudinem, & anni tempus permutata.

Quæ Archigenes consequenter ad primam dictionem scripsit, in quibus est etiam Galeni censura.

DE his quidem igitur qui caput ex stomacho dolent hæc suffecerint. Transeundum

secundum itaque iam ad ea quæ Archigenes post primam dictionem deinceps scripsit. Faciam autem iuxta singula ipsorum consimilem expensionem qualem circa primam feci, connectendo ad ipsa propter rerum consequentiam etiam ultimam ipsius dictionem, Sed nunc à secunda initium faciam. Archigenis. Irrigationes autem siquidem à frigore aut hyeme patiantur, conueniunt, oleum tepidum. Et, Illitio narium, succus è baccis lauri expressus, aut oleum laurinum, aut ungentum Syriacum, aut cicinum, aut styracinum, aut gleucinum, aut tale aliquod aliud calfactorium. Vt igitur à postremo exordiar, opinor ipsum resinam quæ sua sponte emanat dicere, quæ plurima in Lacedæmone prouenit, & Capnelæon, hoc est, oleum fumosum Ciliciæ, & Amaracinum ac Styracinum in Cyzico, & quod in Perga apparatur irinum. His uero ungentis nares oblinere operæpretium ducit, quo per odorem ipsorum caput calefiat. quod ipsum inde euenire manifeste apparet, adeò ut & idiotæ uulgo his utantur, & maxime eis quæ facile parari possunt. Parabilia autem sunt alijs alia, quæ uidelicet apud singulos redūdant. Et apud nos sane in Asia agrestibus & ruri degentibus hominibus cedrino appellato uti mos est, & si quando eius inopia sit pisselæo, quo nomine id appellant quod ex oleo & liquida pice constat. Ammiscent autem tum huic, tum cedrino, oleum aliqui plus, aliqui minus, in quantum uirium ipsorum uehementiam exoluere uelint. Vtuntur autem omnibus quæ dixi & circa caput, & præsertim circa sinciput ueluti dixi. Illinunt & frontem ex eis, & aurium meatus. quidam etiam uestigia pedum, ac sedem. Cæterum quum Archigenes succum è baccis lauri expressum dicit, quod simpliciter laurinum dicitur ipsum nominare putandum est, uelut id quod oleum ammixtum habet, laurinū oleum appellatur. Syriacum uero ungentum, eum dicere Comagenum existimo, quandoquidem idipsum nobis ex Syria apportatur. Archigenis. Aestate uero aut ubi aliâs æstuose distenduntur, per acetum & oleum, aut aquam & rosaceū. Amplius uero & per polygoni succum, aut portulacę, aut solani, aut aliquo alio ex refrigerantibus irrigato, spongiasq; posca imbutas capiti imponito. In hoc sane sermone uidebitur forte quibusdam negligētius legentibus, unam simplicem affectionem Archigenes curare, uerum non ita habet. Ex eo enim quod æstuose dicit, calidam affectionem indicat: ex eo uero quod addit, distenduntur, affectionem quæ hoc modo à flatu uentoso affligitur ostendit: ut non solum secundum intemperiem mutata sit, sed etiā uaporosi flatus redūdantia adsit. In principio itaque in eiusmodi utrisque affectionibus, refrigerantium auxiliorum facultas apta est, quæ intemperiem calidam refrigeret, & uentosi flatus allationem repellat & retundat. Atque mea quidem opinione præstiterit diligentiorem rei inquisitionem facere. Aliquando etenim ex corpore uentosus flatus affertur, quemadmodum in doloribus capitis ex stomacho relatum est. Aliquando uero in ipso capite generatur. Venter namque interdum ægre solubili modo inflatur. Interdum uero etiam post ipsum sita intestina, quandoque quidem ieiunum, aut tenue intestinum, quandoque etiam colum. Nihil igitur mirum est, neque impossibile, eandem affectionem in quibusdam iuxta caput partibus obortam, uentosum flatum generare, cuius generationis in locis circa uentrem causam inuenimus, tanti caloris inopiam, ut ex cibis ac potibus uaporosum & uentosum flatum generet, propter infirmitatem uero comprehensiuæ facultatis, interna ita affectarum partium capacitas infletur & expleatur, ut propter expletionem quidem distendatur, propter tensionem uero dolore afficiatur. Inuentum equidem & hoc nobis in cōmentarijs est, in quibus communes & generales dolorum causas considerabamus, quod ob dissolutionem

nem continuitatis similariū partium, dolor oboriatur. Dissoluunt autem ipsam erodentia, disse cantia, distendentia, & uehementer calfacientia ac refrigerantia. Quapropter in doloribus circa caput, ægros interrogare consueui, qualis nam eorum qualitas sit, Quidam enim uelut erodantur corpora, doloris sensum percептant. Quidam uero uelut distendantur, aut grauentur, aut tundantur, aut solius uehementer inualescentis caliditatis aut frigiditatis. Siquidem enim uelut erodantur aut pungantur senserint, uel humorum uel eiusmodi flatus acredo, causa putanda est. Si uero citra morsum distendantur, repletionem distensarum partium, uel per uentosum flatum, uel per multi humoris influxum, causam putabimus. In quo genere & inflammatio & erysipelas existit. Inflammatio quidem ubi inflammata corporis pars multum sanguinem in se continuerit. Erysipelas uero ubi biliosum continuerit humorem. Quod si ex utrisque redundantibus pars aliqua expleatur, aut inflammatio erysipelata, aut erysipelas inflammatum oborietur. Et ne quis putet nos longum sermonem de una particula iuxta unum symptoma affecta facere, Communis enim omnium dolore affectarum ratio est, quam si quis diligenter in articulos digesserit, promptior ac expeditior ad auxiliorum inuentionem, in omni affecta parte fuerit. Artis etenim curandi coniectura in affectionum cognitione maxime consistit. Quæ ubi inuentæ fuerint, curationē non coniecturaliter sed scientifice indicant, cum hoc quòd & cognoscere datur, quàm ægre aliquæ affectiones medelis cedant, in quibus rationabiliter iuxta indicationem remedijs utimur, etiam si nihil efficere in principio appareant. atque hoc est quod in aphorismo dictum est, in quo ait, Omnia secundum rationem facienti, si iuxta rationem non succedat, ad alia transeundum non est, sed perseuerandum in eo quod uisum est à principio. Aliquando enim adeò uehementer in angustijs meatuum flatus uaporosus infarcitur, atque eo adhuc magis uiscosus aut crassus humor, ut multo tempore opus sit ad curationem. Etenim quæ sic infarta sunt attenuare oportet, meatus'que dilatare per quos excernantur, habita simul prouidentia nequid aliud, puta humor aut eiusmodi flatus, amplius influat: & ad hæc corroborandum est affectum membrum, ut neque ipsum uentosum flatum gignat. Qui igitur primi ad eiusmodi affectiones pharmaca composuerunt, meritò uaria materia opus habuerunt: si quidem influentem substantiam siue humor, siue uapor fuerit, repellere necessarium existit: impactam uero concoquere & attenuare, eandemq; ipsam discutere: atque nihilominus, imò magis circa affectam partem firmitatem inducere, ne uidelicet quod influit suscipiat, attenuatum uero excernat, impactumq; concoquat & attenuet. Verum in mixtura pharmacorum hac facultate præditorū, alius alio feliciore coniectura usus, alius minus, alius magis commodam fecit compositionem. Quapropter uelut nostis, ad uos enim sodales loquar quibus maxime hæc scribuntur, Duo omnino uidistis mihi præparata pharmaca eundem effectum promittentia, quandoque etiam tria & quatuor, & ex horum mixtura in ægre curabilibus affectionibus à me sæpe quod oportuit, factum esse. Considero nanque in quo eorum sit simplex pharmacum amplius calfaciens, aut frigefaciens, uelut etiam resiccans, aut humectans, aut tenuium partium, aut crassarum. Deinde contemplans quid effecerit quod ægro iam fuit admotum, secundum usum aut per aliud quoddam, aut per hoc ipsum facio. Sæpe quidem ad aliud quod idem promittit transeo, aliquando uero utraq; committo, ac medium quiddam ex eis conficio. Talia autem omnia abunde à me non uniuersim tantum, sed & particulatim in medendi methodo relata sunt, nosseq; oportet, quod & iam ante dixi, hanc tractationem illam sequi, & cogor tamen etiā nunc

rursus

rursus meminisse, quo magis ea quæ isthic tradidi assequamini. In prædicta itaque affectione, calore doloroso prædominante unà cum flatu uentoso, in principio quidem repulsoria curatione utendum est; quæ ex refrigerantium facultate constat: quod ubi moderate factum est, ex mitigatorijs ac cōcoctorijs quippiam ammiscere ad repulsoria oportet, Deinde etiam discussoria addenda, ita ut paulatim repulsoria pharmaca detrahamus, donec ad contrariam mixturam perueniat pharmacum ei quam à principio habuit, hoc est, ut plurimū quidem discussorium sit & attenuatorium, Minus uero concoctorium & mitigatorium, minimum autem repulsorium. Portulacam quidem igitur refrigerantis & aquosæ substantiæ esse didicistis. Minus ea polygonum. In solano autem tantum ammixtum esse crassæ & terreæ, quantum adstrictionis. Acetum uero repulsoriam simul & attenuatoriam, imò & discussoriam habet facultatem, utpote in temperatura à tenuium partium frigiditate exuperatum, quemadmodum exacte serenus aquilonaris aer. Didicistis etiam rosacei facultatem, quod uidelicet & repulsorij quiddam habeat, habet autem & cōcoctorium & mitigatorium, & ad hæc etiam discussoriū. Meritò igitur Archigenes in prædicta affectione eiusmodi pharmacis utitur, ipsum quidem per se solum acetum neq; alibi exhibens, neque hic, ob facultatis ipsius uehementiam, ammiscet autem ei uel rosaceū uel aquam. Transeamus autem iam ad sequentem Archigenis dictionem. Archigenis. Si uero augescat affectio, perfecta cibi abstinentia cōgrua est, Deinde uenæ sectio è cubito, & alui euocatio per ualidū clysterem. De his auxilijs dictum à me prius est, quando Apollonij dicta cōsiderabam, ubi sane in biliosis causis fami renunciaui, uelut etiam uenæ sectionem in pueris & senibus ac uiribus debilitatis fieri prohibui: laudaui autem euacuationem per clysterem, non solum propter euacuationem eorum quæ intestinis continentur, sed etiam ob reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur: atq; ob id probe in his quæ scripsit Archigenes non simpliciter dixit, Euacuatio alui per clysterem, sed addidit ualidum: multum enim in huiusmodi clysteri situm est, quantum ad reuulsionem attinet, ultra hoc quod non solum ea quæ circa uentrem & Mesaræum sunt euacuat, sed etiam quæ circa hepatis sima hærent. Archigenes. Irrigationes autem, Ruta cum aceto & oleo trita. Memores affectionis ad quam auxilia scribere proposuit, sic iudicamus unumquodq; eorum quæ recensere cœpit. Affectionem itaque sic scripsit. Aestate uero aut ubi aliàs æstuose distenduntur. Deinceps uero refrigerantis facultatis auxilia subiecit, & postea inquit. Si uero augescat affectio, perfecta cibi abstinentia, & uenæ sectio, & clyster ualidus adhibeatur, & post hæc propositam conscripsit dictionem, in qua cum aceto & oleo tritam rutam adhibere iussit, non apponens an uiridem an aridā uelit. Est enim non parua differentia, quum arida multo acrior & calidior, quàm uiridis existat. Mihi sane uiridem consulere uidetur. neque enim aceruatim à refrigerantibus ad contraria transgressus est. Acetum uero ad hoc quòd refrigerat & repellit, discussorium quid habere antea dictū est. Mitigatoriæ autem & laxatoriæ facultatis existens oleum meritò ipsis ammiscuit. Alia. Succus à lauri baccis expressus cum aceto & ruta. hæc priore longe efficacior existit. Ad succum nanque à lauri baccis expressum fortiter calfacientem, rutam ammiscuit cum aceto, relicto oleo. Alia. Succus radicum iridis cum aceto. Hoc remedium nihil calfactorium habet, melius itaque fuerat ipsum primum in transitu ad præclariora auxilia positū esse. Alia. Salicis folia trita cum aqua. Hoc præscripto ex iride imbecillius est, atq; his quæ omnium primum scripta sunt simile, ut intēpestiue nunc ab eo sit relatū. Alia. Serpyllum cum aceto & oleo tritū.

Arcti faculrae.

De aceto

De aceto & oleo prius dictum est: adiecit autem nunc eis serpyllum acris qualitatis pharmacum, & ob id etiam calfactoriæ facultatis. Negligenter uero etiam hic reliquit, an uiride aut aridū uelit: præstiterit autem fortassis uiride intelligere. Alia, Polygonum cum ruta oleo & aceto dilutum. Polygoni succo iuxta primam rationem ut refrigerāte usus est, nam & reuera talis existit, Quare etiam ad inueteratos dolores iuxta primum transitum rationabiliter quis eo utetur, ruta ammixta. Animaduersione autem dignū est in singulis cōtrariæ facultatis pharmacorum mixturis, ut in principio parum ex præstantiore ammisceamus, iuxta secūdum uero & tertiū usum, copiam augeamus. Alia, Amygdalæ amaræ delibratæ tritæ cū aceto & oleo irrigationis modo adhibitæ, aut cerati crassitudine in linteolo fronti impositæ. Et hoc ad primum transitum pertinet, didicimus enim discussoriam citra mordacitatem facultatem amygdalas amaras habere. Alia, Ruta syluestris cum oleo & aceto eodē modo. Inordinate rursus hoc ualde forte pharmacū interposuit, in doloribus multum inueteratis merito adhibendum. Alia, Populi albæ fructus cum aceto tritus. Discussoriæ facultatis est albæ populi fructus. In quibusdā autem exemplaribus nō cum aceto, sed cum posca, scriptum reperitur. Alia, Ocymi semen cum aqua. Ocymi semen calfactoriæ & attenuatoriæ est facultatis, nō tamen uehementer, cum aqua autē sola inueterata affectione minime rationabiliter quis eo utatur, melius enim erat oleum & acetum, uelut in alijs dixit, etiam huic ammiscere. Alia, Facit & balsamum, peucedanum, castorium, simul & singulatim unumquodq; cum oleo & aceto. Hoc pharmacū rursus uehemēs est, maxime quum ipsum peucedanū solum adhibeatur, citra castorij ammixtionē. Quid uero balsamum nunc uocet, non habeo dicere, Num uidelicet plantæ semen, aut succum quem opobalsamū uocāt, aut ramulos ipsius xylobalsamū appellatos. Melius tamen mihi uidetur opobalsamum accipere, quod tenuium partium & discussoriæ substantiæ existit, non tamen manifeste calentis. Alia, Lauri folia, & populi albæ, & uiticis cum oleo & aceto. Et hoc pharmacum ex simplicibus facultatibus differentibus cōposuit. lauri enim folia calidissima, uiticis uero moderate refrigerantia sunt: in medio utrorumq; populi folia existunt. Alia, Panacem cum oleo illinito. Nihil hic refrigerantium ammixtum est, & oh id ualde inueteratis affectionibus & nihil amplius caliditatis habentibus utile existit. Quapropter meritò quis ipsum reprehenderit citra distinctionē pharmaca auxiliaria conscribentem. Panacem uero negligenter nunc ipsum dicere puto, panacis radicem, neq; enim opopanaca putandum est ab ipso panacem dictum esse. Differt autē à radice hic non paruo caliditatis excessu. Alia, Viticem aut mētam, amygdalas amaras, iridem, æquali mensura cum aceto & rosaceo mixta adhibeto. Aliorum uires supra relatæ sunt. Mentæ autem nunc primum mentionem fecit, pharmaci calfactoriæ facultatis. Alia, Aut mororum succo cum aceto ammixto rigato. Hoc pharmacum euidenter apparet refrigerantium medicamentorum generis ab ipso cōscriptorum esse, quæ incipiente affectione conueniunt, minimeq; recte nunc ad pharmaca auctis affectionibus commoda, ammiscentur. Alia, Inueterata autē affectione pilis denudato, illitionibusq; & rigationibus prædictis, crassius tamen apparatis utitor. Alia, Resinam cum melle tēporibus & fronti illine. Aut muscerdas cum aceto & rosaceo. Tertium hoc tempus est & oportunitas in capitis remedijs adhibēdis. Primū nanq; erat incipiente affectione. Secundum uero ut ipse scripsit augescente. Tertiū autem hic quum ait inueterata, quod ipsum uehementioribus auxilijs opus habet, quorum aliqua non recte prioribus ammiscuit.

De his

De his qui ob biliosum humorem caput dolent.

Signa in his similia sunt eis quæ ex ardore oboriūtur, accedit his maior mor fus & faciei pallor, & aliquando oris amaritudo. Aetati autem uigoris, & temperaturis calidioribus, & uitæ curiosæ, & his qui flauam bilem congregant hæc affectio præcipue contingere solet. Itaq; balnea temperata, & unctiones, & potus dilutus eis exhibēda sunt, omnisq; diæta liquidior & boni succi cōstituen da. Euacuandus item biliosus humor per absinthij cremorem, aut per aloen, & per ipsam picram antidotum per se datam, aut modica addita scāmonia, uel per catapotia ex aloe confecta. Illinenda frons pastillo croceo aut Trigono appell: to, aut aliquo alio his consimili.

De dolore capitis per consensum.

Si quidem uniuerso corpori caput per consensum coafficitur, illi prospicien dum, tum intemperiei, tum materiæ prædominanti instando, easq; urgēdo. Et si quidem humorum multitudo & maxime circa uenas fuerit, uenam secabi mus. Si uero qualitas magis inualuerit, purgatiuo pharmaco utemur. Si uero uni alicui parti cōdoleat, uel ut hepati, aut uētri, aut stomacho, his ipsis auxiliabi mur: calida quidē in ipsis subsistente intēperatura, panē ex uino diluto exhiben do, & sorbitiones ex alica, Et foris irrigationes moderate refrigerātes & firmita tem addentes, uelut antea dictū est. Si uero propter uiscosos & crassos in stoma cho cōtentos humores, caput doleant, etiā hos exturbabimus, acetū mulsum in potu præbendo, tum simplex, tum Iulianicū appellatū. Ex hyssopo etiam ac ori gano potionibus, & quæ his adhuc fortiores sunt magisq; incidendi ui prædite, utemur, & uomitu à raphanis, irrigationibusq; ac cataplasmatis calidioribus.

De capitis in febribus dolore.

IN doloribus capitis qui in principio cū febribus irruunt, uena secāda est post primam aut secundam remissionem, nisi quid impediat, & præsertim in cor poribus bonæ habitudinis & multo sanguine redundantibus. Animaduerten dum autem num ob uapores à uētre sublatos, aut ob alui suppressionem capitis dolor cōtingat. Quod si serius post septimum tandem irruat diem, aluo per cly stere qui aliquid operæpretij faciat præeuacuata, cucurbitæ ad occiput siue cer uicem affigantur, caputq; rigationibus ex oleo mitigetur, rosaceo quidem in cali dioribus ac hora æstiua, & cum modico aceto. Chamæmelino uero in frigidio ribus habitudinibus ac hyeme, quinta aceti parte adiecta. Illinenda frons ex cy phi in frigidioribus, ex crocomagmate in calidioribus. Cætero ad capitis dolo res ob febris magnitudinē obortos, medelæ præscriptæ sunt in febriū tractatu. Porrò uitare oportet hæc, non solum in dolore capitis per consensum stomachi oborto, sed omnibus etiam alijs circa caput obortis affectionibus. Sūt autem ea quæ sequūtur. Viticis semen, absinthij succus, lac in potu, glandes quercinæ in cibo, oliuæ nigræ, arbuti fructus mæmecylon Græcis appellatus, eruum, quod ipsum etiam articulos dissoluit. Amplius autem offendunt myrrha, thus, hede ræ cacumina. Mentem etiam perturbant lentisci fructus, crocus, peucedanū, cy claminus sicca cum uino potata. Styrax modicus quidem potatus tristitiā uul tus discutit, multus uero somnos multum turbulentos inducit.

De Cephaleæ capitis dolore antiquo. Cap. II



Ephalæa inueteratus & ægre cedens capitis dolor appellatur, qui ex facili occasione, maximas exacerbationes habet, adeò ut neq; strepi tus, neq; uocem uehementiorem, neq; lumen splendidū, neq; uini po tum, neq; odoramenta caput replentia tolerare possint, neq; item mo tum, sed in quiete & tenebris ob dolorum magnitudinem decumbere uelint, tan

quam à malleo enim pertundi sibi uidentur. Quidā enim uelut cōtundantur aut distendantur ea quæ circa caput sunt sentiunt, non paucis uero usq; ad oculorū radices dolor progreditur. Habet autem hæc affectio aliquando quidem continuos dolores, aliquādo uero exacerbationes & interualla siue ordinata, siue inordinata. Intermittunt enim quandoq; eiusmodi exacerbationes, uelut in comitiali morbo apprehēsis, interceditq; tempus aliquod quod omnino accusari non potest. Manifestum igitur est hanc affectionem cōsimilem aptitudinem capitis ut facile lædatur, uelut in cephalalgicis habere. Verum ad maiorem debilitatem deueniunt in hac affecte capitis partes. Et quidā ex eis cerebri inuolucra dolitāt, quidam uero membranam tantū caluariam ambientem. dolores igitur cum grauitate, humorū multitudinem significant, cum mordacitate uero, aut humorum aut uaporū acredinem, cum pulsu autem inflammationem: cum tensione uero, si quidem citra grauitatem & pulsum fiat, flatus tenuis & uentosi multitudinem demonstrāt: cum pulsu uero, membranosi corporis inflammationē. Si uero cum grauitate distentio fiat, humorū multitudinem intra mēbranulas contentam. Et dolores quidem in superficie herentes, mēbranæ os caluæ ambiētis affectionem significant: qui uero in profundo sunt, cerebri inuolucrorū. Quibuscunq; enim affectio intra caluariā est, his usq; ad oculorū radices dolores procedunt, propterea quod oculorū tunicæ ex cerebri inuolucris habeant ortum. Si uero humor putrefactus calidior fiat, cum febri caput dolitāt: febricitant autē omnino & qui ex inflammatione dolent. Si quidē igitur humorū aut uaporū multitudinem reperenis causam, si quidē propter totius corporis repletionem facta est, uniuerso corpore euacuato capitis dolorē sanabis. Si uero uelut debile existens caput ad se sublatos humores ac uapores susceptet, materiā reuellere oportet in totū corpus, atq; ita particulæ mederi. Per clysteres itaq; reuulsio fit, & ligaturis extremitatum, & pluribus infernarū partiū confrictionibus, Interdū etiam sanguinis ex cubito detractione. Quod si amplius sanguis redundare uideatur, etiam ex naribus aperta uena, & quantū sufficere uidetur sanguine euacuato. Deinde hieram dabimus exacutam, & postea apophlegmatismis pituitam detrahētibus & medicamentis quæ naribus indūtur utendum est, qualia sunt quæ ex elaterio & cyclamino cum lacte & porro apparantur. Caput autem curabis, quando quidem reuulsorijs uti oportet, per reuulsorias irrigationes. Cæterum post totius corporis euacuationem, iam caput euacuātibus uteris, deinde his quæ firmitatem addere possunt admotis. Repellit igitur oleum omphacinum, & rosaceū, per se & cum aceto, & ex papaueris capitibus, & oleæ teneris germinibus, & hederæ cacuminibus, ac menta uiridi apparatum. Afferantur autem remedia tepida quidem, ubi frigidior & crudior fuerit humorū multitudo, frigida uero ubi calidior & biliosior extiterit. Discutit autem oleum dulcissimum calidum, & magis inueteratum, item q; sicyonium. Si uero crassior sit humorum multitudo, spondyliū, aut serpillum, aut pulegij comam aut calaminthen, aut mentam oleo incoquendo, multitudinem euacuabis. Eadem hæc etiam firmitatem parti addunt, quapropter usq; ad perfectam curationem eis uti conuenit. Omnium porrò longe maxime discutit & perfecte corroborat, uerbenaca recta maxime uiridis, Imò & arida cum radicibus & simul cum serpyllo, oleo incocta. Conijcienda etiam ad ea crocodiliadis maximæ iuxta aquas nascentis radix. Quin & ipsam per se uerbenacā si oleo incoxeris, caputq; inde rigaueris, omni capiti dolori antiquo ex frigiditate, aut ex crassis humoribus oborto medeberis. Maxime etiam prosunt sub aquario uase nascentes aselli, Millepedæ appellati, si oleo incoquantur.

Archigenis

Archigenes de Apophlegmatismis.

POst hæc uero Apophlegmatismi quibus pituita à capite detrahitur, ex sinapi aut hyssopo cũ passo cocto, aut ex staphide syluestri cum pipere & melle trita, aut ex oleo ammixto melle, aut ex staphide syluestri per se uel cũ melle trita, cõueniunt. Galenus. Pharmacorũ quæ pituitam à capite euacuant, & medicis pro more Apophlegmatismi appellantur, materiã postea referã. Nunc autẽ tantũ ostendere cõmodum fuerit, quòd hocce auxiliũ pituita infestãte auxiliare est, quemadmodũ sanè & ipsum nomen eius apud Græcos ostendit. Archigenes autẽ calidã & flatuosam affectionẽ se curaturũ pollicitus est, non frigidam & pituitosam. Archigenes. Iuuatur autem plurimũ lauri, aut rutæ, aut panacis, aut papaueris capitum, aut baccarum lauri decocto perfusi. Galenus. Fortibus calefacientibus pharmacis, non scio quomodo papaueris capita nõ in strennue refrigerantia annumerauerit, quum in sermonis cõtextu singulis dictis aliquem per se uti posse ostenderit, & fortasse etiam aliquando simul mixtis: non tamen manifestum fecerit, num quippiam ex papaueris capitibus ipsis adijciendum sit, quo uidelicet aliorum pharmacorũ uehementia minuatur & mitigetur: an & solis aliquando utendum sit, quod sanè incipiente & augescente affectione tempestiuius fieret. Inueterata enim affectione non solum nõ prosunt, sed etiam nocentiora capita papaueris existunt. Archigenes. Commodum est & ex salibus fomentum. Galenus. Omnem rationem Archigenes hic confudit, quum fomenti mentionem faciat per pharmacum resiccans quidem non strennue, uerũ & calfactoriũ quiddam in se habens. Meminisse enim eum oportebat, quòd quũ calidam affectionem curare assumpsisset, aut semper ab illa ipsa indicationem seruaret, aut de transmutatione in diuersam speciem quippiam diceret, iuxta quam temporis progressu calore sedato, obturatio, aut intensio, aut tale quiddã accessisset, quod contraria curatione indigeat, & non ea quæ in principio fuit determinata. Archigenis. Post perfusiones uero aut fomenta iuuantur si lini semen rosaceo infartum adhibeas, & lanas sordidas ex aceto rosaceo calidas circumponas ac obliges. Galenus. Hoc mitigatiuum est auxilium, quum uehementer infestat dolor, unà cum hoc quod & subiectæ cõmodet affectioni. Quare ubi ad intensum capitis dolorẽ remedia scripsit, isthic præstiterat etiam de hoc fomento mentionem facere. Verum pro præsenti temporis oportunitate, de qua nũc sermo instat, si quis fomentis aut cataplasmatis uti uelit, fomẽta ex milio meliora fuerint. Quẽadmodũ enim Hippocrates ait, leue & lene miliũ existit. Sales uero ob grauitatẽ molesti sunt præsertim capiti admoti.

De cataplasmatis in capitis dolore. Archigenis.

CAtaplasmatis uero utere ordeacea cruda farina quæ iridem contusam habeat ammixtã. Aut rutæ semine eodẽ modo. Aut fœniculi radice similiter. Aut cruda ordeacea farina cũ aceto mulso apparata. Aut polenta & pulegio mixtis. Galenus. Et hæc cataplasmata ad secundã tẽporis oportunitatẽ pertinẽt, quã supra augescente capitis dolore cõstituit, nam & hũc mitigãt, & affectionẽ iuuãt. Archig. Aut Nilei pharmacũ castorij & iridis decima parte ammixta, cum aceto & rosaceo imposito. Nilei quidem igitur pharmacum quod ad emplastri formã paratum est, iam olim nobile & laudatum pharmacum est, & ob id omnibus notũ. Promittit autem reliquiarum inflammationum in præcordijs inueteratarũ curationem. Verum eorum quæ ei ammiscentur castorij uidelicet & iridis Archigenes obscure mixtionem conscripsit. Incertum enim num alterius ipsorum decimam Niliaci malagmatis partem esse uelit, an utriusq;. Verum mihi præstabilius uidetur utriusq; decimam partem ammi-

fcere. Oportet autem castorium atq; iridem probe trita esse, & Nilei pharmaco diligẽter emollito paulatim hæc ammisceri, manibus partim rosaceo, partim aceto madefactis. Aut nuces amaras decorticatas, & rutam, ac parũ ex iride, cum aceto & rosaceo committito, & malagmatis forma imponito. Quum eiusmodi multa pharmaca circa secundum propositæ affectionis tempus Archigenes conscripserit, facultatis ipsorum expositionem in illis feci. Aut uiticis seminis, perseæ uiridis foliorũ & myrrhæ, æquales partes cum ungento Aegyptio fronti cataplasmatis modo imponito. In sola Alexandria perseæ arborem uidi, & in nulla alia Romanis subdita gente. Quidam Persion ipsam appellant, aiuntq; in persis lethalem eius arboris fructum esse, qui in Aegyptiorũ regione innocuus existat. At uero Aegyptium ungentum, non solum sic, sed & Mendesium nominatur, Quidam etiam Megaleum uocari aiunt, utroq; cognomine à Megalo, qui ipsum composuit accepto: & ab illius quidem proprio nomine in denominatiuorum forma Megaleum, à patria uero ipsius Mendesium appellari. Est autem laxatorium & sedat dolores. Aut sulphur, castorium, baccas lauri, æquis portionibus cũ cerato rosaceo infarta, temporibus & fronti imponito. Hoc pharmacum multũ calfacit, & frigidas affectiones relaxare potest. Aut castoreum & peucedanum pari mensura. Consimilis est & huius pharmaci facultas cum præscripta. Quod si affectio perseueret, uenæ sectione à naso aut fronte, aut cucurbitis ad occiput affixis utitor. Sanguinis à locis affectis detractiones in affectionibus inueteratis conuenire omnes ferè medici confitentur, Verum cucurbitæ ad occiput affixæ, ex reuulsorijs auxilijs sunt, quum humores ad oculos, aut ad anteriorem capitis partem ferri consuetos auertere conamur. Aut sternutatorio quopiam concutito, fasciolaq; collo circumposita spiritum cohibere iubeto. Vtilitatem ex hoc auxilio indicauit, per uerbi concutito adiectionem, Quod uero fasciolam collo circumdare iubet, ad uehementiorem affectionem pertinet. Aut per nares purgato. Hoc præfatus deinceps ea quæ per nares purgant recenset. De quibus ego sermonem faciam, uelut etiam de Apophlegmatismis, ubi pharmacorum quæ capiti adhibentur tractationem absoluero. At uero in uehemẽter inueteratis, sinapi ut moris est capiti adhibe & perure. In omnibus plurimum inueteratis affectionibus quum nihil profecerint reliqua auxilia, curationem Metasyncriticam à Methodicis appellatam, omnes ferè adhibere consueuerunt, prioribus medicis haud scio qua ratiocinatione primum ad eius usum progressis. Ego uero quum intemperies quæpiam humida & frigida, aut per seipsam, in partibus affectis adest, aut propter eiusmodi humorũ frigiditatem fuerit oborta, ex sinapi & thapsia ac similibus adhibeo pharmaca. Calidis uero & siccis non adhibeo. Cæterum hi qui affectiones cognoscere nõ possunt, ad eiusmodi pharmaca uelut ad sacram appellatam anchoram cõfugiunt, & ob id sæpe quod conuenit perficiunt, quod plerosq; hominũ eiusmodi affectiones propter malam & uitiatam diætam infestent.

Archigenes, De his qui ex ebrietate caput dolent.

IN his qui ebrietate caput dolent, iridem siccam & uiticis folia ex aceto & rosaceo adhibe. Aut apij comas coctas in uino impone. Aut pulegium ex uino eodem modo. Aut Mendesium ungentum per se, uel cum anserino adipe irrora. Aut myrrham cum uino Mendesio impone. Aut rutæ folia, baccas lauri, uiticem, populi albæ fructum, æquali mensura trita, cum aceto & oleo tepefacta irrora. Cæterum Amethista quæ ab ebrietate præseruent, eiusmodi esse poterunt, Absinthium mane ieiunis bibendum præbe. Aut myrti florem & myrrham ac rutam trita ex aqua. De his qui ex ebrietate caput dolent satis di-

ctum à me est quum ea quæ Apollonius ad hanc rem tradidit expenderem. At uero post hanc præscriptam Archigenis dictionem, alia sequitur de his qui caput ex stomacho dolent, de qua iam dictum est.

Eiusdem Archigenis amuleta quæ capiti coronæ modo circumposita & alligata, dolorem eius arcent.

QVandoquidem uero & Amuleta ad dolorem capitis Archigenes scripsit, quæ quidē nullam medicā rationem habent, ea his qui talia per experientiam cognouerunt, & secundum mirabilem quandam cōtrarietatem homini incognitam efficacia esse dicunt, relinquam. Quæ uero ab eo iuxta medicam rationem tradita sunt selecta referam tantum, iuxta illius ipsius dictionem, queadmodum hactenus de pharmacis facere consueui. Polygoni duos ramulos coronæ modo imponito. Quòd polygonum calidis & flatuosis capitis doloribus cōueniat, ipse prius dixit. Nihil itaq; miri est in talibus sæpe ipsum iuuisse. Nam propter ardorem & ebrietatem dolores capitis assidue cōtingunt. At uero quòd duos omnino ramulos esse oporteat, ab illis adiectū est qui polygoni utilitatem ex incognita contrarietate, & non ex ipsius temperamento procedere uolunt. Aut cichorium quod Romani Intubum olus appellant, ægri capiti imponito, & maxime si ex ardore doleat. Ego uero etiā apponam, si ex ebrietate. Sic enim & rosaceæ coronæ iuuant. Eas igitur uolenti itidem licebit adscribere, numerumq; quemcunque tandem uelit addere, & ex totidem rosis nexam coronam capiti mederi affeuerare. Deinceps Callitricho coronare caput operæpretiū ducit, quod Trichomanes, inquit, quidam appellant. Ego uero eos qui de herbis scripserunt Adiantum magis appellare Callitrichum scio quàm Trichomanes. Deinde paulo pòst philanthropo herba coronari iubet, & palmulæ masculæ cortice summo. & post hæc, in hæc uerba scribit. Aut aduersus solē ægrū expositum, donec dolor quiescat finito. In Amuletorum catalogo & hoc ab eo relatum est, quod quidem ex frigiditate dolens caput iuuare potest, si neque humoribus omnibus æqualiter redundet homo, neque ex cruditate laboret, aut aliquem uitiatum humorem in uentre, maxime circa cauitatem eius habeat: uerum calidos capitis dolores, ex quorum numero sunt & ex ardore ac ebrietate oborti, non parum lædet. Cōsimilia his deinceps scribēs ad chamæmelum peruenit, cuius experientiam habemus quod capitis dolorem iuuet, si quis eo ue, lut ante dictū est queat uti. Appellat autem Archigenes Anthemidem hanc herbam, quemadmodum alij multi, & ait florem quidem ipsius tritum, olfactu prodesse, folia uero summe nocere. Liberat à capitis dolore uerbenaca herba, quam aliqui hieram, id est, sacram uocant, tum coronæ modo circumposita, tum illita ex rosaceo & aceto. Hoc auxilium oportebat eum non nunc inter amuleta, sed prius inter medicamenta referre, si quidem adeò ei confidit, per longam experientiam cognito & probato. Aut testudinis palustris, quam quidam amyda, hoc est, lutariam uocant, sanguinem sincipiti instilla. Et hoc si quidem uerum est, inter pharmaca & cum discrimine referri cōueniebat. Nisi fane hoc uult, quòd omnem capitis dolorem iuuet, idq; omni temporis occasione. Ita enim & nos contrarietatis testimonium ei præbebimus, non efficaciæ quam ex temperamento habet. Absoluto igitur de amuletis sermone, deinceps hæc scribit.

Archigenis de fissuris & contusionibus in capite factis.

DE uulneribus porrò in capite factis deinceps dicetur. Parua autem fissura facta, aliqui myrrham aceto tritam, aut aloen cum linamentis indunt, glutinaturq; ita & absq; inflammatione mirabiliter adseruatur. Cæterum in con

tusionibus citra disparationem ac fissuram circa caput factis, polenta imposita commoda est. Amplius uero & Oesypum, hoc est, lanæ sordes, atque ipsæ adeo lanæ sordibus sudoris succidæ, eodem modo. Magis autem proprie similaginem ex aqua pro cataplasmate impones. Aut origanum cum polenta. Hæc utilia iudicata esse quid attinet referre? uerum alterius negocij atque operis sunt, quàm ut ob huiusmodi causam caput dolentibus apta esse iudicās ea adscripsisse putandus sit. Sed ut quæ obortas inflammationes curare, aut easdem prohibere possint. Atqui in aliquibus exemplaribus hæc in totum non habentur, uelut in alijs etiam plura his in huncce modum. In mediocribus capitis uulneribus, aut quæ omnino legitimo medico non habent opus, In quibus quidem nuditas per se non adest pilos, rademus, fibulisque impositis constringemus, ac glutinantibus experimento cognitis utemur. Egregie glutinat uulneratam cerebri membranam, calaminthæ succus infusus, & farina milij arida inspersa, deinde butyro, & rosaceo, ac adipe suillo ueteri mixtis ac tepefactis infusis. In quibus uero os denudatum est, diuisa membrana caluariam ambiente, os ipsum scalpemus & per suturæ adductionem, tanquam non sit denudatum curabimus. Si uero non permaneant suturæ, iuxta concarnationem uelut etiam aliorū uulnerum curam faciemus. Referetur autem huiusmodi curationis ductus in proprio loco. Cæterum in quibus uulneribus aut propter paruitatem, aut alias suturis uti non licet, linamentum conuulsum cum aceto & oleo imponito, aut cum myrti succo, aut lentisci, aut rubi, aut conyzæ tenuia folia habentis, ad aliquem eorum modico ammixto melle ita ut linamentum ex his imbutū imponas, Et folijs alicuius ex prædictis pro cataplasmate utitor. Aut spongiam nouā aceto & oleo imbutā imponito. Aut lanam sordidam eodem modo. At uero ad ipsum uulnus brassicæ folia adponito, aut polentam aceto subactam per se imponito, aut cum brassicæ folijs tritis. Hæc quidem Archigenes scripsit ad capitis dolorem, discriminibus simul quibusdam additis, quemadmodū etiam Apollonius fecit. Asclepiades uero uaria quidem pharmaca scripsit, sed eorum discrimina iuxta affectiones non ita multum apposuit, sed saltem in incipientibus & inueteratis, quāquam neque hoc in multis fecerit, sed in primo solum & postremis duobus. Postrema igitur credere quis possit inueteratis efficacia esse, utpote ex fortibus simplicibus pharmacis cōposita: primum uero ob id fortassis solum quis in usum talem adsumpserit, quòd papaueris succum nō paucum ammixtum habet: huiusmodi autem didicimus, non propterea quod affectionibus prosint, sed quòd sensilem facultatem stupefaciāt, dolores mitigare solere. Quare etiam ea omnia deinceps à me conscribentur.

Quæ Asclepiades ad capitis dolorem in primo externorum scripsit.

AD recentes capitis dolores irrigatio, qua usus est Nicomedes, foliorum rutæ drach. II. mentæ drach. II. peucedani, drach. IIII iridis drach. II. seminis ocymi drach. VIII. seminis papaueris nigri drach. IIII. alij drach. VIII. poscæ heminas duas, ad dimidium coquito, & expressum succum cum rosaceo conquassato, & caput assidue ex eo irrigato. Aliud quo usus est Charicles, Amygdalarum amararum depuratarum drach. II. seminis uiticis drach. II. radicis peucedani drach. II. mentæ uiridis siue aridæ drach. II. ramulorum rutæ drach. II. baccarum lauri depuratarum drach. II. serpylli drach. II. sphondylij drach. II. castorij drach. II. rosarum uiridium aut siccarum drach. IIII. aceti heminas duas, rosacei quod satis est, apparato ac utere ut dictum est.

Pastillus

Pastillus ad capitis dolorem quo usus est Antonius herbarius, qui multa artis experientia clarus fuit.

SVcci peucedani drachmas VI. succi papaueris drach. IIII. croci drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. scammoniæ drach. IIII. omnia trita cum aceto in pastillos redigito, eosq; in umbra resiccato, usus autem tempore aceto dilutos fronti illinito, à tempore altero initio sumpto & usque ad alterum tempus progrediendo, In febricitantibus ex aqua illinito. Quo Alexander usus est sic habet. Peucedani radicis aut succi drach. I. croci drach. I. myrrhæ drach. I. opij drach. unam, aceto excipe ac redige in pastillos: usu uero exigente, aceto dissolutos locis sensum doloris percepiantibus illinito. Aliud Antigoni qui in castris exercitus insignis medicus fuit. Baccarum lauri siccarum purgatarum triutarum drachmas IIII. scammoniæ drachmas IIII. succi papaueris drachmas IIII. seminis apij drachmas VIII. croci drachmas VIII. myrrhę drachmas IIII. omphacij drach. IIII. serpylli drach. VIII. aceti quod satis est, prępara ac utere ut dictum est.

Ad inueteratum capitis dolorem Epithema, quo Charicles usus est.

REtrimentorum quæ ab expresso irino ungento supersunt, peucedani, castorij, singulorum partem unam, baccarum lauri partes II. seminis uiticis partes II. rosarum siccarum partes II. ramulorum rutæ partes IIII. aceto dissoluta cerato ex rosaceo apparato excipito, deinde linteolo impacta prærasis capillis per omne caput imponito, & fasciola obligato, atque usque in sequentem diem obligata custodito, rursusq; imponito. Aliud ualde bonū. Amygdalarum amararum, floris uiticis, peucedani radicis, mentæ uiridis, ramulorum rutæ, baccarum lauri, serpylli, sphondylij, castorij singulorum partem unam. rosarum partes duas, appara & utere ut dictum est. Post hæc præscripta pharmaca Archigenes & Apollonius, itemq; Asclepiades, pharmaca conscripserunt, quorum aliqua per os, aliqua per nares caput purgant. Cæterum quæ Archigenes tradidit hæc sunt iuxta illius ipsius dictionem.

Archigenis de Apophlegmatismis, & quæ naribus infunduntur.

POst hæc uero Apophlegmatismi ex sinapi aut hyssopo cū passo cocto, aut ex staphide syluestri cū pipere trita, aut ex melle oleo ammixto, aut ex staphide syluestri per se, & cum melle trita. Hæc quidem Archigenes inter remedia doloris capitis scripsit, Apollonius uero de his quæ ad dentium dolores, in primo parabilium tradidit, hæc uerba scripsit. Quæ naribus infunduntur in dentium dolore. Radicis betæ succum per se in nasum infundito, & dolores dentium soluet. Aliud, Cumini quantū tribus digitis apprehendi potest, & myrrhæ ad magnitudinem fabæ, medullæ cucumeris syluestris duplum, trita & lacte muliebri subacta in collyria redigito, eáque in utranque narem indito, Deinde quandiu quis quinque stadia percurrere possit adtrahere, & postea emungere iubeto. Hoc pharmacū & ad aurium dolores facit. Asclepiades autem in primo exteriorum ita scripsit. Asclepiades de his quæ naribus induntur, & de sternutatorijs, & apophlegmatismis pituitam è capite detrahentibus. Errhina quæ naribus indita caput purgant, commodant etiam ueteri lippitudine oculorum infestatis, faciunt & ad comitiali morbo apprehensos. Ducunt'que multam humiditatem. Melanthij drachmas VIII, salis ammoniaci drach. unam, elaterij drach. I. trita & quam tenuissime leuigata, sicyonio oleo

nio oleo, aut irino ungēto, aut cyprino excipe quo ad cerati liquidi crassitudinē perducantur, & reconditis in cornea pyxide utitor, sublitis inde naribus, atque ægris attrahere iussis. Aliud, Citra molestiam purgans, doloremq́ eue stigio sedās. Cyclamini siccæ drach. VIII. iridis siccæ drach. II. nitri rubri drach. unam Ego elaterio usus sum diligenter trito & per arūdinem insufflato, ægro ipsum attrahere iusso, atque deinde deorsum pronuere, quo uidelicet coactus li quor destillet. Post hæc uero Asclepiades in hæc uerba scripsit. De ster nutatorijs. Sternutatoria caput purgātia Heraclidæ Tarentini, Cumini æthio pici, piperis albi, struthij, castorij, singulorū æquales partes contusas & cribratas in ærea pyxide reponito. Vsu uero exigente, pyxidem cōcutito, & apertam na ribus admoueto, aut cum digito adhibeto, aut etiam per arundinem insufflato. Aliud, Zingiberis drach. II. struthij drach. II. piperis albi drach. I. cassiæ drach mam I. utere ut dictum est. Ad ueterem capitis dolorem sternutatoria Pto lemæi. Facit ad uertiginē & comitiali affectos. Veratri albi drach. IIII. Alij unam habent, radicis cucumeris syluestris drach. unam, struthij drach. unam. nitri rubri drach. I. castorij drach. I. piperis albi drach. I. Vtere ut dictum est. Aliud, Veratri albi, radicis cucumeris syluestris, struthij, singulorum partes duas, castorij, acori, nitri rubri, cumini æthiopici, singulorum partem unam. eu phorbij partem unam, tritis ut dictum est utere. At uero post dictorum ster nutatoriorum descriptionem Asclepiades in hunc modum scripsit. Quæ mansa caput purgent, & multam humiditatem ducant. Piperis albi drach. II. staphidis syluestris drach. II. cassiæ drach. II. Excipe uuarum passarum exa cinatarum, aut ficuum pinguium carne, & mandenda præbe. Mandentes uero deorsum pronuere oportet, & per interualla hiare, quo collectus humor destil let. Post uero etiam aqua calida in ore continenda, quæ etiam ubi multam per ceperint mordacitatem eis exhibenda est. Aliud, Staphidis syluestris, pyrethri, piperis albi, hyssopi, cardamomi, singulorum æquales partes, polen tæ duplum, aqua subigito ac utitor ut dictum est. Porrò ex subscriptis phar macis quibusdam præceptores meos usos scio, quibusdam amicos, aliqua etiam ipse in usum adsumpsi, ut ex multo usu fidem suam mihi probauerint. Sunt au tem hæc, Foliorum cucumeris syluestris succus naribus infunditur tum per se solus, tum betæ addito decocto aut succo. Aliud, Myrrham melle co ctam naribus infundito. Aliud, Aloes, nitri, melanthij, parem mēsuram cum oleo ueteri ad strigmentorū crassitudinem redacta. Aliud quod man ditur. Nitri sexuncem, anisi trientem, staphidis syluestris quadrantem, folio rum lauri uiridium, & uuæ passæ exacinatæ pari mensura excipe, & ex hac mi xtura pastillos trium drachmarum coge, & singulos usu expetente mandendos præbe. Aliud quod naribus inditur. Euphorbij drach. dimidiam, tha psiæ drach. unam. iridis drach. I. mellis cocti sesquidrachmam, succi radicis be tæ quantum sufficit. Ex hoc ad milij magnitudinem accipe, & aqua dilutum spe cilloq́ exceptum naribus infunde. Aliud quod naribus infunditur. Suc ci cyclamini cyathos II. succi foliorum hederæ cyathum I. peucedani obolum unū, elaterij obolum unū. In uitreo uase recondito, usu uero expostulante lacte muliebri dissoluta naribus infundito. Aliud, Myrrhæ trientem, eu phorbij trientem, piperis albi grana XXV. Myrrham aqua prius dissoluito, unáque ipsum euphorbium, deinde piper tritum addito, & adiecto olei gleuci ni sexunce utitor. Aliud, Quod naribus infusum multam pituitam per os detrahit. Olei communis sextarios duos, saponis libram unam, resinæ frictæ sesquilibram, opopanacis unciam unam per anchusam colorato ac utitor,

ore prius

ore prius aqua expleto. Aliud quod in os illinitur. Saponē betæ succo dilutum iuxta palatū illinito, atq; itidem iuxta oris columellam. Idem etiam naribus infundi potest.

Quæ Crito in primo de pharmacis scripsit his uerbis. Apophlegmatismi.

Staphis syluestris per se & cum pulegio mansa. Aliud, Staphidis syluestris & origani utriusq; acetabulum, nitri drach. II. trita cochlearij mensura mandu canda præbeto, donec os pituita repleatur, deinde aperto ore effluere sinito. Aliud, Origani trientem, hyssopi drach. IIII. staphidis syluestris drach. IIII. spumæ nitri drach. II. sinapis drach. II. pyrethri drach. III. tritis utere. Aliud, sinapis partem unam, staphidis syluestris partem unam contusis utere, hoc pharmacopolæ utuntur. Aliud, Hyssopo, thymo, origano, tum per se tum simul mixtis utere. Aliud, Medullæ colocynthidis in aceto ad multum tempus coctæ, aut etiam per longum tempus in uino maceratæ, liquorem in ore contineto. Aliud, Allia cum erucæ semine & nitro. Aliud, Staphidis syluestris drachmas VII. pyrethri drach. IIII. hyssopi drach. I. Contusa in orbiculares pastillos cogito, eosq; drachmæ pondere formatos manducandos exhibeto.

Quæ pharmaca naribus indenda Crito ictericis seu arquato infestatis conscripsit.

Pharmacū quod naribus infunditur, & tum per nares, tum per os excernit, Ob idipsum uero ne consterneris, si palatum calefaciat aut exasperet. Ex alto enim auocat ac transfert humores. Staphidis syluestris drach. I. melanthij drach. III. Cum aceto trita ad formam strigmento liquidiorem redigito, & per dies quinque in nares infundito donec expurgetur æger. Id autem alternis diebus facito. Aliud, Hederæ folia decem, lauri folia decem, cum oleo terendo ad strigmenti crassitudinem redigito, & naribus similiter instillato. Aliud, Egregie facit & elaterium insufflatum in ipsorum nares. Cæterum si quis hoc citra detrimentum facere uelit, in calidę solium ægrum immittet, atque ita toto corpore præter faciem in eo immerso, elaterium insufflabit. Large enim bilem per nares educit. Aliud, Elaterium ad magnitudinem erui, in lacte muliebri dilutū naribus infundito, atq; ubi purgatio prodierit, in calidæ labrum demittito ac lauato, & per diætam reficito.

Quæ Aeneas per experientiam pituitam detrahentia tradidit.

Vorum experientiam per Aeneę usum habeo, à quo etiam descriptiones accepi. Pharmacū quod naribus inditur atq; pituitam detrahit. Saponis lib. VI. adipis caprini lib. I. ceræ lib. III. picis aridæ trientē, quidā uero quadrantem habent, nitri tantūdem, lixiuij acris cyathos II. Vsus tempore aqua diluta per specillum infundito, attrahereq; iubeto. Caput uero irino prærigato, & post usum aquam mulsam sæpe gargarissandam præbeto. Aliud, Euphorbij drach. VI. lycij indici drach. IIII. succo betæ excipe ac melle addito coge. Vsus tempore aqua aut lacte dilue. Aliud, Succi cyclamini cyath. II. succi cacuminum hederæ cyath. I. succi peucedani obolum. I. elaterij obolum I. Vtere in balneo cum lacte muliebri. Aliud, Pyrethri, piperis, hyssopi, staphidis syluestris, parem mensuram in pastillos drachmæ pondere cogito, quorum unum manducandū præbeto, & post factam ab ipso purgationem, sale & melle curato. Sternutatorium, Piperis albi, ueratri albi, castorij, euphorbij, struthij, succi cyclamini aridi, æquali mensura, penna præirritatis insufflato.

De usu omnium fortium pharmacorum.

QVam utendi rationem de prædictis pharmacis dixero, eam ad omnia alia quæcunque fortem uim habent transferre oportet. Non enim statim à principio efficacissima adhibere conuenit, sed à debilioribus auspicari. Quin & ipsa fortia pharmaca mitigatoriorũ ammistione lenita, moderata fiunt. Et ob id ego quædam ex eis muliebri lacte recenti & aqua diluo, & post hoc oleo dulci, deinde betæ succo, & anagallidis quæ ceruleum florem habet itidem succo, atque ita sensim in usu eorum progredior, donec postremum etiam per opobalsamum talia dissoluo. Ac primum quidem lacte ammixto adhibeo, quod ubi leuiter ferũt ægri, etiam citra lactis adiectionem admoueo. Porrò parabili sæpe pharmaco usus sum, quod naribus infunditur Melanthio, aliquando quidem aceto acri rigato ac pridie macerato, deinde sequenti rursus cum aceto trito, & naribus infuso, aut ægro ipsum absorbere in nares iusso. Aliquãdo uero oleo ueteri idem melanthiũ cõtriui, atque ita usus sum, quo modo etiã Archigenes eo utitur in narium obturatione. Eo uero quod cũ aceto infunditur, Crito utitur ad arquati morbũ.

De hemicrania, hoc est, dimidiæ partis capitis affectione. Cap. III.

AFfectio dolorosa circa dimidiam capitis partem, aliquãdo dexteram, aliquando sinistram contingit, quæ iuxta futuram secundum longitudinem eius extensam terminatur, & ut plurimum per circuitum exacerbatur, influxu uaporum aut humorum siue multorum, siue calidorum siue frigidorum, causam dolori suggerente. Quidam igitur ipsorum circa temporum musculos ueheméter dolitant, & pleraque sanè ipsorum pars hoc modo affligitur. Quidam uero dolorem longe ulterius progredientem habent. Et, Quidam adeò uehementer dolent, ut neque manuum contactum facile ferant, in quibus palàm est pelliculam caluam ambientem esse affectam, & neque cutem ipsam omnino ab affectione immunem existere. Manifestũ igitur est uaporum, aut humorum, aut utrorumque influxum siue per uenas, siue per arterias, siue per utrasque contingere: quum interdum ea sola quæ intra caluam continentur, hoc est, cerebrum eiusque membranæ, quod in ipsis redundat foras protrudant: interdum uero corpus infra caput positũ uitiatos uapores aut humores sursum mittat. Quapropter ubi quis hemicraniã curare aggreditur, prius quasi purgatione aut uenæ sectione æger opus habeat, consideret, atque ita deinde ad capitis auxilia progrediendo, tum per digitos suæ manus, tum per linteũ dimidiam frontis partem, & eam maxime quæ circa temporũ musculum est, confricando excalfaciat, atque id ante irritationis tempus faciendum est. Post exacerbationem uero pharmacis hemicranicis à medicis appellatis utendum, siquidem multa caliditas in doloribus percipiatur, his quæ refrigerans quippiam habent: citra uero hanc, his quæ multum excalfaciant. Vtrisque uero aliquid ex his quæ firmitatem ac robur addunt misceatur, quod adstringentem uidelicet habeat facultatem. Demiror autem quod neque Apollonius, neque Archigenes, neque Asclepiades quicquam de hemicranicis pharmacis, quæ meritò post doloris capitis totius pharmaca subijcienda erant, conscripserunt. Decebat enim ipsos, tametsi nihil priuatim in se habeat, propterea quòd inter ea quæ totius capitis dolori destinata sunt, cõtineantur, idipsum saltem annotare. Similiter autẽ & ab Hera & à Critone, uberior de hac affectione tractatio neglecta est. Cæterum per quæ pharmaca inueterato capitis dolori medentur, per eadem cõstat eos etiam hemicranicis affectionibus auxiliari. Heras itaque in medicamentario libro, statim à principio in hæc uerba ad capitis dolorem pharmaca conscripsit.

Pharmaca ex libris Heræ ad capitis dolorem.

CRocomagmatis partem I. gallæ partē I. trita ex uino fronti ac temporibus illinito. Pastillus, ad capitis dolorem egregie faciens, à tempore ad tēpus bis aut ter illitus, Croci drach. XV. atramēti sutorij drach. X. aluminis scissi drach. XIII. myrrhæ drach. III. opij drach. III. omphacij drach. III. chalcitidis drach. III. gummi drach. XV. tritis uini falerni austeri quod satis est affunde, & ut collyriū tere, indeq; in pastillos omnia redige. Vsu uero expetēte, posca aut aceto dilutis utere. Malagma, ad capitis dolorē, Aeruginis rasilis drach. IIII, æris usti drach. II. squamæ stomomatis ferri drach. II. cimoliæ drach. IIII. chalcitidis. drach. IIII. pumicis crudi drach. IIII. terebinthinę unciam unam. cerę drach. XXXVII. & dimidiam. olei ueteris cyathos II. Aridis tenuissime tritis, liquefacta affunde, emolli ac utere. Quod si durius uideatur pharmacum, oleo amygdalino emollito. Hæc quidem pharmaca Heras ad capitis dolorem scripsit. Vtuntur autem eis quidam etiam ad hemicranicos dolores, quemadmodum etiam alijs medicamentis quæ prædicti uiri ad inueteratos capitis dolores destinauerunt. Non tamen per omnem frontem pharmacum extendunt, sed per affectam solum partem. Cæterum ex præceptoribus nostris quispiam hoc pharmacum ad inueteratas hemicranias in usu habebat. Piperis albi drach. II. crocomagmatis drach. II. euphorbij drach. dimidiam utere. Porrò de euphorbij facultate iam mihi relatum est, quòd cito exoluatur. Quare in eiusmodi pharmaca non uetus conijcere oportet. dictum etiam recens albidius esse, quod uero inueteratum est, flauioris aut pallidioris coloris reddi. Verum si non ualde uetus sit euphorbium, sed duorum aut trium annorum, duplum eius adijcies, hoc est, drach. I. Quemadmodum autem euphorbium recens cōijciendum est. Sic itidem stercoris columbini drachmæ dimidium, ex columbis montanis quas in turribus nutriunt sibijpsis uictum quærentes, non uelut quæ in urbibus intra domos nutriūtur. At uero & atramēti scriptorij æqua portio, hoc est, drachmæ dimidium ad columbinum stercus inijcitur, atq; ad hanc rem nostrum pergamenum præstat, eo enim semper præceptor noster utebatur. Aut igitur illud ipsum ex Pergamo atramentum inijcere oportet, aut aliquod aliud optime præparatum: atque ita omnibus his mixtis & probe subactis, acetoq; acerrimo imbutis ac dilutis temporis musculus, & dimidium frontis, & affecta capitis pars illinenda est. Aliud pharmacum, Quod non solum in hemicrania, sed & in omni inueterata capitis affectione illinitur, in capitis quidem dolore per omnem frontem, In hemicrania uero per mediam capitis partem affectam. Croci drachmas XV. atramenti sutorij drach. X. aluminis scissi drach. XIII. myrrhæ drach. III. opij drach. III. omphacij drach. III. gummi drachmas XV. Omnibus tritis uinum falernum adijce, & rursus ut collyrium tere, deindeque in pastillos redige. Vsus uero tempore posca dilutas aut aceto illine. Aliud, ad easdem affectiones. Scammoniæ drachmas VI. croci drach. II. comæ hederæ drach. VI. sulphuris uiui drach. IIII. seminis anisi drach. VIII. seminis apij drach. VIII. diligenter trita cum ocymi succo in pastillos cogito. Hoc pharmacum multo rosaceo dissolutum capitibus letargicorum rigandis fit cōmodum. Aliud pharmacum. Non ijsdem solum conueniens, sed & uertiginosis auxiliare. Radicis peucedani drach. IIII. iridis illyricæ drach. II. æruginis drach. I. acori drach. I. sphondylij drach. IIII. piperis nigri drach. II. & dimidiam, castorij drach. II. & dimidiam, serpylli drach. IIII. & dimidiam, myrrhæ drach. II. baccarum lauri numero XXXV. rutæ uiridis drach. VIII. mentæ uiridis drach. IIII. opij drachmam I. Aceto excipe & in pastillos redige. Vsu exigēte aceto & rosaceo dilutos illine

illine. Verum cerato rosaceo exceptum hoc pharmacum ut Malagma imponitur. Pastillus, Non solum Hemicrania laborantibus commodus, sed & coxendicū morbo affectis auxiliaris. Thapsiæ drach. III. euphorbij drach. IIII. laseris siue succi Medici drach. III. myrrhæ drach. I. opopanacis drach. I. Simul contusa in pastillos cogito, quos deinde usus tempore aceto tritos illinito. Hæc quidem cōposita sunt pharmaca. Sæpe uero & extempore ac improuiso pharmaca præparare coactus, simpliciter euphorbij illitione usus sum, modica cera compagis acquirendæ gratia adiecta. Sufficit autem in libram olei siue Sabini, siue alterius ei propinqui, ceræ quadrantem iniicere, & euphorbij unc. I. atque ex hoc dimidiam frontis partem illinere, unà cum temporis uidelicet musculo. Cæterum in quibus suspicionem habueris, à calidis uaporibus aut humoribus, dimidiæ capitis partis fieri dolorem, in his ne admoueris hoc pharmacum. His uero qui ob frigidas causas infestantur, commodissimum adeò est, ut sæpe semel ante balneum illitum, quàm citissime affectionem persanet, ut à balneo omnino sani ægri euadāt. Iuuat etiam hos si oleum tepidum in aurem instilletur, modico euphorbio ad oleum iniecto. Nimirum ad libram olei unam euphorbij uncia dimidia, si ualidum euphorbium existat. Si uero non, etiam amplius iniicere cōuenit. Verū in corporibus molli ac tenero sensu præditis, etiāsi minus quàm dimidiam unciam inieceris, melius res procedet.

Finis secundi Libri.

CAPITA TERTII LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECUNDUM locos Liber III. Iano Cornario Medico interprete.

De aurium affectionibus, & ob quot causas aures dolore affligantur. Cap. I



AVRIVM dolores aliqui ex frigiditate fiunt, quos sanè in peregrinationibus à frigidis uentis perflati habent. Aliqui uero ex balneis frigidis, & quibusdam medicatis aquis oboriuntur, in quibus quidam ob delicias lauant, quanquam sint qui & ob corporis commoditatem id faciant. Fiunt & auris dolores ex inflammatione, interdū quidem solius circa meatum cutis, interdum uero in profundum progressa, quando uidelicet neruus auditorius, ad inflammatā affectionem peruenit. Qua uero ratione inflamatio, partes inflāmatas distendens, dolorem producit, iuxta eundē modū etiā flatus uentosus, transitū nō habens, dolore excitat. At uero cōsimilis dolor est ex serosis & saniosis humoribus in corpore auriū generatis, ei qui ex mordaciū humorū illapsu forinsecus facto, contingit.

De dolore

De dolore auris ex frigiditate.

DOlores quidem igitur à sola frigiditate obortos calfacientia quàm celerrime curant: atq; in hunc usum quosdã rurales homines magnas cepas exsculpere uidi, deinde oleo eas explere, & in feruente cinere moderate calefacere, atq; ita auribus infundere. quosdam uero non cepas tantũ, sed & allium in oleo feruefacere atque ita infundere uidi. Ego uero euphorbio omnino modico, ad multũ uetus oleũ ammixto utor, uelut etiam pipere exquisitissime trito. Auriũ enim dolores à frigiditate inductos eiusmodi calefacientia magnopere iuuant. Prodest etiam Amaracinũ oleum eis infundi, & optimũ nardum. Et quod apud Romanos foliatũ itemq; quod Spicatum appellatur, prodest eis & Commagenum: atq; si rutam quoq; oleo non adstringenti ampliusq; tenuium partium incoxeris, uelut est Sabinum, magnopere iuueris. Quum uero ex aqua medicata quippiam circa auditorium meatũ contineatur, oleum assidue iufundere conuenit, quo ipsum eluamus, deinde lana molli extergere, rursusq; infundere. Magnifice autẽ eos mitigat oui cãdidum, quo etiam ad lippitudines utimur, itemq; lac muliebre. Manifestum uero est, quicquid adhibetur mediocriter calidũ esse oportere. Plurimum iuuantur quoq; ex adipe anserino, atq; item uulpino.

De dolore auris ex inflammatione oborto.

QVod si inflammatio adsit, optimum ad eam pharmacum ungentum nardinum cum modico basilico appellato pharmaco infunditur, Idem etiam tetrapharmacum appellatur, Et Commagenum quoq; aptum est, & ex adipibus pharmacum, cuius compositionem paulo pòst describam. Cogente uero dolore, necessarium est etiam his quæ sensum stupefaciũt uti, quemadmodum etiam in his qui colum, aut renes, aut quancunque tandem partem affecti, uehementi dolore affliguntur, facere consueuimus. Miscetur autem opium muliebri lacti & oui candido, quæ ipsa & per se sæpe aurium inflammationibus profuere. Miscetur & castorio opium, Verum multo ante usum tempore, siue pari pondere, siue duplo castorio ammisceatur, præparatum id esse cõuenit: & miscetur quidem in uehementissimis doloribus pari, in minoribus uero duplo: Liquor uero quo hæc diluuntur ex musto sapa sit. multo enim magis quàm dulcia uina, dolorem hæc sedat. Statim itaq; in principio prædicta pharmaca diligẽter trita cum sapa misceantur, castorium quidem diligenter prius tritum & leuigatum, papaueris uero succus ipsa sapa dissolutus, atq; ita hæc tria mixta probe leuigẽtur. Deinde uero usu postulante rursus sapa diluantur, in eiusmodi compagem, ut per aurifusoria specilla ad lucernam tepefacta infundi possint. Verũ ego nullum pharmacum dolore uexatis infundo, neq; etiam per lanã instillo, utpote qui experientia edoctus sim, quòd præstat neq; omnino cõtingere doloris tempore auditorium meatum: sed per auriculare specillum lana mollissima obuolutũ dolore uexatos foueo, pharmacumq; ita moderato tepore in aurifusorio specillo præparatũ inijcio, ut interrogato per nos ægro, num tepidũ ei uideatur, & num calidius ipsum ferre possit, ad tantã caliditatẽ procedam, ut nihil amplius offendat, Tinctũ itaq; in hoc modo preparato pharmaco specillum, ad principiũ meatus moderate imponito, & in altum defluere ex eo pharmacũ permittito, & postea iterũ iterumq; & sæpius tingito idemq; facito, nullo tempore intermisso. Palàm est autẽ quum hoc fit etiam foris omnino aliquid effluxurum esse, expleto nimirum toto auditorio meatu: hoc igitur quantũ possibile est moderate excipe, nec aurem contingas. Postquam uero probe foueris, meatum pharmaco expletũ finito, & mollem lanam forinsecus tum meatus osculo, tum uniuersæ auri imponito: atq; ubi rursus fomenta adhibere oportebit, incumbentem foris lanam leniter tollito: rur

fusq; similiter foueto, quãtum possibile fuerit diligenter cauens, ne aliquid aliud graue aurem cõtingat. Ad hoc uero præceptũ maxime animum aduertas, utpote quod omnium potissimum sit in aurium curatione. Fomenta uero fiant per ea quæ uelut dictum est, dolorem sedant, Quale est optimum Nardinum ungentum paucissimo in eo tetrapharmaco dissoluto, Deinde etiam Commagenũ & Susinum, & pretiosa diuitum muliercularum ungẽta, quę ipsæ spicata & foliata appellant. Sunt autem spissiora quàm ut infundi queant. Quapropter per nardinum ungentũ ea dissoluere oportet, & æstatis tempore, & si caloris sensus ægrũ circa inflammatã aurem infestet, per rosaceũ bonum: aut si hoc non adsit, amygdalinum. Memineris autem quod bonum semper rosaceum dico, in quo plurimæ rosæ maceratæ sunt: uerum oleum in quo hæ macerantur omphacinum sit, ex crudis oliuis & necdũ penitus maturis expressum, citra salis additionem præparatum. Imò neq; etiam aliud quicquam ad rosas conijciatur, quemadmodum illi faciũt qui spissamenta stymmata Græcis appellata addunt, quo uidelicet per multum tempus ipsum rosaceum odoratum permaneat.

De dolore auris ex flatu uentoso, aut crassis & uiscosis humoribus.

SI uero flatum ue tosum, aut crassum aliquem & uiscosum humorẽ, qui transitum non habeat, inclusum esse cõieceris, etiam ex pharmacis ab obturatione liberantibus quippiam ammisce, Artificiosa enim coniectura causarum huiusce modi doloris tibi continget, si tum prægressa, tum præsentia percunctatus fueris. frigiditate enim antegressa flatus uentosus congregatur: grauitate uero capitis, cibisq; pituitosis & mali succi, frigidi & crassi humores, His enim si frigiditas accedat, dolores contingunt, eis nimirum quæ prius difflabatur propter densitatem inclusis & retentis. In his igitur spuma nitri, & nitrũ ipsum molle, eiusmodiq; aphrolitrum, & oleum amygdalinũ appellatum rationabiliter in auricularia pharmaca miscentur. Ex hoc genere album item ac nigrum ueratrum est, & struthium, ac amygdalæ amaræ, & ex tribus aristolochijs quæcunq; fuerit ad manum, & iris illyrica, Injcies autem & cinnamomũ si habueris, aut casiam illo non præsente, tum eam quæ Zigeres, tum quæ Motodes appellatur. Item carpesiũ, quod plurimũ in Sida Pamphyliæ nascitur, & ob id uilissimo pretio uenditur. Quintus sanè quum cinamomi inopia esset, carpesium pro ipso iniecit duplo pondere, uelut aliqui eius loco cassiam exhibere solent. Cæterum aurium meatus ab obturatione liberant etiam quæ lapides in renibus atterunt, omniaq; insuper tenuiũ partium citra mordacitatem, ut ne dolorem exacerbent. Ex quorum numero est etiam cucumeris syluestris radix, itemq; bryoniæ & Ari, & dracunculi ac centaureæ & polij, & omnino omnium amarorum, Citra mordacitatem namq; & absq; molestia expurgãt hæc meatus, dissjeiuntq; & dissecant obturata. Verum ob id multa eiusmodi exempla scribo, quamuis sanè omnia in libris de simplicium pharmacorum facultatibus retulerim, quod uidelicet omnibus terræ locis remedijs uos abundare uolo, ut ipsorum memoriam in promptu habeatis. Alia enim in alijs regionibus abundant, & meliora his quæ alibi nascuntur existunt. Alioqui sanè ex adipibus compositum pharmacum tibi sufficiet, & ex simplicibus quæcunq; paulo antè recensui doloris mitigatiua. Mirari porrò subit medicos qui citra distinctionem ad aurium dolores pharmaca quędã conscripserunt, Quæ etenim à frigiditate dolent, per calfacientia celerrime curãtur: si uero à mordaci acredine, aut à pulsatili inflammatione dolor fiat, maximũ detrimentum continget, si eiusmodi pharmaca adhibeantur. Atqui moderatæ inflammationes & non pulsatiles, etiam per eiusmodi pharmaca curantur, Quale est acetum cum rosaceo tepefactum, utrisq; diligẽter simul commissis. Sic etiam

Glaucium

Glaucium in cote medica cum aceto tritum,breuibus inflammationis doloribus prodest. præstet autē pastillum ex glaucio multę sane utilitatis pharmacū, prius præparatū habere,qui fit ex glaucio probe cum aqua pluuiali trito, deinde in pastillum redacto & exiccato. Si uero fragilius uideatur glauciū quàm ut in pastillos formari possit,parum gūmi ei addes. Sufficit autem id duodecimā aut quintam & decimā glaucij partē esse. Quin & collyria ex glaucio eodē modo cum aceto trita,eis prosunt auribus instillata,atque his nihil minus collyria ex croco. Hæc quidem igitur sunt doloris & inflammationis remedia. Cæterum de alijs affectionibus quæ in auribus oboriūtur,ubi pharmaca quæ per experientiā cognoui recēsuero,ita deinde ad ea quæ à prioribus medicis scripta sunt transibo.

De ulceribus aurium.

Vlcera aurium recentia,tum glaucium solum cum aceto tritum, ut iam dictum est,curat, tum collyria ex eo omnia,& collyria ex croco,& ex rosis, medicis appellata,uelut etiam quod Nilo inscribitur. Curat item ea Damocratis collyrium ex myrrha. Quæ uero pure manant citra dolorē,atq; id moderate patiuntur,per eadem curantur: uerum quæ fortiter affliguntur,per eiusmodi qualis est pastillus Andronius,& pastillus Musę cum sapa & modico aceto dilutus, In quibus componēdis uarietas rursus dicetur. Vbi uero & hæc à malo uincantur,Scoria siue recremento ferri ad plurimos dies in sole cum acerrimo aceto trita & leuigata,confidenter utere. Etiam si præter rationē uideatur,aurē acerrima pharmaca sustinere posse,quā paulò ante dixi neq; mollissimorū infusorū admotionē & allapsum circa molestiā sustinere,sed & hęc ipsa offendere ipsam uideri.

De audiendi difficultate,& de sonitu aurium.

Restat itaq; adhuc de audiendi difficultate,& de sono aurium differere,quæ nihil cū doloribus & ulceribus commune habent. De quibus deinceps dicam, Vbi prius compositiones auriculares à celeberrimis medicis magnifice laudatas recensuero,iuxta quam rationem eas composuerint tandem illi, Initio ab ea quam Heras scripsit sumpto.

Compositio auricularis, Heræ.

Heras quidem igitur ita scripsit. Compositio auricularis ad omnem dolorem, omneq; ulcus,hac in febriente quodam usus sum,& ob dolores delyrante,& feliciter successit. Myrrhæ drach.I.thuris drach.III.alij.VII.spumæ nitri drach. III. croci drach. IIII. alij.I. succi papaueris drach. III. galbani drach. II. amygdalas amaras delibratas.XX.aceto excipito. Vsus uero tēpore, siquidem dolor adsit,rosaceo diluta instillato: si uero audiendi difficultas adsit, aceto. Heras itaq; unum hoc pharmacum scribere contentus fuit,ad omnem dolorem, ac aurium exulcerationem remedium. Ego uero dolores per pharmacum ex adipibus constans, & per nardinum ungentum tetrapharmaco ammixto leniri dico,unaq; & affectiones ipsas iuuari,uelut etiā oui candido, & lacte muliebri:per papaueris uero succum mitigari solum dolores, nihilq; iuuari affectiones: uerū per accidens,non primario etiam affectiones inde opem sentire quis dicere posset,Sedato enim dolore,& somno consequente,Natura affectiōnes dolorem efficientes concoquit. Cæterum ulcera in auribus omnino cum glaucio ex aceto curaui, Quemadmodum etiam quæ cum fluxione aut purulentia consistūt, per pastillos,à mitioribus auspicatus,qualis est polyidæ,& post eum Andronius, & ab illo Bithynus appellatus, cui similis est meus, hoc est,ex charta usta cōstans, & uelut ego iudico,eo etiam præstantior. Minime uero semper omniū usu opus habemus,sed sufficit omnino unus, si quis ipso uti norit, aliquando quidem per sapam diluto,siquidem mitius reddere pharmacum uelit,& rursus per uinū dulce,deinde

ce, deinde per acetū non acre, deinde etiam per acre, ac postremo per longe acerrimum. Quapropter quum per eiusmodi mixturam aliâs aliter parabilem, huiusce modi pharmaci uehementiam exoluere possis, fortissimū tantum præparatum habere poteris. Verum mirari rite, uelut dixi, licet plerosq; medicos, qui citra discrimen omnigena aurium doloris pharmaca cōscripserunt, eaq; cōmiscue runt in unum ordinem redacta quæ uel maxime cōtrarias habent uires. Quemadmodū statim (à ueteribus enim auspicari præstat) Apollonius Herophili sectator, in parabilium pharmacorum descriptione, in principio quidem libri, capitis doloris remedia scribens, primum omnium ea quæ ex ardore oborto conueniunt, locauit, deinde cōsequenter ea quæ dolori congruunt ex frigiditate. Deinde ea quæ ex ebrietate & meri potu oborto medentur, sic enim ipse appellauit. Quarto loco ea quæ plagæ aut casui dolores capitis inducētibus adhibenda sunt subiecit. Et postremū iuxta illius præscriptum, ea quæ ad temporū & totius capitis dolores citra manifestam causam obortos conducunt. Verum in auriū dolore nullam omnino apposuit distinctionem, sed simpliciter Ad aurium dolores titulo præscripto, deinceps pharmaca recenset, aliqua calefacientia, aliqua refrigerantia, quædam humectantia, quædam reficcantia, & iuxta secūdas facultates ac qualitates, austera, acerba, amara, acria, acida, salsa, & ad hęc insuper alia discu tientia, alia adstringentia & cogentia, ac repellentia influxiones, alia extrahentia è profundo corporis. Alia ab obturationibus liberāria, alia repugnantia & extergentia, alia sensum stupefacientia. Si quidem igitur una affectio dolorū est causa, rationabile est etiam unam esse remediorū ipsius facultatem. Si uero multæ, tantum remediorum numerum esse oportet, quātus est efficientium causarum. Quum itaq; Herophilus distinctiones in tantum, ut haud sciam si quis alius, lau detipseq; Apollonius capitis doloris pharmaca distincte scripserit: magis utiq; miror, quòd circa auriū dolores ita indiscriminatim omnia tractauit. Et quintū insuper pharmacorū genus penitus indistinctum reliquit, illud scilicet quod postremum ad capitis dolores citra manifestam causam obortos descripsit. Quanquam et huiusmodi capitis dolores necesse sit primum communibus generibus causarū dolores efficientium subiectos esse, solutioni uidelicet continuitatis, aut intemperiei, quemadmodum à nobis est demonstratum, deinde etiam his quæ has ipsas operantur. Quæ omnia à me proprio huic rei & tractationi loco sunt determinata: nunc autem eorū quæ ad aurium dolores pertinent solum mentionem faciam: quum omnium postrema uelut sæpe in methodi medendi libris dictum est, hæc tractatio existat. Etenim curādi methodos illic tradens, unum atq; alterum particulare exemplum apposui, multitudine pharmacorū quæ ex multis cōpono, in præsentem tractationem reiecta. Quare medendi methodum de simplicium pharmacorum facultate libri XI. meritò præcedunt: post hos uerò XIIII. de medendi methodo rite consequuntur, his demum de cōpositione pharmacorum libri, quos nunc in manibus habemus succedunt.

Quæ Apollonius ad aurium dolores scripsit.

QVod uero Apollonium deliquisse dixi, in eo quod non distinxerit in quali aurium dolore unumquodq; eorum quæ describit pharmacorū utile existat, ne falso uirum reprehendisse coarguar, ex paucis exemplis demonstrabo. Quū enim præscripsisset ut dixi, ad aurium dolorem infundenda, inter eaq; scripsisset, Anserinū aut gallinaceū adipem liquefactum sensim instilla. Rursus deinceps scribit, Fel taurinum aut caprinū cum porri succo instilla. Adeps quidem igitur horum quæ dixit animalium maxime mitigat omnes affectiones dolores inducētes, simulq; ipsarum aliquibus magnifice auxiliatur: fel uero ipsum cum

porro

porro, tum ex inflammatione, tum ex acribus & mordacibus humoribus obortos dolores auget. Solos autem iuuant ob obturationem, aut frigiditatem inductos, siue ob nudam intemperiem frigiditatis solidæ partes dolore uexentur, siue propterea quod in eiusmodi affectionibus uentosi flatus, & frigidi humores generentur: excerni autem prohibeantur, propter cōtinentis corporis cōdensationem, citra inflammationem factam. Vbi enim ab huiusmodi acribus & calidis pharmacis dolorum causæ fuerint exclusæ, curatio simul & doloris sedatio contingit. Gallinaceus itaq; & anserinus adeps si quidem euacuatum corpus inuenerint, & humorem qui inflammatam affectionem excitat, non amplius influentem, duabus rationibus tum mitigādi, tum curandi profuerint. Si uero influente adhuc causa adhibeantur, affectioni quidem nihil auxiliantur, leniunt tamen doloris accessionem siue symptoma, quemadmodum etiam si ob humorum acredinem mordacitas contingat. Verum fel cum porri succo nunquam in eiusmodi affectionibus quicquam commodum efficere potest. Quemadmodum neq; piper, & tamen eo etiam medicum quēdam usum scio, in muliercula ex calidarum naturę sponte aquarum usu, aurem dolente. Quum enim per omnia parabilium pharmacorum Apollonij libris fidem haberet, & iam ante feliciter sæpe ex pipere remedio usus esset, etiam tunc sperauit se in auris dolore opitulaturū: uerum adeò ab ipso exacerbata est muliercula, ut parum abesset quin seipsam strangularet. Scribit itaq; Apollonius in hunc modum: Piper in uino feruefactum terito, & mediocri crassitudine instillato. Scribit autem consequenter post hoc etiam hæc: Lycio & papaueris succo, pari pōdere lacte muliebri dilutis utere. Et post hoc rursum aliud hoc scilicet: Castorij & papaueris succi par pōdus in testa Attica aut, si haberi nequeat, Romana torrefacito, et trita passo diluta instillato. Pharmaca igitur ex papaueris succo omnia sensum stupefaciunt, & ob id sane necessario cogimur ipsis uti, ubi nullum aliud mitigatiuū opem tulit. At uero ex pipere pharmacum alterius generis est, Quemadmodum etiam quod ex adipibus constat. Et uelut id quod deinceps scriptū est hoc modo: Galbanum susino ungento diluito, & mel ac rosaceū ammisceto, atq; lanam sordidam auriculario specillo obuolutam in eis agitādo imbuito, & tepefacta instillato. Discussorium est citra molestiam hoc pharmacū, inflammationibus conducens in quas nihil amplius influit, probe etiam fecerit in his qui ex frigiditate dolore uexantur. Cæterum quæret fortassis aliquis quam ob causam, quum non solum Apollonius, sed alij etiam quidam celebres uiri papaueris succum & castorium torrefacere iusserint, quo uidelicet uehemētia uirium ipsorū minueretur, ego ad priorem meum sermonem id apponere reliqui, nimirum supra quum auris doloris curandi rationem scribebam. Huic ego respondebo in hunc modum. Castorium quidem igitur neq; omnino torreri operæpretium existimo: neq; enim tanquam sensus stupefactiuum ad papaueris succum ammiscemus, sed ob contrariam omnino rationem, ut uidelicet uehementiam refrigerandi facultatis in eo obtundat. Quare qui papaueris quidem succum torreri iubent non simpliciter id faciunt, In castorio uero omnino absurde id præcipiunt: ipsum enim per se cōcoctoriam ægre solubilium & in scirrhum induratarum affectionum uim habet. Sufficiens itaq; est etiam papaueris succi facultas, si ex eo quod eorum compositio diu ante præparata & iam inueterata sit, ipsius uires leniantur: torrefactus enim efficaciam perdit. Si uero castorio mixtus ad tempus aliquod inueterascet, manebit quidē adhuc in eo multa efficacia ipsius facultatis: malignitas uero ipsius extinguetur, ex qua etiam aliqui læduntur ut obscurius uideant per multos omnino dies, & capitis grauitatem sentiant, & neq; probe concoquant cibos: & ob hanc

sane eius malignitatē plerique medici ad torrefactionem cōfugerunt. Verū quum rursus in torrefaciēdo, efficacia ipsius pessundari uideatur, id quod sæpe sum expertus, melius esse existimaui intostū quidem misceri, sed post tempus aliquod, inueterata iam compositione, in usum adsumi. Hæc itaque extra rem dicta sunt, sed quæ tamen utilia existant. Cæterum ut ad id quod propositum erat reuertamur, non parum noxæ inferūt illi qui indefinitis pharmacorum descriptionibus fidem per omnia habent. Porrò multi alij iuxta eundem modum in plerisque tum locis, tum affectionibus, indefinita pharmaca scripserunt, neque cognouerūt quantam uim habeat certa distinctio ad artis constitutionem: in quibus sane nihil miror quod omnia indiscriminatim confuderunt, quemadmodum in Apollonio Herophili sectatore mihi accidit: utpote qui norit quod iubeat Herophilus, Medicum omnino anniti debere ut sciat, quæ & qualis, & quanta sit morbi causa, & ubi maxime ea dominetur, quo uidelicet & curationem unicuique conuenientem faciat. Magis uero adhuc Archigenem quis miretur, qui & ipse non pauca indefinite & indistincte scripsit, quum in alijs curationibus, tum in eis præsertim quæ ad aurium dolores destinauit. Vna enim tantum in ipsis distinctione usus est, à uehementia nimirum & mediocritate doloris. Atqui & ipsius totā tibi adscribam dictionem.

Quæ pharmaca Archigenes ad aurium dolores conscripsit.

IN priore de pharmacis secundum genus libro, Archigenes in hunc modum hæc uerba scripsit. In aurium dolore, præcedēte alia diæta quam ad capitis dolorem ordinauimus, Si quidem moderatus fuerit, simplicia ungēta tepida instilla, uelut crocinum, aut irinum, aut rosaceum, aut nucum amararum succū, aut cassiæ ungētum, aut simplicem nardum, aut susinum, aut amygdalinum, aut rosarum, aut mali punici, aut papaueris succum cum oleo calido, aut porri semen tritum. Aut ueratrum album cum rosaceo tritum, tepidum per strigilem infunde. Aut opij parū cum lacte muliebri. Aut opij succū eliquatū cū lacte eodem modo. At uero ubi uehemens sit dolor, Aluus per clysterem ualide subducatur, & sanguis à cubito detrahatur, & quæcunque similia adhibeantur. Indeque fomentum ex decocto lauri aut simili quopiam fiat, aut ex sulphure uiuo in aquam insperso. Exprimantur autem uehementer spongiæ, auribusque apponantur, facilime enim ab humore frigescunt: quapropter fomenta sicca longe commodiora eis existunt, ex sale uidelicet aut milio, aut simpliciter lana conuoluta, aut tenuibus mappis. Aut rutam feruefacito, eiusque decoctum in angusti oris uasculum transfundito, lanaque os eius obturato, & auriculæ admoueto, quo uapor inde per lanam ad aurem penetrare possit. Quidam in posca & modico oleo rutam coquunt, atque ita liquorem in uasculum infundunt, ex eoque fomentum parant. Post fomenta uero aurem scalpito, & balsamum cum rosaceo dilutum infundito, aut aliquod ex prædictis ungentis tepidum. Aut aliquod aliud conueniens ad auris dolorem, ex his quæ mox describentur imponito. Aut papaueris calicem tenuem farina ammixta, & in aqua mulsa coctū. Aut papaueris calicem tenuem cum ordeacea farina in uino coctum, Aut fœnum græcum aqua mulsa coctum. Aut semen lini eodem modo. Summe auxiliatur spongia oculatis melle cocto atque adhuc calido imbuta, & imposita. Aut ceratum ex irino, styrace ad ipsum ammixto. Egregie facit ad aurium dolorem aloe rosaceo permixta, & mellis crassitudine infusa. Aut chalcitis uino diluta. Aut perdicij succus tepidus instillatus per se, & cum melle. Aut nitrum modica aqua diluito, ammixtoque oleo tepidum instillato. Aut aristolochiæ radicem cum oleo. Aut ueratrum album cum rosaceo tritum tepidum per strigilem instillato. Probe facit

opium in testa torrefactum, similiterq; castorium, pari pondere, cum rosaceo & passo ad mellis spissitudinem redacta. In quibus deinde post fomentum, specillum lana obuolutum intingitur & imponitur. Aut succũ fœniculi cum aliquo ex prædictis ungentis in principio instilla. Aut anguis senectam cum calicibus papaueris coquito & infundito, aut cum quopiam ex prædictis ungentis. Aut garum hispanũ calefactum per strigilem instillato. Facit & acopon fœtidum tepidum infusum. Aut papaueris succus rosaceo, & modico crocino dilutus. Omnibus tamen præstat Hiera aromatica cum quopiam ex ungentis. Egregie facit & ueratrũ album tritum cum melle & rosaceo infusum, meatu per purpuræ lanam obturato. Præclare facit & ueratrum cum irino ungento. Facit & cedria cum nardino ungento infusa. Seuerus autem Asellos in aquarijs uasis nascentes: Millepedas Latini uocant, cum ungentis tritos ulceratis infundebat. Quidam uero frigidam aquam dolenti auriculæ infundũt, & confestim quidem longe magis dolitant, paulo post uero perfecte à dolore liberantur. Alij melius faciunt, & in alteram non dolentem aurem frigidam infundunt quemadmodum Lucius solet. Præclare faciunt & aloe & crocinum cum ungento amygdalino infusa. Aut æs tritum cum aceto & aliquo ungento. Summe prodest Silphiũ cum rosaceo, si exulceratio adsit. Mirabiliter confert in excellenti aurium dolore, porri succus, & caprina urina, & rosaceum, cum modica myrrha infusa. Aut Sciuri adeps in strigili tepefactus instillatus. Aut alumen scissum & mentæ succum cum passo instilla. Aut piper album & salem, pari pondere, cum sapa, sinistra manu, ter aut septies infunde. Aut cochleam siue limacam aphricanam putridam cõpungito, & rosaceo impleto, & feruefactum calidius per strigilem infundito. Quod si ex plaga, externa pars auriculæ doleat, ad micam thuris lac affundito, semelq; atque iterum diffundito, ac tertio macerari in eo sinito, & agitatum infundito: statim enim dolorem sedat. Hæc quidem Archigenes ualde indistincte scripsit, possit autem quispiam mente præditus, reuocatis in memoriam his quæ prius dixi, facile animo concipere quale tandem ex prædictis pharmacis, singulis relatis aurium doloribus cõueniat. Nimirũ si memor sit facultatis eorũ: de qua in simplicium pharmacorũ libris mentionem feci. Verum ego iam ad auriculares compositiones ab Andromacho scriptas transibo.

Auriculares compositiones Andromachi numero XXIIII.

Quatuor & uiginti cõpositiones auriculares ex ordine Andromachus cõscripsit, quarum aliquibus distinctionem quandam, aliquibus nullam apposuit. Et prima quidem ex eis hoc modo scripta est. Compositio auricularis ex libris Galli qua utor. Myrrhæ drach. I. salis drach. IIII. thuris drach. III. spumæ nitri drach. III. croci drach. IIII. succi papaueris drach. III. amygdalas amaras XX. galbani drach. II. aceti boni quantum satis est. Descriptio hæc ad Menemachum refertur. Multi usus hanc compositionem auricularem Andromachus scripsit, multis simul affectionibus aurium destinatam. Verũ antea à me dictum quod huiusmodi compositiones nihil magnopere corrigunt, neq; etiam error ex earum usu nobis contingit. Quæ uero uni affectioni congruunt, illam ipsam optime curant, alias uero aliquando, ultra hoc quod nihil iuuant, amplius etiam exacerbant. Secundam deinceps compositionem post prædictam scripsit hanc. Cõpositio auricularis Aelij Galli ad inflammationem, & intensos dolores. Galbani drach. VIII. cinnamomi drach. II. myrrhæ drach. VIII. croci drach. VIII. thuris drach. III. spumæ nitri drach. III. succi papaueris drach. III. aceti ut mellis accipiat spissitudinem. Oportet autem nitro prius præparare ne pingue quicquam adsit, deinde pharmacũ ipsum infundere. Et hic rur

ſus ab obturatione liberātia, & cōcoctoria, & laxatoria & diſcuſſoria pharmacā mixta ſunt, quæ uehementes dolores ſanare nō poſſunt, & ob hoc ipſis papaueris ſuccus ammixtus eſt. Tertiam auricularem huiuſmodi conſcripſit. Auricularis cōpoſitio Laodici regis, qua aſſidue utor. Caſtorij drach. II. ſucci papaueris drach. IIII. opopanacis drach. II. ſpumę lycij drach. I. paſſo excipe, et tepe factis utere. Hæc euidēter intenſis doloribus conuenit, non tamen alijs affectionibus. Ego uero quemadmodum dixi, in unaquaq; affectione proprio pharmaco utor, ſemperq; papaueris ſuccum fugio, neque niſi urgēte neceſſitate, ad eius uſum peruenio. Quartā deinceps auricularem ſic ſcripſit. Alia ad inflammationem & purulentas ac ueteres affectiones. Fabæ Aegyptiæ internæ amaræ, aluminis ſciſſi, piperis albi, ſpumæ nitri, croci, opij, malicorij, myrrhæ, thuris, nardi, ſingulorum drach. II. caſtorij drach. I. aceti & mellis quantum ſufficit. Alij mellis drach. VI. conijciunt. In hac compoſitione, pharmaca alia diſcuſſoria, & reſiccantia, & obturatione liberantia ſunt, & quædā etiam concoctoria, uelut myrrha & thus exiſtūt. Alumen autem ſciſſile fortiter adſtringens pharmacum, ad reſiccandum purulenta ammixtum eſt. Adiectum eſt & opium doloris ſedandi gratia, oppoſitumq; eſt ei caſtorium uelut antea dixi. Sed in eiuſmodi affectionibus non ſolum ut oppoſitum, ſed & ut concoctorium earum, & tanquam reſiccatiuum meritò inijcitur. Quintam deinde auricularem Andromachus ſcripſit his uerbis. Alia Xenocratis qua ſæpe uſus ſum. Spumæ lycij drach. II. myrrhæ drach. I. thuris drach. I. aluminis ſciſſi obolos III. ſpumæ nitri obolos II. trita cum aceto reponito. Vtere cum aceto. Et hæc multi uſus eſt, non tamen in dolore forti conuenit, ut quæ neque opium neq; caſtorium habeat, neq; quippiam ex adipibus ſedātibus dolorē, neq; galbanū. Sexta cōpoſitio auricularis cōſequenter hac uerborū ſerie ſcripta eſt. Alia Prytanidis cō cordat cū Harpali compoſitione. Myrrhę obolos III. nardi obolos III. croci obol. III. æris uſti obolos V. opij obol. II. caſtorij obol. IIII. aluminis ſciſſi drach. I. & rotūdi drach. I. Excipe paſſo ubi fluxus fuerit, quū dolor roſaceo. Vbi uero uermiculi generentur, ueratri nigri drach. II. ammiſceto. Probe fecit quòd in fine uſum eius adiecit, quem nos ſanè dixiſſemus, ſi ipſe adſcribere neglexiſſet. Septima ſimilis præſcriptæ, in hunc modum deſcripta eſt. Alia Vgæi compoſitioni conſona. Veratri nigri obol. II. myrrhæ obolū I. & dimidiū. opij obol. III. æris uſti, obolos IIII. aluminis ſciſſi obolos II. caſtorij obolū I. croci obolos IIII. cum paſſo utere. Octaua præſcriptis omnino ſimilis eſt. De nona uero hoc modo ipſe ſcripſit. Alia qua utor in doloris uexatione & ſonitu. Nitri drach. I. myrrhæ drach. I. roſacei cyathū I. aceti cyath. I. ſimul tritis utere. Hoc pharmacū non ad dolorem in inflammatione cōuenit, ſed ad eos dolores qui ex obturatione, & flatu frigido ac uaporoſo, ſimiliterq; ex humore oboriuntur. Decimā deinde hoc modo ſcripſit. Ad aures purulentas Harpocrationis. Florū mali punici, malicorij, ariſtolochiæ, chalcitidis, miſyos cyprij, gallę, ſquamæ æris, ſingulorum drach. I. myrrhæ, thuris, utriuſq; obolos III. atramenti ſutorij aſſati, aluminis ſciſſilis, utriuſq; obol. III. cum paſſo paſtillos formato ac utitor. Quod ſi etiam ipſe pharmaci promiſſionem non præſcripſiſſet, facillimū tamen erat nobis eam animo aſſequi, memoria repetētibus ea quæ in principio præfatus ſum. Eſt enim aurium purulentarū reſiccatiuū hoc pharmacum quod ipſum malū ex fluxione quapiā ex capite delabēte cōtingit, ob quā etiā exulcerationes diuturnas accidere uidemus. Vndecimā auricularē ſic ſcripſit. Auricularis cōpoſitio in mulns cōſona. Croci drach. I. myrrhę drach. I. caſtorij drach. II. aluminis ſciſſi drach. IIII. thuris drach. I. cū paſſo ad mellis craſſitudinē redigito, deinde etiā ſic dilutis utitor.

Et hæc

Et hæc moderatas affectiones sanat, quemadmodũ etiam ea quæ hanc sequitur. Cæterum quæ deinceps post hanc ab Andromacho adscriptæ sunt auriculares compositiones, eas citra meam expositionem adscribam, quum ipsas per se cognoscere possint, qui prædicta memoria tenent. Verum quarum ipse cum distinctione fecit descriptionem, earum nulla amplius nostra interpretatione opus habet. Deinceps igitur omnes describentur, Ne uidelicet amplius alicuius alterius auricularis compositionis, ab aliquo alio medico conscriptæ, mentionem facere opus habeam, In his enim uarietas omnium ipsarum comprehensa est. Auricularis ut Solon diætarius. Myrrhæ drach. IIII. aluminis scissi drach. IIII. castorij drach. II. thuris drach. I. croci drach. I. opij drach. I. cũ cretico aut uino mulso ad mellis crassitudinem redige. Auricularis compositio Antipatri ad dolores uexationes. Croci sextantem, alij unc. I. myrrhæ unc. I. salis ammoniaci unc. I. aluminis scissi, ammoniaci thymiamatis, utriusq; unciæ dimidiũ, fecis unguenti irini aut Syriaci sextantẽ, cum uino mulso aut cretico ad mellis tenuis spissitudinem redige ac utere. Auricularis alia ualde commoda. Opopanacis drach. II. succi papaueris drach. IIII. spumæ lycij drach. IIII. castorij drach. II. aluminis scissilis obolos III. croci obolos III. myrrhæ drach. I. Vsus eius est cum lacte muliebri. Ad aures purulentas cõpositio Spendusæ. Fellis porci castrati partes II. mellis Attici partẽ I. Vase uitreo simul indita in feruido cinere usque ad dimidiũ calfacito, atq; ita utitor. Auricularis Harpocratis ad affectiones & dolores. Spicæ nardi drach. VI. myrrhę drach. VI. piperis drach. VI. spumę nitri drach. VI. floris salis drach. VI. croci drach. XII. nuces amaras X. succi papaueris drach. XII. uini ueteris quantũ sufficit, stanneo uasi pharmacũ infundito. Ad grauitatem auditus & sonitus. Veratri albi drach. I. castorij obolum I. spumæ nitri sesquiobolum, cum aceto optimo utere. Alia. Struthij drach. I. croci cilicij drach. I. castorij drach. I. ueratri albi drach. IIII. nitri drach. I. redigito in pastillos, & usu expetente uino dilutis utere. Ad aures purulentas. Alumen ustum & myrrham cum melle terito, & prælota auricula pharmacum lana exceptum imponito. Auricularis Chrysanthi Gratiani, ad inflammationes & exulcerationes. Blattas detractis pennis XII. uini ueteris & mellis utriusq; sexuncem, mali punici putamen unũ, succi porri sesquicyathum. In olla noua donec mali punici putamen flaccidũ fiat coquito, deinde terito, & unguenti Syriaci unc. unam adijcito, picis liquidæ sesquiunciam, ceparum IIII. succum expressum, & contrita simul reponito: usu uero expetente tepefacta lana excepta indito. Auricularis compositio ad inflammata & purulenta. Nardi indicæ drach. I. aluminis scissi drach. II. opij drach. IIII. malicorij drach. IIII. croci drach. III. myrrhæ drach. IIII. thuris drach. IIII. mellis attici drach. IIII. spumæ nitri drach. IIII. castorij drach. II. amygdalarum amararum drach. VIII. piperis albi grana XXX. aceti cyath. I. urinæ suis syluestris tantundem, fabæ Aegyptiæ uiridis internę amaræ drach. IIII trita simul in stanneo uase reponito. Vsus tempore cum rosaceo instillato, & lanæ purpura infectæ tomentum indito. Auricularis ad desperata uelut Zoilus ophthalmicus tradidit. Seminis hyoscyami obolos III. aluminis scissi oboli dimidium, myrrhæ drach. I. castorij obolos III. succi papaueris obolos III. gallæ obolos III. croci obolos IIII. cinamomi obolos IIII. thuris obol. II. spumæ nitri obol. II. sandarachæ obol. II. uini recentis cochlearia III. urinæ suis feræ masculæ cochlearia tria, sanguinis conchylij obol. III. succi mãdragoræ obol. I. mellis Attici quãtũ sufficit. cõchylio aurẽ obturato. Auricularis alia ad inflãmata & purulenta mirabilis. Rutæ obol. III. myrrhæ obol. III. succi hyoscyami drach. I. opij drach. I. croci drach. I. Cum lacte muliebri utere

utere & tepidum infunde. Auricularis compositio ualde bona & probata ex Apollonij libris. Myrrhæ drach. II. thuris drach. II. nucũ amararũ drach. I. spumæ nitri drach. II. aluminis scissilis drach. I. malicorij drach, unã. spicæ nardi drach. II. aloes drach. III. uini mulsi ueteris cyath. III. Arida trita uino mulso amisce, & cocta in stanneo uase repone, usu uero exigente tepido utere.

Compositiones auriculares ab Asclepiade in primo externorum scriptæ.

AVriculares compositiones ad dolores aurium recẽtes, quibus Niceratus usus est. Inter eas optima hæc est, Asellorum domesticorum, Est autem animal multipes in aquarijs uasis & sterquilinijs enascẽs, quod ad digitorũ contactum in orbem se contrahit, horum tres aut quatuor in oleo feruefacito, & expressum oleum auribus infundito. Facit & cucurbitæ succus cum rosaceo, aut nardino mixtus & tepefactus. Et perdicij herbæ succus cũ oleo coctus. Et centaureæ succus aqua multa dilutus. Et hyoscyami succus rosaceo mixtus. Facit & papaueris succi parum lacte muliebri dissolutum. Et serosus cruor qui à carnibus bubulis dum torrentur destillat. Has itaq; crudas recentes prunis imponere oportet, & crudas adhuc exprimere, & expressum liquorem calidum infundere. Facit etiam nucum putrefactarum internarum liquor, aceto dilutus addito rosaceo. Facit & Aphricana limaca in propria testa, cum oleo nardino aut rosaceo feruefacta. Facit & suis quæ nõ peperit fel, pari melle Attico ammixtũ. Aliud, Succi papaueris, castorij, utriusque obolos II. passo diluito, & modico rosaceo adiecto tepida infundito. Aliud, Succi papaueris & succi peucedani æquales partes dissolutas infundito.

Ad inflammationes cum exulceratione Charixeni.

MYrrhę, opij, castorij, singulorum æquales partes, passo dilutas tepidas infunde. Aliud, Hyoscyami succi, succi papaueris, myrrhæ, castorij, singulorum drach. IIII. piperis drach. I. passi protropi quantum satis est. Ad siccas non humentes ulcerationes. Optime conuenit & in pesso appositum. Oesypi drach. IIII. medullæ ceruinæ drach. IIII. butyri drach. IIII. adipis anserini drach. IIII. ceræ tyrrhenicæ drach. IIII. terebinthinæ drach. I. olei cicini cyath. II. olei amygdalini cyath. II. olei cyprini cyath. II. pissélæi cyath. I. Componito & utitor quantum sufficit oleo nardino diluto, & ad mellis crassitudinem redacto. Aliud ualde commodum & ad neruorum affectiones. Olei cyprini cyath. II. irini, rosacei, amygdalini, olei ueteris singulorum cyath. II. pissélæi cyath. II. ceræ sextantem, terebinthinæ unc. I. adipis anserini unc. unam. componito & utitor. Aliud ad abscessus in profundo, Antonij Musæ. Croci drachmas II. myrrhæ drach. II. bdellij drach. III. nucum amararum drach. VIII. succi marrubij, heminæ dimidium. passi protropi, heminæ dimidium. Liquores coquito, & ammixtis reliquis reponito. Vtere in passo dissoluens quantũ sufficit. Aliud, Croci, myrrhæ, castorij, centaureæ, singulorum drach. II. spumæ nitri drach. I. amygdalarum amararum depuratarum drach. VIII. succi helxines sesquisextarium. passi protropi sesquisextarium. Componito ac utitor ut dictum est. Aliud,

Ad inflammationes cum fluxu, quo usus est Cleon.

Myrrhæ, aloes, thuris, succi papaueris singulorũ drach. II. Misios crudi drach. I. aceto excipe, & usu expetente passo diluta infunde. Aliud Arij Tarsensis Myrrhæ drach. IIII. thuris drach. IIII. Misyos crudi drach. II. lycij indici drach. IIII. aceto excipe. Vsus iam indicatus est. Quod si multus fluxus oboriatur subscriptis cõpositionibus utendum est, croci, thuris, myrrhæ, opij, seminis uiticis, singulorum drachmam unam. lycij indici, florum mali punici, florum rosarum singulorum drach. II. aceti heminam unam. Viticis semen, mali punici flores,

rosarum

rosarũ flores, in aceto coquito, & ubi dissoluta fuerint reliquis adiicito, & excepta reponito. Vsus tẽpore passo diluta infundito. Aliud ad purulentas aures cum dolore, quo usus est Cimon. Castorij drach. II. aluminis scissi, croci, myrrhæ, thuris singulorũ drach. I. passo aut uino Myrtite excipe, ac utere ad recens malum cum uino mulso, ad inueteratum cum aceto. Aliud Claudij Damonici ad purulenta & inueteratas affectiones. Croci drach. III. myrrhæ drach. I. nuces amaras depuratas numero XXX. spumæ nitri, nardi syriacæ, aluminis scissi, singulorum drach. I. thuris obolos III. Aceto acerrimo excipiũtur, & per acetum diluuntur.

Ad fœtorem & nomen siue ulcus depascendo proserpens, compositio Hispanorum appellata. Gari nigri quod Romani Sociorũ appellant, sexta. I. aceti scillitici sextarium I. mellis Attici sesquisextarium. Ad compagem coquito, & in uitreo uase repositis utitor. In alijs descriptionibus sic legere est. Succi cucurbitæ sextarium I. componito. facit ad fœtorem cum inflammatione.

Charixeni ad corruptiones & fœtores. Aluminis Melij drach. VIII. atramenti sutorij drach. VIII. aloes drach. VIII. crocomagmatis drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. uini myrtitæ sextariũ dimidium. Alumen & uinum ipsum coquito, atq; ubi in cõpagem coierint, reliqua aceto dissoluta iniicito, & repositis utitor.

Ad carnium incrementum, quo usus est Heraclides Tarentinus.

Aeruginis rasæ drach. VIII. squamæ æris drach. VIII. In alio exemplari drach. IIII. mellis heminæ dimidium. Arida trita ac melle excepta donec rubefiant coquito, & ablatis utitor. Aliud, Aeruginis drach. IIII. atramenti sutorij drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. succi marrubij cyath. III. mellis quantum sufficit, præpara ut dictum est. Chalcedonia ad inueteratas affectiones.

Veratri albi drach. IIII. croci drach. IIII. myrrhę drach. IIII. castorij drach. IIII. thuris drach. IIII. opij drach. IIII. atramenti sutorij drach. XVI. piperis drach. II. myrrham, opium, thus, castorium, in aceto cui malicoriũ incoctum est, usq; ad dissolutionem macerato, deinde ueratrum, crocum, piper, atramentum sutorium, contusa iniicito, atq; omnia simul diligenter terito: quod ubi probe factum fuerit, uini mulsi quantum satis est affundito, ut ad diluti mellis crassitudinem redigatur. Vsu uero expetẽte tepefacta infundito. Ex huius pharmaci usu sæpe egregie mihi successit, uerũ tẽporis progressu omphacij drach. I. ad hãc descriptionẽ adieci.

Aegyptia ad easdem affectiones etiam si sint connatæ.

Amygdalarum amararum depuratarum drach. II. fabarum ægyptiarũ interioris partis amaræ, piperis albi, croci, myrrhę, opij, singulorum drachmas II. thuris drach. II. omphacij drach. IIII. aluminis scissi drach. IIII. castorij drach. II. atramenti sutorij drach. IIII. spumæ nitri drach. II. Aceto in quo malicorium incoctum est excepta, ad limi crassitudinem redigito. Vsus uero tempore quantum suffecerit ex pharmaco acceptum, ac nardino ungento dissolutum infundito. Ad sanguinis ex auribus eruptiones. Heraclidæ Tarentini, facit ut ne in grumos coeat. Marrubij succum coquito & ammixto aceto infundito. Aut mali punici in aceto cocti succum exprimito & infundito. Aut polygoni succum cum modico aceto. Aut acaciam, aut amurcam, aut lyciũ cum aceto. Aliud Botryos sistit sanguinis eruptiones. Succum rubi, & succum gallarum in aceto coctarum, simul mixtos infundito.

Quæ pharmaca Archigenes post prius scripta subiecerit.

PHarmaca ad aurium dolores ab Archigene scripta suprà relata sunt. Nunc uero etiam ea quæ ad alias affectiones cõscripsit apponam. Humentibus uero polygoni succum cum pari rosarum succo infundito. Aut crocum & myrrham

rham cum passo & rosaceo tepefacta infundito. Purulentis autem prodest quidem polygonum cum rosaceo infusum, Verũ egregie cõuenit eis uinum, in quo conizæ tenuia folia habentis folia sint incocta, instillatum. Quidam etiam thus ad uinum ammiscent. Aut lycium rosaceo dilutũ instillato. Aut marrubij syluestris semen cum aceto & rosaceo eodem modo. Aut cumini & croci æquale pondus cum uino austero. Aut croci & myrrhæ utriusq; drach. II. nuces amaras decorticatas numero XXXV. nuces tritas cum mellis hemina dimidia, & porri succi hemina dimidia commisceto, & reliqua item probe trita ijsdem liquoribus diluito, ac simul deinde contrita instillato.

De auribus exulceratis.

CAeterũ exulceratis auribus & cruẽtis ac dolentibus, galbanum & opium cum passo & rosaceo, mellis crassitudine instilla, aut pro galbano peucedani succum ammisce, & magis succedet. Aut spodium assatum cum rosaceo tritum infundito. Aut lyciũ cum lacte muliebri. Magnifice opitulatur etiã ipsum mel per se tepidum infusum, præsertim si fœtores simul adsint. Quidam asellos Millepedas appellatos, qui in aquarijs uasis reperiũtur, cum ungento quopiam instillant, & eximie opem sentiũt. Aut blattas domesticas cũ rosaceo instillato. Probe facit ad omnem auris affectionẽ, adeps uulpinus inueteratus liquatus & instillatus. Aut sphondylij interiorẽ uelut medullam cum melle & rosaceo infunde. Aut elota & conscalpta auricula porri aut marrubij succum cum melle infunde. Aut lixiuium figularium cum melle feruefactũ. Aut thus cum aceto in mali punici putamine feruefactum infunde. Aut gallam tritam linteolo illigatam in uino coquito, & ex hoc instillato, statim à dolore liberat.

De uermibus aurium.

POrrò in quibus uermes sunt, ueratrum album cum melle immitte, aut aridum insuffla, aut rubi succũ infunde. Quod si uero auriculæ os corrosum sit, fissura retro aurem impacta, ipsum scalpito, deinde urito, ac citra molestiam cicatricem inducito.

De sonitu in auribus.

SOnitus quidam ex flatuoso spiritu generantur, Quidam ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem fiunt, quemadmodum in oculis imaginariæ suffusiones, propter uapores ex ore uentris exhalantes. Cæterum neutrius affectionis certa cognitio in principio haberi potest, Nõ cõuenit tamen citra artem, aut cognitionem, aut curationem auspicari. Dictũ enim iam sæpe est atq; etiam demonstratum, non unum coniecturalis spei genus esse: atq; artificialem quandam coniecturam ex causis forinsecus lacessentibus, procatarcticis à Græcis appellatis, facere licet, si quis ipsarũ uires norit, quũ alia affectio ex frigiditate, alia ex ardore fiat. Quemadmodum etiam ex prægressa plaga, aut tali uel tali morbo: uelut & ex cruditate, aut largo uini potu, aut uiolento & multo uomitu: aliquando & ob pharmacorũ auricularium usum, sonitus quidam fiunt. Quin & si uel paulatim congregetur, uel coaceruatim irruat sonitus, idipsum quoq; ad inuentionẽ affectionis conducit. Insuperq; si per interualla repetat, uel continenter hoc symptoma perseueret. Verum certa cognitio tempore contingit, post usum pharmacorum artificiali coniectura exhibitorum. Si quidem igitur in febribus sonitus fiant, minime interturbandi sunt: ut plurimum enim statim sedantur. Si uero ob flatũ uentosum, cui transitus interclusus sit, sonitus fieri suspicatus quispiã fuerit, & ob hanc rem diffecatibus & attenuatorijs ac discussorijs pharmacis admotis, nihil profecerit, simulq; apophlegmatismis usus sit, & toto capiti prospexerit: huic merito in hanc suspitionem inclinatus animus erit, sensus audiendi uidelicet

licet subtilitatē sonitus causam esse, præsertim si acuto audiendi sensu æger præditus appareat. In eiusmodi itaq; quendam, qui prædictis pharmacis usus erat, neq; quicquam opis senserat, quum ego forte incidissem, ex stupefacientibus sensum quippiam ammiscui, uelut est mandragoræ succus, & papaueris succus, ex eisq; à sonitus symptomate liber euasit. Quæ igitur à prioribus medicis ad huiusmodi symptomata & accessoria mala cōscriptæ sunt auriculares compositiones ex discussorijs & incidentibus pharmacis constant. Suprà itaq; in Catalogo & enumeratione cōpositionum auricularium ab Andromacho descriptarū, ex eiusmodi materia composita quædam recensebantur, quas ipse ad sonitus cōuenire scripsit. Nunc uero eas quas Archigenes ad hanc rem cōscripsit recensebo.

Compositiones ab Archigene ad sonitus conscriptæ.

IN sonitibus repentinis acetum cum rosaceo instilla. Aut cuminū & oleum crassitudine mellis. Aut radicis cucumeris sylueſtris succum. Aut ipsam radicem oleo incoctam. Si uero ad multum tempus perseuerent, omnibus amaris & acribus, attenuatorijsq; & discussorijs, quæ ad dolorem ex crassis humoribus obortū descripta sunt, utaris, singulis in aceto coctis & admixto melle. Aut reclinato ægro, & nitro crudo trito in aurem insperso, acre acetū tepidum infunde, ac postquam feruere desierit, lana scalpēdo exterge, & nucum amararū succum infunde, & lana obtura. Aut nitrū & myrrham probe unita, cum rosaceo & aceto, ac atramēto scriptorio crassō instilla, aut penna in eis immersa bis in die inde. Aut castorio ac nardino pari mensura cum aceto & rosaceo utere. Aut aceto ac nitro melleq; mixtis collue. Cæterum quibus ob multam sensus subtilitatem sonitus oboriūtur, castorium & cicutæ semen cum aceto trita instilla. Ex morbo uero obortis sonitibus, ubi fomentum ex decoctione absynthij adhibueris, acetum & rosaceū instilla. Aut raphani succū cum rosaceo, aut aloen optimam cum uino mulso dilutam. Si uero perdurēt, ueratrum nigrum aceto decoctum adhibe. Huiusmodi quidem Archigenes ad sonitus auriū conscripsit: uerum Apollonius in primo parabilium subscripta habet.

Quæ Apollonius ad sonitus & susurros sibilosq; ac inflationes aurium conscripsit.

ACetum acre tepidum instilla. Mel Atticum calidū instilla. Laurinū oleum eodem modo. Porri succum cum lacte muliebri aut rosaceo infunde. Cucumeris sylueſtris foliorum aut fructus succum per linteolum instilla. Cucurbitæ sylueſtris medullam oleo dilutam infunde. Cuminum tritum cum medulla uitulina instilla. Cucumeris sylueſtris medullam oleo dilutam infunde. Glandem ungentariam terito, & adipe anserino ac resina pari mesura ammixtis instillato. Semen lini tritum & ungento Arabico dilutum instilla. Misy terito & ungento rosaceo dilutum instillato. Rutam & cuminum pari mensura trita & aceto diluta, ammixto melle infunde. Hyssopum tritam & cedrino oleo dilutam instilla. Amygdalarū amararum oleum melle mixtum eodem modo. Quod si efficacius reddere uelis hoc cum priore committito. Viticem & stellionis caput pari ponderetrita ammixto oleo instilla. Nitrum & resinam & adipem anserinū, æquis partibus cum oleo ammixto dissoluta instilla. Cepas & allium & adipem anserinum pari mensura trita & excolata infunde. Et aqua collutis prius calida, nitrum tritum insuffla.

Ad aures exulceratas & purulentas eiusdem.

PRimum quidem collutiones Apollonius scripsit. Secūdum deinde locum infusilia habent. Tertium resiccatoria, & quartum quæ insufflantur, iuxta subscriptam ipsius dictionē. Aqua calida assidue collue, Lenticulæ decocto eo-

dem modo. Aqua mulſa calida ſimiliter. Hederæ cremore aut decocto cum uſu utitor. Malicorij cremore aut decocto ſimiliter cũ uino. Gallæ plenæ decocto cum uino. Myrto in uino decocta elue. Vino cum modico alumine trito utere. Stœbes ſemine in uino cocto elue. Vrina et uino mixtis ac calfactis elue. Infuſilia: picis ſerum infunde. Oleæ folia exſuccato, & ammixto melle coquito ac utitor. Papaueris ſuccum paſſo dilutũ inſtilla. Ceparũ ſucco cum melle utere. Rutæ ſylueſtris ſuccum, cum uino & oleo roſaceo in mali punici putamine calfactis inſtilla. Cardamomũ tritum cum melle inſtilla. Peucedani ſuccum roſaceo dilutũ inſtilla. Aloen & crocomagma diluta inſtilla. Abſinthio cũ melle trito utere. Myrrham & reſinam a canſerinum adipem cum oleo trita infunde. Pinguitudinem caſeo in figulinum uas recens coacto ſuperſtantem tepefactam inſtillato. Diphryges tritum cum melle inſtillato. Alumẽ ſciſſum tritum cum paſſo & aceto, ad mellis craſſitiẽ coquito, ac utitor. Reſiccatoria. Cedriam melle mixtam inſtilla. Piperis albi grana tria ungento Aegyptio diluta, & in parua concha trita inſtilla. Crocum & ceruſam pari menſura trita, & roſaceo diluta infunde. Melanthiũ & ſulfur pari pondere terito & roſaceo diluito, & ungento irino, adipeq́ anſerino pari menſura additis rurſus terito ac utitor. Myrrham & ſulfur æquis partibus, trita & oleo mixta inſtillato. Myrrham & putamẽ mali punici dulcis, æquis partibus, trita ac melle diluta infundito. Animalcula ex arboribus, ueluti rubri uermes, trita & oleo diluta inſtilla. Animalculum quod Inteſtinum terræ appellatur, coctum & excolatum inſtilla. Reſinam & mel ac oleum pari menſura mixta ac diſſoluta inſtilla. Malum punicũ dulce accipito, & execto eius umbilico acinos eijcito, deinde paſſi cyathum unũ infundito, & atramenti ſutorij triti obolos duos infarcito, & ad mediocrem craſſitudinẽ coquendo redigito, ac tepido utitor. Quæ inſufflantur. Gallam tritam inſuffla. Piper rotundũ cum uino contritũ inſperge. Eodem etiam magis diluto pro infuſili utendum eſt. Omphaciũ & gallam torrefactã æquis partibus trita inſuffla. Vtendum etiam deambulationibus, & uētris euacuationibus, & ciborum ſubtractione, & purgatione auriũ diligentiore. Ad aures humectas. Cæterũ ad aures humore madidas, ita enim Apollonius appellat, ſubſcripta pharmaca commoda exiſtũt. Miſy linteolo illigatum urito, & cum ipſo tritum inſufflato. Galla uſta ac trita ſimiliter utitor. Spodio trito eodem modo. Alumen in teſta torrefactum & affuſo oleo tritum inſufflato. Cæterum eadem diligentia circa diætam utitor.

Ad auditus grauitatem.

POrrò in ſubſurdis, ſiue grauiter & difficulter audientibus, aut etiam ſurdaſtris appellatis, utpote qui exiguas uoces penitus nõ audiunt, magnas aũt uix percipiũt, hoc ipſum ſymptoma ualde ſuſpectum habere oportet: paulatim enim augeſcens temporis progreſſu perfectam ſurditatem inducit. Quapropter per hieram purgãdi ſunt, et per catapotia ex colocynthide, pituitaq́ eis per apophlegmatiſmos detrahenda, ac caput reſiccandũ eſt, omniq́ modo curandum ut robur ei addatur, quemadmodum iam ſæpe eſt demõſtratum. Vtendũ etiam attenuatoria diæta. Atq́ in ipſam auriculã pharmaca conijcienda ſunt, quæ craſſos & uiſcoſos humores ſcindunt ac diducunt. Quorum ſylua eiuſmodi eſt.

Quæ Apollonius in primo parabilium ad auditus grauitatem pharmaca conſcripſit, in hæc uerba.

AD auditus grauitatem repẽtinam, & ex dolore capitis obortã, Abſinthiũ cum aqua decoquito, & per ſtipulã fomentũ inde facito, quo modo aliâs per arundinem id fieri demonſtrauimus. Baccis lauri aut folijs eiuſdẽ in aqua decoctis

decoctis similiter utitor. Similiter etiã origano, atq; item hyssopo. Aqua quoq; marina & aceto eodem modo. Eisdem autem & in olla coctis utendum est, fomẽtum uero per ollam quomodo fiat iam demonstratũ est. Aceto albo & aqua pari mensura cum nitro trito feruefactis, ad plures dies eluito, atq; inde aqua simplici calida eluito, & sic ea quæ ad hanc rem descripta sunt infundito. Marrubij succum & irinum ungentum mixta instillato. Fel tauri & capræ ac ungentum rosaceum mixta instillato. Ceparum succo & resina oleo dilutis æqualiter utitor. Oleo nucum & resina mixtis pariter utitor. Alumen aceto dilutum instillato. Myrrham & alumen pari pondere trita & aceto diluta infundito. Adipem anserinũ & fel bouis, ac laurinũ pari mensura mixta instillato. Hederæ syluestris baccarum succum per linteolum expressum instillato. Veratrũ nigrum aceto tritum, melleq; multum cocto exceptũ, in parua collyria ad formam glandis redigito, eaq; meatui indito, ac per dies quinq; sinito. Senectam anguiũ aceto tritam instillato. Eadem & cum felle bubulo, aut caprino, aut testudinis marinæ, aut callionymi diluta utitor. Nasturcij quantum sufficit, & nitri parum, carne ficus reiectis granis excipito, indeq; collyrium auditorio meatui congruũ formato ac indito. Per triduum autem ipsum eximito. Hoc multas sordes educit, & confestim leuius malum reddit. Cæterũ reliqui corporis quoq; cura habenda est. Deambulationibus itaq; pro uiribus multis utendum est, & capitis reliquorumq; membrorum frictione. Insuper & apophlegmatismis & collutionibus quæ pituitam extrahere possunt. Cibis utendum est copia moderatis, & ex genere eorum quæ facile exoluuntur & facile concocta excernuntur. Plurimum autem auxiliatur in huiusmodi affectione constitutis, spongia tenuissime contrita & auriculæ indita. Idem remedium commodum est & ad carnem in auditorio meatu enascentem. Post hæc uero inquit, utendũ esse ollæ fomento iam ante à se indicato. Indicauit autem hoc ipse inter reliqua auditus præsidia, uetum ego ipsum uelutà me condemnatum reliqui, propterea quod ad elotionem quidem præstet in aurium dolore, utilitatem autem de se omnino nullam præbeat. Quapropter nũc ipsum apponam: uerisimile est enim surdastros inde iuuari, utpote qui contrarijs præsidijs opus habeant his qui aurium doloribus uexantur. In doloribus enim affectæ partes exquisita quiete opus habent. Surdastri uero uehementi motu, & fere dixerim trãsmutatione in contrariam ei quæ iam adest affectionem indigent.

Fomenta ad aurium dolorem ab Apollonio his uerbis conscripta.

Fomentis porrò utendum est per spongias aqua calida imbutas ac sufficienter expressas. Itemq; per cucurbitas affixas. Amplius uero & per uaporem ex arũdinibus perforatis allatum. Oportet autem alterum arũdinis extremum concauitati auriculæ congruens esse, alterum uero in ollam perforatum operculum habentem, & undiq; obturatam incumbere. Sit autem in olla absinthium in aqua feruefactum, quo uapor inde sublatus ad auditorium meatum perferatur. Similiter & per fermentum in ueru afflatum fomentum adhibendum est. Vehementer etiam sub scriptus fomenti modus cõuenit. Vrinam tauri maxime, aut certe bouis uetustissimã, in ollam nouam angusti oris infundito, & aceti tertiam urinæ partẽ, ac myrtũ contusam ammisceto, deinde testas pro ollæ magnitudine satis multas, igni candefactas in ollam cõijcito, posteaq; hominem inclinatũ apposita ad ollam aure, fomentum admittere iubeto. Circum aurem uero fasciculum ex lana in orbem circumponito, ne uidelicet circumsitæ partes exurantur. Vtendum & farina ordeacea ac triticea in uino cocta, itemq; ungento irino calido, gratia fomenti. Superne uero auriculæ imponẽdæ sunt lanæ molles ac puræ

uino & oleo imbutæ, ordeacea itidē & triticea farina, aliquando quidē per se coɋ cta, cum uino & ungento irino, aliquando uero columbino stercore, & aristolochia tenui, æquis partibus ammixtis. Confert autem & cibi abstinentia, & diæta tenuis, & alui euacuatio larga & memorabilis. Insuper & quies, ocium, capitis uelamen, In potu aqua calida, aqua mulsa, ptisanæ succus cum melle, donec remiserint dolores.

Quæ Archigenes ad auditus grauitatem, ac surditatem his uerbis conscripsit.

IN auditus grauitate succū corticis raphani cum rosaceo aut cyprino tepefa ctum instilla. Aut galbanum cum aceto & melle feruefactum. Quod si surditas succedat, Veratrū nigrum erui magnitudine in cocto melle indito, ac donec quod impedit erodat finito. Aut ubi absinthij decocto elueris, mel & oleum instillato. Aut collyrio ex nitro, ficu, & sinapi immisso, per triduū id non extrahimus. Postea uero acutis uocibus assiduis & uicissim grauibus inclamamus, & per tubam sonitu immisso malum depellere conamur. Post hæc & asphodeli radices oleo ueteri incoctas utiliter infundimus, caprinaqꝫ urina assidue eluimus. Cæterum surditate ex capitis dolore oborta, raphani succū cum rosaceo infudi. Aut foliorū cucumeris syluestris succū. Aut castoriū cum baccis lauri & aceto.

Eiusdem de corpusculis quæ auribus illabuntur.

QVod si aqua in aurem illabatur, Auxiliatur acetū, & cum altero pede affe ctæ auriculæ propinquo exilire, aliqualiter seipsum reclinando. hoc enim modo facile excernitur. Quin & exuctio simplex per os, aut etiā per stipulam, egregie aquam extrahit: quod ubi factum fuerit, conscalpta per lanam auricula, ex prædictis ungentis aliquod instilla. Si uero calculus, aut faba, aut consimile quippiam, in auditorium meatum illapsum fuerit, eluito, aut lana circa auricularium specillum obuoluta, & resina tincta extrahito. Idem & per glutinosum aliquod pharmacum fieri potest. Quod si neqꝫ sic sequatur, sternutatorio in nares iniecto, os ac nares obturato: facta enim spiritus conclusi extensione, id quod incidit efflatur: idqꝫ assidue donec excidat facito. Si enim intus manserit, aure inflammata cōuulsiones inducet. Optime etiam confert ad eorum quæ illapsa sunt eiectionem, concussio. Si itaqꝫ puer fuerit, pede comprehensum & in caput eleuatum, cum concussione uibrabis, Si uero perfectæ ætatis quispiam ita fuerit affectus, ipsum in tabulam secūdum affectam aurem reclinatum, caput ad tabulam firmare iubeto, deinde leuata tabulæ circa caput parte, deferri finito, idqꝫ sæpe repetito. Mouebitur enim quod incidit, & ad expeditiores meatus partes progredietur, atqꝫ ita angusta & cōcaua specilli parte immissa scite extrahito. Si uero faba aut consimile quippiam in aurem illapsum, in ea maneat, madefactumqꝫ & tumefactum, dolores inducat; impossibile quidem est ipsum integrum eximere. Quare per specilli concauum industriè partiri ac diuidere idipsum oportet, atqꝫ ita particulatim extrahere, deinde sapam aut uinum dulce calidum infundere, ac lenire meatum ex lancinatione offensum. At uero si animal aliquod illapsum sit, scammoniam aceto dilutam, aut absinthij succū, aut peucedani succū, nitrumqꝫ ac sulphur cum raphani succo instillato.

Apollonij de ijsdem.

APollonius autem de ijsdem sic scripsit, Ad pulices & uermiculos in auribus, reliquaqꝫ earū poro illapsa, acetum & oleum instilla. Aut capparis succum instilla. Aut amygdalas amaras terito, & oleosum ab ipsis expressum instillato. Veratrum album tritum inspergito. Aut Aristolochiam tritam inspergito. Aut calaminthæ succū infundito. Aut cinnabarim uiridē instillato.

Aut ueratrum album cum uino infundito. Aut aluminis & seminis cucurbitæ sylueſtris, ſiue medullæ eius, æquas partes tritas cum oleo cedrino inſtilla. Aut cepam tritam & œſypũ æquis partibus in uino diluito ac infundito. Aut myrrham tritam, acetoq; ac melle pariter dilutam adhibe. Aut chalcitidem crudam tritam ac melle dilutam infunde. In uniuerſum uero eximendum eſt quicquid in meatum incidit hoc modo. Per auriſcalpium nimirum aut uolſellam, aut lanam mollem ſpecillo obuolutam & reſinatã, aut etiam quæ uncinum habeat tenuem appenſum. Nitrum etiam aſſatum tritum auriculę inſpergito, & acetum inſtillato, ac lana appoſita per noctem ſinito. Sequenti uero die aqua & oleo calido eluito. Cæterum ad aquam in aurem acceptam, cepæ ſuccum & adipem anſerinum tepefactum inſtilla. Aut mali punici nucleo carentis dulcis & acidi, ſuccum in æreo uaſe donec duæ partes ſuperſint coquito, indeq; duas guttas inſtillato. Aut myrrham ex aceto & melle tritam infundito.

Auricularia pharmaca à Critone conſcripta his uerbis.

AD ſonitus aurium à morbis. Abſinthiũ in aqua decoctum pro fomento adhibe, & roſaceũ cum melle inſtilla. Aut raphani corticis ſuccũ cum roſaceo inſtilla. Aut aloen cum uino & melle. Aut thus cum aceto & roſaceo in malicorio ad mellis ſpiſſitudinem coquẽdo redactum. Aut hyoſcyami ſuccum cum roſaceo tepidum. Aut radicũ calami uiridis ſuccum cum lacte. Aut rhamni ſuccum cum celtica nardo. Aut gallam nigram cum pari myrrha ex melle. Aut lycium cum uino mulſo inſtilla. Aut uulpis adipem. Ad dolores aurium cum humiditate & purulentia. Vini ueteris ſeſquiunciam, mellis corſici unciam I. nitri rubri unciæ dimidium. lycij indici unc. I. lycium cum uino & nitro tritũ leuigato, ac mel ammiſceto, & in uitreo uaſe repoſita infundito, hyeme quidem bis in die, æſtate uero ſæpius, & tomentum lanæ conchylio infectæ indito. Ad aures purulentas. Alumen ſciſſile terito, & affuſo aceto ad liquidiorem ſtrigmento compagem redactũ lana cõuoluta excipito, & reſiccata lana, ex ipſa in aurem indito, aut hoc ipſum pharmacũ liquidum per lanam ſpecillo obuolutam in aurem demittito, eamq; ex eo quotidie illinito. Expedit & modicũ paſſum adfundere ne pharmacum exareſcat.

Archigenes ad aurium affectiones extra meatum.

CAeterum ad affectiones aurium extra meatum auditoriũ Archigenes hęc conſcripſit. Ad aures contuſas, myrrham, thus, terram nigram, qua aliqui ſe tanquam ſmegmate confricant: cum acri aceto probe unita cerati craſſitudine imponito, & nequaquam amplius irritato. Aut ceruſam & apij ſemen pariter accepta cum melle obline. Quidam abſinthiũ pro ceruſa ſcribunt. Aut ſulphur uiuum, myrrham, & thus cum pice liquida in ſplenio imponito. Aut glutinum fabrile & aſphaltum ſiue bitumen eodem modo. Quidã etiam mannam, hoc eſt, thuris micas ammiſcent. Aut cephalico Aſclepiadeo emplaſtro utere. Aut paſtillis pudẽdis deſtinatis illine. Porrò in quibus contuſæ ſunt aures, intrinſecam expeditiorem concauitatem cartilagineam, figulina terra expleto: & ſequenti die ubi exaruerit, ſolanum cum ceruſa illinito, uſquequo in integrum reſtituantur. Verum in aurium uulneribus & fiſſuris, cartilagine probe coapta ta fibulas imponito, deinde inflãmationem arcẽtibus & reliquo glutinatorio ductu utitor. At uero inflammata in aurium puerorum pulpis foramina oleum, quod in ærea lucerna æruginẽ contraxerit, illinendo perſanabis. Cæterũ Aſclepiades huiuſcemodi ad contuſas & fractas aures compoſitione uſus eſt. Aloes partem unam, glutinis fabrilis cum aceto cocti partem unam, mixta imponito. Aliqui mannam ſiue micas thuris ammiſcent.

Epithemata ad contusas aures. Cotyledonis herbę drach. VIII. amygdalarum amararum depuratarum drach. II. tragacanthi drach. II. aceto dilue & uisco quercino excepta, & linteolo infarta, impone. Aut ceræ drach. VIII. galbani drach. VIII. nucum amararum drach. VIII. uisci quercini drach. XVI. thuris drach. VIII. misyos assati drach. VIII. composito ac utitor. Apollonius autem hoc modo, tum aurium inflammationes in superficie cutis ex humorū impressione aut plaga obortas, tum tumores ac rubores curauit. Butyrū recens excolatū instilla. Aut adipem anserinū & lac muliebre mixta instilla. Aut glandis ungētariæ succum & resinam liquidam tepidam affunde. Aut adipem bubulum ac anserinū, æquis partibus liquefactos instilla. Aliud quod illini potest. Papaueris succū aqua dilutū, penna illinito. Aut crocum tritum & muliebri lacte dilutum illinito. Aut argenti spumam cum aqua & nardo tenui tritam illinito. Aut cerusam coriandri aut polygoni aut solani succo dilutā illine. Cataplasmata. Absinthiū tritum ex aqua pro cataplasmate impone. Aut sesamū aqua tritum impone. Lentem aqua tritam cum melle impone. Aut mali punici dulcis putamina cocta & trita in uino: hoc ualde cōmodum pharmacū existit. Aut myrrhā & adipem anserinū, uel butyrum, uel resinam, & cōchylij partem internā æquis partibus trita super aurem & propinqua tempora impone. Conuenit autem ad hæc ciborum abstinentia, alui euacuatio, insuper quies, & capitis ac reliqui item corporis uelamen. Longe uero remota esse debent, ardor, frigiditas, balneum, uomitus, clamor, & omnis distentio.

Ad exulceratas ex plaga & fractas aures.

Panem calidum internum cum melle tritum impone. Myrrham cum uino ueteri tritam illine. Cochlearum colla unà cum testis terito, & dimidiam myrrhæ partē addito ac imponito. Absinthij & apij seminis æquales partes tritas cum melle imponito. Picem circumline & sulphur tritum aut thuris micas insperge. Verum ne obliges ista, neq; frequenter repetito epithematum detractiones.

De Parotidibus. Cap. II

PArotides è genere quidem sunt inflammationū, fiunt autem glandulis circa aures affectis: nō tamen prima parte curationis partiū inflammatarum in eis utimur. in illis enim ut plurimum curatione reprimente ac repulsoria à medicis appellata uti cōuenit, atq; id maxime quum neq; malignum sit, neq; multum quod influit, neq; corpus humoribus ex æquo redundet. Sic namq; spongia sola ex posca imposita incipiētes inflammationes repressit, neq; quicquā ex eo totum corpus fuit offensum. Verū in parotidibus ipsum contrariū facimus, pharmaca attractoria adhibentes, atq; si hæc nihil memorabile efficiant, etiam cucurbitam affigentes, aut fomenta assidua adhibentes, Annitimur enim ut affligens humor ex profundo ad cutem adtrahatur, prçsertim si in capite affectio sit firmata, humoribus uidelicet in ipso obstirmatis. Quin & quū citra capitis affectionem, in febribus acutis natura superfluos humores ex uasis effundēs, ad regionem inter cutem & subiecta corpora deponit, quando sane & glandulæ ex effusis humoribus participant: melius utiq; etiam tunc uidetur naturam adiuuare, per humorum ex loco in locum impetuosum illapsum, febres curātem. At uero quum uehemēti impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosius agentes, omnia naturæ permittimus. Si enim siue cucurbitam, siue aliud pharmacū humores ex alto ad cutem adtrahens admouerimus, uehemens dolor hominē apprehendit, unde & uigiliæ & febres inducuntur, ac uires exoluuntur. Mitigare itaq; tunc & non humorum influxui opitulari cōuenit, per cataplasmatū maxime lenientium usum, uelut est quod ex frumēti, aut hordei, aut

seminis

seminis lini farina, cum aqua mulsa, aut fœni græci, aut altheæ, aut chamæmelorum decocto coquitur, & quæcunq; ad hoc quod moderate humectā habent caliditatem, per quā mitigare dolores ualent, etiam influentes humores concoquere possunt ac suppurare, quemadmodum de his in cataplasmatum tractatu sermonem fecimus. Quod si etiam sanguis redundare uideatur, per uenæ sectionem ipsum euacuabimus, præsertim si id uires permittant. Nunc uero ad pharmacorum compositionem progredientes, quam etiam à principio nos tractaturos recepimus, qua ratione tum cōpositio ipsorū, tum usus constet docebimus. Si itaq; tumor non discutiatur, suppurantibus pharmacis utendum est, uelut est frumenti farina cum caricarū decocto & oleo. Item quod ex polline, & quod ex fermento constat pharmacū. Si uero suppuratæ fuerint parotides, tunc aut per sectionem pus elicere oportet, ulcusq; uelut in eiusmodi fieri moris est ac omnibus notū curare, aut sane per pharmacū abscessum rumpere, Quale est Smilium appellatum, & quod ex allijs cōstat: aut tentare ut ipsum per medicamenta attractoria & tenuium partiū uim habentia discutiamus, bis per diem ijsdem ablatis, & fomētis admotis donec remiserint & laxati fuerint dolores. Quādo uero iam plurimū puris fuerit discussum, tunc iam primū semel soluere ea medicamenta, & fomenta adhibere oportet: deinde uero neq; ex re est id facere, sed ipsis pharmacis permittere, ut si quid reliquum in profundo hæreat, idipsum discutiant. Quòd si duricies adsit, ea ipsa quoq; mollienda est, quare hoc tempore ex mixta pharmacorū facultate compositio parabitur, emollientibus uidelicet ad attractoria ammixtis. Postquam uero omnis purulentia fuerit euacuata, & adhuc duricies aliqua relinquatur, emollientibus pharmacis utendum est, quotū sylua siue materiæ itemq; compositionis uarietatem, in malagmatum sermone demonstraui. Manifestum autem est, quod moderatas parotidas, in quibus neque humorum multitudo redundans in particulas irruit, intantum ut uehementes dolores excitet, neque caliditas cum humore adest, facile per hæc sanare possimus. Neque enim ad suppurationem festinant, neque uehementem dolorem inducunt. Verum licet etiam fomētis ex muria uti, & cataplasmata magis calefacientiaq; & discutientia adhibere, & medicamenta eandem facultatem prope attingentia. Quum uero plerique medici & parotidū pharmaca indistincte conscripserint, Si quis prædictis in memoriam reuocatis ad eorum usum accesserit, facile intelliget quibus tandem ad singulas parotidas utendum sit. Verum præexercitabo etiam ego uos ad hanc rem per exempla, quæ Archigenes in primo pharmacorum secundum genus his uerbis scripsit.

Archigenis ad parotidas. Parotidas dissoluere uolentes, plantaginem cum sale tritam assidue pro cataplasmate imponimus. Aut caprinum stercus ex aceto. Aut rumicis syluestris radices coctas in uino, aut ficum tritam cum atramento sutorio. Aut ficum coctam, cum absinthio & uino tritis. Aut buccina marina, aut purpuras ustas, melle aut axungia exceptas imponito, & confestim discutientur. Idem etiam ostreorum testa usta & cum melle imposita facit. Aut ceratum rosaceum siue cyprinum, ruta ammista, aut sulphure uiuo addito, emollitum, aut cimolia cum aceto. Discutit maxime ficus aqua marina aut muria cocta, ac trita imposita. Idem facit & marrubium tritum cum sale, & lana butyro imbuta ac imposita, inchoantibus parotidibus opitulatur. Quemadmodum huic postremo loco ab eo relato, recte Archigenes discrimen apposuit, incipientes parotidas è butyro opem sentire testatus: Sic cōueniebat ipsum etiam circa alia medicamēta utendi tēpus adijcere, uelut ego paulo ante feci. Quin & circa hoc ipsum butyrū, non satis est ex solo parotidū principio facere discrimen

nisi apponatur num uehementer aut molliter concitetur, & num dolenter uelut cum pulsationibus & uigilijs infestet, an cum moderato dolore. Deinde qui sit morbi status, Num magna omnino laxitate opus habeat, an per minorem iudicari ac finiri possit: tali nanque sufficerit butyrum, in corporibus præsertim mollibus eunuchorum, puerorum, & mulierum, & eorum qui teneram habent carnem. Si uero cum uehementi dolore fiat, cataplasmate dolorem sedante opus habet, simulque assiduo fomento uel per solam aquam, uel etiam modico iniecto ad eam sale. Quandoquidem uero primum omnium pharmacum cōscripsit, plantaginem cum sale, ab illo sane etiam nos rursus initium faciemus, plantaginis naturam recordantes ex mixtis facultatibus discussoriaque & repulsoria compositam esse. Ego uero nūquam pharmacis ad parotidas destinatis repulsoria ammisceri operæpretium existimo, præterquam si aliquando, raro tamen, ad multam discussoriorum copiam parum quiddam ex eis addatur, atque id tum demum ubi citra uehementem dolorē parotides irruant. Quod uero deinceps scriptū est, Stercus caprinū ex aceto, inueteratæ ac induratæ, nullumque amplius memorabilem dolorem habentis parotidis pharmacum esse possit, uelut etiam lienis in scirrhum indurati. Tertio deinde loco cōsequenter, Radices rumicis syluestris in uino coctas tradidit. Si sane & qualitatem & ætatem uini apposuisset, fortassis & ego tentassem de eo iudiciū ferre. Quū uero non adiecerit, multumque differat acerbum, aut austerū, aut acre, aut dulce, aut recēs, aut uetus, aut crassum, aut tenue, aut fuluū, aut albū, aut nigrū uinū esse, ob id etiam ego nihil habeo quod de hoc pharmaco dicam. At quū uobis hoc cognitum sit, quòd maiori discutiendi ui præditum sit uetus, præsertim si ex genere natura calidiorum sit, uelut sunt in totum fulua, contraria uero huic secundum uires tum austerum, tum acerbū, huiusmodi quidem uinum uitare oportet, In fuluo uero & mediocriter uetusto, & tenuium partium, rumicis radices coquetis, & in parotidibus citra uehementem dolorem obortis adhibebitis. Scribit deinceps, ficum tritam cum atramento sutorio. Discussoriæ quidē igitur & attenuatoriæ facultatis est ficus, præsertim arida: recens uero discutiendi quidē uim habet, uerū cōcoquere non potest. Verum atramentū sutoriū nemo ignorat utrasque facultates fortes cōplecti, quapropter etiā uehementia eius uitanda est. Cocta deinde fico nimirū arida, cum absinthio & uino tritis, uti iubet. His sane etiam uos utemini in tēpore, ad medias magnitudine ac tēpore inflammationes. Quemadmodū etiam buccinis, & purpuris, & ostreis ustis, in durescentibus ac uetustis. Est enim pharmacū quod omnem afflictionē & acrimoniā mitigat & discutit, nō solū si melle quis eorū cinerem imbuat, sed & multo magis si adipē uetustū à fibris depuratū ammisceat. Citra omnem enim molestiā omnes inueteratas inflāmationes discutit, etiāsi ex influxionis materia sint obortæ. Deinceps cerato rosaceo & cyprino cū ruta uti iubet, quod discussoriū quidem pharmacū est, uerū nihil uehemēs neque uiolentū in se habet. Paulò uero efficacior fit cōpositio, si sulphur uiuū pro ruta ammisceamus. Quæ sequit̄ deinde cimolia cū aceto, neque forte, neque dolorosam, neque magnam parotidē curare potest. Ficus uero aqua marina cocta, in inueteratis iam cōmoda fuerit, utpote discussoria ui prædita, uelut etiā si aquæ marinæ penuria, muria quis utat̄. Simile huic est, quēadmodū etiā ipse Archigenes dixit, Marrubiū cum sale. Post hæc uero de butyro scripsit, cuius ut ultimi circa illius dictionis ordinē, paulò ante mentionē feci, post quod rursus ad generosum pharmacū transit, Pyrethrū tritū fico excipi iubens. Deinde calce uiua cum melle trita uti præcipit. Et post hoc, mustelæ sanguinis illinendi meminit. At uero talia tanquam curiosa & superuacanea, & quæ magnam rei medicamētariæ egestatem

indicent

indicent, si per alia auxilia, citra sanguinis mustelæ adhibitionem, parotidas curare nequeat, neque in usum adsumpsi, neque eorum experimentum habeo. Sed neque ex amicis nostris quispiam alius uti tentauit. Verū cerebrum illinire quodcunque tandem, mediocrium parotidum medela existit. Post hoc uero hæc uerba scribit. Aceto feruenti perfundito, aut spongiam in acida muria imbutam imponito. Fossorum ac messorum fortassis ea fuerit medela, non hominum urbanorum. Deinceps acris mentionem facit pharmaci ex mustela usta, cuius cinerem cerato irino excipi iussit. Verum eiusmodi pharmacis, quando diu durant & in scirrhum indurantur utendū est: pleraque enim ab eo scripta ueterascentium & ægre solubilium parotidum remedia existunt, quapropter etiam ipse ad pharmacū hoc adiecit, quod etiam Strumas probe sanare possit. Post hoc uero eiusmodi dictio inordinate inserta est, tum assidua calidæ adspersio, tum assidua crudæ ordeaceæ farinæ impositio. Quod ipsum siue quis per se legat, siue prioris dictionis finem, huius dictionis principium faciat, utrunque male dictum est. Manifestū uero hoc erit ubi præcedentis dictionis finem præposuerimus, ut totus sermo eiusmodi fiat. Mirabiliter discutit & strumas, sæpe etiā parotidas, tum assidua calidæ adspersio, tum assidua crudæ ordeaceæ farinæ impositio. Si uero de parotidibus solum dicatur, certa distinctio aberit, quæ doceat nos in quibus & qualibus parotidibus aquæ calidæ adspersio, & assidua crudæ ordeaceæ farinæ adhibitio conueniat. Non enim in omni, sed quam citissime uelimus suppurari, hæc facienda sunt, quemadmodum in superiori sermone est indicatum. hoc itaque uitiose, ut dixi, interfertū est. Cæterū Archigenes ad consequētia transgressus rursus pharmaca scribit, non apponens quod induratis & inueteratis salutaria existant, quum nos ex materia ipsorum, ipsa talia esse cognoscamus. Adscribam autem iam uobis ipsius Archigenis dictionem, Quæ sic habet. Proprie uero lupinorū amarorū farinam cum melle coctam, modica calce uiua addita, pro cataplasmate imponito. Egregie discutit & hoc. Picis brutiæ, mannæ siue micarū thuris æquales partes, terebinthinæ, palmarū Syriacarum non uetustarum pinguium carnis puræ, utriusque duplū, galbani dimidiū mannæ. probe unitis utitor. Si uero dura sit resina expectato. Aut nitrū & rubricæ sinopidis tertiā partem cum ungento cyprino ad strigmentitiam crassitudinem redacta, ac linteolo infarta imponito. Aut calcem uiuam cum strigmentis eodem modo. Aut caricas, galbanū, nitrū pari mēsura, sulphuris tertiā partē, terebinthinę, opopanacis utriusque parū quiddā. unitis utere. Aut calcem uiuā cum aceto tritā impone. Quod si neque per hæc discutiantur, adiuuabimus permutationē in suppurationē per largam & frequentē decocti lauri aut baccarū eius perfusionē, aut sulphure uel cōsimili quopiā in aquā insperso, & per frequētia ex calida crudaque ordeacea farina cataplasmata, siue nitro, siue colūbino stercore in ea ammixto. Aut etiā cucurbita cū scarificatione affixa. Deinde ad chirurgiā perueniendū est & crudi abscessus sectionē. Optimū enim in his ut quam celerrime fluxio foras euellat. Hęc quidē Archigenes scripsit. Sunt aūt & multa emplastra quæ parotidas discutiunt, aliqua quidē iam inueteratas & induratas: aliqua uero eas in quibus sedato dolore, nulla amplius puris suspicio est. Queadmodū etiā aliqua quæ iam suppuratas curare possunt: talia uero inter discussoria emplastra, singula cū uiriū suarū professione cōscripta sunt, uelut etiā ea quæ simplices parotidas curāt laxatoria appellata, omnibus nota sunt. Exēpla ipsorū sunt, Emplastrū Mnaseæ, & quod ex succis cōstat, & quod ex ptisana. His adhuc molliora sunt cerati forma, tum ex butyro, tum ex œsypo cōflata, ostreis aut buccinis, aut purpuris ustis additis, adipeque porcino, singulis quadrātis pōdere. Præstat & hoc. Butyri unc. I. ceræ sextantē

& unciæ dimidium, ostreorum ustorum quàm tenuissime tritorum sextantem. liquescibilia liquefacito, ostreaq; infarcito, ac unitis utitor confidenter. Efficacissimum hoc ad parotidas existit.

De affectionibus narium. Cap. III

EX genere tumorũ præter naturam, polypodes in naribus generantur. Ex genere uero ulcerum ozænæ, Secundum genus autem excretionum præter naturam, Sanguinis eruptiones fiunt in morbis acutis, iuxta rationem earũ quas recentiores Medici priuatim Superexcretiones appellant. Nimirum in quibus natura ad iudicatorium auxilium concitata, modũ excessit. Primum itaq; de ozænis sermonem faciam, quæ ex humorũ acrium & putrescibiliũ influxu generantur: ita ut si acres solum sint, ægre curabilia ulcera producere consueuerint, non tamen graueolentia. Cæterum cura cõmunis ambobus his est, itemq; polypi, ut uidelicet primum caput siccetur & firmetur, quum palàm sit ob uitiatorũ humorum redundantiã defluxũ ex eo in nares prouenire. Quo modo uero caput totũ corroborare oporteat, quo nullum recrementũ ex eo ad inferas partes delegetur, sæpe iam dictum est. Quum igitur per illa caput ualidũ reddideris, ad naris progredieris curationem, Scopo in ozænis proposito, ut affecta pars per mixtæ facultatis pharmaca tum repellentia, tum discutiẽtia, resiccetur. Repellunt itaq; tum austera, tum acerba, quæ communem adstringentium appellationem habent. Discutiunt autem calida & sicca facultate prædita, quorũ sylua talis est. Archigenis pharmaca ad ozænas, Quum ozæna in naribus fuerit, calaminthæ succum infunde. Aut ipsam calaminthẽ aridam per fistulam insuffla. Aut ueratrum album cum seminis nasturtij chema quotidie insuffla: post hoc uero caput perfunde. Obline autẽ eos uel chalcitide, aut atramẽto sutorio, aut psorico cum melle. Aut instillato in narem melle, & per sternutatorium facta concussione, tectoria ulceri obducta excutito, deinde præscriptum ex nasturtio & ueratro pharmacũ, per narem adtrahere quàm plurimum iubeto, & postea amurcam cum melle illinito. Aut ranunculi succum cum alumine liquido in narem infunde, ægrumq; resupinatum donec ad os penetret attrahere iube, atque id usq; quo percurauerís identidem repete. Si uero uetera sint ulcera, etiam acetũ uetus ammisce, aut sulphur tritum. Acre item acetũ in uasculum angusti oris fusum, ad multũ tempus ad respirationem ipsorum appone, deinde Misy cyprium, & dimidium eius nardi indicæ, cum uino chio ad mellis crassitudinem redige, ex eoq; meatus obline, & per lanam obtura. Ad ulcera in naso. Vlcera in naso, ex malorum punicorum succo in æreo uase ad medietatem cocto perline. Aut malum punicum dulce integrum in uino coctum terito, & forinsecus imponito. Aut uiolam albam ex aqua affricato. Aut rubi succum & alumen Melium cum aqua diluta eodem modo. Si uero uetus sit ulcus cum aceto diluito. Aut iridem & sandaracham cum melle oblinito. Aut adipem uitulinum & resinam illinito.

De polypo narium.

POlypus tumor est qui præter naturã in naribus generatur, polypodis carni assimilis iuxta substantiæ proprietatem. Manifestũ itaque est affectionem hanc ex crassis & uiscosis humoribus generari, atque ob id mixta materia medicamentaria opus habet, ut uidelicet partim adstringat, partim secet & attenuet, partim etiam discutiat & condenset. Archigenis ad polypodas. In polypode nasturtij tenuis chemam, siue drachmam dimidiam, cum ueratri albi obolis duobus, nare adtrahere iube. Vbi uero exciderit linamentis cum anthera siue florido emplastro ex melle utere, aut lycio eodem modo.

Asclepiadæ

Asclepiadæ ad Ozænas & polypos. Asclepiades in quinto exterorū sic scripsit. Aridum ad Ozænas, Aluminis scissi drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. sanda rachæ drach. IIII. gallæ drach. I. atramēti sutorij usti drach. I. tritis utere. naribus prius uino odorato elotis, & pharmaco per specilli extremum siue nucleum admoto. Aliud, Seminis ericæ drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. nitri rubri drach. VIII. malicorij drach. VIII. seminis tamaricis drach. unam. crocomagmatis drach. II. tritis utere. Aliud, Soreos ægyptij friabilis drach. II. chalcitidis ustæ drach. II. seminis tamaricis drach. I. croci drach. I. myrrhæ drach. I. tritis utere. Aliud, Chalcitidis ustæ drach. II. atramenti sutorij assati drach. II. Misyos drach. II. amomi drach. I. myrrhæ drach. IIII. croci drach. I. tritis utere. Alia compositio quæ flauescens appellatur. Aluminis scissi drach. VIII. chalcitidis crudæ drach. VI. sandarachæ drach. III. putaminis mali punici drach. II. atramenti sutorij usti drachmas II. misyos assati drach. II. tritis utere. Alia, Atramenti sutorij usti drach. IIII. diphrygis drach. II. calcis uiuæ drach. II. sandarachæ drach. II. Arida admoue, aut linamentum tortum aqua madefactum ac pharmaco imbutum inde. Aliud, Misyos assati drach. II. mannæ thuris drach. II. chalcitidis assatæ drach. II. squamæ æris sesquidrachmam. æruginis drach. I. arida adhibe.

Lamponis ad Ozænas, ægilopas, polypodas & multa alia.

Ad ozænas & ægylopas ac polipos, & quęcūq; uelis citra sectionē a cutione nem submouere. Dirimit etiam ossa corrupta, facit & ad ulcera serpentia ac putrida inspersa, & ad sordida ulcera linamento excepta ac indita cum melle. Scobis æris rubri unc. I. salis ammoniaci sextantem, ammoniaci thymiamatis sextantē, aluminis rotundi quadrantē, aceti acerrimi heminas VI. Arida terito, & affusoaceto, omnia in uas æris rubri transferto, in eoq; ad solē sub caniculæ ardore cum æris rubri radio agitato donec pharmacū exarescat, deinde in mortariū translatum diligēter terito, & in fictili recondito. Vsu uero exigente, aquam absorbendam dato, deinde etiam in ore continendam, pharmacum uero per fistulam insufflato. Scribonij largi facit ad omnia extuberātia. Misyos usti, chalcitidis ustæ, atramenti sutorij usti, soreos, squamæ æris, singulorum drach. VIII. Arida admoueto. Oportet autem præcedēti die quiescere, deinde sequenti pharmacum post cibum indere, Illinendęq; etiam nares antea cum bitumine aut liquida pice, aut myrrha stacte. Philoxeni chirurgi ad polypodas, ozænas, omnem excrescentem carnem, hæmorrhoidas, & quibuscunq; crustam inducere uelis. Aeris usti, auripigmenti torrefacti misyos assati, singulorum drachmas II. diphrygis drach. III. chalcitidis ustæ, atramenti sutorij usti, squamæ æris, singulorum drach. IIII. tritis utere. Cæterum post pharmacorum adhibitionem, etiam sternutatorijs utimur, quo uidelicet tectoria ulceri obducta excutiamus, quæ tribus aut quatuor diebus ferè excidere consueuerunt. Vbi uero exciderint adipe anserino ac butyro cum rosaceo cerato curantur. Verum Asclepiades in primo pharmacorum exteriorum sic scripsit.

Asclepiadæ ad ozænas, quo usus est Meges. Seminis ericæ drachmas IIII. myrrhæ drach. IIII. nitri rubri drach. IIII. putaminis mali punici drach. IIII. croci drach. II. costi drach. II. trita insufflato. Aliud, Aluminis scissi drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. sandarachæ drach. II. rhois rubri drach. II. salis fossilis drach. II. costi drach. II. croci drach. II. trita insufflato. Ante curam uero nares uino odorato & optimo melle eluere conamur. Ad narium polypos quo usus est Antipater. Aeris usti drach. IIII. minij sinopici drach. I. trita per harundinem insufflato, Quin & per specilli nucleum admoueto.

Aliud

Aliud Antonij Musæ. Atramenti sutorij partem I. sandarachæ partem I. trita insuffla. Aliud Charixenis post chirurgiam. Cornu cerui usti drach. IIII. squamæ æris rubri drach. IIII. auripigmenti drach. I. trita insuffla. Aliud, Bryoniæ radicis ustæ drach. IIII. atramenti sutorij drach. IIII. spumæ nitri drach. IIII. elaterij drach. IIII. trita insuffla. Ad ulcera in naribus. Recrementi plumbi, uini ueteris, olei myrtei, singulorum æquales partes. plumbi recrementũ ut quàm leuissimum fiat terito, & adfuso uino rursus leuigato, deinde myrteum addito, omniaq; simul misceto ac conquassato, & in figulinum uas coniecta pruinis imponito, assidueq; agitato, atq; ubi strigmentosum redditũ fuerit pharmacũ sublatũ in pyxide plũbea seruato. Aliud, Plũbi usti & loti drach. VIII. uini rosati quantũ sufficit, olei myrtei quod satis est, apparato & utitor ut dictum est. Aliud, Spumæ argenti drach. VI. cerusæ drach. VIII. malicorij drach. IIII. aluminis scissilis drach. IIII. uini aminæi quantũ sufficit, olei myrtei quod satis est. Arida tusa & cribrata in mortariũ cõiecta cũ uino ad strigmentitiã crassitudinẽ redigito, postea uero myrteo oleo affuso conquassato, & ablatis in pyxide plumbea reconditis ut dictũ est utitor. Sint aũt myrtei heminæ quatuor, uini cyathi. IIII. Diogenis pharmacum accommodatũ. Adipis anserini drach. IIII. œsypi sesquidrachmam, medullæ ceruinæ drach. II. ceræ Tyrrenicæ drach. VIII. plumbi usti & loti drach. IIII. stibij usti & loti drach. VIII. ladani drach. II. adipis uitulini drach. II. terebinthinæ drach. IIII. cerusæ drach. II. spumæ argenti drach. I. rosacei quantum sufficit. Liquida cum aridis committito & repositis utitor. Vsu autem expetente quantum satis fuerit tollito, & rosaceo dilutum naribus sublinito. Ex primo de parabilibus Apollonij. Ad affectiones in naribus. Ad narium exulcerationes, & putredines ac fœtores, mali punici nucleo carentis dulcis itemq; acidi succum, in æreo uase donec duæ partes supersint coquito, ac utitor quàm penitissime illinendo. Facit & malum punicũ dulce cum uino coctum & forinsecus impositum, atq; intro illitum. Ad excrescentẽ carnem & polypum. Diphryges tritum admoueto, & linamẽto nares disparato. Aliud, Veratrum terito, eiq; origani par pondus tritum addito, ac naribus bis in die insufflato. Aliud, Veratrũ nigrum cum pari sandaracha terito, & ammixto oleo, lana excipito, eoq; narem expleto. Aliud, Florem æris, & æruginem, ac silphij succum pari mensura oleo ammixto terito, & ungenti crassitudine ad dies quinq; naribus sublinito: deinde per uolsellam eximito. Aliud, Auripigmentum & calcem trita cum specillo large adhibeto. Vbi uero intumuerit & eleuatus fuerit polypus, ueratro nigro arido trito moderate utitor. Vt plurimũ enim in diebus septem nasus uacuus redditur. Deinde diphrygis cũ melle usu expurgato. Aliud, Auripigmentũ & calcem ac ueratrũ album trita cum specillo admoueto. Ad ea quæ naribus illabũtur. Quæ naribus illabuntur, auriscalpio aut uolsella extrahito, aut sternutatorio admoto, os adprehendito, atq; alteram narem comprimito, siquidem non in utraq; nare adfectio existat. Hæc quidem Apollonius quibus ipse usus est tradidit. Verum ut ego usus sum, & in polypis ac ozænis nariũ, probatissima reperi subscripta. Ac primum quidem quod ex malis punicis constat pharmacum. Sint autem pari numero ac magnitudine ex tribus eorum differentijs accepta. Aliqua enim ex his sunt austera, aliqua dulcia, & quædam acida. Contundenda itaq; sunt recentia & matura, atq; integra diligenter cõfringenda, quo succus ex eis exprimi possit, quem in uase stanneo depositum adseruare oportet, modice coctum siquidem liquidior quàm oporteat uideatur. Quod uero ab eo reliquum est solidum et crassum, rursus diligenter contundendum est, ut à contusione rursus in pila atteri ac leuigari

leuigari possit, indeq; collyriorū formæ effingi, quæ congruā ad ægri nares proportionem habeant. Induuntur enim hæc in naris quam polypus obsedit meatū, quo citra mordacitatem & consensum, qualem acria pharmaca excitare solent, per longiorem moram ipsum expurgent. Quod si humectior & mollior tibi appareat polypus, plus ex austeris malis punicis cōijcies: si durior, ex acidis. Quandoquidem uero perpetuo tolerare collyrium molestum est, ab eius usu interquiescere conuenit, atq; eo tempore quo ipsum non indis, per expressum succū ægrū curare, & sane oris diducto rictu hianti, etiam circa illas partes iuxta quas nasus ad palatum perforatus est, liquidum ipsum expressum pharmacum illinere, uel cum penna, uel cum lana specillo duos nucleos siue cuspides habenti obuoluta. Cæterum ex aridis pharmacis diphryge, citra mordacitatē aliquando per multum tempus consumptum polypum noui. probatur etiam in ipsis prædictū collyrium ex malis punicis effictum, si ubi exaruerit probe cōtundatur, cribreturq; ac leuigetur, indeq; insuffletur, aut etiam per specilli nucleum indetur. Omnia autem hæc assiduè facere oportet, ut nunquam ab affecta parte pharmacum absit, quum facile ab humiditate eluatur. Quemadmodum igitur in lippientibus, sic & in his semper si possibile est, pharmacum adhibere oportet: abluitur enim facile, ut dixi, ab influente humiditate. Porrò quū eunuchus quidam nullius pharmaci ferre posset adhibitionem, sed ab omnibus irritaretur, rosis aridis contusis ac probe tritis atque inditis, mirum quàm uiderim hominem magnopere citra omnem mordacitatem adiutū. Quare in corporibus mollibus & humidis, aut quibus ægre ulcera ipsa sanescunt, rursus eodem pharmaco usus sum, contigitq; ex duobus alterum, aut ut nihil noceret, aut omnino citra molestiam opus suum perficeret. Pleraq; enim eorum quæ polypodas exterunt, eos exacerbant ubi à scopo aberrent. Cæterum ulcera in narium meatibus semper per pastillos curaui, andronium uidelicet, & pasionis, & polyidæ, & bythinum, & per eum quem ego cōposui, his ipsis aliquando uino dulci dissolutis, aliquādo austero, & quandoq; moderatæ ætatis, quandoq; ueteri. Interdum etiam aceto dilui uel uinoso, uel simpliciter acido, uel etiam acri ualde & uetusto, Iuxta prædictas indicationes, usu pharmacorum secundū symptomata affectionum reperto. In diuite uero quopiam qui odoratum pharmacum sibi adhiberi expetebat in ozænæ curatione, hedychroi usum excogitaui, ipsumq; uino falerno ueteri dissolui, & mirū quàm breui affectio ipsa est curata. Relata est hedychroi cōpositio circa theriaces antidoti descriptionem.

Heraclidæ ad eruptiones sanguinis è naribus, ad Antiochidē. Cap. IIII.



Vfficienter quidem de sanguinis eruptionibus in curādi Methodi libris dictū est, uerū nunc quæ ex sylua usu cognita constant, & à prædecessoribus nostris approbata sunt referētur. Vbi grumōs sanguinis eduxeris, lanam specillo obuoluito, eamq; in lycio aqua diluto imbuito, & sanguine manantem locū illinito. Aut linamentum longum lycio imbutum indito, deinde forinsecus cum digitis apprehensum nasum comprimito, donec constiterit sanguis. Aut chalcitidem mediocriter leuigato, & linamentum ex ellychnio contortum in frigidam aquam demittito, deinde in chalcitide obuoluito. Aut linamentum priapi siue pudendi forma naribus indito. Aut linamento rasili utitor quàm penitissime intruso. Præstat autem digitum ad palatum immittere, ne eò linamentum rasile deferatur. Aut thus confringito, & polygoni aut seminis porri succo diluito, in eoq; linamētum rasile, aut ex ellychnio obuolutū indito. Aut mentam tritam indito. Aut spongiam siccam immittito. Aut spongiam in acre & feruidum acetū coniectam forinsecus ad sanguinē manantem

nantem narem apponito, atque specillo donec impellatur apprimito. Præstat autem spongiæ principiū filo per acū transmitti, quo facile extrahi possit, extrahito aūt quum opus suum perfecisse existimaueris. Si uero inarescat spongia, intusque agglutinetur, per auricularē clysterem frigidā aquam immittito, ac infundendo humectato, atque ita extrahito. Vtere etiā cōpositionibus uulnerarijs & sanguinem sistentibus quæ describentur. Accōmodatum est & frontē spongijs refrigerare, itemque capitis partes sublimes facere. Brachia autem & manuū iuncturas, fœmora & inguina, atque genua cōstringere, in his qui mœsto ac deiecto sunt animo, quemadmodū in uenarū sectionibus facere moris est, Iubendique sunt ut ea membra moueant, manus quidē confricando, pedes uero ambulando. Expletis enim sanguine quæ in eis sunt uenis, nares sanguine manare cessant. In potu amplius exhibenda sunt ea quæ ad sanguinis reiectionem cōscribentur. Aures quoque contentæ per linteola ac ceram obturentur, & in ore aqua pluuialis frigida contineatur. Quod si quid ex sanguine deglutitū esse uideatur, etiam idipsum ubi multa eius sit copia, per eua cuatiuū educito. In uentre enim & intestinis in grumos coactum, incensionem facit.
Pharmaca Asclepiadæ in quinto externorum ad sanguinis narium eruptiones scripta. Quæ Marcellæ inscribit. Platani pilulas collectas in umbra exsiccato, & desiccatas super pannum asperum in discum diffundito, easque aspera ipsius panni siue tunicæ parte confricato, aut in panno ex pilis siue setis composito obuoluito: ac semen quidem pilularū abijcito, tomenta uero collecta in testaceū uas nouum reponito, Vsu aut expetente, ea ipsa lanuginosa tomenta in harūdinem cuius geniculi recisi sunt indito, & qua parte excauata est harundo, naribus imponito ac insufflato, compendiò hoc uincir sanguinis eruptionem. Aliud, Atramentū sutotiū diligenter tritum reponito. Vsu uero postulante, rasuram quampiam linteolorū in pharmacū immersam indito. Aliud, Spongiam crudā pice imbutam exurito, & linamēto torto exceptā indito. Aliud, Puraminis oui partem unam, gallæ omphacitidis partem unā, trita linamento torto aqua aut aceto madefacto excipito, & indito. Frontem uero & nasum gypso aut luto figulino integito. Aures autem contente obturare iubeto. Quidam spongiam aphricanam aceto acerrimo incoquūt, deinde exprimunt, eamque in ignito lapide frequenter obuoluunt, atque ita suffitum & uaporem excitant, quem naribus attrahere iubent. Quæ Andromachus scripsit, Ad sanguinis quidem ex naribus eruptiones nihil priuatum Andromachus scripsit, Verum inter ea quæ sanguinem cohibent, pleraque etiam hæmorrhagias narium sistunt, quapropter etiā ego adscribā eiusmodi pharmaca quomodo ab ipso descripta sunt. Cōpositio ischæmos, id est, sanguinem sistens, qua utor. Chalcitidis, misyos, mannæ thuris, singulorum drach. IIII. tritis uitor. Aliud, Chalcitidis drachmas centum, atramenti sutorij drach. L. misyos assati drach. XXV. æris usti drach. XII. & dimidiā, tritis utere. Ischæmos magna. Misyos cyprij drach. VII. atramenti sutorij drach. VII. corticis pini drach. IIII. squamæ æris drach. IIII. mannæ siue micarum thuris drach. IIII. Alij drach. XV. habent, æris usti drachmas XV. chalcitidis drach. XV. calcis uiuæ drach. XVIII. alij XL. gypsi torrefacti drach. IIII. alij VIII. tritis utere. Ischæmos Aphrodæ. Chalcitidis drach. VI. mānæ thuris drach. II. resinæ terebinthinæ frictæ drach. IIII. alij tres accipiūt, tritis utitor.

Finis tertij libri.

CAPITA QVARTI LIBRI

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SEcundum locos Liber IIII. Iano Cornario Medico interprete.

Doctrina affectionum quæ in oculis fiunt, inter quas etiam de pharmacis acrimonia caretibus, & meatus obducẽtibus, & de alijs omnibus. Cap. I



NON equidem alia est componendi, alia utendi Methodus in his pharmacis. Ipsa enim cõpositio uelut ad usum relata cõficitur, ita ut hi qui pharmaca cõponunt scopũ habeant utilitatem ex usu ipsorum emergẽtem. Verum quemadmodum in alijs, sic etiam in his affectionibus quidã indefinite pharmacorum usus scripserũt. Verbi gratia, Ad dolorem accommodatum est hoc pharmacum, nõ apponentes affectionem in qua dolor sit obortus. Quidam uero etiam affectiones adscripserunt, alij quidem magis iuxta experientiam: alij autem magis secundũ rationem. Iuxta experientiam quidem magis, quicũq; ex conspicuis circa oculos signis discrimen fecerũt. Secundũ rationem uero magis qui ex obscure apparentibus, aut neq; in totũ apparẽtibus idem fecerũt. Cõspicue itaq; apparet fluxus multus & modicus, mordacitas & lenitas, ruborq; plus aut minus, uelut itidẽ uenæ pauco & multo sanguine plenę: & inflammationis tumor minor aut maior. Quemadmodũ etiã colores præter naturam uariegati, & oculorũ sordes siue lemæ plures aut pauciores, aut minores aut maiores progrediẽtes. Apparẽt item nobis manifeste asperitates in palpebris oculorum. Quid uero attinet dicere, quod & ulcera & pustulæ, tum secundum locos, tum magnitudine, non paruam differentiam habent, itemq; quæcũq; eius generis alia existunt. Quin iuxta aliũ sane modũ, ex eorum quæ conspicue apparent numero, sunt etiam ipsi adeo dolores. Nihil enim interest siue nobis siue ægris appareat. Etenim quod dolent, & quomodo dolent manifestũ est: quod enim cum cõpressione, aut tensione, aut obturatione, aut corrosione, aut quibusdam pulsationibus dolent, nobis aperte indicatur. Cæterum eiusmodi discrimina non apparent (uelut aliqui scribũt) ad fluxum qui ab his quæ intra craneum sunt, aut ad fluxum qui ab his quæ extra craneum sunt, aut etiam per Iouem ad eum qui ex arterijs, aut ex uenis affertur: & quum quidam dicant distẽsionem aut obturationem in profundo oculorũ esse, humoribus uidelicet crassis, aut uiscosis, aut multis impactis, nullum ex his symptoma ægros grauat, uelut uehemens dolor circa quodcũq; tandem membrum,

non fanè circa oculos folos, adeò ut mortem aliqui ultro elegerint, melius fore rati hanc femel obire, quàm totos dies dolores perferre. Ego uero cũ in alijs quibufdam, tum duodecimo de curandis morbis Methodi, in uniuerfum manifeste fcripfi, tum de differentia affectionũ in quibus uehementer dolent, tum quæ caufa uniufcuiufque ipfarum exiftat. Scripfi item in decimo tertio eiufdem operis omnia, quæ neceffe eft medicũ de oculorum affectionibus noffe, & quæ ad ipfarum curationes requiruntur. Referam nihilominus tamen & nunc breuibus capitibus tantũ repetitis eorũ, quæ ad præfentem tractationem utilia funt, hoc eft eorũ quæ cũ materiæ medicæ doctrina cohæret. Nam & liquores, & fucci, & femina, & fructus, & plantarũ particulæ ocularibus cõpofitionibus induntur, ueluti etiam non pauca ex his quæ Metallica appellantur, aliqua quidem extreme auftera & acerba atq; acria, aliqua uero his moderatiora, & tamẽ fortia, Queãd modũ itẽ aliqua omnis mordacitatis experta ac leniffima per lotionem reddita.

De pharmacis mordacitatis expertibus, ac lenibus.

Pompholyx igitur lota nulli pharmacorũ mordacitatis expertium inferior eft, atq; ob id ea utimur ad tenues & acres fluxiones, capite uidelicet prius fimulq; uniuerfo corpore euacuato. At uero manifeftum eft quod per uenæ fectionem ac purgationem totum corpus euacuemus; per apophlegmatifmos uero caput à pituita uindicamus. Poteft enim pompholyx lota, quemadmodũ etiã fpodiũ, atq; amylum, fimul & moderate humores reficcare, fimulq; ne per tunicas euacuetur ea quæ in magnis ipforũ uenis fuperflua humiditas continetur, prohibere. Quare fi quis prius quàm caput ab humoribus ad oculos defluentibus expurget, obturantibus pharmacis utatur, uehementem dolorem ex diftentis tunicis efficiet, & ex multitudine influentium humorum, aliquãdo rupturam aut erofionem ipforũ inducet. Eiufdem generis cum prædictis pharmacis, fubtenuis ouorũ liquor exiftit, ex redundanti potens humiditates abluere, & exafperata oblinere. Verũ obturandi meatus uim cum illis æqualiter non habet, ficut neq; uim reficcandi. Atqui fœni græci fuccus quod ad uifcofitatem attinet, fimilis eft albo ouorũ liquori, difcufforiam autem habet facultatem, & moderate calfactoriam, atq; ob id multos dolores mitigare confueuit.

De pharmacis acribus.

Prædictorum pharmacorum fyluæ fecundũ genus maxime cõtraria acrium liquorũ materia eft, ueluti liquoris cyrenaici & Medici, & fagapeni, & euphorbij, atq; fimpliciter loquendo, omnium uehementer calfacientium citra exafperationem: atq; hæc ipfa fylua non folum in liquoribus, fed & in fuccis, & feminibus, & floribus, & plantarum fructibus continetur.

De extergentibus fiue repurgantibus.

Tertio confequenter poft prædictas, fortis facultas eft extergentiũ pharmacorum qualis fquamæ æris eft, & chalcitidis uftæ, & æris ufti, itemq; floris eius, & mifyos, ac foreos, itemq; ftibij.

De erodentibus.

His adhuc aliud genus adiacet erodentium uidelicet, quale eft auripigmentum & fandaracha, & Afiæ petræ flos, participat & mify paululum eiufmodi facultate.

De aftringentibus.

Eft & aliud genus pharmacorũ quod in oculares compofitiones inijcitur, eorum uidelicet quæ natura aftringũt. Quæ igitur mediocriter hanc uim habent, influxiones repellunt. Quæ uero uehementer, ampliorem dolorem infligunt, tunicas exafperando, quàm iuuent influxionũ impetum repellendo. Mi

ficetur autem aliquando utiliter ex eis parũ quid in cõpositiones oculorũ aciem exacuentes, utpote quæ oculorũ substãtiam cogant & adstringant. Verum quæ mediocriter adstringunt lippitudinibus cõmodissima existunt: cõferunt autem & reliquis fere omnibus adfectionibus ulcerũ, pustularũ & fluxionũ. Sunt uero eiusmodi. Folia rosarum & flores & succus, ericæq; fructus, & nardi spica, amplius & malabathri foliũ, & crocus, & lycium, & quæ hypocisthis appellatur. Porrò uehementiorem his adstringendi uim Acacia habet & omphacium, quæ & ipsa in succorum genere numerantur. Item balaustium, & cytini, & gallæ omphacitides ex genere eorum sunt quæ multum adstringunt.

De concoquentibus.

INflammationes itemq; alias affectiones concoquũt hæc, myrrha, crocus, castorium, & thus, & fœnigræci cocti succus, quæ etiam discussoria ui prædita sunt, & præsertim, ex eis myrrha. Atq; hæc quidẽ est ocularium medicamentorũ sylua, & quicunq; sane naturali intelligentia præstant, ratiocinationeq; exercitati sunt, nihil amplius opus habent mea instructione, potentes nimirũ ad singulas oculorũ affectiones aptum cõponere pharmacum. Quandoquidẽ uero pauci tales existunt, & multorũ utilitatis potiorẽ rationem habere cõuenit, præstabilius mihi uisum est cõpositionis ipsorum rationem integre recensere, ubi repetiuero prius perspicacitatis gratia, cõmunem in genere uim singulorum quorum mentionem feci pharmacorũ. Quæ uniuersim quidẽ in quinto de simpliciũ pharmacorum tractatione, cõmentario à me relata est, & per cõsequentes sex libros particulatim usq; ad extremũ. Vtar autẽ appellationibus facultatũ in pharmacis, isdem quas in prædicta tractatione posui, uelut exẽpli clarioris gratia. Quædam substantia terrestri dico, citra refrigerationẽ manifestam aut caliditatẽ, in medio quodãmodo utriusq; cõsistentia: atq; ex his aliqua quidem parum quid ex frigiditate aut caliditate cõplectuntur: aliqua uero in totum nullam eiusmodi facultatem ex se ostendunt. Totũ autem hoc genus pharmacorũ emplasticum, hoc est, meatus obducens & obturans appellaui, cõtrariam uim habens his quæ ab obturatione liberãtia, Ecphractica sunt appellata, qualis est Samius Aster magis tenuium partiũ existens q̃ quæ simpliciter Samia terra appellatur. Et pompholyx lota, uelut etiam cinis eius lotus; & cadmia usta ac lota. Videtur autem mihi parum quid exterforiũ in ipsa cadmia inesse, siue post ustionem, siue citra eam lauetur. Pompholygi uero & spodio parũ quid adstringẽs inest, Quemadmodũ etiã plumbo, post ustionẽ & lotionem, Nam & hoc pharmacũ omnis acrimoniæ expers est, parum quid astringens habẽs. Neq; refert siue masculino siue muliebri genere pompholygem dicere uelis. Eodẽ modo etiam amylum habet, quod & ipsum lotũ exquisite, mordacitatis expers est, et mediũ, ut neq; adstrictionẽ neq; acredinẽ habeat, hoc est, neq; frigiditate neq; caliditate participet. Quin & cerusa lota proxime ad facultatẽ usti ac loti plumbi accedit, manifestũq; signũ per adstrictionẽ exhibetur, quod penitus qualitatis omnis expers sit, & quantũ ex gustu ac odore apparet, amyliq; est & samij asteris naturæ. Vniuersum igitur huiusmodi pharmacorũ genus, siue modicã in gustu aut odore qualitatẽ exhibeat, siue penitus nullã ostẽdat, cõsimiliter ut purissima aqua, Qualitatis expers nominatur, & per solã terrestrẽ substantiam moderate à natura resiccat. Quapropter etiã lõgiori tẽpore cõmoditatẽ ex se proficiscentẽ sensui perceptibilẽ facit, utpote quæ per primos dies nihil iuuisse putetur. Adhibetur tamẽ à medicis tanq; acrimoniæ expertia, circa ægre curabiles affectiones, in quibus ulcus est siue solũ, siue cũ erosione corniformis tunicæ, & prolapsu uuiformis appellatæ, serosis humoribus lõge mordacissimis affluẽtibus, In his enim nullũ aliud pharmacum

cõuenire poteſt,utpote quum adſtringentia cohibeant effluentes humores,atq; per hoc dolorem ex mordacitate ipſorũ obortum intendant,Acria uero affectionem ſimul adaugeant,ſiue in ſolis oculis affectio ſit,in eiuſmodi malum habitum partibus perductis,ut quod influit corrumpant:ſiue etiam ipſum quod influit uitiatum ſit,aut propter ſolum caput,aut etiam ob totum corpus tale exiſtens, Vnde etiam affectã partem quo ad curationẽ apta fiat præparamus,tum totius corporis purgationibus,tum reuulſionibus,primũ quidem ad infernã corporis partem,deinde etiã ad occiput,& capitis cutem. Vtimur etiam ſectionibus arteriarum,quãdoq; retro caput porrectas circa aures arterias incidẽtes. Excindimus quoq; partem arteriarũ in temporibus,tantum ut curemus in tunicis oculorũ factam affectionẽ; ob quam etiã bonus ſanguis per uenas ad ipſas tunicas delatus corrũpitur. Ad has igitur affectiones ſolas conuenire uidetur prædictorũ medicamentorũ genus,citra mordacitatẽ reſiccans in affecta parte uitiatos humores, quæ ut dictũ eſt id quod influit corrũpit.Adſtringentiũ enim facultas neq; reſiccat talem affectionẽ,cohibetq; mordaciũ humorũ ſeroſorũ effluxus,Calidorum uero & acrium facultas nõ ſolum nihil iuuat,ſed etiam ſimul auget mordaciũ humorum qualitatẽ.At uero relaxantiũ & diſcuſſoriorũ pharmacorũ uis euacuare quidẽ poteſt quod generaſ,Verũ ulceratum neq; renutrire aut ad cicatricẽ perducere poteſt,neq; quod procidit retrudere & cõcludere, Quemadmodũ etiam neq; concoquentiũ facultas id præſtare poteſt,etiã ſi cõcoquere affectiones non paruũ cõmodum cõplectatur.Ex eorũ uero genere ſunt crocus,myrrha,et thus, quemadmodũ dixi. Quid porrò dicere refert,de his pharmacis,quæ acidas aut amaras habent uires, quòd mordacia & exacerbatiua eiuſmodi affectionũ exiſtant? Verũ his adhuc ampliore malicia prædita ſunt,quæ nitroſam,aut ſalſam, aut auſterã uim habẽt. Reliquũ igitur eſt genus id quod ulcera cum acri fluxione curare poteſt,eorũ uidelicet quę paulo antè mordacitatis expertia pharmaca dixi,quæ longiori tẽpore affectæ partis uitiatũ humorẽ conſumũt, Appellantur talia à Medicis collyria libiana & cygni, Ob colorẽ quidem albũ qualem etiam cygni habẽt,preualente in ipſis amylo, & terra Samia ac ceruſa Rhodiaca,Nam & aliàs optima hæc eſt,& colore albidior ac leuior,magiſq; tenuium partium ꝙ quæ in alio quopiam loco cõficiantur. Cæterum in quibus alia pharmaca prædominantur,colorem iuxta ſui ipſorum ſubſtantiam efficiunt,ueluti ſi quis albo colori modicum cæruleum ammiſceret. Hæc ipſa uero collyria quidam in cotibus terunt,boni ſucci lacte ex nutricũ uberibus inſtillato,ut obductoriam meatuum uim quæ in ipſis ouis eſt euitent, quum in lacte ſeroſa quædam exterſoria uis contineatur,cuius uſus congruens eſt ad propoſitam curationem. Relatum enim in tertio curandi Methodi eſt, Quod ulcera explenda, citra acrimoniã extergẽtibus medicamẽtis opus habeant. Quod ſi huiuſmodi lac haberi nequeat, per fœni græci decoctũ collyria terere præſtiterit, utpote quod exterſoriã quandam uim habet,qua oua ipſa in totum carent.

De aſpritudinibus palpebrarum.

QVum ægre curabiles prædictæ affectiones exiſtãt, adhuc moleſtius ſe extendunt, ubi acceſſerint aſpritudines palpebrarum, à quibus etiam in lipitudinibus oculorum tunicæ inciſæ,dolore affliguntur.uerum in illis audemus ad inflammationi propria pharmaca, miſcere parum quid de extergentibus,ueluteſt collyrium ex uino aſpritudinibus accommodatum , quo primum ea quæ ad palpebras delata ſunt,deprimanſ, ubi uero inflammatio reliquit,ea quæ aſpritudines repurgare poſſunt adhibemus. In his uero qui ulcus habent cum mordaci fluxione, impoſſibile eſt eiuſmodi uti pharmaco : corniformis enim tunica amplius

amplius erodetur, & uniformis magis procidet, & uehemens dolor hominem apprehendet, augebiturq; malignitas fluxionis. In huiusmodi itaq; affectionum complexu Medici ad consilij inopiam redacti, solum remedium uelut in desperatis repererunt, ut extensis atq; uersis palpebris, ipsa citra pharmacorum usum repurgent & abstergant. Aliqui quidem specilli concauo superficiem deradentes, deinde molli spongia id quod defluit excipiētes, & de cætero palpebrarum asprititudinem moderatiorem reddētes. Aliqui uero etiam marinorum quorundam animalium coria in superficie aspera, in eiusmodi usum congrue adsumūt. Quidam ex præceptoribus meis etiam ex pumice collyrium fecit, cum eoq; extentis ac uersis palpebris aspritudines deradebat. Manifestum est autem pumicem exquisite leuigatam esse oportere, atque ubi id factum fuerit cum tragacantha aut gummi in collyrium formari. Cæterū ubi temporis progressu per prædicta collyria fluxio fuerit sedata, audemus iam ea quæ palpebras extergent adhibere, parum tamen quidpiam ex eis in principio ammiscendo, quod ubi homo perpeti posse uidebitur, paulatim copiam augebimus. Postquam uero fluxus fuerit resiccatus & palpebræ moderate habuerint, caua ulcera collyrio ex thure explere oportet, ita ut in principio pauxillum ex collyrio ex uino ei ammisceamus, & paulatim eius copiam extendamus, ut ne palpebræ amplius tunicas oculorū infestent, & ulcera mūda reddita exacte impleātur, & ad cicatricem perducātur. De his itaq; sufficienter dictū est. Transeundi enim iam tempus ad reliquas oculorum tum affectiones, tum pharmacorū ad easdem cōpositiones.

De lippitudine siue ophthalmia. Cap. II



Xordium autem à frequentissima oculorum affectione sumam, quam proprie ophthalmiā, hoc est, lippitudinem appellant. Est autem uelut didicistis, inflammatio tunicæ os capitis & caluariam ambientis, neq; refert si pelliculam quis, aut quocunq; tandem nomine appellare uelit. Vocāt autem & membranam agnatā, propterea quod alijs quæ oculum ipsum constituunt tunicis, forinsecus agnata sit, ligamentum existens toti oculo ad circumsita ossa, & ob id omnia quæ circūcirca oculos sita sunt usq; ad malas quandoq; in uehementi lippitudine simul attolluntur. In propatulo itaq; est, omnia pharmaca huiusmodi affectionem curātia, sub communem omnium inflammatorum curationem cadere, assumereq; necessario quippiam pro partis ipsius natura, quæ excellentem molliciem & ad hoc ut lædatur aptitudinē, super omnem totius corporis cutem nacta est, propter sensus subtilitatem, & substantiæ raritatem. Adhibenda sunt autem pharmaca repulsoria nō exasperantia, hoc est, non uehementem sortita adstrictionem, sed quæ tum propria sua substantia sunt moderatiora, tum lenitiui liquoris ammixtione adhuc magis talia fiant. Lenitiuos autem liquores dixi oui candidum, & fœni græci decoctum, & ad hæc amplius ipsum lac: in quo prouidum esse conuenit, ut iuuenculæ simulq; boni succi fœminæ existat, uberibus ipsius in cotem in qua collyrium teritur expressis, quo calidum adhuc oculis infundatur. Cæterum hoc in uehementi dolore afflictis, aut propter inflāmationis magnitudinē, aut ob influētium humorū acritudinē, facere cogimur. Vt plurimum uero albus oui liquor cum accommodatis pharmacis, lippitudines curare sufficit, per collyria uidelicet Monohemera, hoc est, unius diei, appellata. Adeò enim hæc non parum sæpe magnas inflammationes mitigauerunt, ut in uesperam quidem homo in balneo uteretur, Insequenti uero die nardino collyrio ad instaurationem & corroboratione inungeretur. Admiscere autem ei circa primam inunctionem, minimū quiddam acrium & sistentium medicamentorū oportet, & circa secundam paulò amplius quiddā priore.

Sufficiunt enim hæ duæ pharmaci adhibitiones, & deambulatiuncula aliqua non multa ante balneũ. Porrò collyria Monohemera appellata, quædam priuatim fe culenta dicta, multam in se habent Acaciam. Quædam siue omnino modicam, siue neq; in totum habent. cõplectuntur autem alia quidem æris squamam, alia uero æs ustum modicũ, additis multis alijs quæ mediocriter adstringunt, & con coquunt, & discutiunt. Talia autem sunt, crocus, myrrha, lycium indicum. casto rium etiam & thus citra adstrictionẽ cõcoquunt simulq; discutiũt. In quibus igi tur adstringentia prædominantur, plurimũ oui liquorẽ, & modicissimũ pharma cum esse oportet, præsertim si quid ex metallicis pharmacũ in se cõplectatur. In quibus uero crocus, & myrrha, castoriũq; ac thus, & lyciũ perualent, paulò crassiore pharmaco utendum est. Fomentum præterea omnino adhibendũ est ipsis per spongiam, siquidẽ mediocris sit dolor, semel aut bis in die. Si uero uehementior dolor urgeat, præstat ter aut quater, & sæpius uti, in longis præsertim æstiuis diebus. Fiat autem fomentum per meliloti & fœni græci decoctum. De lippitudine itaq; satis dictum est, deinceps de ulceribus dicam.

De ulceribus oculorum. Cap. III



Lcera oculorũ eandem secũdum genus curationem requirunt, quam alia ulcera, eam uidelicet quam per longum in tertio & quarto curatiuæ Methodi recensui. uerum ob partis naturam quàm lenissima adhibenda sunt, ex quorum numero id quod ex pompholyge lota cõstat esse dixi. Ammiscentur eis etiam succi quidam non solum omnino mordacitatis expertes, sed qui etiam uehementiss. dolores mitigare possunt, uelut est mandragoræ succus. Quidam etiam polygoni succum ammiscuerunt, quemadmodum alij ipsorum etiam ouorum candidum. Manifestum uero est, quòd ubi iam propemodum instat tempus præparandi pharmacum, tum demum huiusmodi ammiscentur, propterea quod facile acescant. Eodem tempore etiam rosarum additur succus. Cæterùm sylua medicamentorum quæ propriè ad oculorum ulcera pertinet, itidem scopum habet, ut ulcus mundum seruetur, Vtpote partium natura ipsum explente & ad cicatricem perducente, quemadmodum in alijs ulceribus est prædictũ. Si itaq; inflãmatio adhuc circa oculum existat, aut quispiam etiam dolor, collyria ex thure, & metallicis lotis, & succis mordacitatis expertibus adhibentur: ubi uero sordida reddita ex eorum usu ulcera fuerunt, de repurgantibus quippiam ammiscere oportet, Quale est paccianum ex uino croceum, quo utimur, minimum quid ex eo prædictis pharmacis addentes. Habet autem hoc plurimum in se crocum, unde etiam croceum appellatur. Habet etiam ex repurgantibus metallicis aliqua, quapropter etiam aspritudines extirpat non paruas modo, sed magnas quas sycoseis Græci à granorum ficus similitudine appellant, Attenuat item pterygia, hoc est, oculorum ungues. De his itaque medicamentis paulo pòst dicetur. At uero ulcera quæ per erosionem tunicæ corniformis fiunt, ut etiam ex uniformi quid pronuat, manifestum est quòd tum propter seipsa, tum ob prolapsionem, repellentibus & adstringentibus pharmacis opus habent. Conandum est autem ut ex ipsis eligamus quæ nullam aspritudinem faciũt. Verum his contraria pharmaca, hoc est, discussoria pustulæ expetũt, & pus quod intra corniformem est generatum. Recentia igitur & adhuc inflammata, pharmacis ex myrrha, thure, et croco sedantur, Vetustiora etiam ex discussorijs quid deposcunt, quemadmodum item induratæ inflammationes tunicarum. In his enim & per acres liquores hæc ipsa pharmaca in collyriorũ formam redacta proficiunt. & quæ priuatim à Medicis inunctiles liquidæ compositiones appellantur, quales etiã in his qui suffusionis principiũ sentiunt, apparãt.

In pterygijs uero & sycosi repurgantia, ut dixi, pharmaca adhibentur, partim in collyriorum formam reducta, partim arida citra alicuius figuræ inductionem, in quibus aliqui etiã ex erodentibus pharmacis aliquid addiderũt. His uicina sunt quæ scabras in palpebris affectiones persanant, atque ob id psorica appellantur. Fortissima uero omnium sunt quæ antiquos callos consumunt, & quæ pterygia dicta curant, ex repurgantibus & erodentibus medicamentis conflata.

De ocularium pharmacorum uiribus. Cap. IIII

Porrò quum iam omniũ ferè in oculis affectionũ, pharmacorumq; eorundem secundũ genus expositionẽ fecerim, relataq; sint à me pharmaca secundum genus mordacitatis expertia, qualia ex lotis metallicis cõponi dixi: melius fore mihi uidetur si etiã aliorũ ocularium pharmacorũ uires exponã. Ex hoc enim existimo ad cõponendum promptiores futuros, & de iam cõpositis felicius iudicaturos, eos qui in ipsis fuerint exercitati. Quũ igitur mordacitatis maxime expertia sint pharmaca quæ dixi, Sintq; acrimoniæ omnis expertes tres liquores, quorũ primus fœni græci decoctum erat, alter lac, tertius tenuis ouorum liquor, In hoc genere esse existimandũ est, tum gummi, tum tragacantham: & nisi prædicta tria copiaq; & usu prompta & expedita essent, possimus parum gũmi aut tragacanthæ in multa aqua maceratum in eandẽ usum uelut illa assumere: ita ut per ipsa in medica cote collyria tereremus, & per sola etiam infusa serosos in affectis oculis generatos humores elueremus. Sed tamen etiã nũc ipsis circa omnia ferè collyria utimur, paucissimis enim demptis, omnia postq; trita sunt, moderate his ipsis pharmacis madefacta excipiuntur. Vnum sanè hoc genus ocularium pharmacorũ numeretur, in tribus liquoribus, tragacanthaq; ac gummi, & lotis metallicis cõtentum. Alterũ uero genus eorum est quæ modicam habent mordacitatem, propterea quod quædã eis am mixta sunt quæ parum adstringunt & extergent. Qualia pharmaca sunt rosæ & thus, rosis quidem paucam habẽtibus adstrictionẽ, thure uero modicã uim extergendi. Et quum thus mediocriter calida ui præditũ existat, eam ob rem habet quid cõcoctorium & quod dolorẽ sedat. Ex eodẽ genere cũ ipso, quantũ ad concoctionẽ & discussionẽ attinet, cẽsendus est crocus & myrrha: quæ inter se in eo differũt quod crocus moderate adstringat, myrrha uero citra adstrictionẽ nõ ingenerose discutiat & reficcet humiditates. Sũtq; sanè hęc uiribus prẽstãtiora thure, & ob id etiã maiorẽ discutiendi uim habent uerũ exterforia ui carẽtia, ad ulcerum curationẽ thure inferiora existũt. Huius generis medicamentorũ, concoctorij inquam & discussorij, Lyciũ quoq; est & castoriũ, neq; obscurũ esse puto, Indicũ lyciũ à me dici, nõ hoc quod apud nostros populos prouenit. proxime uero ad horũ facultatẽ accedit sarcocolla dicta, quæ concoctoriũ & discussoriũ est medicamentũ, atq; ipsa adhuc magis galbanũ prędictas uires habet. Meliloti uero decoctũ ad concoctoriã facultatẽ adsumpsit etiã quid adstrictoriũ, eiusdẽ ferè generis cũ croco existẽs. Injicitur etiã in oculares cõpositiones lapis Hæmatites appellatus, humores reficcandi uim habens, uelut & Cadmia. Mitius autẽ pharmacum lapis ipse q̃ Cadmia existit, utpote ex humida substantia, non terrestri, uelut Cadmia, generationẽ adeptus. Hanc enim eius naturã indicat solutio, quæ fit in medica cote, quum per attritionem cum liquore quopiam in succum resoluatur. Quin & quum solus per se citra liquoris alicuius affusionem teritur, non in terrea fragmenta dissoluitur uelut Cadmia, sed in æqualium partium & cohærens corpus. Consimilis ei est & lapis Schistus appellatus, sed fortiorem facultatem habet. Quod uero stibium appellatur illotũ quidem fortè ex se ostentat adstringẽdi facultatem: lotũ uero exoluitur, ut prope ad mordacitatis expertium uim

uim accedat. Vehementē autem extersoriā facultatem æs ustum habet, itemq́; squama eius & flos, Neque minus efficax, sed minus mordacitatis expers chalcitis usta est. Quod si lauentur talia pharmaca, extersoria quidē adhuc manent, tanto autem efficacia imbecilliora, quantum mordacitatis magis expertia fiunt. Huius generis sunt etiam Misy & Aerugo, fortissima pharmaca his quæ sycosi & callis cōueniunt ammixta, Quidam uero ipsis etiā gallas iniecerūt, uehementer adstringens pharmacū: quemadmodum aliqui chalcanthum neutro genere appellatum, atq; etiam ut aliqui usurpant chalcanthus, tum masculino tum muliebri genere, quod ad adstringendū unà cum acredine uehementissimum inter hæc omnia pharmacum existit. Manifestum est autem quod multo moderatius redditur ustū & lotum, ad hanc syluam pertinet etiam stomomatis squama. At thuris cortex adstringit quidem & ipse non ingenerose, uerum prædictis omnibus longe inferior est. Atqui & Misy ipsum tum ad easdem affectiones, tum amplius ad scabras palpebras quidam in collyria miscuerunt. Quandoquidem uero et Mannæ quidam mentionem fecerunt, & uidetur aliquibus nihil à thure trito ac leuigato differre, Cognosse operæpretium est, quòd Mannam propriè appellant id quod excussum est à thure circa magna onera confracto, Auferuntur enim simul ab ipso fragmenta quædam parua corticis Thuris, quare à thure differt tale pharmacum in hoc quod parum quid adstrictoriū adsumpsit. Quæcunque igitur ex adstringētibus multā terream compagem habent, asperitudines & sycoseis ac callos consumunt. Cæterum quæ ex succorū genere sunt, uelut omphacium & hypocisthis, eluuntur facile in sublitionibus diffluentia simul cum lachrymis. Ex hoc genere est & glaucium & acacia. Citra mordacitatem uero extergit cerui cornu ustum, uelut etiam caprarum, Dictum est autem & thus ex talium genere esse, uerum hoc uelut dictum est, omnino exigua participat extergendi facultate, doloris sedatiuum & concoctoriū existens. Cornua uero prædictorum animaliū extergendi quidem uim habent, sed neq; dolorem sedant, neq; concoctoria facultate prædita sunt, frigidi nimirum & sicci temperamenti existentia. Habet autem & quod Armenium uocatur, extergendi uim, quemadmodum & atramentum Indicum appellatum, & ob id sanè ulceribus inflammatione carentibus citra molestiam adhibetur, Mixtæ uero quodammodo facultatis est aloe, ueluti etiam rosa. Habet enim quid in se amarum, quod extergendi à natura aptitudinem habet: inest autem ei etiam quid adstrictorium, ut committat & ad cicatricem ulcera perducat.

Quæ ad scabras affectiones conueniant.

EX pharmacorū ad scabras in palpebris affectiones conuenientiū numero, sunt sales ammoniaci, & lapis Asius tum ipse, tum flos ipsius, & quod psoricum appellatur, non simplex, neq; sponte naturæ productū, sed præparationis modū quendam habens, quem etiam Dioscorides cōscripsit, & alij ferè omnes, qui de Medica materia commentati sunt. Ammiscetur his & misy ustum, & sandaracha, & quod à ueteribus Grecis Arrhenicum, nostro uero æuo Arsenicum appellatur. Ex medicamentis uero aromaticis casia, & malabathri folium, quin & amomum & cinamomum quidam ocularibus compositionibus ammiscuerunt, quum discussoriam quidem uim habeat cinamomum, reliqua uero etiam adstringendi facultate participent. In cōmuni porrò de omnibus repurgantibus siue extergentibus & rypticis à Græcis appellatis, medicamentis id nosse oportet, tum eis quæ moderata sunt, tum his quæ sycoseis & callos cōsumunt, quod hæc omnia etiam ad cicatrices crassas conueniant, Attenuant enim ipsarū crassitudinem, & substantiam superficiei deradunt ac remouent.

Quæ

Quæ induratis auxilientur.

COmpositiones quæ ad induratas oculorum tunicas conueniunt, ex succis constant & ammoniaco thymiamate, quemadmodũ etiam antea dixi, Miscentur autem eis moderatiora quædam, quę uiribus eorum tamen nõ obluctentur, myrrha uidelicet & thus, & galbanum, aliaq; consimilia.

Quæ suffusis conueniant.

AD suffusos uero quidã Medici liquida pharmaca cõposuerunt. Ac prima ferè omnium cõpositionum est quæ ex fœniculi succo, & hyænæ felle, ac melle Attico constat: quidam uero etiam caprinum fel addiderunt. Verum postea alius aliud fel ammiscuit, alius galli, alius uiperæ, alius testudinis marinæ, alius callionymi piscis. Nũc uero in pretio est pharmacũ ex felle scarorũ. Quemadmodũ & quod ex myrrha stacte cõstat. Promissiones itaq; omniũ horũ pharmacorũ magnæ sunt. Verũ effectus aliquando nullus, aliquãdo ualde exiguus.

De Aridis medicamentis oculis conducentibus. Cap. V

EX præscripta materiæ medicæ sylua composita sunt à Medicis pharmaca arida, quę priuatim ab ipsis arida collyria appellantur, Quorum aliqua quidem callos & Sycoseis cõsumunt, excrescentem item iuxta nasi angulũ carnẽ, encanthida appellatã, & pterygia quæ etiã ungues dicũtur. Aliqua uero scabris palpebris cõueniũt, & ad palpebrarũ defluuia quę Milphę appellãtur cõducunt: uerũ aliã ab acribus collyrijs facultatẽ habẽt, unde etiam à quibusdã medicis Apodacrytica, id est, delachrymatiua & repulsoria appellantur, uelut etiã ipsa collyria. Ex his aũt pleraq; etiã obtuse cernentibus, siue per ætatẽ, siue crassitudine, aut frigiditatẽ humorũ in oculis, aut etiã flatus caligini redundantiã id cõtingat, nõ parũ prosunt. Aliqua deinde ex aridis pharmacis affectionẽ in oculis cõgregari prohibent, impediẽdo uidelicet influxiones humorũ, ex quibus oculi lædi cõsueuerunt. Præstantissimũ uero horũ apparuit, & experiẽtia iudicatũ est quod ego cõposui, & ob id apud multos in usu est, ac ferè per omnes gentes, quibus imperat Romani. Ac primũ sanè ipsius cõpositionẽ scribã, quũ præstantius putem esse, nullis omnino affectionibus corripi, quàm eas quę iam prœoccuparũt optime sanare. Quãdo uero etiã Asclepiades plurimãq; & optimam tum aridorũ, tum liquidorũ collyriorũ cõscripsit syluã, ab aridis primũ initio facto: & ego sane mihi rectè facturus uideor, si cõsimili scribẽdi ordine utar. Quare ubi meũ aridũ adscripsero, deinceps omnia quæ Asclepiades habet in primo externorũ quem Marcellæ inscribit, iuxta ipsius ordinẽ subiungam. Et post hæc cataplasmata oculis accõmoda, agglutinatoriaq; & inunctilia pharmaca ab Asclepiade descripta adijciam. Præstabilius enim mihi uidetur & istorũ ordinem in scribẽdo seruare, atq; ita ad collyria ac liquida pharmaca trãsire, omnibus appositis, uelut Asclepiades ipse recensuit, illius ipsius uerbis.

Pharmacũ Aridum ad tuendam oculorũ ualitudinem à me cõpositum.

VTilissimũ sanis oculis præseruatiuũ ego cõposui pharmacũ, quod omnes iam in usu habent. Vritur lapis phrygius in minutas partes confractus, ut maior tamen sit nuce quæ pontica à quibusdã uocat, ab alijs nux parua. Modus urẽdi idẽ qui in alijs est, lapide in ollulã nouã cõiecto, deindeq; ollula forinsecus luto obturata, operculũ perforatũ uel in solo uertice, uel quod melius est, etiã circa alias plures partes imponimus, quo per ipsa foramina fuliginosæ & fumosæ eorũ quę urũtur exhalationes facilius efferantur. Postq; uero totus lapis ignitus factus fuerit, tunc sanè ollulam in purũ quoddã uasculũ euacuare oportet, butyrumq; infundere nõ uetustũ, & circũagitare usti lapidis partes, donec omnes extinguantur, atq; tũc cessare, & sic rursus easdẽ in ollulã cõiectas urere, rursusq; pru

nis

nis cādefactis ab igne ollulam imponēdo, ut nihil fumosum in se habeant: uentilatione etiā easdē excitare cōuenit, quo citius ustio perficiatur. Deinde quū iam igniti facti fuerint lapides, & nulla amplius fuligo effertur, rursus eosdem eximere oportet, & uino phalerno extinguere, aut aliquo fuluo & odorato, uelut est Tmolites, Aruisiūq; & Lesbiū. Deinde rursus in ollulam cōiectos, tertio urere, & postquam ignitus fuerit lapis, rursus extinguere melle Attico nō multo. Reddetur enim pharmacum non aridum, sed uiscositate aliqua præditum. Cæterum pluribus diebus trita & præleuigata in prōptu habere oportet, ita ut in tenuissimum puluerem redacta sint, subscripta. æris usti unciam I. quod est drachmas VIII. piperis albi tantundem, folij malabathri tantundem, stibij hemiolium quod est drach. XII. his ammisce lapidis usti lib. I. Et postquam omnia probe fuerint leuigata, & reponere medicamentū uelis, adijce opobalsami Syriaci sesquiunciam quod totum drach. XII. facit. Sit uero opobalsamum tenue & pellucenti compage, non crassum quemadmodum solet in uasis circa fundum considere ac spissari: quod enim ita crassum est, ariditatem pharmaci impediet. Porrò usus ipsius ad solas palpebras competit cum specillo inducti, citra tunicarū ipsius oculi contactum. Vt plurimum itaq; sufficit circa solam infernam palpebram specillum inducere. Nihil uero uetat etiam supernam palpebrā similiter illinere, ubi presertim pharmaco opus fuerit, hoc est, ubi iam manifeste perturbationem quandam perceperit oculus: non tamen expectare conuenit donec id fiat. Verū præoccupare oportet circa primum affectionis sensum, in omni tēpore diei, etiamsi quis biberit & cœnauerit. Et planè frequens eius competit usus, cum cautione, ut dixi, ne tunicæ oculorum eo contingātur. Oportet autē & eum cui inducitur pharmacum palpebras exertas & extētas exhibere, & quum inungitur nequaquam cum ipsis nictare. Hoc sanè pharmacum à me cōpositum est, nō permittens eum qui ipso rectè utatur oculorum lippitudine apprehendi. Deinceps uero quæ ad affectiones commoda sunt medicamenta cōscribam, initio ab his quæ Asclepiades scripsit facto.

Arida pharmaca ad oculos ab Asclepiade conscripta. Cap. VI

IN primo libro pharmacorum externorum quæ Marcellæ inscribit, in hunc modum hæc uerba scribuntur, Aridū ex psoricis Heraclidæ, ad circunrosos oculorū angulos. Spodij cyprij, drach. IIII. omphacij aridi drach. II. nardi obol. III. piperis fricti grana XV. tritis utere.

Psoricum Aelij. Cadmiæ drach. IIII. æris usti drach. II. cum aceto in sole terito & resiccato, rursumq; leuigatis & repositis utitor. Aliud, Cadmiæ drach. I. æris usti drach. I. nardi indicæ drachmā. I. piperis fricti obol. II. tritis utere ut pharmaco uehementer commodo. Aliud, Chalcitidis partes II. cadmiæ partem I. tusa & cribrata terito in sole, adiecto uino sufficienti, deinde resiccato, & leuigatis repositis utitor. Ex libris Philoxeni aridū Achariston. Cadmiæ drach. II. chalcitidis drach. VIII. aloes obol. II. æruginis obol. II. piperis grana. X. florum rosarum drach. I. tritis utitor. Eiusdem ad lippitudinē siccam & sycosin, putrescentia, & excrescentem carnem. Cadmiæ drach. X. chalcitidis drach. VIII. piperis grana XV. nardi celticæ. drach. I. Cadmiam & chalcitidem cum uino terito, atq; ubi exaruerint nardū & piper inijcito, ac in pusillum redactis utitor. Aliud, Cadmiæ drach. XX. chalcitidis drach. XL. nardi indicæ drach. II. myrrhæ torrefactæ drach. II. piperis grana XXXV. cum aceto acerrimo apparato. Capitonis ad lippitudines siccas, et oculos humectos, ac angulos circūrosos & palpebras ficosas. Cadmiam cypriam ad polentæ magnitudinem confringimus, deinde Attico melle subactam in uasculum fictile cōijcimus

mus, huc usque ore obturato, ac luto circũlito, foramen iuxta mediũ oris facimus, quo id quod assatur inde transpiret. Ipsum uero uasculum intra prunas erectum statuentes succẽsis prunis urimus, atque ubi exiguum fuerit, exhalationum per foramen elatarum animaduersionem habemus, quæ si nigriores efferantur, amplius urimus. Quũ uero albidiores apparuerint, assationem sufficientem factam putamus, ablatoque uasculo & dempto operculo, cadmiam uino Italico extinguimus, & in pilam translatam terimus, resiccatamque ad pharmaci cõfectionem reponimus. Quæ hoc modo habet. Cadmiæ drach. VIII. æris usti drach. VIII. stibij drach. VIII. tritis & ablatis utere, cum specilli extremo palpebris mane & uespere ex eo sublitis. Aliud, Cadmiæ ustæ uelut prædictum est drach. VIII. æris usti drach. VIII. stibij drach. IIII. armenij drach. II. tritis & repositis utitor. Nos cadmiam & reliqua adipe uiperę excepta assauimus, deinde uino extinctis ac tritis usi sumus. Pharmaca ex lapide Hæmatite ad scabras palpebras accommodata. Capitonis ophthalmici, Cadmiæ cypriæ drach. XXIIII. lapidis hæmatitæ drach. VI. in alio exemplari drach. XVI. æris usti drach. XXIIII. arida ad polentæ magnitudinem contunduntur, melleque excepta uelut prædictum est assantur ac uino extinguuntur, deinde resiccata leuigantur. Vsus demonstratus est. Aliud, Cadmiæ drach. XX. æris usti drach. X. lapidis hæmatitæ drach. X. tomentorum purpuræ laconicæ drach. VIII. melle excepta & usta composito ut dictum est. Sosandri ad palpebrarum defluuia, & inueteratas affectiones, facit & ad excrescẽtem iuxta nasi angulum carnem. Cadmiæ, stibij, chalcitidis crudæ, misyos peregrini, singulorum drach. VIII. contusa & melle excepta uelut dictum est assato, deinde uino extincta tritaque & resiccata reponito, utitor. Aliud, Chalcitidis crudæ cadmiæ, stibij, misyos peregrini, singulorũ drach. VIII. nardi indicæ drach. II. croci torrefacti drach. II. piperis drach. unam. Metallica melle subigũtur ac urũtur ut dictũ est, deinde uino extinguunt & teruntur, adijciturque his nardus & crocus torrefactus, itemque piper, postea uero simul leuigatis ac repositis utimur. Pharmacũ calliblepharon exornandis palpebris accõmodatum. Facit & ad inueteratas lippitudines. Stibij usti ac uino extincti drach. XVI. plumbi usti & loti drach. VIII. fuliginis thuris, spicæ nardi, myrrhæ torrefactæ, croci, squamæ æris, singulorũ drach. I. Omnibus tritis ac repositis utitor. Aliud ex croco, Croci unc. I. glaucij unc. I. sarcocollæ unc. I. ego etiam opij unc. I. adieci. Aliud Seuerianum, Cadmię ustæ & lotæ sextarium, salis ammoniaci, piperis albi utriusque sextãrem, folij drach. II. probe tritis utitor. Aliud pueris maxime cõmodum, Stibij drach. XVI. plumbi drach. VIII. squamæ æris drach. I. croci drach. I. florum rosarũ drach. I. myrrhę drach. I. nardi indicę, thuris masculi, piperis albi, singulorũ drach. I. palmularum officula decem, omnia in figulinũ uas cõiecta diligenter assato. Deinde in pilam translatis ac tritis opobalsami cochlearia duo adijcito, conquassato, resiccato, & utitor. Aridũ Philoxeni ad pruriginosos ac circũrosos augulos. Facit & ad obtusum uisum, Cadmiæ drach. IIII. salis ammoniaci drachmas II. piperis albi drach. I. tritis utere. Ego hæc ita adparo. Cadmiæ drach. VIII. croci drach. II. piperis albi drach. unã. salis ammoniaci drach. II. nardi indicæ drach. I. tritis utitor.

Liquidæ oculares compositiones ad sicosas eminentias, ac omnem extuberantiam carnis. facit & ad carnem circa nasi angulum excrescentem. & ad incipientem lippitudinem. Cap. VII



COmpositio qua usus est Philippus in Cæsaria, Misyos assati drach. VIII. myrrhę drach. IIII. cadmiæ drach. VIII. croci drach. II. salis ammoniaci drach. II. nardi indicæ, piperis albi utriusque drach. I. mellis Attici

 cyathum

cyathum unum. Aliud, Misios assati drach. VI. atramenti sutorij drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. æris usti drach. I. mellis attici cyath. I. Panchrestos Erasistrati. Ad asperitudines ac omnes lippitudines, aures & purulentas, & ad ulcera ægre recipiētia cicatricē, & ad nomas, hoc est, ulcera serpentia oris. Aeris usti drach. II. myrrhæ drach. I. piperis obolos II. misyos assati drach. I. croci obolos III. uini chij heminam unam, passi cretici heminæ dimidium. Arida terito assuso uino, atq; ubi imbibitum fuerit uinum, affunde etiam passum, & conquassata in æreum uasculum transferto, ac ad lentum ignem coquito, deinde in pyxidem æream reponito. Ad callos & omnem eminentiā. Aeris usti drach. II. misyos usti drach. I. myrrhæ drach. I. croci drach. I. omphacij drach. I. uini chij cyathos II. mellis attici libram dimidiam. utitor. Philoxeni liquida usum exacuēs, cicatrices & callos exterit. Ammoniaci thymiamatis drach. IIII. æruginis drach. II. uino diluta & contrita melle attico excipito. Aliud, Ammoniaci thymiamatis drach. XII. æruginis drach. VI. myrrhæ drach. II. componito ut dictum est. Aliud Phædri Rhinion, id est limula. Ammoniaci thymiamatis drach. IIII. æruginis drach. I. alcyonij torrefacti drach. I. floris lapidis Asij obolos III. componito ac utitor ut dictum est. Aliud, Ammoniaci thymiamatis drach. VIII. æruginis drach. VIII. floris lapidis Asij drach. II. obol. II. alcyonij drach. I. obol. II. opij sesquidrachmam, myrrhæ sesquidrachmam, componito ac utitor ut dictū est. Aegyptia ad callos & albugines, auffert etiam pelliculas confestim. Aeruginis Corinthiæ drach. VI. ammoniaci thymiamatis drach. VI. obol. IIII. salis fossilis drach. IIII. medullæ colocynthidis drach. IIII. fellis taurini drach. II. nitri nigri sesquidrachmam, piperis albi grana XL. mellis attici cyathos VI. componito ut dictum est, & in pyxide silicea reposito utitor. Alia Aegyptia ad callos & albugines, ac inueteratas affectiones. Aeruginis drach. VI. ammoniaci thymiamatis drach. VI. medullæ colocynthidis drach. III. fellis taurini drach. II. nitri nigri drach. II. excipe mellis attici cyathis VI. & utere.

Compositio exacuens usum, faciens & ad glaucedinem. Antonij Musæ. Fellis perdicis syluestris partem unam. In alio exemplari, succi herbæ perdicij. Aliqui succi centaureæ partes III. mellis attici tantundem. Aliud, Fellis gallinæ ueteris partem unam. succi centaureæ partem unam. mellis attici partes tres. facit ad glaucedines. Compositio Largi exacuens usum. Succi fœniculi radicis partem unā. mellis tantundem. Reponito in pyxidem æream ac utitor. Aliud, Succi radicis fœniculi partem unam. succi chelidoniæ tantundem. mellis attici tantundem. Aelij Galli ad suffusiones. Fellis testudinis marinæ drach. VIII. mellis attici tantundem. fellis taurini drachmas II. croci drach. II. opobalsami drach. II. contusis utere. Cassij ad suffusiones. Fel taurinum in æream pyxidem euacuatum per dies decem finito, deinde myrrhæ, croci, utriusque drach. II. opopanacis drach. II. opobalsami drach. II. piperis grana XII. mellis attici duplum omnium accipito, omniaq; cum felle misceto, & in æreo uase coquito. deinde in ærea pyxide repositis utitor.

Liquida Basilis, hoc est regina, hanc reparatricē appellamus. Omphacij drachmas II. myrrhæ drach. II. fellis aquilæ drach. II. opobalsami drach. II. lachrymæ oleæ drach. II. ammoniaci thymiamatis drach. I. fellis hyænę drachmas II. excipe melle. Antonij Musæ. Fellis hyænæ drach. I. fellis ursi drach. II. opobalsami drach. II. salis fossilis drach. I. croci drach. unam. myrrhæ drach. I. mellis attici cyathos II. succi fœniculi cyathos. II. Philoxeni. Fellis hyænæ sesquidrachmā adipis uiperæ sesquidrachmam, croci drach. I. omphacij drach. I. myrrhæ drachmæ dimidium, opobalsami drach. I. mellis attici drach. VIII.

Tincturæ albuginum. Gallam tritam ac leuigatam in prompto repositam ser-uato, usu uero expetente cum specilli nucleo calfacto adhibeto, deinde atramen-tum sutorium aqua dilutum admoueto. Aliud, Malicorium tritum adhi-beto, indeq; atramentum sutorium aqua dilutum admoueto. Aliud, Mi-syos, atramenti sutorij, gallarum omphacinarum, singulorũ æquales partes con-tusas & cribratas reponito. Vsus uero tempore aridum adhibeto.

Ad glaucos oculos quo pupillæ nigræ reddantur. Malicorij dulcis succũ in-fundito, deinde post temporis interstitium hyoscyami florem cum uino aut hyo-scyami succo tritum instillato. Verum hæc oportuno tempore colligere & re-ponere conuenit. Aliud, Acaciæ fructum & gallarum parum quid dili-genter trita fremij succo excipito, & ad mellis crassitudinẽ redigito, Deinde ex-pressum per linteolum liquorem reseruato ac utitor ut dictum est. Ad pi-los pungẽtes in palpebris enascentes, Trichiasin appellant Græci. Antonij Mu-sæ. Fel auiculę quæ cinædus appellatur, & aconiti dimidium eius, mixta repo-nito: Vsu uero exigente, euulso pilo locum ex pharmaco illinito. Aliud, Fel piscis pagri, & aconiti dimidium, cum squama ferri lota, adipe subigito, atq; his amygdalini olei parum adijcito, & sanguinis uespertilionis quantum suffece-rit, Deinde mixtis & repositis utitor ut dictum est. Agglutinatoria pilorũ. Heraclidæ Tarentini. Ceræ drach. I. picis drach. I lithocollæ drach. I. simul li-quefacta reponito. Vsu uero postulante, specilli summum candefacito, & quod ex pharmaco dissoluto adhæserit adhibeto, eoq; pilos agglutinato. Aliud, Resinę siccæ, picis siccę utriusq; drach. I. sulphuris uiui drach. I. bituminis drach. unam. ceræ drach. II. liquefactis utitor. Ad paruos instar hordei oblongos circa pilos palpebrarum abscessus, Crithas & Posthias Græci appellant. Anto-nij Musæ. Galbani partem unam cum modico nitro mixtam imponito, aut etiam misyos crudi partem ammisceto. Faciunt & ficus aridæ in uino mulso co-ctæ & tritæ, modico simul galbano contrito. Facit & farina hordeacea in uino mulso cocta ac trita, itidem modico galbano simul contrito. Dionysij Mi-lesij ad pilos palpebrarum pungentes. Leporem marinum in figulino nouo urito, & cinerem tritum ricinorum sanguine excipito, et reposito in cornea pyxi-de utitor, euulsis antea pilis. Aliud, Salamandræ ustæ cinerem, terrestriũ herinaceorum felle excipito, ac utitor ut dictum est. Quidam castorio usi sunt cum melle mixto, Aut castorio & hirudinis ustæ cinere, Aut cicutæ semen tri-tum ac Thunnæ sanguine exceptum, præeuulsis pilis illeuerunt.

Ad crithas & chalazia, hoc est, instar grandinis in palpebris tubercula. Saga-peno cum aceto trito utitor. Aliud ad Aegylopas. Succi illecebræ, succi solani, utriusq; libræ dimidium. thuris drach. VIII. mastiches quadrantem. galba-ni libram dimidiam. Succos cum thure coquito, atq; ubi dissolutum fuerit gal-banũ inijcito: mastichen enim improbamus. Aliud, Thuris drach. VIII. ladani drach. IIII. aluminis scissilis drach. IIII. myrrhæ drach. VIII. ceræ drach. IIII. spumæ nitri drach. IIII. coaguli leporis drach. IIII. Cõtunditur hoc pharmacum & cum ungenti irini fece mollitur.

Cataplasmata in eodem libro primo externorũ ab Asclepiade ad ocu-los descripta, itemq; agglutinatoria, & inunctilia.

Cataplasmata lippientium, ad doloris uexationes ac maximas Epiphoras, quibus usus est Heraclides Tarentinus. Rosarum uiridiũ aut siccarum drach. IIII. croci drach. I. opij. drach. unam. excipe meliloti decocto aut passo. Aliud, Rosarum, uiolarum albarum, meliloti, capitum papaueris, singulorum drach. II. croci drach. unam. opij drach. unam. myrrhæ drachmam unã. oui assati

uitellum, tritis & passo subactis utere ut dictum est. Illitiones ad dolores, quibus usus est Glaucus. Aloes, lycij indici, rosarũ uiridium, croci, opij, myrrhæ, singulorum æquales partes uino subactas in pastillos formato, eosq; in umbra siccato, Usu uero exigente passo dilutos oculis illinito, itemq; fronti ac temporibus. Philoxeni ad fluxionem multam & dolores. Foliorũ rosarum recentium drach. II. seminis hyoscyami drach. VIII. thuris drachmas III. myrrhæ drach. IIII. farinæ polentarum acetabulum, oui assati unius luteũ, succi mandragoræ drach. IIII. croci drach. II. opij drach. IIII. uini austeri quantum sufficit. In pastillos redigito ac utitor ueluti dictum est. Illitio Anthera eadem hora iuuans. Croci drach. IIII. thuris drach. II. cinnabaris drach. IIII. gummi drach. II. uino excipito. Usus tempore terito & ad solidum modicum mellis adijcito. Aliud Lychnium inscriptum. Croci drach. I. thuris drach. II. opij. drach. II. gummi drach. II. cinnabaris drach. II. aqua pluuia excipito. Alij habent, croci rosas specie referentis drach. IIII. cinnabaris drach. II. myrrhæ, opij, utriusq; drach. II. aqua pluuiali excipito. Illitiones mordaces quæ euestigio fluxionem cohibent, faciunt & ad lippitudinem scabram ac aridam. Aeris usti, drach. IIII. croci drach. IIII. piperis albi drach. II. opij drach. II. gummi drach. IIII. cum aqua pluuia forinsecus illinuntur, Relidit hoc pharmacum maximas Epiphoras. Cæterum cauere oportet ne quid ex eo in oculũ præterlabatur. Aliud phloginum, hoc est flammeum inscriptum. Aeris usti & loti drach. XII. croci drach. VI. piperis albi drach. IIII. myrrhæ drach. III. opij drach. III. gummi drach. XII. uino Aminæo excipito. Agglutinatoria quæ fluxiones cohibent. Pollinis partem unam. myrrhæ partem unam. mannæ thuris partem I. candido oui excipe, deinde in linteolum impacta impone temporibus ac fronti. Aliud. Seminis hyoscyami drach. II. opij drach. I. croci drach. I. pollinis drach. IIII. ouorum assatorum uitellos duos. castorij drach. I. omnibus simul coactis utitor. Collyrium ad Epiphoran, & dolores, ac fluxionem multam, quo Moschio familiaris usus est. Glaucij drach. XVI. sarcocollæ drach. VIII. croci drach. IIII gummi drach. II. tragacanthæ drach. II. succi mandragoræ drach. II. opij drach. I. aqua pluuiali excipito ac utitor cum ouo. Heronis ophthalmici psittacus, ad dolores & fluxum largum, euestigio somnum inducit. Glaucij drach. XVI. croci drach. VIII. sarcocollæ drach. VIII. opij. drach. IIII. succi mandragoræ drach. II. tragacanthæ drach. VIII. aqua pluuiali excipe. Ad prædictas affectiones Neapolitæ. Glaucij drach. XLVIII. sarcocollæ drach. XXIIII. croci drach. XXIIII. lapidis hæmatitæ drach. XII. opij drach. XIX. succi mãdragoræ drach. VIII. gummi drach. XVI. tragacanthes drach. XII. excipe aqua pluuiali. Sergij ophthalmici Babylonij. Glaucij drach. XXIIII. sarcocollæ drachmas XVI. croci drach. XII. opij drach. IIII. lapidis hæmatitæ drach. VI. gummi drach. XII. excipito aqua pluuiali. Illinito per unum atq; alterum diem, atq; ubi affectio non soluatur ad insequentes illitiones transimus. Aliud diasmyrnum glaucidanum inscriptum. Glaucij drach. XLVIII. sarcocollæ drach. XLVIII. croci drach. XXIIII. opij drach. VI. myrrhæ drach. VI. hæmatitæ drach. VI. tragacanthæ drach. XLVIII. aqua pluuia excipe ac utere cum ouo. Diasmyrnum ex hæmatite. Glaucij drach. LXIIII. sarcocollæ drach. XXXII. croci drachmas XII. opij drach. VIII. myrrhæ drach. VI. hæmatitæ drach. XVI. tragacanthæ drach. XLVIII. gummi drach. XVI. In alio exemplari drach. XLVIII. Excipiuntur aqua pluuiali, usus eius est cum ouo. Phosphorus ad doloris uexationem, omnemq; inflammationẽ & intensas Epiphoras. Glaucij drach. XXIIII. sarcocollæ drach. VIII. croci, opij, utriusq; drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. misyos usti, drach, VIII. gummi

gummi drach. XIX. excipe aqua pluuia, utere cum ouo. Euchrun excellentis & mirabilis efficaciæ. Glaucij drach. XX. sarcocollæ drach. VII. croci drach. VII. myrrhæ drach. VII. opij drach. VII. misyos usti drach. VII. gummi drach. XII. excipe aqua pluuiali, utere cum ouo. Pharmacum ex succis, dolorem sedans, facit ad omnem doloris uexationem, somnum euestigio inducit. Glaucij drach. XLVIII. sarcocollæ, tragacanthæ utriusque drach. XVI. croci drach. VIII. opij drach. IIII. succi rosarum drach. IIII. lycij indici drach. IIII. hyoscyami drach. IIII. succi mandragoræ drach. IIII. gummi drach. VIII. Excipiuntur meliloti decocto: componuntur autem hoc modo, Meliloti libram unã. & aquæ pluuialis heminas XII. ad tertias coquito, & excolato liquore ad pharmaci compositionem utitor. Aliud, Glaucij drach. XLVIII. sarcocollæ drach. XXIIII. croci drach. XXIIII. opij drach. XII. lycij indici drach. XII. succi hyoscyami drach. XII. succi cicutæ drach. XII. rosarum uiridium resectis extremitatibus drach. XLVIII. gummi drach. XXVIII. aqua pluuiali excipe, utere cum ouo. Pharmacum Phæon, id est fuscum inscriptum, accommodatum ad doloris molestias. Cadmiæ drach. XII. aut XVI. æris usti drach. VI. myrrhæ drach. III. opij drach. III. acaciæ drach. VII. excipito aqua pluuia uelut demõstratum est. Aliud Phæon, Ad omnem fluxum & omnem lippitudinem. In alio pædicon, id est puerile legitur. Aeris usti drach. XII. cadmiæ drach. XXXII. gummi drach. XXXII. acaciæ drach. XXXII. myrrhæ drach. IIII. opij drach. IIII. aqua pluuia excipe. Aliud ex libris Philoxeni. Spodij cyprij, drach. XII. æris usti drach. III. opij, myrrhæ, utriusque drach. III. acaciæ, gummi, utriusque drach. VII. aqua pluuiali excepta cum ouo in usum ueniunt, ut dictum est. Pharmacum Berytium inscriptum, quo usus est Berytius ad maximas epiphoras, euestigio auxiliatur. Aeris usti & loti drach. XVI. acaciæ drach. XVI. spodij pompholygis drach. XVI. opij drach. XVI. gummi drach. XVI. croci drach. XII. myrrhę drach. II. aqua pluuiali excipe, utere cum ouo. Oportet hoc assidue infundere. Aliud ad easdem affectiones. Spodij pompholygis drach. XVI. opij drach. XII. myrrhæ drach. XII. gummi drach. XVI. æris usti & loti drach. XVI. aqua excipito pluuiali, ac utitor cum ouo. Pharmacũ Acharistum inscriptum, ad maximas epiphoras huius solius usu Medici Aegyptij feliciter medicantur, in agrestioribus præsertim corporibus. Cadmiæ drach. XVI. acaciæ drach. VIII. æris usti & loti drach. VIII. opij drach. IIII. fructus ericæ drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. gummi drach. XVI. aqua excipito, ac utitor cum lacte muliebri, Temperatura media est, ubi uero circa oculos affectio sit, ab hoc collyrio abstinere oportet. Quo ipse usus sum sic habet. Cadmiæ drach. XVI. fructus ericæ drach. II. æris usti drach. IIII. opij drach. II. myrrhæ drach. unam. acaciæ drach. VI. gũmi drach. VIII. aqua excipito, usus indicatus est. Aliud, Cadmiæ drach. VI. fructus ericæ drach. IIII. opij drach. VI. æris usti & loti drach. IIII. gummi drach. XX. componito ac utitor ut dictum est. Nectarium Marci, facit ad incipientem lippitudinem, facit ad illationem fluxus tenuis, ad chemoseis, tumores, pellicularũ eminentias, & fere ad omnem lippitudinem facit, & ad palpebras crassas. Oportet autem præ omnibus fomentum adhibere, deinde ipsum infundere, in principio quidem fluxionis cum aquoso oui liquore: ubi uero successerit hæc curatio, paulatim hanc temperaturam extendere & augere oportet. Cæterum ad palpebras asperas collyrio cum aqua utimur, apud alios Sphragis appellatur. Aeris usti & loti drach. IIII. cadmiæ drach. IIII. croci drach. II. opij drach. II. gummi drach. VI. aqua excipe ac utere ut indicatum est. Sergij ophthalmici Monohemerum inscriptum, hoc est una die efficaciam suam cõmonstrans. Cadmiæ ustæ

& lotæ drach. IIII, spodij pompholygis loti drach. IIII. æris usti & loti drachmas IIII. croci drachmas II. acaciæ drach. VI. gummi drachmas VI. aqua pluuiali excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est aquosa. Postquam lachrymæ prolectæ fuerint, candidum oui infundere oportet, & rursum sublinere. Vbi uero morsus consequeretur, fomentum adhibendum est, rursumq; oui candidum infundendum: postea uero collyrio nigro inscripto illinito.

Sphragis Neapolitæ. Cadmiæ drachmas VIII. æris usti & loti drach. VIII. acaciæ drachmas VIII. spodij cyprij drachmas IIII. croci drach. IIII. opij drach. IIII. gummi drach. XII. aqua excipe. usus indicatus est.

Paccij Sphragis. Cadmiæ ustæ & lacte caprino siue muliebri extinctæ ac lotæ, & in umbra siccatæ drach. X. æris usti & loti drach. X. acaciæ drach. X. opij drach. VI. croci drach. VI. gummi drach. XV. aqua pluuiali excipito. Zoili sphragis cum Paccij concordat. Philotæ Aphroditarium inscriptum. Cadmiæ lotæ drach. XXIIII. acaciæ drach. XXXVI. æris usti & loti drach. XII. croci drach. XII. opij drach. XII. spodij cyprij loti drach. XII. gũmi drach. XLVIII. excipe aqua pluuiali, ac utere cum ouo assidue infundendo. Post curationem uero lauari iubeto, hoc assidue usus sum in maximis epiphoris. Aliud Neapolitæ. Facit ad maximas epiphoras, maxime in his qui ægre rigantur & subalbicant circa inflammationes, ut simile quiddam chemosi appareat. Hoc nos usi sumus, post illitiones ægris lauare iussis. Lapidis schisti drachmas VIII. thuris drach. VII. æris usti & loti drach. VIII. opij drach. VIII. myrrhæ drach. IIII. gummi drach. VIII. excipe uino ac utere cum ouo. Temperamentum est aquosum. Sæpe uero hoc infundere oportet, & post interuallum ab illitione lauari iubere.

Fuscũ Olympionico inscriptũ. Facit ad maximos dolores, facit & ad chemoseis & omnino ex accommodatissimis collyrijs est: nam statim liberat. Cadmiæ ustæ & lotæ drachmas VIII. acaciæ drach. VIII. stibij usti & loti drachmas VIII. aloes indicæ drach. VIII. croci drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. opij drachmas IIII. gummi drachmas VIII. aqua excipe ac utere cum ouo. Temperamẽtum est crassum. Ego etiam pompholygis ac thuris utriusq; drach. IIII. adieci.

Aliud Zosimo inscriptum odorum. Facit ad dolores & recentes affectiones. Cadmiæ ustæ & lotæ uino Italico, hoc est extinctæ, drachmas VIII. aloes drach. VIII. stibij drachmas VIII. æris usti & loti drachmas VIII. aut II. croci drachmas II. myrrhæ drachmam unam. nardi indicæ drachmam unam. opij drachmã unã. acaciæ drachmas XIX. gummi drach. XII. aqua pluuiali excipe.

Hermiæ ophthalmici Lutron, id est balneum appellatum. Ad maximos dolores eadem die ad summũ auxilians, facit & ad inueteratas lippitudines. Aloes drach. VIII. æris usti & loti drach. XVI. opij drach. XVI. myrrhæ drach. XII. croci drach. VIII. cadmiæ drach. IIII. thuris drach. III. gummi drach. XVI. uino Mendesio excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est aquosa. Oportet hoc per interualla trium aut quatuor horarum infundere, & usq; ad mali depulsionem finere, atque tunc lauari iubere. Theodotion Phlacianum, Harpocratium inscriptum. Ad maximas epiphoras & dolores, liberat citra uenæ sectionem. Succi acaciæ drach. XXIIII. cadmiæ drach. VIII. æris usti & loti drachmas VIII. stibij drach. XVI. aloes drach. IIII. croci drach. III. myrrhæ drach. III. lycij indici drach. II. castorij drach. I. opij drach. II. gummi drach. XXIIII. aqua pluuiali excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est crassior. Hoc collyriũ tumorem palpebris inducit. Scylaciũ pharmacũ accõmodatum eadẽ die curans, Euestigio soluit inflammationes. Stibij drach. XL. acaciæ drach. XL. cadmiæ drachmas XVI. æris usti & loti drach. XIIII. cerusæ drach. VIII. myrrhæ drach. IIII. nardi indicæ drachmas

drachmas IIII. croci drachmas II. lycij indici drach. IIII. castorij drach. II. aloes drachmas II. opij drach. II. chalcitidis assæ drach. II. gummi drachmas II. excipe rosarum decocto ac utere cum ouo. Temperatura est crassior.

Neapolitæ Phanion, id est lampas seu facula. Ad maximas epiphoras & doloris molestias, facit & ad affectiones. Cadmiæ lotæ drachmas VIII. acaciæ drachmas VIII. æris usti & loti drachmas VI. stibij loti drachmas XX. psimmythij drachmas VI. myrrhæ drach. II. aloes drachmas II. nardi celticæ sesquidrachmam. opij sesquidrachmam. croci drachmam unam. castorij drachmæ dimidiũ. gummi drachmas XX. aqua pluuia excipe, utere illinendo.

Aliud Phanion Serapiacum inscriptum. Acaciæ drach. XL. stibij drach. XL. cadmiæ drach. XVI. æris usti & loti drach. XII. aloes drach. III. myrrhæ drach. IIII. cerusæ drachmas XII. opij drach. II. croci drach. II. nardi indicæ sesquidrachmam. gummi drachmas XXV. aqua pluuiali excepta illinito.

Malabathrinum nostrum, Facit ad doloris uexationes, & affectiones in declinatione. Cadmiæ drachmas XVI. acaciæ drach. XL. æris usti & loti drach. XIIII. opij drachmas II. lycij indici drach. II. myrrhę drach. IIII. malabathri drach. II. nardi indicæ drachmas. II. castorij drach. II. aloes drachmas II. cerusæ drach. VIII. stibij loti drachmas VIII. gummi drachmas XL. aqua excipe & utere cum ouo in principio affectionum, & in declinatione facta ab illatione pharmaci panchresti appellati, descriptum hoc inter mordacia collyria habetur.

Aliud Philadelphium inscriptum. Facit ad declinationes inflammationum, & ulcera sordida, & pustularum eruptiones, euestigio auxiliatur. Stibij usti & loti drach. XX. plumbi usti & loti drachmas X. cadmiæ drach. VIII. æris usti & loti drach. III. aloes drach. III. lycij indici drach. II. & dimidiã. myrrhæ drach. II. & dimidiam. nardi indicæ drachmas II. croci drach. II. castorij drach. unã. opij drach. I. gũmi drachmas VIII. aquam & ad exceptionem candidum ouorum. X.

Collyrium album, ad epiphoras & affectiones inscribitur Trypherum, id est delicatum. Cadmiæ lotæ drachmas XVI. cerusæ drachmas VIII. amyli drach. IIII. gummi drachmas IIII. tragacanthæ drachmas IIII. opij drachmas duas. excipe aqua pluuia. Vsus est cum ouo.

Collyrium ex terra Samia Terennum inscriptum, ad epiphoras & affectiones. Cadmiæ lotæ drachmas XII. cerusæ drach. XII. terræ Samiæ drach. XII. opij drachmam unam. gummi drach. IIII. aqua excipe ac utere cum ouo.

Aliud dolorem sedans, ad fluxum omnis generis, ulcera, dolores, papulas & tubercula, prolapsus, chemoseis, & omnigenas affectiones. Cerusæ drach. VIII. terræ Samiæ drach. VIII. spodij pompholygis drach. XII. tragacanthes drach. II. opij drach. II. gummi drach. IIII. aqua pluuia excipe ac utere cum ouo.

Aliud Diocleum inscriptum, ad doloris molestias, & epiphoras, ad suppuratos oculos, pustulas, ulcera. Hoc pharmacum delicatius existit. Tragacanthæ drach. VIII. gũmi drach. IIII. amyli drach. IIII. spodij pompholygis drach. XVI. cerusæ drach. VIII. opij torrefacti drach. II. aqua pluuia excepta admoue cũ ouo.

Pharmacum ex thure. Accommodatum ad fluxiones & chemoseis. Cadmiæ drachmam unam. thuris drachmam unam. cerusæ drachmas XL. opij drachmas VI. gummi drachmas VI. aqua pluuiali excipito. Cæterum nos sic apparauimus. Cadmiæ drachmas X. pompholygis drachmas X. thuris drachmas X. cerusæ drachmas XL. opij drachmas VI. gummi drachmas VI. aqua pluuia excepta admoue cum ouo.

Aliud Trypheron, id est delicatũ inscriptũ. Ad inustiones epicaumata Græcis dictas, pustulas, chemoseis, maxime in his qui nullam mordacitatẽ perferre

possunt. Cadmiæ lotæ drach. VIII. amyli drach. VIII. thuris drach. VIII. cerusæ drach. XLVIII. opij drach. VI. gũmi drach. XVI. aqua pluuia excipe, usus indicatus est. Cygnus inscriptus Reginæ, ad maximos dolores & affectiones. Cadmiæ drach. XVI. cerusæ lotæ drach. VIII. amyli drach. II. tragacanthæ drach. II. acaciæ drach. II. opij drach. II. gũmi drach. XII. excipe aqua pluuiali, & ad excipiendum adijce ouorum crudorũ recentiũ candida IIII. Aërianum Diomedi inscriptum, collyrium accommodatum ad epiphoras, & ueteres affectiones itemq; recentes. Spodij pompholygis drach. VIII. cerusæ drach. XX. æruginis drach. IIII. myrrhæ drach. XIIII. thuris drach. III. opij drach. III. gummi drachmas VIII. excipe aqua pluuiali ac utere cum ouo. Cygnus ex terra Samia. Ad ulcera omnis generis, ad epiphoras, dolores circum circa molestantes, suppuratosq; oculos. Spodij loti drach. XVI. cerusæ lotæ drach. VIII. terræ Samiæ drach. IIII. amyli drach. IIII. acaciæ drach. IIII. opij drach. IIII. gummi drach. IIII. tragacanthæ drachmas duas. aqua pluuiali excipe ac utere cum ouo.

Aliud Dionysio inscriptum. Cerusæ drach. XXXVIII. æruginis uermiculatæ drach. XVI. succi papaueris drach. VIII. gummi drach. IIII. excipe aqua pluuia, ac utere cum lacte. Aërianum pharmacum nostrum, ad ueteres ac recentes affectiones accommodatum. Cerusæ drach. XXIIII. cadmiæ ustæ & lotæ drach. X. stibij usti & loti drach. X. thuris drach. X. squamæ æris drach. V. opij drach. III. myrrhę drach. III. gummi drachmas XII. excipe aqua pluuiali, ac utere cum ouo. Collyrium Gennadij. Cerusæ drach. XVIII. stibij drach. XII. myrrhæ drach. XII. squamæ æris drach. XII. opij drach. VI. gũmi drach. XXIIII. excipe aqua pluuiali. Collyrium ex terra Samia, Paccij ophthalmici, ad affectiones intensas. Cadmiæ drach. XVI. cerusæ drach. XVI. terræ Samiæ drach. IIII. opij. drach. II. thuris drach. II. stibij drach. V. gummi drach. V. excipe aqua, ac utere cum ouo. Therinum, id est æstiuum inscriptum. Cadmię ustæ & lotæ drach. XX. acaciæ drach. II. squamę æris ustæ & lotæ drach. XII. corticis thuris drach. II. tragacanthi drach. V. gummi drach. XVI. aqua pluuiali excipe, utere cum ouo. Collyrium Hygidion appellatum. Cadmiæ drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. acaciæ drach. VI. opij drach. II. æris usti & loti drach. II. gummi drach. VI. fructus ericæ drachmam unam. aqua pluuiali excipito.

Aster anicetus, hoc est inexuperabilis. Ad doloris uexationes, pustulas, staphylomata, ulcera sordida & serpentia. Facit & ad inueteratas affectiones, & cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ drach. XVI. cerusæ lotæ drach. XVI. amyli drach. XII. stibij usti drach. XII. spodij drach. VIII. plumbi usti ac loti drach. VIII. terræ Samiæ drach. VIII. myrrhæ drach. II. opij drach. II. tragacãthæ drach. VIII. excipe aqua pluuiali. Libianum. Ad pustulas, inustiones, rupturas, concauitates, oculos purulentos, chemoseis, staphylomata. Facit & ad circũ molestantem dolorem, & affectiones, & cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ drach. XVI. cerusæ lotæ drach. XVI. stibij usti & loti drachmas XVI. plumbi usti & loti drach. VIII. amyli drach. XII. spodij põpholygis drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. terræ asteris drach. VIII. tragacãthæ drach. VIII. opij drach. II. & ad exceptionem ouorum albumina decem. Aliud Libianum. Pompholygis drach. VIII. cadmiæ ustæ & lotæ drach. XVI. stibij usti & loti drach. XII. cerusæ lotæ drach. XVI. amyli drach. XII. terræ Samiæ drach. VIII. plũbi usti & loti drach. VIII. myrrhæ drach. II. opij drach. II. tragacanthæ drach. II. excipe aqua pluuiali.

Collyrium ex cornu ceruino. Ad ulcera, pustulas, cicatrices exterit. Cornu ceruini usti & loti drach. IIII. thuris drach. IIII. plumbi usti & loti drach. IIII. squamæ æris lotæ drach. II. opij drach. I. gummi drach. IIII. excipe aqua pluuia.

Aliud

Aliud ex cornu ceruino, Neapolitæ. Plumbi usti & loti drach. XVI. cornu cerui usti drach. XVI. thuris drach. VIII. acaciæ drach. VIII. spodij cyprij drach. VIII. amyli drach. IIII. opij drach. II. squamæ æris drach. II. croci drach. VIII. myrrhæ drach. IIII. tragacanthę drach. I. gummi drach. VIII. hyoscyami cremore excipito. Viride ad affectiones. Spodij cyprij drach. XVI. amyli drach. XVI. croci drach. VIII. stibij drach. VIII. opij drach. IIII. gummi drach. IIII. excipe aqua pluuiali ac utere cum ouo. Aliud uiride Zoili ophthalmici. Spodij cyprij drach. VIII. croci drach. VIII. amyli drach. VIII. opij drach. II. stibij drachmas VIII. gũmi drach. IIII. Anagallidis succo excipito. Aliud, Alia exemplaria ita habent Zoili uiride. Cadmię ustæ ac lotę & uino Italico extinctę drachmas VIII. croci drach. IIII. stibij usti & lacte extincti drach. IIII. amyli drach. I. gummi drach. II. excipito succo anagallidis quæ cæruleum habet florem. Ex libris Scribonij Largi, Psittacinum inscriptum. Ad doloris molestias, pustulas, inustiones, cicatrices resolutas, prolapsus, confusiones, & ubi multus sanguis æstate suffunditur. Cõmodat etiam ad alias affectiones, & præsertim in oculis molli sensu præditis, in quibus tenuis lachryma profluit. Compositio hoc modo habet. Cadmiæ drach. VIII. croci drach. VIII. stibij drach. VIII. amyli recẽtis drach. VIII. opij drach. IIII. gummi drachmas IIII. aqua pluuiali excipito, utitor cum ouo.

Naucratitæ pharmacum affectionibus accommodatum. Cadmiæ drach. XII. croci drach. XII. opij drach. VI. squamæ stomomatis purgatæ drach. V. squamæ æris drach. VI. succi rosarũ drach. XVI. plũbi usti & loti drach. V. myrrhæ drach. III. nardi drach. II. acaciæ drach. II. gummi drach. XII. excipito aqua pluuiali.

Antæi uiride. Cadmiæ drach. XLVIII. myrrhæ drach. XXIIII. croci drach. XLVIII. opij drach. XXIIII. plumbi usti & loti drach. VIII. squamę æris drach. VI. nardi indicæ drach. VI. acaciæ drach. VI. gũmi drach. XXIIII. aqua pluuiali excipito. Pharmacum ex Galbano quo usus est Nicetes. Ad dolores & lippitudines. Cadmiæ drach. VIII. spodij cyprij drach. VIII. æris usti & loti drach. VIII. opij drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. galbani drach. VIII. aqua excipito, hoc pharmacum ex ualde approbatis est, recipitq; amplius gummi item drach. VIII. Alia exemplaria spodium non habent. Aliud, Cadmiæ drach. XVI. æris usti & loti drach. VIII. myrrhæ galbani singulorum drach. VIII. opij drach. VIII. atramenti sutorij drach. VI. gũmi drach. VI. aqua pluuiali excipito. Collyrium diarodon Nili ex rosis, uelut Andreas tradit, Ad doloris molestias, fluxũ uberẽ, ac tenuem, pustulas, prolapsus. Foliorũ rosarũ resectis extremitatibus drach. IIII. croci drach. II. opij obol. I. nardi indicæ obol. I. gũmi drach. III. alij drach. I. habẽt. aqua pluuia excipe, ac utere cũ ouo. tẽperatura dissoluta est. Aliud ex rosis Nili, quo usus est Gallio ophthalmicus. Rosarũ drach. IIII. croci drach. II. acaciæ drach. I. opij obol. I. nardi indicæ obol. I. gũmi drach. III. aqua pluuia excipe. utere cum ouo. temperatura est diluta. Aliud ex rosis horæum appellatum, ad easdem affectiones. Rosarũ resectis unguibus drach. XXIIII. croci drach. XII. amyli drach. VI. balaustij drach. IIII. opij drach. IIII. tragacãthæ drach. VIII. hyoscyami foliorum succo excipe. Aliud, Rosarum drachmas VIII. croci drach. IIII. æris usti & loti drach. I. gummi drach. I. aqua pluuia excipe, ac utere, cum ouo. Aliud diarodon ex rosis Terentij constans ex pompholyge. Rosarum recentium drachmas XII. spodij cyprij drach. IIII. croci drachmas IIII. opij drach. IIII. nardi drach. IIII. gummi drachmas IIII. excipito aqua pluuiali. Aliud diarodon. Rosarum recentium drachmas II. croci drachmas VI. spodij cyprij drachmas II. amyli drachmas II. acaciæ drachmã I. nardi indicæ drach. unam. gummi drach. II. tragacanthæ drachmas II. excipito aqua pluuiali.

Diarodon

Diarodon Euelpidion dia smyrnũ appellatũ. Rosarũ drach. C. croci drach. L. opij drach. VIII. myrrhæ drach. sesquidrach. gũmi drach. L. uino odoro excipe, ac utere cũ ouo. Aliud diarodon. Rosarũ drach. C. croci drach. L. opij. drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. gũmi drach. L. uino odorato excipe ac utere cum ouo. Ego hoc apparaui pro folijs rosarum, florum earundem drachmas centum inijciens, atq; feliciter successit. Diarodon ex rosarum LXXII. drach. Magnum appellatum. Hoc usus est Lucius præceptor ad doloris molestias, pustulas, inustiones, staphylomata, prolapsus, ad oculos purulentos, ad fluxiones antiquas, inueteratas lippitudines & affectiones ægre cedentes. Rosarum uiridium resectis unguibus drach. LXXII. cadmiæ ustæ ac lotæ drach. XXIIII. croci drach. LX. opij drach. III. stibij drach. III. Alij drach. VI. æruginis drach. II. Alij III. squamæ æris drach. II. nardi indicæ drach. II. myrrhæ drach. VI. Alij IIII. gummi drach. XXIIII. excipito aqua pluuiali. Aliud ex drachmis LXXII. Rosarum drachmas LXXII. cadmiæ ustæ & lotæ drach. XXIIII. croci drach. VI. Alij VIII. opij drach. III. stibij drach. III. myrrhæ drach. III. squamæ æris. drach. II. æruginis drach. II. nardi drach. I. alij II. gũmi drach. XXIIII. excipe aqua pluuiali, ac utere cũ lacte. Pharmacũ ex uiolis albis, accommodatum ad Epiphoras & affectiones. Acaciæ drach. XLVIII. succi uiolarum albarum drach. XLVIII. spodij cyprij drach. XXIIII. croci drach. XXIIII. myrrhæ drach. IIII. opij drach. IIII. alij VI. succi hyoscyami drach. IIII. æris usti & loti drach. IIII. gũmi drach. IIII. excipe uino falerno. Collyrium quo usus est Florus in Antonia Drusi matre, quę parum abfuit ut ab alijs medicis excæcaretur. Acaciæ drach. XLVIII. rosarum siccarum drachmas XLVIII. melilotorũ. drach. XLVIII. spodij cyprij drach. XXIIII. malorum mandragoræ drach. II. croci drach. XXIIII. opij drach. VI. seminis hyoscyami acetabula. II. alij drach. XXIIII. myrrhæ drach. IIII. æris usti & loti drach. IIII. gũmi drach. XL. uini falerni, aquæ pluuialis, utriusq; heminas III. Vinum & aquam misceto, eisq; rosas, melilotũ, semen hyoscyami, mandragoræ mala, aut si hæc non adsint, corticem inijcito, & ad dies III. aut V. macerari finito, deinde expresso liquore ad pharmaci compositionem utitor, probatissimum hoc existit. Melinum delicatum. Commodum his qui nullam penitus pharmacorum mordacitatem perferre possunt. facit ad pustulas, prolapsus, fluxum acrem & uberem, inustionesq; & ad recentes affectiones. Cadmiæ ustæ ac lacte extinctæ drach. XVI. cerusæ lotæ drach. VIII. croci drach. IIII. opij. drach. I. tragacanthæ drach. II. aqua pluuiali excipito ac utitor cum ouo. Aliud ad inustiones, pustulas, prolapsus, dolores. Cerusæ drach. XXIIII. amyli drach. XII. cadmiæ lotæ drach. X. thuris drach. X. croci drach. VIII. opij drach. VIII. gummi drach. X. tragacanthæ drach. II. excipe aqua pluuiali & utere cum ouo. Diarodon Inculpabile. Cadmiæ ustæ & lotæ drach. XXIIII. cerusæ drach. XII. opij drach. VI. florum rosarum drach. VI. croci drach. VI. lapidis schisti drach. XII. gũmi drach. X. excipe aqua pluuia, ac utere ad ulcera sordida cũ lacte, ad munda cum ouo. Aliud. Cadmiæ ustę & lotæ drach. XXIIII. cerussæ drach. XII. lapidis schisti drach. IIII. florum rosarũ drach. VI. excipe aqua pluuiali, ac utere ad sordida ulcera cum lacte, ad repurgata cum ouo. Croceum pædicon, id est puerile inscriptum ex pompholyge. Ad epiphoras & molestias doloris, & ad affectiones ex plagis. Spodij pompholygis drach. XVI. croci drach. XVI. opij drach. XVI. tragacãthæ drach. VIII. excipe aqua pluuia adhibitis simul albuminibus ouorum quatuor. Collyrium Gaij ophthalmici. Spodij cyprij drach. IIII. amyli recentis. drach. XII. croci drachmas II. myrrhę drachmam unam. succi mandragoræ drachmam unam. gummi drach. IIII. excipe aqua pluuiali, ac utere cum ouo.

Atimeti

Atimeti Lysiponion, hoc est, soluens dolorẽ. Atramenti sutorij crudi drach. XL. pompholygis crudæ drach. XL. cerusæ drach. XXIIII. opij drach. II. croci drach. III. Crocus in aquam conijcitur ac maceratur, & ex cremore hoc collyriũ apparatur. Quod uero reliquum est ex croco teritur, reliquisq; ammiscetur, addi tis item gummi drach. XXXII. Diomedis Lysiponion ad dolores. Atra mẽti sutorij crudi drach. XXXII. cerussæ drachmas XXXI. spodij pompholygis drach. XVI. croci drach. XVI. thuris drach. VIII. myrrhæ drach. II. gummi drach. XVI. Aqua pluuiali excipito, ac utitor cum ouo: præclarum est hoc collyrium. Zoili pharmacum faciens ad lippitudines antiquas, myocephalos, staphyloma ta, & fluxiones antiquas. Cadmiæ drach. VIII. æris usti drach. VIII. cerusæ drach. IIII. aloes sesquidrachmam, foliorum croci, chalcitidis assæ, atramenti su torij, opij, lycij, singulorũ drach. I. myrrhæ drach. II. acaciæ drach. XX. spicæ nar di sesquidrachmam. gummi drach. XX. castorij drach. IIII. stibij usti drach. VIII. excipe aqua pluuiali. Asclepiadeum Paccij. Ad dolores uexationes, flu xum tenuem & multũ, inustionem, pustulas, pellicularum eminentias, aspretu dines, inueteratas affectiones, & eos qui à multis illitionibus læsi sunt, confestim opitulatur. Cõpositio sic habet, Cadmiæ drach. XII. æris usti drach. XII. croci drach. XII. squamæ æris drach. XII. myrrhæ drach. IIII. nardi indicæ drach. IIII. rosarum siccarum drach. IIII. opij drach. IIII. lapidis hæmatitæ drach. IIII. piperis albi grana XXIIII. gummi darch. XII. uini chij quantum sufficit, utere cum ouo. Aliud exemplar habet rosarum drach. III. piperis grana XXV. Pharma cum accommodum Nectarium inscriptum. Cadmiæ drach. XII. squamæ æris cypriæ lotæ drach. XII. croci drach. XII. opij drach. IIII. æris usti & loti drachmas XII. myrrhæ drach. IIII. lapidis hæmatitæ drach. IIII. rosarum siccarum drach. IIII. spicæ nardi drach. IIII. misyos assi drach. IIII. cassiæ fistulæ drach. IIII. piperis albi grana XXV. gummi drach. XII. uino exceptis utere.

Antigoni Croceum Leontariũ, hoc est, leunculus appellatum, propterea quod Leonis imago ei imprimeretur. Facit ad Epiphoras, molestiam doloris, inuete ratas affectiones. Est & aspretudinibus commodum, cicatrices & callos exterit maxime uero pueris cõmodum est. Spodij cyprij drach. XLVIII. croci drach. XXIIII. myrrhæ drach. XII. lapidis hæmatitæ drach. VIII. opij drach. XII. pipe ris albi grana XXXVI. gũmi drach. LXXX. uino falerno excipito. Aliud, Spodij cyprij drach. LXXX. croci drach. XL. myrrhæ drach. XX. opij drach. XX. lapidis hematitæ drach. XII. piperis grana LX. gummi drach. LXXX. uini falerni quantum sufficit. Ex libris Scribonij Largi, Asclepios Machaonis. Ad ueteres affectiones, & oculos suppuratos. Spodij pompholygis drach. XXXII. æris usti drach. XXXII. croci siculi drach. XVI. myrrhæ drach. VI. lapi dis hæmatitæ drach. X. nardi indicæ drach. VI. opij drachmas VI. piperis grana XL. uino chio excipito. In libro de Atheniψpis Asclepijs, opij drachmæ VIII. ha bentur. Euemeri ad dolores & affectiones. Aeris usti & loti drachmas XXXII. spodij pompholygis drach. XVI. croci drach. XVI. myrrhæ drach. VIII. lapidis hæmatitæ usti & loti drach. VIII. spicæ nardi drach. IIII. misyos usti drach. IIII. opij torrefacti drach. IIII. gummi drach. XVI. uini Italici quod satis est.

Diasmyrnũ odorũ Synerotis, pharmacum accommodatum ad inueteratas affe ctiones. Facit & ad Rhœadas, hoc est, angulos antrosos, & Aegilopas. Cad miæ lotæ drach. XXVIII. lapidis hæmatitæ usti & loti drach. XXV. spodij cyprij drach. XXIIII. myrrhę drach. XLVIII. croci drach. IIII. opij hispani drach. VIII. pi peris albi grana XXX. gũmi drach. VI. uino Italico excipito. Vtitor cum ouo in recẽtibus affectionibus. Tẽperatura aquosa est. Aliqui croci drach. XII. inijciũt.

Hæmatitinum

Hæmatitinum Synerotis aſpretudinibus cõmodum. Facit ad ueteres affectiones, ad ficoſa, & ad omnem extuberãtiam ſi cum odoro Synerotis comiſceatur. Aeris uſti & loti drach. XXIIII. lapidis hæmatitæ drach. I. croci drach. IIII. opij drach. IIII. gummi drach. XII. Excipe aceto acerrimo. Aliud, Aeris uſti drach. XLVIII. croci drach. XXIIII. opij drach. IIII. gummi Thebaici drachmas XXIIII. põpholygis drach. XVIII. myrrhæ drach. XVIII. ſalis ammoniaci drach. XII. lapidis hæmatitæ drach. I. æruginis drach. IIII. uino excipito. Hieracis ad aſpretudines, Miſyos uſti drach. VIII. croci drach. VIII. opij drach. VIII. lapidis hæmatitæ loti drach. VIII. æris uſti & loti drach. XII. myrrhę drach. XII. gummi drach. XII. uino acerrimo excipito. Apollonij Phœnix collyrium Hieracium ad aſpretudines. Per hoc catulo egregie medicatus eſt. Facit & ad palpebrarũ defluuia & inueteratas affectiões. Lapidis hæmatitæ uſti & loti drach. XXXII. æris uſti & loti drach. XVI. æruginis raſilis drach. XVI. opij drach. VIII. Alij VI. cadmiæ botryitidis drach. IIII. chalcitidis aſſatæ drach. IIII. gũmi drach. XVI. Excipe aqua pluuiali. Phœnix Apollonij aliter, uelut Arius Aſclepiadeus inſcripſit, in libro quo propria pharmaca coaceruauit. Lapidis hæmatitæ drach. XXIIII. lapidis ſchiſti uſti & loti drach. XXIIII. cadmiæ drach. XII. æris uſti drach. XII. opij drach. VIII. chalcitidis aſſatę drach. IIII. alij drach. VIII. In alio exemplari etiam æruginis drach. XII. gummi drach. XVI. excipe aqua pluuiali. Aliud collyrium ad aſpretudines, Chalcitidis uſtæ drach. XII. miſyos uſti & loti drach. VIII. croci, opij, utriuſq; drach. VI. lapidis hæmatitæ drach. VIII. gummi drach. XII. acerrimo aceto excipito. Collyriũ ad craſſitudines. Aeris uſti & loti drach. XXIIII. ſpodij pompholygis drach. XVI. myrrhæ drach. XVI. ſalis ammoniaci drach. XII. lapidis hæmatitæ drach. IIII. opij drach. IIII. piperis grana XII. alij XVI. gummi drach. VIII. uino excipito ac utitor. Euemeri cicatrices & callos exterit. facit & ad inueteratas affectiones. Cadmiæ drach. LX. croci drach. L. ſpicæ nardi drach. XX. ſquamæ æris torrefactæ drach. L. myrrhæ drach. L. opij drach. XXX. æris uſti. drach. LX. miſyos crudi drach. L. gummi drach. LXX. excipe uino chio. Aliud Pyrami, Cicatrices & callos exterens, deprimit omnem extuberantiam. Cadmiæ cypriæ drachmas XL. lapidis hæmatitæ drach. XL. æris uſti drach. XL. miſyos uſti drach. XX. croci drachmas XX. ammoniaci thymiamatis drach. XX. ſquamæ æris uſtæ & lotæ drach. XX. opij drach. XX. gummi libram I. cum acerrimo aceto utere. Aliud Eumeri, ad eaſdem affectiones, Aeris uſti & loti drach. XXIIII. ſpodij pompholygis drach. XII. myrrhę drach. VIII. ſalis ammoniaci drachmas XII. lapidis hæmatitæ drach. IIII. piperis drach. XII. gummi drach. VIII. uini chij quod ſatis eſt.

Lynceus, ad affectiones calloſas, exacuit uiſum, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach. XII. æris uſti & loti drach. XII. ammoniaci thymiamatis drach. XII. myrrhæ drach. XVI. lapidis hæmatitæ drach. VI. opij drach. VI. aloes drach. IIII. fellis taurini drach. IIII. galbani drach. IIII. æruginis drach. I. opopanacis drach. III. ſalis ammoniaci drach. II. gummi drach. VI. alij II. aqua pluuiali excipito.

Collyrium Rinema, hoc eſt, lima inſcriptum. Facit ad calloſas affectiones, cicatrices exterit, facit & ad ſuffuſiones. Cadmiæ drach. XLVIII. ammoniaci thymiamatis drach. XLVIII. æris uſti. drach. XLVIII. opij drach. XVI. æruginis cyprij drach. XVI. myrrhæ drach. XVI. lapidis hæmatitæ drachmas XXIII. galbani drach. XVI. opopanacis drach. XVIII. fellis taurini drach. VIII. ſalis ammoniaci drach. IIII. gummi drach. LX. aqua pluuiali excipe. Temperatura aquoſa eſt.

Collyrium Harmatium, id eſt, currus inſcriptum. Quo uſus eſt Ptolemæus rex exterſiua facultate præditũ, Exterit cicatrices, acuit uiſum, eſt & aſpretudinibus commodum.

cōmodum. Aeris usti & loti drach. VIII. ammoniaci thymiamatis drach. VIII. lapidis hæmatitæ drach. VIII. corticis thuris drach. VIII. gummi drach. VIII. exci pe aqua pluuiali, ac utere cū aqua. Alia exēplaria etiā æruginis drach. II. habēt.

Collyriū oxydorcicum, hoc est uisum exacuēs, ex hæmatite, cicatrices & callos exterit. Ammoniaci thymiamatis drach. XXIIII. æris usti & loti drachmas XXIIII. lapidis hæmatitæ drach. XXIIII. gummi drach. XXIIII. æruginis drach. VIII. excipe aqua pluuiali. Collyrium Artemonium inscriptum, quo Bassus sodalis meus usus est. Facit ad fluxiones antiquas, & aspretudines palpebrarum, ad humore putrescentes & erosos angulos, ad oculos humectos, & membranarum extuberantias, cicatrices, & callos exterit. Et quod maximum in eo est, post illitiones, oculos imperturbatos conseruat. Stibij drach. IIII. æris usti drach. II. cerusæ drach. II. croci drach. I. myrrhæ drach. I. corticis thuris drach. I. æruginis uermiculatæ drach. I. gallarū omphacinarum drach. unam. piperis albi drachmam unam gummi drachmam unam uino excipe, utere cum aqua.

Aliud pharmacum accommodatum. Cadmiæ drach. VIII. stibij drach. VIII. cerusæ drach. VIII. æris usti drach. IIII. corticis thuris drach. II. croci drach. II. myrrhæ drach. II. æruginis uermiculatæ drach. II. gallarum omphacinarum drach. II. piperis albi drachmam unam gummi drachmas IIII. excipe uino.

Collyrium Indicum Aërianum inscriptum, præoccupat ac præripit omnes lippitudines. Facit ad obtusum uisum, & scabras affectiones, ad erosos angulos, cicatrices exterit. Et quod maximū est, post illitionem oculos imperturbatos conseruat. Cerusæ Rhodiacæ drach. XLVIII. cadmiæ cypriæ drach. XXIIII. atramenti indici drach. VIII. opij drach. VIII. piperis albi drach. VIII. aut VI. opobalsami drach. VIII. aut VI. gūmi drach. XVI. cinamomi drach. II. Alij XII. drach. aqua pluuia excipito. Hermopbili collyrium Thalasserum, accommodatum ad suffusiones, & ad omnem hebetudinē uisus, facit & ad incipientem suffusionem. Estq; odoratissimum pharmacū. Cadmiæ drach. XVI. atramenti indici drach. XVI. piperis albi drach. VIII. æruginis drach. IIII. succi Medici drach. IIII. opobalsami drach. IIII. gūmi drach. XII. aqua excipe, utere cum aqua. Temperatura diuersa est iuxta affectiones. Pomponij Bassi. Facit ad incipientem suffusionem. Cadmiæ drach. XXVII. atramenti indici drach. XVI. piperis albi drach. XII. succi Cyrenaici drach. V. opobalsami drachmas VI. spicæ nardi drach. VI. sagapeni drach. V. opopanacis drach. V. opij drach. IIII. Eupborbij drach. I. cinamomi drachmam unam. gummi drachmas XXX. fœniculi succo excipito.

Indicum basilicon, id est, regium inscriptum. Facit ad incipientem suffusionē, & omnem uisus hebetudinē, cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ libram unam & trientem, atramenti indici drach. VI. cerusæ trientem piperis albi sexuncem, fel hyænæ integrum quanticunq; ponderis, fel scarorum decem, fel perdicum quatuor, succi papaueris unciam. I. opobalsami sextantem. opopanacis sextantem. sagapeni sextantem. gūmi libram. I. excipe succo fœniculi aut herbæ Heracleæ appellatæ. Enstacton, id est instillatitium Paccij ut Themison. Cadmiæ drach. LXIIII. misyos drach. XXXII. atramenti sutorij drach. XXXII. stibij drach. XXXII. piperis albi drach. XXXII. opij drach. XVI. æruginis drach. XVI. opobalsami drach. XVI. gummi drach. LXIIII. excipe aqua pluuiali.

Collyrium Chelidonium inscriptum. Cadmiæ drach. XLVIII. stibij drach. XII. misyos drach. VIII. piperis drach. XXXVI. atramenti sutorij drach. VI. opij drach. VI. opobalsami drach. IIII. gummi drach. XXIIII. excipe aqua pluuiali.

Hieracium, Ad obtusum uisum, & scabras affectiones. Cerusæ drach. XVI. cadmiæ drach VIII. opij drach. II. gummi drach. VI. excipe aqua pluuiali ac utere

cum aqua. Aliud, Cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach.XVI.cerussæ drach.VIII.piperis albi drach.IIII.æruginis drach.II.opobalsami drach.II.omphacij drach.II.gummi drach.IIII.excipe aqua pluuiali. Collyrium fuluum panchrestum,ab omnimoda utilitate inscriptum,accommodatum ad scabros et circũrosos angulos,ac intensos pruritus,& palpebras ficosas. Cadmiæ drach. LXXX.chalcitidis ustæ drach.XL.piperis albi drach.XL.gũmi drach.XL.aqua pluuiali excipito.In alio exemplari æqualis omnium apponderatio habetur. Aliud, Cadmię drach.LXXX.chalcitidis ustæ drach.XL.piperis albi drach.XL.croci drach.XII.myrrhæ drach.XII.gummi drach.XL.aquæ pluuialis q̃ satis est.

Tryphonis orbiculare Sphæricum dictum. Cadmiæ drach.XLVIII.squamæ æris drach.XXXII.æris usti & loti drach.XXXII.piperis albi drach.XXXII.opij drach.VIII.myrrhæ drach.VIII.opobalsami drachmas IIII.gummi drach.XXXII.excipe aqua pluuiali. Collyrium Galli oxydorcicum. Cadmiæ drach.XLVIII.chalcitidis ustæ drach.XXIIII.piperis albi drach.VI.squamę æris drach.VIII.opij.drach.VI.omphacij drach.IIII.myrrhæ drachmas II.opobalsami drach.IIII.gũmi drach.XII.piperis albi grana X.aquæ pluuialis quantũ sufficit.

Collyriũ aromaticũ appellatũ. Aeris usti & loti drach.XVI.æruginis drach.IIII.myrrhæ drach.IIII.opij drach.IIII.piperis albi drach.IIII.nardi drach.II.croci drach.IIII.opobalsami drach.IIII.gummi drach.IIII.aqua pluuiali excipito.

Heraclidæ aromaticum croceum ex hæmatite. Aeris usti & loti drach.XLVIII.cadmiæ drach.XXIIII.croci drach.XXIIII.lapidis hæmatitæ drach.XXIIII.opij drach.XII.piperis albi drach.XII.gummi drach.XXIIII.uino falerno excipito. Croceum Asclepium oxydorcicum. Aeris usti drach.XLVIII.croci drach.XII.omphacij drach.IIII.opij drach.XII.myrrhæ drach.II.opobalsami drach.IIII.gummi drach.XII.piperis albi grana X.aquæ pluuialis quantum satis est. Collyriũ Isochryson, hoc est auro compar, ad corrosos angulos, scabras affectiones,inueteratas lippitudines,asperitudines,ficosas eminentias,cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach.VI.lapidis hæmatitæ drach.XVI.myrrhæ drach.XVI.croci drach.XXIIII.piperis longi drach.XII.piperis albi drach.XXIIII.gummi drachmas LXIIII.uini Italici quantum satis est.

Collyrium Cinnabarium,celebris ophthalmici Stoli Britannici.Ad corrosos angulos,lippitudines ad malum habitum perductas,intensos pruritus,& inueteratas affectiones. Psorici drach.XXIIII.cadmiæ drach.XXIIII.croci drach.XVI.piperis drach.XVI.cinnabaris drach.XVI.opij drach.XII.gummi drach.XXIIII.aqua pluuiæ quod satis est. Aliud, Psorici drach.XXIIII.piperis drach.XXIIII.cadmię drach.XXIIII.croci drach.XXIIII.sandarachę drach.VIII.opij.drach.VIII.cinnabaris drach.VIII.gũmi drach.VIII.aqua pluuiali excipito. Melinũ atarachũ à perturbationibus amoliẽdis appellatũ.Facit ad omnẽ oculorũ hebetudinẽ,& ad affectiões antiquas, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach.XXIIII.omphacij drach.XII.salis ammoniaci drach.IIII.ammoniaci thymiamatis drach.XII.opij drach.VIII.gũmi drach.XXIIII.cerusę drach.XXIIII.croci drach.XVI.piperis albi drach.XXIIII.aquæ pluuialis quantum sufficit. Lucij præceptoris Melinum.ad scabros & corrosos angulos,intensos pruritus,oculos humectos,ad omnem uisus hebetudinem,cicatrices & callos exterit. Cerusæ drach.XXIIII.croci drach.XXIIII.ammoniaci thymiamatis drach.VI.salis ammoniaci drach.VI.nardi indicę drach.VI.opij drach.VI.myrrhæ drach.VI.omphacij drach.VI.gummi drach.XXIIII.excipe aqua pluuia.

Aliud collyriũ Proteus cui nullum cõferri potest. Facit ad incipientem suffusionem,& ad omnem uisus obtusitatem, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach.

drach. XX. chalcitidis crudæ drach. XL. cerusæ drach. XL. piperis albi drachmas XXX. succi cyrenaici drach. XX. croci drach. XVI. opij drachmas XII. sagapeni drach. XII. lachrymæ oleæ drach. XII. auripigmenti drach. VIII. myrrhæ drach. XII. gummi drach. XX. opopanacis drach. XX. opobalsami drach. XII. Apparato cum aqua pluuiali ac utitor cum aqua. Hygieni collyrium aureum.

Ad corrosos angulos & scabras affectiones. Sandarachæ drach. XXIIII. piperis albi grana XII. myrrhæ drach. VI. croci drach. VI. gūmi drach. XII. cū aqua pluuiali apparato. Aliter aureum collyrium. Sandarachæ drach. XVI. croci drach. XVI. piperis drach. XVI. myrrhæ drach. IIII. gummi drach. XII. usus ostensus est. Aliter, Sandarachæ drach. XXIIII. piperis albi drach. XII. myrrhæ drach. VI. croci drach. VI. gummi drach. XII. aqua pluuiali excipito.

Euemeri psoricum. Facit ad corrosos angulos, & scabras cicatrices ac callos exterit. Facit & ad inueteratas affectiones, & lippitudines ad malū habitū perductas, itemq; ad aspretudines. Psorici drach. XXIIII. croci drach. XII. opij, cerusæ, utriusq; drach. IIII. piperis albi drach. IIII. omphacij drach. IIII. uino falerno excipito. Basilidion, hoc est regineum psoricū. Psorici drach. XLVIII. croci drach. XXIIII. opij drach. VIII. floris lapidis asij drach. VIII. cerusæ drach. VIII. piperis drach. VI. opobalsami drach. IIII. omphacij drach. IIII. gūmi drach. XVI. uino falerno excipe. Panchrestum Athenipion. Psorici drachmas LXIIII. croci drach. XVI. chalcitidis ustæ drach. XVI. sandarachæ drachmas XX. myrrhæ drach. VIII. piperis albi drach. XVI. cassiæ fistulæ drach. VIII. foliorū malabathri drach. IIII. opij drach. XVI. omphacij drach. IIII. misyos usti drach. II. gummi drach. XXIIII. excipe aqua pluuiali. Ptolemæi familiaris pharmacum accōmodatum ad scabros & corrosos angulos, intensos pruritus, defluuia palpebrarū, hebetem uisum. Psorici drach. LX. sandarachæ drach. XXX. chalcitidis ustæ drach. XXIIII. croci drach. XXIIII. myrrhæ drach. XII. opij drach. II. cassiæ fistulæ drach. XII. piperis drach. IIII. piperis albi drachmas VIII. omphacij drach. VI. misyos usti drach. III. foliorum malabathri drach. I. gūmi drach. XXXVI. aquæ pluuiæ quantum sufficit. Collyriū Malabatri oxydorcicum. facit ad corrosos angulos. Stibij drach. XXIIII. acaciæ drach. XXIIII. piperis albi drach. XXIIII. nardi indicæ drach. XII. opij drach. VI. croci drach. VI. omphacij drach. VI. gummi drach. XXXVI. aqua pluuiali excipito. Aliud, Stibij usti & loti drach. XL. acaciæ drach. XLVI. nardi celticæ drach. VI. myrrhę drach. VIII. croci drach. VIII. omphacij drach. VI. opij drach. VI. cadmiæ drach. XXXVI. gummi drach. XXXII. aquæ pluuialis quod satis est.

Remedia ad affectos oculos ab Archigene in primo pharmacorum secundum genus conscripta. Cap. VIII.

IN fluxionibus circa oculos in principio conuenit cibi ac potus parcitas, aquæ potus, et maxime omniū rei Venereę abstinētia. Aluus ipsa subducatur, & facies assidue primū multa frigida, deinde etiam aceto ammixto proluatur. Quidā atramentū sutorium aqua dilutū proluendum exhibent. Fugiant odores acres, & pulueres, fumumq;, & tum solis tum lucernarum splendorem, ad noctem lanas puras ex uino, aut sordidas ex aqua frigida imponāt, maneq; uelut dictum est se proluant. Quod si augescat fluxio, accedatq; dolor, uenæ sectio cōgrua est, & perfecta cibi abstinētia ac sitis, nisi exurantur, & malum inde augescat. Conuenit & solutio uentris ualida, siue per purgatorium conueniens medicamentum, siue per clysteres robustos. Post hæc uero circa frontem imposita assidue, Vitis folia uiridia auxiliantur. Aut myrti, aut lentisci, aut rubi succus, aut brassicæ aut uitis folia cum flore farinæ polentæ.

Aut cupressus, samsucus, ocymũ, sisymbrium, œnãthe, crocus hortensis, itemq; agrestis, portulaca, mali punici satiui flores, cytini appellati, uitex, folia recentia mali cotoneæ, singula cum uino & flore farinæ polentæ. Super ipsos uero oculos lana pura oui candido madefacta imponatur, aut oui assi luteum. Aut melilotum in passo coctũ. Aut asphodeli radix cum uino & flore farinæ polentæ. Aut iris contusa cum uino & flore farinæ polentæ. Aut mali punici succus cum flore farinæ polentæ. Aut ipsum malum in uino maris experte coctum. Aut iuniperi baccæ tritæ cum uino & flore farinæ polentæ fronti imponantur, aut etiam super ipsos oculos adhibeantur. Ad hæc uero eryngij & fœniculi syluestris radix trita ex aqua, & cicutæ semen eodem modo apparatum, opitulantur. Caseus item mollis & nuper salsus cum apij folijs cataplasmatis modo impositus. Aut papauer syluestre passo coctum ac tritum impositũ. Similiter & melilotũ passo coctum, modico croco & papaueris succo ammixtis. Panis item ex uino, rosaceo ammixto mirabiliter auxiliatur. Aut tribulum recentem per se imponito: imò & polenta ammixta egregie opitulatur. Et ut summatim dicã omnia ex adstringentium genere & repulsoria in principijs prosunt, uelut est cicuta, & psyllium, apium, solanũ, lentes palustres, serpyllum, samsucus, folia uitis, coriandrũ, portulaca, semperuiuum, folia papaueris, urtica. Quæ singula ex uino trita imponantur: psyllium uero ex aqua, eodemq; modo palustris lenticula.

Ad fluxionem calidam.

Brassicã tritam cum polentæ flore ex aqua imponito. Aut ocymi folia eodem modo. Aut rutæ folia cum adipe anserino, aut samsuci folia. Aut halicacabum tritam. Cæterũ largum fluxum sistunt papaueris capita, & hyoscyamus cum polentæ flore ex uino. Oportet autem fomẽtum prius adhibere, atq; ita imponere. Postquam uero status & uigor præterierit, & quum non amplius oportunum est adstringentibus uti, non incommodum fuerit, tum oculorum, tum capitis fomenta adhibere. Magnifice uero auxiliatur, inflãmationesq; soluit, & si qua distentio adsit eam laxat, linteolum molle butyro madefactum ac oculis superpositum.

De chemosi, hoc est utriusq; palpebræ distortione ex inflãmatione oborta.

In quibus uero chemosis fortis contingit, Oui luteum cum muscæ carne terito, atq; ubi ad cerati formam deducta fuerint, linteolo excepta impone, confestim sedant.

Oblitiones oculorum.

Panis purus ustus acacia & hedera cum aqua permixtus. Verum ad doloris uexationes rosas uirides aut aridas passo maceratas terito, & ammixto oui assi uitello, ac croco sufficienti, cum passo utitor. Aut crudam hordeaceam uel triticeam farinam passo coctam adhibeto. Si uero maior dolor fuerit papaueris folia recẽtia ammisceto, aut corticem papaueris capitum. Aut hyoscyami folia drachmarum IIII. pondere cum oui uitello. Aut sisymbrium aqua coctum terito sufficienti affuso uino, & imponito. Aut papaueris albi capita passo cocta ac trita imponito. Aut opij recẽtis coma itemq; pulegij recẽtis similiter utitor. Aut peponis aut cucumeris carne. Aut oui assi luteum cum modico croco ac uino tritum imponito. Cæterum dolentes ex inflammatione oculos cum panace & pulegio uino subactis integito. Præclare facit & pini cortex & polenta cum uino. Aut hyoscyami folia & opiũ trita imponito. Aut papaueris cortices terito, rosisq; ac meliloto myrrhaq; ammixtis, albumine oui diluito, atq; ita imponito. Aut aloen ac opium cum aqua diluta linteoloq; excepta imponito, uitando ne quid in oculum prætorlabatur. Cæterũ in his qui dolore uexantur crocum

bonum cum lacte instillato. Verũ ad uehementes doloris molestias, Coriandri succus cum muliebri lacte oculis instillatus, Similiterq; papaueris succus torrefactus, auxiliatur. Folia item platani trita cũ farinæ polentæ flore oculis superne imposita. Cataplasmata uero in fluxionibus conueniunt, Cupressus uiridis cum uino, aut paliuri folia, Aut portulaca trita cũ adipe anserino & croco. Aut iris sicca cum melle. Aut micas thuris & myrrham cum oui candido lana excepta fronti imponito. Aut apium cum polenta, aut seselis flores uino maceratos imponito. Aut papaueris folia recentia adglutinato. Quod si uigiliæ instent, Mandragoræ radicem & succum, papaueris folia, & polentam æquis partibus in massam cogito, eamq; odorandam exhibeto, & obdormiscent. Porro in magnis fluxionibus pulegij recentis semen, & maxime succũ, cum aceto ad malagmatis formam redigito, ac sincipiti imposito, lanis superne additis, ac leni uinculo constrictis, Aliqui etiam papauer recens ei ammiscent, aut opij minimũ quid, aut rosas, aut melilotum coctum. Aut amylo ex uino cum oui candido oculos ipsos integito. Præclare faciunt ad fluxionem uberẽ, tenuem, ac uetustã, itemq; ulcera, pompholygis drach. IIII. opij torrefacti obol. III. gummi drach. IIII. aqua pluuiali aut fontana excepta. Agglutinatorium ad fluxionem.

Similaginem & mannę thuris dimidium eius, cum oui albumine ad emplastri formam redigito, & in principio fronti in linteolo imponito. Aut oui tenuis uitellum cum thure. Aut cochleam cum testa sua & oui candido ad strigmentitiam formam redactam in splenio à tempore altero ad alterum extendendo imponito. Sua sponte decidit, ubi restiterit fluxus. Aut Moschi malagma, aut barbarum emplastrum, aut uiride, aut aliquod aliud eorum quæ aceto constant, splenio inditum fronti imponito.

Ad hæmalopas & hypospagmata, id est cruentatos oculos, & sugillatos.

AD plagas oculis illatas, & ad orientes ex eis cruentas suffusiones, statim in principio tum ad inflammationem, tum ad dolorem cõpescendum, facit columbinus sanguis instillatus, & præsertim is qui ex teneris pẽnis exprimitur. Candidum etiam oui eodem modo in oculum instillatum, atq; amplius pura lana exceptum & superne impositum. Prodest etiam oui assi luteum cum uino impositũ, aut melilotum coctum cum uino eodem modo. Insuper & folia rosarũ ac flos per se & cum uino trita, itemq; cum flore farinæ polentæ. Aut brassicæ folia in cataplasmate. Vbi uero diutius cruentatio perstiterit, cum thure & bitumine æquis portionibus acceptis ac mixtis oculum suffito. Aut hyssopi comam tritam lineo panniculo illigatã in feruentem aquam demittito, oculoq; admoueto. Sequitur enim cruor, adeo ut ex linteolo cõpresso exprimi queat. Aut nitrũ & terram Aethiopicam, ac myrrham pari pondere cum aqua illinito. Aut foliorum oleæ uiridium succum sublinito. Aut ammium & hyssopũ cum lacte bubulo terito, agitato, ac sublinito. Aut semen lini tritũ cum butyro per linteolum exprimito ac sublinito. Caput uero frigida perfundito.

Curatio tumorum.

AD tumores ex plaga circa oculos obortos, ualde conuenit fomentum per mollem spongiam assidue factum, Ita ut spongia postea aceto diluto madefacta imponatur. Conuenit insuper sinapi uetustum ex aqua tritũ, assidue circumpositum & ablatum. Similiter & nasturtium, si post eorum ablationem loci assidue calida aqua foueantur.

Ad oculos scabros.

AD oculos propter solem aut omnino puluerẽ scabros atq; aridos factos, aqua multa æstate quidem frigida, hyeme uero calida affusa commodat.

Conuenit & spongiæ calida, aut lentis decocto, imbutæ fomentū. Ipsis uero oculorum angulis rubi, lentisci, myrti, rosarū succum, unumquemq; per se cum aqua adhibeto. Aut rosas aridas tritas cum uino, aut earū florem. Aut uinum maris expers ac oleū uetus maxime ubi dormire uoluerint admoueto. Cōducit præterea his ut à salsis, acribus, ampliusq; acidis omnibus abstineant. Porrò ad inueteratas & callosas circa palpebras affectiones, amurcā coctā cū oleo tritā illinito.

Ad eos qui crassas, callosas, ac rubras, glabrasq; & pilis nudatas genas habent, ptilos græcis dictos.

IN his qui crassas callosas, ac rubras & glabras palpebras siue genas habent, quæ pilis exutæ sunt, egregie facit, ac pilos producit hoc medicamētum. Acaciæ drach. II. atramenti librarij aridi, aut si fieri potest memphitici drach. V. succi porri heminas. IIII. Vini maris expertis heminas. IIII. Coquito donec strigmentitiam formam induant, & repositis in pyxide utitor. Aut muscerdas & caprarum stercora usta pari mensura, cineris calami græci duplum, cum melle attico illinito. Hoc uero etiam palpebrarum defluuia emendat. Aeruginis tritæ partem unam, ammoniaci thymiamatis tantundē, trita adhibeto. facit idem & egregie ad scabros oculos. Aut cadmiam tritam melle subactam in ollula urito ac assato, deinde æris usti tandundem ammisceto, ac tritis utitor.

Ad pilos inutiles & pungentes in palpebris enascentes, Trichiasin hoc malum græci appellant.

PIlos inutiliter in palpebris supernascētes euellito, & sanguinem cimicū illinito, & nō enascentur. Papias Laodicensis Autolyci medicus multa in his tentabat, euellebat primum ipsos pilos, deinde locū diligenter cum dropace irritabat, & cum chamæleone albo trito uiridiū ranarū sanguine permixto. (Sunt autem ranæ quæ in harūdinibus degūt) illinebat. Neq; enim postea enascuntur. Potes & euulsis prius pilis cedriam cum Tellinarū cinere mixtam ac tritam illinere. Ad eandē quoq; rem auiculæ Cinedi appellatæ felle utitor. Aut pagri marini piscis itidem felle. Aut ricini à cane fœmina adempti sanguine. Egregie facit hoc, Fellis & sanguinis herinacei terrestris pares partes, fellis chamæleonis tantundem, castorij parum. Ad formam squamularum piscium reducito, & pilis radicitus euulsis utitor, squamulam unam oris saliua matutina dilutā illinendo, locumq; ad dimidiū horæ obligando. Dolitant equidem ex medicamenti huius usu, sed pili amplius non enascūtur. Aut felle hyænæ fœminæ mox ab euulsione illinito. Aut tellinarū tenuissimam puluerem oblinito. Aut euulsis pilis, cicutæ folium, & cedriam æqualibus partibus cum uespertilionis sanguine illinē, illitumq; donec exarescat tene. Si enim hoc oculum cōtingat eius humorem corrūpit. Aut ab euulsione, capræ fel cum brassicæ succo illinito. Aut capni siue fumariæ herbæ succo palpebræ alam siue summitatem illinito: deinde pilos euellito rursusq; illinito. Testatus est & Hermias spumam aquæ post dropacum adhibitionem illitam summe conducere.

De staphylomatis siue uuis, & albuginibus.

STaphylomata tolles cantharidum succo illito. Albugines uero cito sanat nitrum cum oleo ueteri diligēter tritum & illitum. Aut lacertæ stercus illine & tolles. Aut Nycticoracis ouum illine, & tinges ipsas. Aut croci, piperis, æquales partes cum felis felle in collyria formato ac illinito. Aut sepiæ testam tritam melle subigito ac urito, & leuigato postea pharmaco hoc sublinito.

Curatio obfuscationis uisus & suffusionis.

OBfuscationem omnem aut etiam incipientem suffusionem persanat omne fel cū marrubij succo ac melle Attico. Aut myrrhæ & piperis partes æquales cum

les cum melle. Aut solanũ nigrũ illine. facit & Cyprus in ærea pyxide reposita. Aut fœniculi succum, & fel taurinũ liquidum paribus partibus, mellis attici duplum illinito. Aut croci & piperis æquas portiones felle taurino excipito, atq; in collyria redigito, ac illinito. Aut populi nigræ succum cum duplo mellis Attici illinito.

De humorum suffusionibus.

Fellis testudinis marinæ partem unã. mellis Attici quadruplum illinito. Fel ipsum etiam per se sufficit cum aqua illitum.

Ad Pterygia.

In pterygijs oculorũ atramenti sutorij, salis ammoniaci, æquales partes, gummi dimidium, cum aceto in collyria formato ac illinito. Aut populi nigræ succum, cum duplo mellis attici mixtum ac tritum illinito.

Ad glaucos oculos & Nyctalopas, hoc est luscioso s.

Solani succus instillatus glaucos oculos denigrat. In lusciosis uero hepar hircinũ assato, ipsumq; inter assandũ destillantẽ cruorẽ illinito, Atq; id quidem de illinendo dictum sit, ipsum uero hepar edendum præbeto. Auxiliatur & columbinus sanguis illitus, & fel capræ. Aut hepar caprinum coquito, eosq; obuelatos in ollam intendere iubeto, quo elatũ inde uaporem oculis susceptẽt. Ipsum uero hepar assidue edendum dato, Ex hoc enim cito auxilium sentient. Aut elaterij obolum, seminis portulacæ drachmam .i. cum melle inunge. Aut stercus Asini recens exsuccato ac illinito. Vescatur æger beta, uulturis iecore assato, eiusq; felle illinatur.

Ad Crithas instar hordei oblongos circa palpebrarum pilos abscessus, qui item posthiæ Græcis appellantur.

Abscessus circa palpebrarum cilia crithas ab hordei similitudine Græcis appellatas, ceræ albæ fomento discuties. Aut muscæ caput auellito, ac reliquo corpore abscessum ipsum confricato.

Finis libri quarti.

CAPITA QVINTI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SEcundum locos Liber V. Iano Cornario Medico interprete.

De sugillatione sub oculis hypopion Græci dicunt. Cap. I.



VOD hypopion sub oculis fiat, nomẽ ipsum indicat. Idẽ enim est uelut si quis hypophthalmiũ dicat, quod ipsum sub oculis sonat. Est aũt ex genere effusionũ, ec chymomatũ appellatarũ, Appellãt ita Hippocrates & alij multi Medici circa cutẽ affectionẽ, quũ tenuibus in ipsa uenis cõtusis, sanguis per fissuras effundit, non uno loco aceruatim ac statim ita excretus in grumos coiẽs, sed postq́ per persultationẽ, hoc est diapedesin, ut ipsi appellãt, effusio ipsa facta est, contingit sane aliquãdo ubi ita coierit, tẽporis progressu liuescere & denigrari, paruis nimirũ grumulis ex disperso in multas cutis partes sanguine coactis. Quare meritò ad eius curationẽ statim festinãt medici priusq́ denigrescat, scopũ medendi habẽtes ut sanguis discutiat, quũ sciant id quod in grumos coierit ex sanguine, ægerrime discuti posse. Quũ uero tunicula uenarũ ex quibus sanguis exilit rũpatur, parũ quiddã ex adstringẽtibus ad discutiẽtia ammiscetur. Si enim ex sola simplici facultate discussoria pharmacũ à principio adhibeatur, nõ solũ quod effusum est discutiet, Sed & per fissuras aliquid attrahet ex sanguine in contusis uenis cõtento. Postq́ uero in suam naturã redierint uenulę, ad discussoria pharmaca citra adstringentiũ ammixtionẽ oportune transimus. Queadmodũ autẽ in alijs affectibus plerịq; medicorũ indistinctę auxilia cõscripserunt, Ita etiã in his citra eas quas iam recensui distinctiones, simpliciter Sugillatorũ remedia prodiderunt. Porrò si uos eorũ quæ in libris de simpliciũ pharmacorũ facultate didicistis, memores fueritis, facile discernere poteritis, Quas nam sugillatiões sola discussione digerere oporteat absq; adstrictione, & in quibus ammiscere cõueniat quippiã ex modice adstringentibus. Quin & ex ipsis discussorijs imbecilliora primũ adhibenda esse manifestũ est: fortiora uero inueteratis & denigratis admouenda. Exẽplí itaq; loco primum ea quibus ipse utor indicabo, Inde ad ea quæ probati medici tradiderũt progressurus. Appellatur aũt collyrium Nili ex rosis diarodon, multis iam annis præclarũ & celebratũ, cuius cõpositionẽ proximo libro tradidi, hoc ipsum in ocularíorũ coticula ex aqua cõtero, atq; sugillationi illino, sertulæ campanę ac fœni græci decocto prius pro fomẽto admoto, deinde etiam collyrio ex eo decocto dissoluto: postea etiã ex ipsius solius fœni græci decocto. Quod si reliquię quæpiã affectionis restẽt, in fœni græci decocto collyria ex myrrha, diasmyrna appellata, soluo ac illino. Cõducit aũt bis in die pharmacũ hoc illinere, simulq; fomentũ decoctorum calidorũ per mollem spongiam prius admouere, ita ut primũ ex ambobus fœno græco & meliloto decoctũ fiat, inueterato aũtẽ malo, ex solo fœno græco. Hic curandi modus ut plurimũ perfecte sugillata persanat, paucis omnino subterfugientibus eumq; respuentibus, in quibus collyrium ex sandice cõmodum est, & ex pharmacis ad sugillata à medicis descriptis ea quæ generose discutiendi uim habent. Initium autem faciam ab eis quæ Archigenes in primo pharmacorum secundum genus conscripsit, præpositurus quidem ipsius uerba: postea uero si quid ab eo ad distinctionem pertinens relictum est, appositurus.

Archigenis pharmaca ad sugillata, iuxta ipsius dictionem.

SVgillata euestigio sanat raphanus impositus, auferes aũt ipsum postq́ mordere inceperit. Recte fecit in eo quod adscripsit, tollẽdũ esse ubi mordere

cœperit: si enim diutius maneat, uenulas contusas cōmordendo, oscula ipsarum aperiet, quapropter & à principio eo utendum non est. Vbi uero inueteratæ fuerint sugillationes & iam denigratæ, etiā si quis longiori tempore incūbere ipsum sinat, magis iuuabit. Facit & caseus recens salsus impositus. Ipse quidem caseus uim obstruendi meatus habet, uerum recens salsus & nondum inueteratus, mixtam facultatē habet, obductricem ex seipso, discussoriā uero & aliqualiter adstringentem ex sale, quare nihil absurdi est eo etiam in principio uti. Aut ceratum cum absinthio uel raphani succo subactum. Aut hyssopi coma leuigata eodem modo. Siue cum absinthij coma trita, siue cum succo ceratū subactum adhibeas, eandem uim demonstrabit, Verum ad tactum mollius reddetur pharmacum si succus cum cerato committatur. At uero raphani succus, aut hyssopum cerato addita, efficacius reddūt pharmacū, quàm ut à principio statim adhiberi cōueniat, nisi iam planè liuida aut nigra facta sit sugillatio, quod etiam ipse deinceps dicet. Summe facit ad recētia & liuida sugillata, Spongia muria tincta & assidue imposita ac ablata: postea uero fomentum assiduū ex calida aqua prodest. Quemadmodum raphano in principio uti minime tutum est, ob eam quam dixi causam, Sic etiam muria: quapropter etiam post eius usum, calidæ fomentum probat, quo uidelicet acrimonia ex muria inducta cōpescatur. Neque uero in omnibus sugillatis fomento ex muria uti consuluit, sed in his quæ statim liuescunt. Modico itaque tempore in his muria utendum est, in quibus uero cruentus, aut subflauus, aut subpallidus est color, fugere muriam oportet. Cataplasmate autē utere faba fresa cōtrita, absinthio, hyssopo, origano, raphani cortice, uua passa exacinata, unoquoque per se cum melle, aut aceto, aut aqua. Imperfecte primum hæc remedia conscripsit, quum non apponat ad sermonem, coctis'ne an crudis uti iubeat faba fresa, & absinthio, & hyssopo. Videtur autem crudorum usum præcipere. Porrò ad finem ubi dicit, cum melle, aut aceto, aut aqua, singulis prædictis utendum esse, neque tum quidem coctis addidit. Quin & eo ipso sermone tria inæqualia medicamēta tradens, minime rectè mihi uidetur, cum hoc uel illo utendum esse præcipere. Aqua enim acrimoniæ omnis expertissima est, non in cute tantū, sed ipsis etiam ulceribus. Mel uero ulceribus mordax est, cutem autem non offendit, Acetum uero utrisque mordax existit. Neque uero raphani cortex uuæ passæ uiribus par est, Sicut neque absinthium, ac hyssopum & origanum. Fortia enim hæc sunt & discussoria ui prædita. Moderata autem est uua passa & omnis acrimoniæ expers. Et bulbus albus cum ouo & melle. Bulbum flauum ut acriorem in principio statim adhibere recusat. Scimus autem mel discussoriæ facultatis esse, quapropter ouum ipsis ammiscere uidetur, quod mitigādi facultate multum præstat. Cyclaminus per se, & cum uua passa. Neque hic modicum est quod interest inter cyclaminum & uuam passam, Quare haud scio qua ratione per se cyclamino utatur, & ammixta uua passa tantum auferat eius facultatis, quanta fuerit ammixtæ uuæ passæ moles.

Aut nitrum cum hyssopo & uua passa, melle exceptū. Hic sermo priore rectior est, in quo etiam solius cyclamini usum permittebat, Nam si etiam nunc hyssopum ipsum per se adhibere consuluisset, non apponendo inueteratis sugillationibus id conuenire, similiter utique deliquisset. Myrtum cum sale & aqua. Dictum etiam antea à me est, quod ex discussorijs medicamentis in principio præstantiora sunt, quæ modicam adstringendi uim complectuntur, Qualia sunt rosæ, & melilotum, & crocus. Non tamen ex eiusmodi pharmacorum numero est myrtus, utpote uehementer adstringens, quapropter ego nunquam ipsa uti audeam, præsertim si iam liuidus sit color sugillationum.

Sinapi

Sinapi cum adipe ouillo. Inueteratis & nigrefactis sugillationibus solum, hoc medicamentũ conuenerit, & maxime si non omnino modicũ sit sinapi adipi ammixtum. Myricæ folia & fructus trita cum aqua, per se & simul mixta. Et hoc pharmacum non solum discussoriam, sed & cōcoctoriam quandam uim habet, quare inueteratis & nigrefactis sugillationibus non conducit. Facit & spongia, & linteolum, aceto ac melle imbuta, & apposita. Hoc remedium in principio adhibitum, non ualde acri aceto opus habet: in progressu autem temporis liuefacta aut denigrata sugillatione, nihil profuerit absque acerrimo aceto præparatũ. Aut fabam fresam cōmanducatam imponito cũ melle. Quin & fabæ lomentum, etiam citra manducationem, cum melle subactum liuida discutit. Ex manducatione autem summe discussorium redditur, nimirum uiribus à saliua adsumptis. Oui uitellum eodem modo. Si mel ad oui uitellum miscuerimus, uelut ante dixi de faba fresa, simile faciemus prædicto medicamento, tum in apparatu, tum in facultate. Aut porci pulmonem calidũ imponito. Hoc remedium non tolerarit uir mundiciem amans. Aut myricæ decocto prolue. Non ita longe ante de myricæ facultate dictũ est. Aut cardamomum cum myrrha impone. Discussorium quidem pharmacũ est myrrha, uerum acre cardamomũ. Hæc sane sufficere uidentur mihi ex Archigenis scriptis exempli gratia prolata, ostenso simul modo examinandi pharmaca, Qualia scilicet in principio conueniant, antequam liuida aut nigra sugillatio fiat, & qualia liuidis, aut iam nigrefactis, & inueteratis sint adhibenda. Quare quæ consequantur apud eum deinceps, ea sola per se adscribã, ipsius Archigenis uerbis. Aut cerusæ & spumæ argenti æquales partes cum melle terito, & ammixta faba fresa ad cerati formã reducito, ac utitor. Aut anguiũ senectam cum aqua marina tritam illine. Aut cuminũ linteo illigatũ in feruenti aqua tinctũ pro fomẽto adhibe. Aut sinapi cũ cerato impone. Aut fœniculũ tritũ impone. Aut thus & thapsiam æquis portionibus cum rosaceo cerato. Aut mentam & argenti spumam pari pondere impone. Aut ordeaceam farinam cum aceto mulso coctam. Aut fabam uino maceratã donec dissoluatur, tritã splenij modo impone. Aut cicer eruinũ uocatũ eodem modo. Aut furnorũ fuliginẽ cum pari cerusa ex uino odorato illine. Aut thapsiam & eruinæ farinæ tertiã partem eodem modo. Aut salsam thunni carnem, omotarichon Græci uocant, exprimito: deinde in uino odoro tritã imponito. Cæterũ ad uetustiores sugillationes Smilacis fructus cum uua nigra tritus facit. Aut thapsiæ radix tusa, & succo eius adipe excepto, ac assidue apposito. In uetustis exemplaribus non uetustiores cōparatiue scriptum est, sed uetustissimas superlatiue. Dictum est porrò à me statim in principio, quod in eiusmodi sugillationibus, pharmacis forti discussoria ui preditis uti oporteat, qualia sunt sane ab eo his uerbis descripta, & quædã item ex superioribus uelut est indicatũ. Atq; hæc quidẽ Archigenes prodidit. Verũ Apollonius diligẽtius et cũ pluribus distinctionibus in primo parabiliũ in hũc modũ scripsit.

Pharmaca ab Apollonio conscripta, ad sugillata recentia ac liuida.

Spongiam in aqua marina feruẽte tinctã assidue locis pro fomento adhibeto. Aut spōgia in acri muria tincta similiter foueto. Idẽ facit si feruẽti aceto, & uino imbuatur. Imponendũ est & spleniũ melle & aceto madefactũ, aut lana, aut spongia. Cataplasmate aũt utere, Absinthio trito cum melle, faba fresa eodẽ modo. Origano similiter, raphani cortice cum melle, Bulbis tritis per se, aut cũ melle & oui uitello, Silphio trito cum oleo et uino, Samsuco trito cum melle, Myrto & sale tritis cum aceto, fœniculo trito cũ cerato, hyssopo & nitro cum melle & aceto, calce uiua cum cerato, Sinapi trito cum adipe uitulino, aut cum cerato.

Ad sugillata inueterata.

Ari radicē rasam ac melle subactā in linteolum illitam imponito, utere etiam discussorijs facultatibus & compositionibus, quæ ex descriptionibus commentariorum apparantur. Ad sugillata cum tumore.

Spongiā aceto imbutā imponito, & præmonstratis fomētis frequētius utitor, cataplasmatis loco farinā ordeaceā ex aceto mulso coctam imponito, donec locus sugillatus humilior reddat: de cætero uero subscriptis cataplasmatis utitor.

Ad sugillata cum inflammatione.

Aqua calida foue, & pro cataplasmate lenticulam coctā tritam cum melle impone. Aut cochleam ægyptiam contusam impone. Vbi uero inflammatio remiserit, tunc iam etiam alijs pharmacis utere.

Ad sugillata cum pertusione.

In ipsam quidem pertusionis fissuram ex medicamentis quæ cruentis uulneribus cōueniunt inde: circumsitis uero partibus cataplasma ex medicamentis ad sugillata citra pertusionem cōscriptis impone. Præstabat fortassis hîc iam sermonem de sugillatis desinere, Verū quum ea quæ ex consentiente experimento iudicata sunt, alijs stabiliora existant, uisum est mihi etiā ea quæ Crito in tertio de Ornatu scripsit apponere, quæ sane iuxta illius dictionem ita habent.

Quæ Crito ad sugillata recentia medicamenta scripsit.

Cicutam tritam ex aqua impone. Absinthiū tritum ex aqua, & in linteolum infarctū imponito: quod si tenera sit cutis, parum mellis adijcito. Hyssopum cilicium ex aqua tritū, & in linteolū ligatū, in globulos cogito, cumq; his in feruentē aquam tinctis sensim foueto. Bryoniæ radicē tritam cum melle imponito, aut rosaceo cerato exceptam adhibeto. Muriā acrem facito, spongijsq; in ea madefactis foueto. Et post hæc raphani corticē tritū cum melle, & linteolo infarctum imponito. Aut sinapi tritū cerato exceptū, & modico adipe uitulino addito, in linteū infarctū imponito. Et de his quidē intantū. Quod si inueteratæ sint sugillationes, aut etiam appellati liuores, subscriptis cōpositionibus utendū est.

Ad liuores & sugillationes profundas.

Tordylij partes II. terræ samiæ partē I. aceto excipito, modicūq; mellis simul conquassato. Animaduertere autem oportet diligenter ne cutis exulceretur.

Medicamentū deterens sugillata, Aristarchi. Hyssopi cilicij drach. I. radicis thapsiæ tantundem. thuris integri non secti tantundē. ceræ tyrrhenicæ drach. II. resinæ terebinthinæ drach. I. arida cum liquescibilibus cōmittito, deinde linteolo infarcta imponito, animaduersione habita ne locus exulceretur, & ob hoc sane frequēter tollere oportet. Aliud, Radicis thapsiæ drach. XII. aut succi drach. VI. thuris insecti drach. VIII. ueratri albi drach. II. absinthij drach. I. cerati rosacei drach. XVI. mollita repone, ac linteolo infarctis utere. Oportet etiā hoc assidue amouere. Aliud, Viticis albæ obol. III. struthij tantundē. glandis Aegyptiæ tantundem. pulmonis caprini usti tantūdem. radicis asparagi tantundem. bdellij tantundem. succi thapsiæ tantundem. aceto mulso exceptis utitor. Aliud. Seminis uiticis albæ drach. III. radicis struthij tantūdem. nitri rubri tantundem. succi raphani tantundē. hyssopi cilicij tantundem. farinæ fabarum tantundem. glandis ungētariæ drach. XL. myricæ drach. XL. pulmonis caprini usti drach. XL. bulborū rubrorum drach. XL. radicis thapsiæ drach. XL. thuris drach. XII. excipe cerato rosaceo, ac utere ut dictum est.

Medicamentum ab Hera conscriptum ad sugillata.

Aufert, ut inquit Heras, tribus horis: quod si inflāmatio fiat, cataplasma ex uiridi caseo probat, & fomentum ex pane. Succi cicutæ obolos II.

croci

croci drach. II. myrrhę drach. I. acacię drach. I. opij drach. II. ſucci thapſię drach. II. gummi drach. I. cum aqua cogito. Hoc equidem Heras ſcripſit. Ego uero nucem per ętatē iam oleoſam factā expertus ſum aliquādo ad cruētatos facientē. Oportet aūt ipſam nucem diligēter terere, atq; ita imponere homini ſupine reclinato, quo ad horas duas & tres pharmacū adhæreat: ubi enim ſic fecerit, etiā ſi poſtea ſurgat, ad multū tēpus adheret, oportet q; priore delapſo aliud ſtatim imponere.

Eiuſdem Heræ ad ægilopas.

Maluæ folia cū ſale & melle trita impoſito, deſtruit hoc ac extirpat ægilopas. Alicam etiam in aceto coctam incipienti ægilopi impoſito. Aut myrti recentiſſimas baccas cataplaſmatis modo adhibe, ubi uidelicet fluxio infeſtauerit. Similiter facit & lemnia terra ſi illinatur.

De Aegilope. Cap. II



Nter naſi os & magnum iuxta oculum angulum, paruum quoddam abſceſſui ſimile tuberculū oriri ſolet, & rūpitur ſane ſępe in angulum, ut ægre curabile reddatur, niſi mature occurratur. Mederi igitur oportet ipſi cum diſcuſſorijs medicamentis quæ citra mordacitatem efficacia ſunt. Coafficitur enim oculus ab acribus, atq; ita etiam affectæ partis inflammatio augetur. Verū affectio ipſa non ob id ſolum ægre curabilis eſt, ſed & propterea quod quū multa liquida pharmaca in experimentum adſumi poſſint, ea non tolerat locus ipſe, neceſſario enim ex eis in oculum quid influit. Neq; uero adhærere eiuſmodi queant citra obligationem quæ totum oculum cōplectatur, quam impoſſibile eſt tot diebus aliquem perferre poſſe, quot ad mali curationē requirūtur. Ob hanc igitur cauſam Apollonius nulla pharmaca ad Aegilopas ſcripſit, Archigenes uero paucis enumeratis, deinceps ad curationē ipſorū per chirurgiā progrediť, quanq; res ipſa nō manuariæ operæ, ſed pharmacis ſecundum genus ſit ſubiecta, Itaq; totā ipſius dictionē adſcribā hoc modo habentem.

Quæ Archigenes ad Aegilopas ſcripſit, in primo pharmacorum ſecundum genus.

Aegilopas qui circa oculorum angulos oriūtur eruo cum melle integimus, aut cinere uitis cum aceto ſubacto. Probe facit & thus cum columbino ſtercore recenti impoſitum. Aut ſuccum herbæ ægilopis, auenam noſtri dicūt, cum melle illine. Cæterum in nondum perforatis ſtaphidem ſylueſtrem, & ammoniacū thymiama cum melle ueluti ſplenium impone. At alumen ſciſſile cum terebinthina ſplenij forma impone. Aut lanæ tomentum ſanguine marini leporis tinctum inde. Aut melanteriam tritam adhibe. Quod ſi neq; ſic ſanentur, diuiſo angulo, & cum tenui perforato terebello continuis foraminibus incuſſis diſparato, capitale emplaſtrum adhibeto, diſcedent enim ſquamæ, & ſanabuntur. Aut oſſe denudato cauterium admoue, & ſic ſquamulæ diſcedunt ac ſanantur. Quidam diuidentes angulum oſſi qua parte perforatum eſt anguſtum infundibulum admouent, ac plumbum liquefactum infundentes urunt, atq; hoc modo optime ſanant. Hæc quidem Archigenes ſcripſit.

Quæ Aſclepiades ad Aegilopas conſcripſit.

Porrò Aſclepiades in primo exteriorū hæc prodidit. Succi illecebræ libram dimidiam. ſucci ſolani lib. dimidiam. thuris drach. VIII. maſtiches drach. III. galbani libræ dimidium. ſuccos cum thure coquito, & ubi diſſolutū fuerit, galbanum inijcito: maſtichen uero improbamus. Aliud. Thuris drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. ladani drach. IIII. ceræ drach. IIII. aluminis ſciſſi, coaguli leporis, utriuſque drachmas III. ſpumæ nitri drachmas IIII. pharmacum contundito & emollito cum irini ungenti fece.

De Varis. Cap. III

Humor paruus & durus in faciei cute oritur Varus Latinis, Græcis Ionthos appellatus, à crasso uidelicet succo congregatus, demonstransq; suipsius curationem rationabiliter per pharmaca emollientia & discussoria futuram, Etenim duricies ipsius emollientibus, Tumor uero præter naturam discutientibus opus habet, Quū igitur iam sæpe tum in superioribus libris, tum in de simpliciū pharmacorū facultate cōmentarijs, prædictæ sint mihi materiæ tum discussoriorum, tum emollientium medicamētorum, Compositio sanè ipsorū particularis per experientiam iudicata, utilis erit ad rectum relatorū usum, quæ uidelicet paulo post referentur, ubi saltem prius determinauero, Quæ similes sint Varis affectiones, & aliqua parte ab ipsis differētes.

De ficosis tumoribus. Cap. IIII

Vna quædā hæc affectio est ex his quæ in mento enascuntur, differens à Varis in eo quod non solum crassus sit qui hos tumores efficiat humor, sed & serosa tenuitate participet, ob quam etiam cito exulcerantur, si non ut debent curentur, & ob id magis resiccantibus pharmacis quàm Vari opus habent.

De lichenosis in mento tumoribus. Cap. V

At hæc affectio ex mixto quopiam generatur humore, serosis nimirū ac tenuibus & acribus succis cū crassis permixtis, quapropter etiā facile in psorā ac leprā trāsit, indigetq; etiam ipsa pharmacis fortiter resiccantibus. Postquā uero in psoram aut leprā transierit, ultra hoc quòd resiccantibus indiget pharmacis, etiam repurgantia & exterforia expostulat.

De menti eruptionibus. Cap. VI

Hoc eruptionum, siue ut Græci dicūt exanthematū, nomen quidam in communi usurpāt, de affectionibus uidelicet ulcerosis & asperis in mento sua sponte prouenietibus, quemadmodū etiam Archigenes facit. Indiget aūt & hæc ipsa affectio resiccātibus medicamētis.

De furunculis. Cap. VII

Fvrunculi Dothienes Græcis dicti ex similibus humoribus ueluti Vari generantur, per uniuersum corpus duplices existentes, Aliqui quidem ut ita dixerim Varosi, duri, & ægre concoctiles. Aliqui uero inflammati, in quibus aliquādo etiam febres consistunt, & tumor in magnitudinem excrescit, & in pus trāsmutatur. Vnde curatio ipsorū ut plurimum eadem quæ inflammationis existit.

Ex Critone ad Varos.

Crito in tertio de ornatu hæc uerba scripsit. Ad Varos in facie, Mellis attici cyathū unum, siue drach. XII. aceti acerrimi tantundem. misceto diligenter eoq; Varos illinito cum digito affricādo. Aliud, Spumæ argenti chemam siue drach. III. terebinthinæ puræ, fabæ Aegyptiæ magnitudinem, addito olei albi parum, atq; ubi prius faciem deterseris, ex medicamento hoc parum digito excipe, deinde ambabus manibus terendo uaros obline. hoc pharmacū etiā à rugis liberam & mūdam faciem conseruat. Aliud, Amygdala samaras aceto dilutas ac probe tritas faciei obline. Aliud, Alumen scissum probe leuigatum terebinthina excipe, & emollitū impone. Aliud, Costum Indicum tusum & tenuissimo cribro cretum felle caprino excipe, ac ad cerati crassitudinem redactum Varis circa uesperam illine, Mane uero ubi surrexerit lacte ægrum faciem proluere iube. Inueteratis porrò Varis subscriptis compositioni bus utendum est.

Ad Varos callosos.

SAponis gallici drach. IIII. ammoniaci thymiamatis drach. I. thuris drach. I. aqua dissoluito, & cerati spissitudinē facito, eoq; illinito, & post horę interstitiũ calida abluere iubeto. Aliud, Nitri rubri, hyssopi, pulegij, salis fossilis, æquales partes tũdito & per tenuissimũ cribrũ cribrato, exceptisq; cerato rosaceo utitor. Aliud, Seminis ocymi, nitri rubri, pulegij uiridis, aluminis scissi, costi indici, singulorum æquales partes tusas & cribratas, adipe anserino seu gallinaceo excipe, ut cerati fiat crassitudo, ex eo uero in linteolũ infarcito & imponito donec penitus persanescant. Aliud, Salis assati, pulegij, hyssopi, ammoniaci thymiamatis, Rhois coriarij, singulorum par pondus rosaceo cerato exceptum donec persanentur imponito.

Ad affectiones eminentiores, & in facie pruritũ, ac principiũ elephãtiasis.

GVmmi albi, spumæ nitri, thuris, sulphuris uiui, singulorum æquales partes aceto dilutas ac probe tritas in pastillos redige, eosq; in umbra exsicca, usu uero expetẽte aceto dilutos illine, atq; ubi resiccati fuerint, subscripta cõpositione deterge. Saponis gallici libram I. ammoniaci thymiamatis tantũdem. thuris quadrantẽ, mastiches quadrantẽ, spumę nitri quadrantem. Saponem & ammoniacum in uas fictile coniecta, & aquæ sextarijs duobus affusis coquito, atq; ubi dissoluta fuerint, arida cõtusa & cribrata adijcito, deinde in mortariũ trãslata ac probe cõquassata, uase uitreo reponito. Vsu uero postulante faciem ex eo smegmate inquinato, & post modicũ temporis spaciũ larga aqua molliter perfricando abluito. Vtendum est hoc smegmate per omnem Varorum curationem.

Ad ficosas menti papularum eruptiones.

CRito in tertio de ornatu in hunc modum de eis scripsit. Ad ficosas in mento eruptiones, uelut Lucius præceptor tradit. Spumæ argenti, misyos crudi, æquas partes tritas insperge. Aliud, Thuris drach. II. spumæ argenti drach. IIII. salis fossilis drach. VIII. sandarachæ drach. II. trita insperge. Aliud, Atramenti sutorij drach. II. sulphuris uiui drach. II. æruginis drach. I. nitri rubri drach. II. trita insperge. Aliud, Elaterij drach. IIII. salis fossilis drach. IIII. atramenti sutorij drach. II. mixta insperge, & cũ specilli humecti extremo admoue, quo uidelicet pharmacũ ipsum adhæreat. Cæterũ post pharmaci impositionẽ, semine lini ex aqua trito utẽdum est. Porrò ubi humidiora fuerint ulcera, ut ab ipsis aqua pura uelutà fonte defluat, subscriptis compositionibus utendum erit.

Pastillus ad ficosas mẽti papulas, Vsus est eo Artemidorus, reprimit omnes tumores, qui accidũt his quibus cicatrix male inducta est, uelut in his qui futura ussi sunt contingit. Compositio hęc est. Squamæ æris drach. IIII. atramenti sutorij drach. II. aluminis scissi drach. II. glutini fabrilis perlucidi drach. II. Arida tunduntur & cribrantur, Glutinũ uero aceto maceratur, & tritis affunditur, rursusq; leuigatur, & formãtur pastilli, quos usus tempore aceto dilutos illinimus. Hoc medicamentũ etiam fistularum callos extirpat. Alius Magni Clinici. Aluminis scissi, æruginis corinthiæ, rubricæ sinopidis, chalcitidis, glutinis fabrilis, singulorum æquas portiones, componito ac utitor ut dictum est. Alius, Arij Asclepiadei. Milti siue rubricæ sinopidis, æruginis corinthiæ, aluminis scissi, gallæ omphacitidis, malicorij, æquas singulorũ partes, gũmi duplum, aceto excipito ac utere ut dictum est. Alius Apollonij, ut Charixenus tradit. Squamæ æris, misyos assati, auripigmenti, singulorum drachmas II. diphrygis drach. III. æris usti drach. IIII. chalcitidis ustæ drach. IIII. glutinis fabrilis drach. III. aceto diluito, & pastillos formato, quibus uelut superioribus utitor.

Andronis pharmacũ accõmodatum. Atramenti sutorij drach. II. myrrhæ drach.

drach. II. thuris drach. IIII. aluminis scissi drach. IIII. malicorij drach. VIII. gallarũ drach. VIII. aristolochiæ drach. VIII. Vino austero exceptis ut prædictis utere.

Critonis, ad lichenas in mento.

Consequẽter uero Crito ad lichenas menti scripsit hoc modo. Ad menti lichenas quæ iniucũdissima est affectio, Nam & pruriginem inducit, & affectarum partium circũtensionem, & periculum non modicum: proserpit enim aliquãdo per totam faciẽ, oculosq; cõtingit, & fermè extremæ fœditatis causa existit. quapropter diligentiore cura utendum est, inspiciendo tum irritationes, tum interualla & remissiones, Ita ut etiam ab inueteratis recentes disparemus. In quibus conueniet uti resiccantibus medicamentis. Quũ uero in psoram aut lepram transierint, supra resiccantia etiam exteriorum & repurgantium erit usus, & postea sane subscriptarum item compositionum.

Crispi amici ad recentes in mento, siue alia faciei parte lichenas.

Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam æris igni candefactam tritico superponito, & resolutũ ab eo liquorem calidũ adhuc auferto, ac super lichenas linito. Hoc solo multos curatos scimus. Aliud, Maluæ agrestis semen tenerũ adhuc colligito, mũdato ac tũdito, succumq; reponito, atq; eo assidue illinito. Aliud, Portulacæ succũ assidue illinito. Aliud, Oleæ æthiopicæ lachrymã cum aqua terito, & modico adiecto styrace misceto, & imponito. Aliud, Vlmi lachrymam aqua dissolutam imponito. Quod si inueterati sint lichenes, sequentes compositiones adhibendæ sunt. Albuci radicem aceto coctã & tritam illinito. Viticis folia trita cum aceto imponito. Capparis folia trita cum aceto imponito. Rumicis hortensis radicis corticem ex aceto tritũ, loco prius cum nitro præparato imponito. Chamæleonis radicem aceto coctã & tritã imponito. Cæterũ quũ ad lichenum curationem multa & uaria medicamina existant, particulatim de singulis transigã, initio à pastillis sumpto.

Pastilli Lichenici Glutinis fabrilis drach. IIII. alij duas habent, sulphuris uiui drach. II. chamæleonis drach. IIII. thuris drach. II. aceti heminæ dimidiũ. Glutinũ aceto dissoluitur, deinde aridis adijcitur, Vsus tempore quantũ satis est aceto dissoluo calidumq; impono. In alijs exemplaribus singulorũ par pondus continetur. Alius, Chamæleonis, sulphuris uiui, utriusq; drach. IIII. lachrymæ oleæ æthiopicæ drach. II. thuris drach. I. aceti quantum satis est. Alius, Alcyonij drach. II. chamæleonis nigri drach. IIII. pyrethri drach. II. sulphuris uiui drach. IIII. thuris drachmas IIII. glutini drach. IIII. aceti acerrimi heminas. IIII. Alius, Lachrymæ oleæ æthiopicæ drach. IIII. sulphuris uiui drach. IIII. alcyonij drach. VIII. spumæ nitri drach. VIII. alicæ aceto coctæ drach. VIII. aceti quod satis est. Alius, Alcyonij usti drach. II. chamæleonis nigri drach. IIII. radicis albuci drach. IIII. sulphuris uiui drach. II. thuris drach. II. pyrethri drach. II. spumæ nitri drach. II. glutinis drach. IIII. Aceti quod satis est. Porrò extẽta iam affectione & callosa reddita sequentibus utendum est medicamentis. Misyos peregrini, thuris, myrrhæ, aluminis scissi, singulorum drach. VIII. aloes, sulphuris uiui, utriusq; drach. IIII. Excipe passo ut strigmentitiã spissitudinem accipiat, & bis aut ter in die præfrictis illine: forinsecus autem cõseruandi pharmaci gratia, uesicæ pelliculam, aut oui testam, aut uiridia folia quantũ satis est impone. Aliud, Misyos drach. IIII. acaciæ drach. II. squamæ æris drach. IIII. sulphuris uiui drach. VI. chalcitidis drach. VIII. gummi drach. VIII. aceti quod satis est, In quo ubi gũmi dissolueris, reliquaq; ammiscueris, amurcam inijce, & probe cõquassata reconde, ac utere ut dictum est. Aliud, Sulphuris uiui, thuris, myrrhæ, atramenti sutorij, misyos crudi, singulorum drach. II. gummi drachmas IIII. ace

Myrrha Minnæa

to & cedrino oleo quod satis est dissoluito, eodemq; utere modo. Ex scriptis Zeuxidis, Aliud, Chalcitidis crudæ, misyos crudi, myrrhæ Minnææ, sulphuris uiui, singulorum æquales partes, gummi duplum aceto dissolutum. Excipe oleo cedrino, Verum cedrinum prius coquere oportet usq; ad mellis crassitudinem. Aliud Diodori, Lachrymæ oleæ æthiopicæ drach. XX. gummi drach. XL. atramenti sutorij drach. XVI. sulphuris uiui drach. X. thuris drach. X. æruginis drach. X. acaciæ drach. X. myrrhæ Minnææ drach. X. aceti quod satis est. Et ubi dissoluta fuerint singula, ac leuissima reddita excipe amurca condensata, & repositis utere. Annectantur porrò & aliæ compositiones. Illitio cocta ad lichenas inueteratos, quæ citra ulcerationem persanat. Atramenti sutorij, fœni græci moliti, cardamomi, singulorũ drach. II. melanthij sesquidrachmã. foliorũ caprifici sesquidrachmam, aceti acerrimi quod satis est, leuigata ad mellis spissitudinẽ reducito, deinde coquito, & postquam nigrũ factũ fuerit & condensatum pharmacũ tollito, illinito, insuperq; lichenas abluito. Heraclidæ Tarentini illitio lichenica. Sanat citra ulcerationem. Polentarum drach. VIII. glutini drach. VI. atramenti sutorij drach. IIII. chalcitidis drach. IIII. sulphuris uiui drach. IIII. spumæ nitri drach. VI. alcyonij drach. IIII. myrrhæ Minnææ drach. II. aceti heminas III. Dionysij condiscipuli, Sanat citra ulcerationem. Farinæ ordeaceæ sextarium I. atramenti sutorij unc. I. corticum radicũ rumicis syluestris drach. I. sulphuris uiui drach. I. myrrhæ sesquunciam, gummi unc. I. aceti heminas VI. Rumicis radicem coquito, & ubi dissoluta fuerit extractam terito, Ordeaceam uero farinã in residuum liquorem coniectam coquito, atq; ubi rectè habuerit reliqua inijcito, & ablatis utitor. Illitio Socrationis cocta. Farinæ alicæ sextarios VI. sulphuris uiui drach. XVI. misyos peregrini drach. XVI. cimoliæ drach. XVI. chalcitidis drach. XVI. spumæ nitri drach. VIII. alcyonij drach. VIII. aluminis scissi drach. VIII. radicis albuci drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. thuris drach. VIII. lachrymæ oleæ drach. VIII. ammoniaci thymiamatis drach. VIII. aceti heminas tres. Alcyoniũ & albucũ in aceto coquito, ubi uero ad dimidias redactũ fuerit percolato, & in colamento ammoniacũ, myrrham, thus, oleæ lachrymam, dissoluito, deinde terito, aridaq; inijcito, Alicã uero in residuo liquore coquito, & dissolutã reliquis adijcito, simulq; terito ac utitor. In alijs collectaneis sic habet. Sulphuris uiui, misyos peregrini, chacitidis singulorum drach. XVI. nitri, aluminis scissi, alcyonij, radicis albuci, thuris, lachrymæ oleæ, terræ cimoliæ, ammoniaci thymiamatis singulorum drach. VIII. aceti heminam unam.

Alia ualde efficax. Aceti acerrimi sextarios VI. farinę ordei sextarios II. manę sextariũ I. radicis rumicis agrestis drach. V. ueratri albi drach. X. alcyonij drach. XV. cardamomi drach. I. terræ cimoliæ drach. VIII. glutinis drach. XVI. spumę nitri drach. XVI. halicacabi uirgultorũ uiridiũ manipulũ, Cõponito. Quandoquidem uero multi pharmacorum quæ illinũtur cõpositiones recusant, amãtq; magis emplastrorũ impositiones, utpote quæ neq; sudoribus obortis diffluũt, neq; resiccata cutem circũtendunt, meritò etiam ipsorũ præparationes subiungimus.

Emplastra lichenica quæ citra exulcerationem liberant.

CEræ, picis coctæ, thuris, terebinthinæ, sulphuris uiui, singulorum libræ dimidiũ. Liquida cum aridis committito. Aliud, Thuris drach. VIII. aluminis drach. VIII. atramenti sutorij drach. VIII. sulphuris uiui drach. IIII. glutinis drach. IIII. radicis chamæleonis drach. IIII. ceræ drach. VIII. picis crudæ heminas II. Picem & glutinũ coquito, atq; ubi condensata fuerint ceram inijcito, aridisq; affundito, ac repositis utitor. Aliud, Facit ad lichenas eleuatos, adeò ut reprimat ea quæ residua putantur. Mannæ thuris, picis, utriusq; drach. VIII.

bituminis

bituminis drach. VIII. ceræ drach. VIII. resinæ pinus drach. VIII. sulphuris uiui drach. VIII. olei cyprini parũ. Coquito ut dictũ est, & sublatis utitor in linteolum aut pelliculã tenuem infartis. Aliud citra ulcerationẽ remouet. Picis bruttiæ liquidæ sextar. I. mãnę lib. I. sulphuris uiui lib. I. farinę lupinorũ lib. I. pro cõsuetudine cõponito, deinde galbani sextantem adijcito. Est hoc ex ualde probatis. Alia exemplaria farinã non habent, neq; galbanũ. Emplastrũ lichenicum Philotæ, citra ulcerationẽ sanat. Exhibitũ est à Philota sodali, per uersus scriptũ. Chalcitidis crudæ, chrysocollæ, misyos assati, squamæ æris, diphrygis, salis ammoniaci, terræ eretriæ, singulorũ drach. IIII. sulphuris uiui drach. XII. atramenti sutorij, floris lapidis asij, æris usti, singulorũ drach. VI. soreos drach. V. aluminis liquidi drach. IIII. Hæc omnia terito, deinde aceti heminis XII. affusis, per dies V. sub caniculæ ortũ soli exposita itidẽ probe terito, donec pharmacũ redditũ fuerit æruginosum. Porrò in alio mortario thuris uncia I. myrrhę sextãs, aloes unc. I. ladani quadrans, opopanacis quadrans, aceto dissoluta ad strigmentitiã crassitudinem præparentur, atq; ubi rectè habuerint, ad ea quæ in sole leuigata sunt adijciantur, rursusq; terãtur, addaturq; aristolochiæ rotũdæ & longæ, utriusq; tusæ & tenui cribro excussæ drach. una. Postq̃ uero iam trita emplastri formã acceperint, liquescibilia prius liquefacta & frigefacta inijcito. Sũt aũt hæc. Ceræ drach. CX. terebinthinæ drach. XX. galbani drach. IX. olei hemin. I. & probe emollitis ac repositis utitor. Hoc pharmacũ duplicem aspectũ uidentibus exhibet. Cæterum si affectio pertinacius perseueret, & pharmacorũ impositionẽ respuat, excoriarijs appellatis remedijs utendum erit: prompte enim superficiem auellunt.

De excoriatorijs Lichenum.

EXcoriatoriũ Lichenum, quo Pamphilus Romæ usus plurima designauit, quum in urbe Mentagra appellatus morbus inualesceret. Squamæ æris drach. VI. auripigmẽti drach. IIII. sandarachæ drach. IIII. æris usti sesquidrach. ueratri albi sesquidrachmã, uentriũ cãtharidum sesquidrach. Singula per se terito, deinde simul mixta, cedria excipito, & ad strigmenti densitudinem reducta pyxide æris cyprij reponito. Vsu autẽ expetente, nitro & aceto modico perfrictis lichenibus, pharmacũ hoc cum spathula illine, ac affrica: deinde interiecto spacio derade, rursusq; pharmacũ impone: deinde ubi bis uel ter hoc feceris, quo facile deradi possit, rursus imponere tenta, illitis locis cum uesicæ bubulæ aut alterius cuiusdã animalis pelliculis intectis. Hæc enim pharmacũ ne defluat cõseruat, & alias leuis est: post pelliculæ autẽ impositionẽ, fasciola leuiter obligatum finito. Præstiterit quidẽ per noctẽ adhærere, aut saltem ad aliquot horas, usquequo bullas excitet saniem cõplectentes crassam & glutinosam. Deinde uero lauare præcipimus, & in balneo morari: nam & hoc ad hãc curationẽ auxiliatur. Sit autem calidius balneum. Quo si quid uti prohibeat, fomentũ aquæ multæ calidæ adhibendum est, quo deterso, panis ex aqua mulsa subactus cataplasmatis modo imponatur. Porrò ubi sordida iam facta fuerint ulcera, splenium ex emplastro uiridi imponito, modica parte de excoriatorio adiecta. Cæterũ sanie exclusa & nulla crustula ulceri incũbente, splenium album imponito. atq; hac curandi ratione donec cicatrix penitus inducatur utitor, singulis diebus fomẽtum adhibens, & nouum splenium imponens. Post cicatricem plene inductam, si qua suspitio reliqua sit, eodem curationis ductu utendum est. Antequam uero excoriatoria imponantur, circumsitas & uicinas licheni partes pharmaco aliquo inflammationem arcente in splenio excepto, integere ac tueri oportet. Nimirum lichene sua extrema linea semper parũ quiddã ex sanis corporibus affricante & inuadente. Hæc communis Mentagræ curatio est. Aliud excoriatorium Axiorij.

Squamæ æris drach. VI. atramenti sutorij drach. IIII. cantharidũ sesquidrach. ueratri albi sesquidrach. sandarachę drach. I. Excipe cedria. Aliud Apij phasci. Ad mentagras quod citra cicatricis uestigiũ sanat, facit & ad alopecias inueteratas. Cæterũ alopecias in sole aut ad ignẽ illinito, & bulla excitata eam acu perpungito, ac humore excluso cũ ceratis curationẽ perficito. Post inducia enim cicatricę enascũtur pili, atq; hæc quidẽ in alopecijs. In lichenibus uero uelut prædictũ est utitor, pharmacũ ipsum hoc modo habet. Sandarachæ drach. II. auripigmenti drach. II. squamæ æris drach. II. ueratri nigri drach. I. elaterij drach. I. nentrium cantharidũ drach. I. Excipe cedria. Aliud, Cantharidũ drach. I. & dimidiã. ueratri albi tãtundẽ. auripigmẽti drach. II. squamę æris tantundẽ. atramenti sutorij drach. I. scãmoniæ drach. II. Excipe cedria. Aliud, Auripigmenti usti drach. II. Squamæ æris cyprij drach. VI. chrysocollæ drach. I. atramẽti sutorij drach. I. ueratri nigri drach. I aluminis scissi drach. I. succi thapsiæ drach. I. scãmonij drach. I. cantharidũ drach. I. cedrię q̃d satis est. Emplastra uiridia lichenica. Post excoriatoriorũ usum emplastra uiridia & alba imponere oportet, quare rationabile est & illorũ præparationes adscribere. Emplastrũ uiride Pãphili. Hoc usus est Pamphilus in mentagra post rupturã bullarũ. Ceræ lib. I. æruginis rasę sexuncẽ. resinę frictę lib. II. olei cyath. IIII. aceti acerrimi quantũ sufficit. Aeruginẽ cum aceto in sole terere oportet, liquefscibilia aũt liquanť & refrigerãtur, ac frigefacta liquidis adijciuntur. Viride Demosthenis, Ceræ lib. II. resinæ frictæ lib. I. æruginis rasæ trientem. olei æstate cyath. IIII. hyeme cyathos VI. aceti quantũ sufficit. Viride Herophili. Aeruginis drach. II. mãnæ drach. IIII. adipis uitulini drach. XII. galbani drach. III. cerę drach. LXXXX. resinę drach. XX. aceti q̃d satis est. Tryphonis antiqui emplastrũ Euchrun à bono colore dictũ. Aeris usti trientẽ, aluminis rotundi sextantẽ, æruginis rasæ sextantẽ, salis ammoniaci sextantẽ, mannæ sextantẽ, ceræ lib. II. resinæ frictæ lib. II. olei dextantẽ, aceti quod satis est. Antonini emplastrũ. Hoc Timocrates post lichenas excoriatos imponit. Ceræ drach. C. colophoniæ drach. CC. squamæ cypriæ drach. XII. aluminis rotũdi drach. XII. æruginis drach. XII. mãnæ drach. XII. galbani drach. XII. olei heminã I. aceti quod satis est. Annectendæ his etiã emplastrorũ alborum præparationes: nam his post uiridia utendũ est, mundis iam factis ab excoriatione ulceribus. Etenim cura habẽda est ut citra callũ cicatrix inducať, atq; ea gratia eiusmodi pharmaca in usum ueniũt, quæ multã ad tactũ lenitatẽ inducũt.

Emplastrũ album Aquosum appellatũ. Hoc Magnus circulator usus est post lichenas excoriatos. Spumæ argenti lib. I. ceræ tyrrhenicæ lib. I. olei sextariũ. I. cerusæ lib. I. aquæ sextar. I. Spumã argenti, cerusam, & aquã terito, atq; ubi leuigata reddita fuerint, paulatim oleũ adstillato, assidueq; terito: & postq̃ unita fuerint, in uas fictile trãslata igni imponito, assidueq; agitato, & absorpta iam aqua ceram injicito, qua dissoluta in mortariũ transferto, & emollitis repositis utitor.

Emplastrũ Pancratiastarũ siue athletarũ Trypherum, id est delicatũ appellatum. Facit ambustis item, ut citra cicatricis uestigiũ sanentur. Spumæ argenti drach. XXV. cerusæ drach. XXV. plumbaginis drach. XXV. ceræ drach. XVI. terebinthinæ drach. XVI. olei heminam I. aquæ tantũdem. cõponito ut dictum est.

Megetis chirurgi. Cerusæ lib. II. ceræ lib. I. terebinthinę unc. I. spumæ argenti lib. I. olei lib. III. aquæ sextarios II. cõponito. Diophanti ad ambusta & intertrigines. Conseruat faciem rosaceo dissolutum. Spumæ argenti torrefactæ drach. II. medullæ ceruinæ drach. XVI. cerusæ torrefactæ drach. XII. ceræ drach. VIII. terebinthinæ drach. VIII. thuris drach. VIII. olei heminas IIII. pro more componito. Manna emplastrum, medicamentum accõmodatum. Spumæ argenti

genti drach. C. cerusæ drach. C. ceræ drach. L. terebinthinæ drach. XXV. mannæ drach. XVI. aluminis scissi drach. XL. olei heminas II. & dimidiam. componito & reposito utitor. Affrictis porrò & extritis lichenibus à quocunque tandem medicamento, præsertim uero ab excoriatorijs, subscriptis utendum est.

Compositio Menecratis quæ proteus excoriatorium appellatur.

Picis brutiæ pellucidæ siccæ & electæ drach. II. & dimidiã, resinæ pinus pellucidæ lib. I. & quadrantẽ, ceræ ponticæ tantundem, galbani quadrantẽ, aceti heminã I. liquescibilia ad splendidũ ignem donec non inquinent coquito, dein de galbanum adijcito, atque ubi dissolutũ fuerit, ab igne ablatis, acetum paulatim instillato, assiduéque moueto animaduersione habita ne ebulliat, & insumpto iam aceto, pharmacum in magnum mortarium transferto ac diligenter terito, donec ad melinum colorem reducatur, deinde in pelliculam albam inspissatam reponitum seruato. Vsu uero exigente, in pelliculas quantũ ad integendos affectos locos satis est infarctũ imponito, & tertio quoque die soluito, nonnunque usque in diem duodecimũ imponito, ita ut quatuor fiant solutiones. Hoc pharmacũ squamas discedere facit, et corpora attenuat, ac solida facit ad cõuenientes excoriationes.

Quæ Archigenes in secundo pharmacorũ secundũ genus pharmaca scripsit, ad papularũ in mento eruptiones, & ad ficosas eminentias. Papularũ in mento eruptiones, ex myrti baccis, malicorio, argenti spuma, æris flore, paribus partibus exceptis, cum uino obline. In ficosis uero menti papulis, mentagris appellatis, & ab aliquibus lichenibus agrestibus siue feris, faciũt quidẽ robustiora ex his quæ ad lichenas relata sunt. Amplius autẽ & quæ ad psoras & lepras describentur. Mirabiliter uero hæc cõpositio cõuenit. Atramenti sutorij drach. I. ueratri nigri drach. I. auripigmenti drach. I. uentrium cantharidũ drach. II. Quidam etiam obol. III. insuper addũt, tritis utitor cum oleo, aut cedria, aut rosaceo, præfricto prius loco: fiunt enim bullæ, quibus per specilli cuspidẽ ruptis, rursus affricato, quo penetrare pharmacum possit & mordere: deinde post horam fomento adhibito, ceratum rosaceum imponito. Hoc usque quo ad cicatricem perueniat facit. Quod si primũ nõ exuperet, iterum iterumque illinito, facit & ad lepras & leucas, alopecias que & psoras excellenter.

Heraclidæ Tarentini, ex libris ad Antiochidem, ad capitis & menti ficosos tumores, atque etiam alijs partibus eminentia ulcuscula.

Elaterij & salis pares partes misceto ac utitor, Superne uero lini semẽ crudũ, ex aqua imponito, aut ficus paruas tritas, Eodẽ etiam ad tubercula utendum est.

De dentium affectionibus. Cap. VIII


X dentium affectionibus, aliquæ sanè omnibus euidenter apparent, Quemadmodũ quum perforati sunt, aut denigrati, aut detriti, aut neque frigida ferunt, neque calida, sed ex utrisque, aut altero solo dolor eis contingit. Quędam uero non manifeste apparent in ipsis affectiones, ueluti quum ipse æger se sentire dicit circa corpus dentis dolorem in profundo obortum. Quidam enim contradicunt afferentes, quum os sit dens, eum citra dolorem affici, ueluti quum aliquando prominentiores per limulam deterere cogimur, aut etiam ob aliam quampiam causam, de quibus paulo post mentionem faciam. Nunc enim citra rationalem & naturalem demonstrationem, testimonium his perhibere uolo, qui ipsum dentem dolere aiunt, Etenim quum ego aliquando dolerem, diligentẽ super meipso animaduersionẽ habui, utpote qui iam audieram de hac dubitatione, percepique manifeste non dolenrem modo, sed etiã pulsantẽ dentẽ, quemadmodũ carnosæ partes inflãmatione uexatæ cõsueuerũt. Quare mirũ mihi uidebatur quod & hæc affectio quã phlegmonẽ siue inflammationem

mationem appellamus, in dente oriri posset, qui lapideam & durã substãtiam habet. Atqui quũ etiam alio tẽpore dentem dolerem, manifeste sensi nõ ipsius dentis, sed gingiuarũ dolorem eum esse, inflammatis uidelicet ipsis ut etiã citra coartationem dolerent, quin & ob uicinitatẽ dentiũ natura durorũ, aucto dolore ob coartationẽ. Quapropter utriusq; doloris sensum expertus, aliũ quidẽ in gingiuæ, aliũ in ipsius dentis substantia esse clare scio, & id afferentibus testimonium præbeo, Quòd ipsi aliquãdo dentes dolent. At uero & nerui, qui ad radicẽ dentis enatus & substratus est, dolorẽ aliquando fieri, neruo imaginationẽ cõfusam & indiscriminatã apud plerosq; exhibente, tanquã ipse dens doleat, cõsentaneum rationi est: nam & huius rei manifestũ periculum in meipso feci, & sanè remanet adhuc parua doloris portio, exempto dente, in nerui inflammatione, quũ dolor nerui leuior tantũ reddatur, ex eo quòd cõcretio nõ amplius tendat ad officulũ tensionẽ operante, & quòd liber factus respiratione quandã habeat, eumq; remedia quæ adhibẽtur cõtingere possint, Neq; enim per contactũ, neq; per distributionem, possibile fuerit inflammatũ neruũ curare, utrinq; à dẽtium locellis coarctatum, & ab anteriori parte ab ipso dente. Si uero liuidi per omnẽ suam substantiã facti appareant dentes, nihil mirũ est ipsos quid inflammationi simile pati, Cui rei ex eo quis amplius fidem habeat, quòd ex nutrimẽto ferè per omnem animantis ætatem incrementũ accipiant. Id quod euidenter sæpenumero apparet in his dẽtibus qui exemptis oppositi sunt, utpote qui semper augescũt, Quantum uero augescũt, tantũ in ciborũ mansu deteruntur. Quũ uero impossibile sit incrementũ accipere citra nutrimentũ, omnino duabus affectionibus & his contrarijs obnoxij erunt, inopiæ uidelicet & redũdantiæ alimenti quod eis suppeditatur, Inopia igitur aridiores & macriores alimentumq; non sentientes, & ob id tenuiores eos reddit, Redundantia uero cõsimilem in eis affectionẽ excitare potest, qualis est circa carnosas partes inflãmatio, Eius igitur curatio fiet iuxta eundem scopũ quem habent propositũ qui inflammationes curãt, qui sanè est ut redundãtia euacuet, partim discutiẽdo, partim eam repellendo. Cæterũ tenuitatis dentiũ ob alimenti inopiã remediũ nullum est: laxari enim tunc & moueri ipsos necessariũ est, cõpage ipsorũ laxiore facta, quum non solum ipsi dentes, sed & locelli eos cõplectentes sint attenuati. Hæc itaq; affectio senibus accedit citius aut serius, uelut etiã magis aut minus, Quæ uero proportionẽ ad inflammationẽ habet, magis iuuenes corripit. Auxiliari tamen etiam senibus oportet, auxilio gingiuis exhibito: ita autem appellantur carnes quæ dentes cõprehendunt, ubi primum è locellis emergunt. Ipsas itaq; adstringentibus medicamẽtis robustiores, & magis citra dentẽ adstrictas facere oportet, tanquã quæ & ipsæ aliquid ad hoc faciãt ut stabiles & ægre mobiles sint dentes, quod ipsum aliàs ob exactã cõpagis ipsorũ cõglutinationem contingit. At uero foramina dentiũ ex humorum acrium & erodentiũ influxu perficiũtur, uelut ulcera in cute citra externam causam, Verũ in cute id assidue & multis, In ossibus raro cõtingit, quanto uidelicet minus quàm cutis noxæ exposita sunt ob duritiã naturalem. Manifestũ igitur quod erosorum corporũ medela erit per reficcationẽ uitiati influentis humoris, qui si paucus fuerit, localibus auxilijs ex reficcantibus pharmacis cõtingere medela potest: eorum uero materiam paulo pòst dicemus, Si uero multus influens humor fuerit, uniuersi capitis ratio ac prouidentia habenda est, atque si ipsum quãdoq; propter totũ corpus affectũ fit, etiã reliqui corporis cura habenda erit. Porrò erosos dẽtes qui id mali præ mollicie perpessi sunt, reddere oportet duriores & affectioni minus obnoxios, atque id per austera & acerba medicamenta. Cæterum liuidos redditos per reficcãtia curare oportet, ut qui ex humorum uitiatorum

tiatorum influxu id patiantur. Simili igitur curatione indigent cum perforatis.

De gingiuarum curatione. Cap. IX.

Gingiuis ex inflammatione dolentibus optimũ pharmacũ est oleum lentiscinum caliditate temperatũ ore retentũ. Sit autem recens, nam uetustius tanto recẽtiore peius est, quanto ætate antecellit. Imponatur aũt uasculũ in quo calefit lentiscinũ, in aliud maius uas quod aquam calidam multam complectatur. Maximopere itaq; inflammationi gingiuarum hoc conducit. Nec uero minus etiam si iuxta aliam quandam partem, tum pelliculæ linguam ambientis cum succingentis totũ os, aliquis dolor ob inflammationem oriatur, dolorẽ sedat lentiscinũ. Repellit enim citra molestiã & absq; asperitate, quam pleraq; austerorũ habent, discutitq; citra mordacitatẽ, cuius rei inflãmatis præcipuus usus existit. Quidã uero medici cõmuni errore inducti inflãmata lædunt. quare ea re semel perpensa de cætero uitare oportet. Existimãt enim, si adstringentia solũ id quod influit repellendo, inflãmatis prosunt, atq; aliquãdo etiã quid ex cõtento circa inflãmatã partẽ, ad uenas membrũ ipsum nutrientes exprimẽdo, Verisimile ob id esse id quod amplius adstringit amplius prodesse. Eodẽ modo etiã id quod magis digerẽdo discutit, magis auxiliari opinãtur, q̃ ea quæ moderate idem præstant, nõ animaduertentes quòd alterutrũ ipsorũ intensum inflammatis dolorosum existit. A uehementer adstringentibus enim partes simile quiddam contusioni perpetiuntur, nimirũ quũ substantia ipsarum uiolenter cõdensetur. Ab acribus uero erosioni quid simile cõtingit. Merito igitur moderatum in utraq; facultate immoderatis præfertur. Hæc igitur sufficienter mihi præfatus uideor. Cæterũ de affectionibus circa dolores deinceps narrabo. In dolore dentium citra gingiuarũ inflammationem, aliquãdo in ipso proprio dentium, ueluti dixi, corpore, aliquando uero in neruo dolorem fieri cõtingit. Vehementissimis igitur opus est medicamẽtis, siue quis repellere, siue discutere uelit doloris causam, siue humor sit, siue flatus uentosus. Et propterea sane pleraque ipsorum ex acerrimo aceto præparantur. Adscribam autem ex ordine quæ alio rum relatione nobis tradita sunt, initio ab his quæ Archigenes tradidit sumpto.

Quæ Archigenes ad dentium dolores conscripsit.

Dolentes dentes colluãt acri aceto calido cum galla. Aut halicacabi radice cum aceto & galla. Aut pinguibus tedis in aceto feruefactis. Aut myrti ramulis cum pice in aceto tepefactis. Aut hyoscyami semine & folijs cũ aceto. Aut cedria, uel propoli, uel nardo, uel solano, aut succo eius, uel cappari, uel alijs, uel myrti ramulis siue in aceto, siue uini fece calida feruefactis. Aut polij folijs uel ipsa herba, uel agrestis cucumeris radice, uel marrubio, singulis cũ aceto, pipere, & nitro. Aut radice chamæleonis eodẽ modo. Aut hyssopo uel staphide syluestri, uel ruta cũ uino. Aut pulegio cũ aceto mulso. Aut platani pilulas, uel rosas aridas, in uino albo ad tertias coquito, & uinũ in fictili seruato, eoq; assidue dentes colluito. Eodẽ modo utere pentaphylli siue quinquefolij, quæ ab aliquibus eupatoriũ dicitur, radice cocta ex uino, aut pulegij large cocti decocto. Aut cornu cerui in posca coctũ colluito. Aut brassicæ cauliculos tres, & foreos drach. II. in aceti sextario uno ad tertias coquito, & colluito. Egregie uero facere fertur ranæ in aqua & aceto probe coctæ decoctũ, diutius ore retentũ. Mirifice facit dens caninus ustus & tritus: deinde cum aceto coctus et ore retentus. Aut malicorio & galla aceto incoctis utitor. Aut squilla ex aceto calido. Aut squillæ medullã in minutas partes dissectã, & in feruẽs acetũ iniectã, in uase fictili condito ac inueterari finito, uase in asinino stercore ad dies XXX. defosso, & utitor. Aut asinino lacte colluito. Hoc & eos qui mobiles sunt corroborat. Aut halicacabi

cabi corticis, & tedæ aceto feruefactæ decocto large incocto colluito. Aut cornu cerui in aceto & garo incoctum colluito. Aut idem ex aceto colluito. Aut tithymalli radicē in uino ad dimidias coctam colluito. Aut hyoscyami radicem aceto mulso coctam colluito. Aut tedarum ramenta, malicoriū, alumen rotundum, siue scissum, in aceto ad tertias coquito, ac tepidū colluito. Aut helxines radicem in aceto ad tertias coctam in ore detineto, atq; ubi os saliua refertum fuerit, eo aperto effluere finito. Aut allium & harundinem alexādrinam acerrimo aceto feruefacta colluito. Aut hyssopum, aut thymum, aut origanū, per se & simul aceto cocta colluito. Aut pyrethrū cum hyssopo, & colocynthidis medullā, similiter in aceto coquito, liquoremq; ex eis longo tēporis spacio in ore contineto. Aut colocynthidē uino calido macerato, & diutius ore teneto. Multam enim pituitā ducit & dolorem leuat. Aut alliorū & erucæ seminis, ac nitri decocto collue. Aut ranunculum in uino coquito & præmundato prius dentē colluito. Aut sycamini, hoc est mori arboris lac in uinum infunde, simulq; lanas succidas in ipsum exprime, tepefac, & per lanas sordidas molæ infunde, Extrahit pituitam & dolorem tollit. In his omnibus Archigenes catalogum fecit pharmacorū incidendi, discutiendi ac calefaciendi ui præditorū, raro aliquid ex acerbis admiscens, quale est ipsa galla. Porrò quū semel tantū solanum posuerit, miratus sum cur id ammisceri uelit, quum nulla ratione iuuare possit, præterquam ea iuxta quam colica pharmaca prosunt, stupefaciēdo uidelicet doloris sensum. Quid igitur amplius parabiliū Apollonij relationem faciam, quum parum absit quin omnia cōprehenderit Archigenes? Quādoquidem uero Apollonius ipse quibusdam à se traditis testimonium præbet, tanquam euestigiò sedantibus dentium dolores, Visum etiam mihi est illa ipsa adscribere secundum ipsius Apollonij uerba, quæ hoc modo habent.

Apollonij, euestigiò dolores dentium sedat.

ALliorū nucleos v. thuris masculi obolos III. myrti ramulos longitudinis duorum palmorum duos: ex his folia decerpta per se terito, similiter & allium & thus, deinde simul omnia in nouā ollam cōijcito, & aceti hemiinam unam superfundito, ac coquito spathula ex teda agitando donec ad dimidias redigatur, atq; ita tepido utitor. Oportet autem liquorē hunc in dolente parte ad multum tempus tenere, donec liquor ipse consumatur. Commodum est & ante hoc balsami succum colluere, aut corticem imponere super dolentem dentem. Qui si non adsit, panacis succo contuso, inde defluentem liquorem instillare.

Post prædicta Archigenes remedia perforatorum dentium cum dolore & absq; dolore conscripsit, in hæc uerba.

OBlitionibus porrò & epithematis eiusmodi utitor. Sory ægyptium resina terebinthina exceptum obline, idemq; cauernæ inde. Aut cōpositionem ex duobus piperis generibus inde, nardino aut rosaceo dissolutam & maxime amygdalino. Quin & in aurē eiusdē partis instilla, summe facit. Aut sulphur uiuum lycio exceptum in cauernam inde, aut præmundato denti obline. Aut pulegij comam tritam denti indito. Cæterū in maximis dentiū doloribus summe facit hoc. Anguis senectā exurito, & cū oleo ad mellis solidi spissitudinē redigito, ac dentem præpurgatum ex eo integito, omniaq; circūsita oblinito, itemq; cauernis indito. Aut senectā anguis nō ustā dentibus apprimito, & excidēt. Aut uermes terrenos tostos cauernæ præmundatæ insperge. Aut araneorū oua ingēto nardino diluta inde. Aut melanthiū torrefactū cū oleo obline, atq; ubi pa rūper cō cluso ore tenuerit, pituitā collectā reijcere iube. Aut piper uel canchry, hoc est rosmarini semen opio exceptū in cauernā inde. Porrò ubi ueluti inflammatione

matione correpti fuerint, nitrũ rubrũ & ossium persiorũ nucleũ unita resina excipe, & dentẽ ex eis intege, ac donec deciderint sine, in cauernã uero piper, spumam nitri, & galbanũ cum melle inde. Aut strigmenta cum pipere eodem modo. Aut pyrethrum cum myrrha. Aut succũ cyrenaicum & piper æquali pondere cum galbano. Aut melanthium, & allij dimidiũ eius, ac modicum salis simul trita obline, dolorẽ tollit. Aut blattæ pistrinariæ aulso capite adipem cum rosaceo calefactũ & in aurem instilla, & in cauernam inde. Aut gallam tritam cum cedria adhibe. Aut in aurem denti uicinam oleum sesaminum in quo uermes terreni cocti sunt instilla. Verum ipso dolente dente hyoscyamũ conterant. Aut hederæ albæ cacumina quinq; cũ rosaceo terito, & in mali punici putamine tepefacta, bis aut ter in die in aurẽ uicinã instillato. Quin & ipse fructus cũ uino tritus, denti illitus iuuat. Cæterũ his relatis Archigenes etiã hæc subdit. Summe facit cruẽtatis gingiuis, Alumen liquidũ duplo aloes pondere addito admotum. Aut alumen scissum & myrtum tenuissime trita affricato. Vbi uero restrictæ fuerint melle ipsas illinito. Aut nucleorũ ossiũ siue macherarũ persiorũ partes II. myrrhæ partẽ I. præmũdato denti indito. A dolore asserit. At uero quassatis & dolentibus dentibus cauterium ignitũ admoueto. Apophlegmatismi pituitam extrahentes. Post prædicta uero Archigenes ita scripsit. Apophlegmatismi optimi sunt in dentium dolore. Staphis agrestis per se & cum pulegio manducata. Aut quod intra gallam est nigrum dolenti dente conterat, sinatq; pituitam effluere. In oppositã autem aurem duos hederæ corymbos cum rosaceo tritos instilla. Aut myricæ fructus drach. II. spumæ nitri drach. I. aluminis parũ, alliorũ nucleos V. myrti folia pauca, cum aceto ad dimidias coque, spathula ex teda agitãdo, idq; decoctũ colluendũ ac ore continendũ præbeto. Dein de hiante ore pituitam effluere permittito, & post hoc rosaceo ore colluto, ptisanam sorbendam exhibeto. Si uero ex colluendo aliqua circa os ulcerata fuerint, croco & rosarũ succo inungito. De fomentis. Fomenta ad dentium dolorem faciũt, forinsecus ex sale torrefacto, & milio in sacculos cõiectis, aut per sordidos panniculos probe calfactos. Quin & Epithemata cõducunt citra aquam apparata, uelut sunt quæ ex ordeacea farina fiunt, siue ex semine lini. Ipsius uero dolentis dentis fomentũ hoc modo adhibeatur. Origani aridi ramulum in feruens oleũ tinctũ dolenti denti superne affricato. Aut ricini cauliculum eodem modo. Aut staphidem agrestẽ stilo cuspidẽ acuto infixã, eodẽ modo. Aut cera dolenti denti imposita, specilli extremũ calidis assidue adhibe. Aut opopanacem & peucedani succum unita linteolo illigato, & in feruenti oleo liquefacito. Quum uero incœperit feruere pharmacũ, denti imponito & cum specillo apprimito. Vtere mane & uesperi, & simul fomentũ forinsecus & intrinsecus uelut dixi, ante cibũ adhibe, similiterq; post cibũ, multo spatio tẽporis interposito utere. Cæterũ species fomenti & hæc est. Dentem ualde bene præpurgato, & ægro contecto ac hiare iusso, hyoscyami semina suffito. Quod si ad nullũ prædictorũ malum ipsum cedat, & dolor uehemẽter perseueret, tenui terebello dentẽ perforato, ac dictis remedijs utitor: hoc enim modo magis prodesse consueuerunt. Si uero neq; sic profeceris, & uideat dens tollẽdus esse, Citra dolorẽ tollere possis ualde cõuenienti pharmaco hoc. Pyrethrũ acerrimo aceto ad dies XL. condito, terito, & reponito. Vsu uero exigente, reliquis cera obturatis & probe munitis, ipsum dolentem præmundatũ hoc pharmaco integito, deinde hora interposita digitis extrahito, aut scalpello exigito. Aut Sori cum acerrimo aceto ad multos dies imponito, & excidet. Aut plumbaginem tritam cerato exceptam imponito. Educunt fortiter tithymalli succus & sori cum galbano imposita.

De his

De his quæ Apollonius ſcripſit in primo parabilium.

PRimum quidem eorũ caput, ſunt colluciones dentium doloribus conferentes, quæ nihil amplius habent his quæ Archigenes tradidit. Secundo loco refert quæ ad eroſos dolentes dentes imponantur & indantur. Tertium locum obtinent fomenta & uſtiones. Quartum ſuffitiones ad dentium dolores. Quinto habentur cõmanducationes & purgationes. Sexto gargariſſationes. Septimo poſtremũ capite ea ſcripſit quæ in dolore dentiũ auribus infunduntur, quorum nullius mentionem facere uolui, quum ſi quis ea expetat ex libro illius petere poſſit, qui non adeo difficulter parabilis exiſtit. Ego ſane his quæ Archigenes prodidit contentus fui. Quum uero Apollonius quæ naribus infunduntur conſequenter tradat, uiſum eſt mihi etiam ea ipſa apponenda eſſe.

Quæ in dolore dentium naribus infundantur, Ex Apollonio in primo parabilium.

RAdicis betæ ſuccum per ſe in naſum inſtillato, & ſolues dentium dolorem. Cumini quantum tribus digitis apprehendi poteſt, & myrrhæ magnitudinem fabæ, & duplum interioris cucumeris terito, & lacte muliebri mixta in collyria redigito, eaq; in utrunq; narem indito, atq; ita attrahere iubeto, donec quis quinq; ſtadia percurrere poſſit, deinde pharmacum emungat. Idem ad aurium dolorem facit.

Ne eroſi dentes uacillent, neq; fœtorem faciant.

VEratrum nigrum erui magnitudine melle cocto exceptum cauernis inde. Ad dentes denigratos. Teſtam Callainam aſſatã ac tritam dentibus affricato. Hoc etiam gingiuas corroborat. Aliud, Sal foſſile melle ſubactum in teſtula torreto, terito ac modica myrrha ammixta ſimiliter affricato. Aliud, Pulegij partem I. ſalis tantundem. melle ſubacta, in eodem donec in carbonem tranſierint torreto, ac trita dentibus affricato. Aliud, Caricas exurito ac terito, modicaq; nardo ac melle ammixto utitor. Hoc & gingiuas comprimit. Aliud, Polentam acerrimo aceto ſubactam exurito, ac tritam dentibus affricato. Hoc & gingiuas fortificat. Aliud, Alabaſtritæ uſti drach. VIII. pumicis uſti drach. IIII. ſalis torrefacti drach. III. tritis eodẽ utere modo. Ab horum uſu collutione utendum eſt, uino odorato in quo ad multum tempus iris ſicca fuit macerata.

Quæ Aſclepiades in I. externorum ad dentes ſcripſit. Heraclidæ Tarentini ad motos dentes.

VTendum eſt ſpodio cyprio, ut per id gingiuæ comprimantur, itemq; uerbaſci radicibus coctis, poſtea ablutio fiat ex aqua myrti, aut rubi, aut lauri: deinde ſpodio rurſus admoto, quies præcipiatur. Aliud, Veratri nigri manipulum, radicis mandragoræ drach. IIII. radicis hyoſcyami drach. IIII. in uas fictile cõjicito, & uini chij aut coi quàm optimi heminas tres ſuperfundito, ac ad prunas luculentas ad dimidias coquito, indeq; liquorem excolatum ore retinendum præbeto. Aridum ad motos dentes. Terebinthi fructuum torrefactorũ drach. VIII. aluminis ſciſſi uſti drach. VIII. balauſtij drach. II. gallarũ drach. unam. croci drach. I. myrrhæ drach. unam. tritis utitor. Aliud, Cornu ceruí uſti drach. VIII. Rhois rubri drach. IIII. omphacij drach. II. balauſtij drach. IIII. corticis pinus drach. I. myrrhæ Minnæę drach. I. tritis utere. Collutio ad molarium dolores. Radices ſmyrnij cum aceto mulſo coquito, & excolatũ liquorem ore tenendum exhibeto. Aliud, Rumicis agreſtis radicem & plataní pillulas ex aceto mulſo coquito, atque ut dictũ eſt exhibeto.

Commanducationes ad molarium dolores. Canchryos drach. II. origani drach.

drach. II. piperis albi drach. I. uuæ passæ albæ, aut alterius quàm pinguissimæ sextarij dimidium. Vuam passam diligenter tundito, reliqua uero origanū uidelicet & cāchry, & piper, probe trita adijcito, misceto, ac instar malagmatis emollito. Vsus uero tempore nucis ponticæ magnitudinem cōmanducandam præbeto. Postquā uero collecta pituita fuerit, ægrum hiare ac pronuere oportebit, quo liquor facile profluat, Quo facto, uinum colluere iubeto. Aliud, Vuæ passæ pinguis exacinatæ sextariū dimidiū, piperis albi acetabulum, grani cnidij drach. II. spicæ nardi drach. II. cassiæ drach. I. pyrethri drach. II. myrrhæ drach. II. apparato ac utitor ut dictum est.

Ad corrosos dentes præseruatiuum. Per huius usum cōseruaui erosos dentes absq; dolore. Zingiber cum aceto mulso coquito ac probe terito, indeq; in cauernā indito, forisq; dentē ex eo integito. Aliud, Hederę lachrymā galbano misceto, aut tithymalli, siue ficus syluestris succo dissoluito, ac utitor ut dictū est.

Aliud dolorem tollens ad dolentes & erosos dentes. Conducit itidem tussi.

Succi papaueris drach. II. piperis albi tusi & cribrati drach. I. myrrhæ drach. II. styracis drach. II. galbani drach. I. passi quod satis est his excipiendis, contundito simul & catapotia formato, dentiq; circūponito, & cauernæ indito. Aliud, Succi hyoscyami drach. II. myrrhæ drach. II. opij drach. II. galbani drach. II. styracis drach. II. zingiberis drach. II. piperis drach. I. succi syriaci tantundem. passi quod satis est, præparato ac utitor ut dictum est.

Molare emplastrum bonum, quod in multis miraculo fuit.

LAchrymæ oleæ drach. I. myrrhæ drach. II. ueratri nigri drach. I. seminis balsami drach. I. styracis drach. I. piperis drach. I. hyoscyami drach. I. succi papaueris drach. I. castorij obolos IIII. galbani drach. VI. succi cyrenaici drach. I. succi carpasi drach. I. panacis drach. I. sagapeni obol. IIII. pyrethri obol. IIII. staphidis syluestris drach. II. cedriæ quod satis est quo emplastri formam acquirat. Aliud, Sulphuris uiui drach. IIII. bituminis drach. II. amurcæ olei drach. IIII. picis liquidę drach. VIII. cedrię drach. XII. piperis drach. IIII. opij drach. IIII. staphidis syluestris drach. unam. ueratri nigri drach. I. grani cnidij drach. I. opopanacis drach. I. picis aridæ lib. I. Arida aceto excipito, deinde liquida affundito, ac ablatis utitor, ex pharmaco hoc molaris dens est integendus.

Ad tollendos dentes ut citra dolorem excutiantur.

PYrethrum in acetum coniectū ad dies III. aut IIII. finito, deinde terito & dolenti denti imponito, uicinis dētibus optime premunitis, & dolente diligenter præmundato, ita ut per II. aut III. dies dentem ex hoc pharmaco integas: ita enim citra dolorē excutietur. Aliud, Cucumeris syluestris radices eodem modo ut pyrethrum præparato, ac utitor identidem ut dictum est.

De mobilibus dentibus ac prominentibus.

RElatum à me etiam ante est, quod ob senilem ætatem aliqui dentes resiccati mobiles fiunt, modicum omnino auxilium ex adstringentibus pharmacis quibus gingiuæ coartantur ferentes, referetur autem & nunc quod aliqui ex plaga mobiles fiunt. Quidam uero etiam citra plagam, in quibus cōiecturam facio, Neruum qui ad radices ipsorum adnatus & substratus est, per multam humiditatem rigatū, laxatum esse, & ob hoc resiccantibus medicamētis ad curationem opus esse. Postquam autem motos dentium reliquis prominentiores factos uidebam, & maxime quum & plaga id essent perpessi, uisum est mihi eos lima atterendos esse in tantum quantū super reliquos prominēt, ne scilicet oppositos sibi offendant tum in loquendo, tum in manducando, atq; sane reperi experimentū mihi fauens ac testimonium præbens. Ferream itaq; limulam quo celerius opus

succederet feci, Multæ enim aggressiones dentem mobilem faciũt, cui quiete & minimo motu opus erat, si saltem stabiliri debeat. Quãdoq; igitur eminentiæ inæquales apparent in dentibus, & iuxta aliquas tantum partes lima opus habẽt. Aliquando uero æquales sunt extremitates, & æquali similiter lima indigent. Oportet autem gingiuis linteolum molle usq; ad radices dentiũ circũdare, deinde cum digitis sinistræ manus leniter amplecti, simulq; tute & citra compressionem, ne concutiatur cui limam adhibemus, atq; ita chirurgiam aggredi. Quòd si dolorẽ percipiat in admotione limulæ, & quòd affecta pars digitis uehementius cõtingatur, quiescere quidem ab opere statim conuenit, Vbi uero ex pharmacis quæ post referentur, interea aliquid exhibuerimus, rursus ut dictũ est aggredi, iterumq; modice cessare, donec extremitates circa dentes deterãtur, atq; id non prima tantum die bis & ter, sed etiam sequenti faciendũ est, ac imperandũ ægro ut neq; loquatur, neq; durum aliquem cibum accipiat. Vtatur autem alimento succo ptisanæ, & sorbitione ex alica, & pane madido, atq; alijs ad hunc modum mollibus. Cæterum materiei sylua quæ motis dentibus cõmoda est, talis existit.

Ab Archigene scripta, quæ mobiles dentes corroborant.

MObiles dentiũ stabilire uolens, myrrhę, pompholygis, aluminis scissi, amyli, æquales singulorum partes tritas admoue. Aut oliuarum albarum succum & rutam melle mixta affrica, deinde nardum cum alumine liquido obline. Aut alumen rotundum cum duplo sale dentibus adsperge. Aut aluminis scissi & misyos æquales partes cum cedria ad cerati liquidi spissitudinẽ redactas dentibus obline, & pituitam defluere sine, Quo facto, asininum lac colluãt calidum, aut acetum, aut uinum in quo malicorium & galla sunt incocta.

Ad debilitatos dentes tum alios, tum molares.

MEl, ceram, æquis portionibus ad solem calida aqua diluito, & picis dimidium ammisceto, ac ad emplastri formam deducito, atq; manducãda exhibeto. Quod si aridum sit pharmacum, parum olei addito, Summè facit & mastiche chia commanducata. Cæterum in dentium stupore portulacam manducent, Aut oleum calidum ore contineant.

De dentitione puerorum, ut Archigenes scripsit.

INfantibus qui dentiunt, si doluerint, canino lacte gingiuas obline. Aut si leporino cerebello infantis gingiuas illeueris, cito dentes prouenient.

Amuleta dolori dentiũ reluctantia, quibus fidem deberi putant, hæc sunt.

SI batrachij siue ranũculi folia ei qui dentem dolet, in eiusdem partis brachiũ imposueris, dolore quidem liberabitur, Brachium autem exulcerabitur, cuius curam prout conuenit facies. Si uero infans cui dentes prouenire incipiunt, dolores habeat, ueteris cochleæ cornu pelliculæ illigatũ pro amuleto appende.

De doloribus gingiuarum.

GIngiuis dolentibus collutiones ferè eædem faciunt quæ ad dolores dentiũ sunt descriptæ, Magis tamẽ proprie facit acetum cui hyoscyami radix est incocta. Verum inflammatis gingiuis alumen cum salis quarta parte tritum admoue: post morsum uero perceptum, uino aut foliorum oleæ decocto ipsas colluant. At uero fluxione laborantibus gingiuis & corrosis cum tumore & dolore, & per nomen depastis, præclare cõducit fomentũ, quod fit per auriscalpium cui lana obuoluta est, in feruens oleum tinctum, & gingiuis usq; quo exequẽtur admorum & donec circumcirca albæ reddantur, Ita enim sistitur Nome, & ex sana carne id quod corrosum est connutritur: postea uero affrictionibus utere & his quæ ad dentes sunt descripta, proprie autem conuenit galla tenuissime trita acetabuli mẽsura, cum myrrha magnitudine fabæ, tritis itaq; ac leuigatis utitor.

Quod si enascẽs dens grauiter reprimit & compungit gingiuam, cyperum cum butyro & ungento susino iuxta exortum illinito. Cæterũ in Epulide, hoc est supercrescẽte ex inflammatione carne, atramentum sutorium cum pari myrteo, & modico alumine scisso admoueto. Faciũt pleræq; etiam ex Antheris, id est floridis appellatis compositionibus.

Quæ dentes præseruent.

QVin & doloris dentiũ præseruatiua Archigenes his uerbis tradidit. In dentium doloribus præseruantia à dolore cõueniunt eiusmodi. Tithymalli radices in uino ad dimidias coquito, & bis in mense colluito, ac nunquam dolebis. Optime conseruat citra dolorem, & fortes dentes, si fabam ægyptiam, reiecto interno amarulento, triueris ac dentibus & gingiuis semel in anno affricueris. Aut alumine scisso cum modica myrrha confricato, & nunquã erodentur: si uero adstringat hoc nimium, melle utitor. Aut granorum Iuniperi paruorũ, & cupressi foliorũ parem portionem, & gallæ parum, melle cocto excipito, & in pastillos drachmæ pondere reducito, ac utitor unum ex his cõmanducando, insuperq; uino odorato colluendo. Aut iridis illyricæ nucis ponticæ magnitudinem mande, similiterq; collue. Aut sali gallam omphacinen in uino odorato coctãm misceto & mandito. Optime præterea tum ad præseruandos à dolore dentes, tum ad corroborandos eosdem, ac pariter gingiuas, ampliusq; ad decorem faciunt smegmata subscripta. Lanas succidas linteolo illigatas exurito, deinde salis tertia parte addita affricato. Aliud. Aut dasypodis caput ustũ tritũ. Aliud. Aut salem & mel ad cerati formam terendo redigito, deinde mũdo linteolo illigata exurito, & ammixta iride illyrica modica dentes confricato.

Quæ Andromachus scripsit ad omnes dentium dolores.

COmpositio molaris eadem hora dolorem sedans. Piperis, pyrethri, succi tithymalli, galbani, singulorũ drach. I. galbano excepta in cauernam inde.

Molaris Antiphanis, etiamsi non præmundaris indito, & dentem ex ea integito Seminis hyoscyami, opij, nitri, myrrhæ, pyrethri, piperis, singulorũ drach. unam, galbani drach. II. tritis ex uino utitor. Alia molaris qua utor. Aluminis scissi drach. I. piperis albi drach. II. opopanacis aut piperis longi obol. IIII. soreos obol. IIII. gummi aqua macerati drach. II. ceræ duplum totius ponderis omnium, ceram in aqua calida tritam reliquis misceto, atq; ita utitor.

Alia Chereæ. Myrrhæ drach. I. ueratri sesquidrach. pyrethri sesquidrach. aluminis scissi obol. III. Aqua terito, & dentẽ oblinito, ac superne cerã imponito.

Alia molaris ex libris Aphrodæ. Aluminis scissi drach. IIII. myrrhæ obol. III. piperis grana V. ego obol. III. accipio, & melius facit. Resina excipe & præmundatæ cauernæ inde, & splenium illitum superimpone. Alia molaris eiusdẽ. Etiam non præmundatæ cauernæ hanc inde, & superne spleniũ ex pharmaco item impone, & probe faciet. Seminis hyoscyami, succi papaueris, myrrhæ, nitri, pyrethri, piperis albi, singulorum partem unam, galbani partes duas. Cum aceto tritis utitor. Alia ex libris Aphrodæ. Succi peucedani drach. unam. succi papaueris drach. I. tithymalli myrsinitæ, succi cyrenaici singulorum drach. I. galbani drach. I. & dimidiam. Galbano excipe & in cauernam inde, & ubi præpurgaris dentem in splenium illine, in una hora dolorem sedat.

Molaris bona. Scissum alumen papaueris succo exceptum indito & oblinito. Alia ut Aristocrates. Papaueris drachmas II. sagapeni sesquiobolum, succi cyrenaici tantundem, piperis drachmã unam, sphondylij tantundem, myrrhæ tantundem, galbani, pyrethri, croci, singulorũ tantundem, mel quo stringmentitiam spissitudinem accipiat.

Ad dolores dentium, gingiuarum, aliaq; multa Aristocratis grāmatici.

Mellis lib. I. aceti acris sextariū I. aluminis scissi sexuncem. Alij liquidi trientem habent. coquito donec nigrescat. Ad dentes motos. Aluminis scissi partē I. mannæ partē I. tritis utere conspergendo motū ex eis dentem.

Ad erosionem & dolorem dentium.

Quinquefolij radices in uino coctas à cœna colluendas præbe: coquito autem ad tertias. Aliud, Rumicis radices cum uino aut aceto coquito, & modicum auripigmenti triti inspergito, ac liquorem ore retinēdum exhibeto. Coquatur itidem ad tertias.

Ad gingiuas madore laxas. Pyrethri drachmas III. thymi drach. II. aluminis scissi obol. III. iridis illyricæ drach. I. tritis utere, ac gingiuis impone.

Pythij, ad motos dentes, gingiuas humore grauidas, & subcorruptas.

Alumen scissum chartæ inuolutum uritur, deinde tritum rubrica coloratur, atq; ita gingiuis admouetur, similiterq; subcorruptis inditur.

Dioclis medici ad dentium dolores.

Galbani, opij, piperis, ceræ, staphidis syluestris, grani cnidij singulorū drachmam unam, trita cera excipito & illinito.

Aliud commodum ad corrosos dentes.

Succum silphij indito, aut ipsam radicem. Aut galbanum cum pipere. Aut opiū cū galbano. Facit & opopanax in cauernas infartus. Ad dentiū dolores. Soreos drach. II. aluminis scissi drach. II. misyos drach. I. Aridis utitor.

Smegma quo utor gingiuas contrahit.

Cornu cerui usti libras. II. lanæ succidæ teneræ quadrantem, salis ammoniaci trientem, piperis albi sextantem, costi unc. I. aluminis scissi sextantem, lentisci, & perdicij herbæ ustæ cum lanis, aut per se solum, utriusq; quartam libræ partem, foliorum malabathri unc. I. contusis simul utere.

Quæ Crito scripsit ad omnes dentium affectiones, Quædam ex eis etiam gingiuis cōferunt, & ad fœtorē oris, & nigros in superficie dentes.

Ordeum & salem melle ac uino subacta in charta ligato ac urito, & ex leuigatis gingiuas confricato. Aliud, Atramentū sutorium, alumen, putamina mali punici dulcis, æqualibus partibus trita ac leuigata, gingiuis in ieiunio affrica: deinde uino adstringente collue. Aliud ad gingiuas ulceratas. Nitri usti, cyperi usti, utriusque pares partes leuigatas cum melle illine.

Aliud ad gingiuas & dentes motos. Iridis trientem, corticis pinus trientem, aluminis scissi unciam unam, aridis utere.

Aliud ad motos dentes. Lentiscum, myrtum, gallam, in uino cocta colluenda præbeto. Aliud, Salis partes duas, aluminis scissi usti & acri aceto extincti partem unam, tritis utitor, deinde uino colluito.

Ad motos dentes stabiliendos. Atramentum sutorium cum oleo terito, & cum lana dentium radicibus admoueto. Facit & ad erosos dentes cera exceptum & inditum. Item cum myrto pari tritum ac melle exceptum. Aliud, Vlmi corticem in uino coquito, & decoctum ore tenendum exhibeto. Item ceruí cornua in uino cocta. Ad corrosos uero dentes capparis radicem cum acri aceto ad dimidias coquito, ac tepidum colluito. Cortice item eodem utitor modo, Idem ad dolores facit.

Fomentum dentium corrosorum & dolentiū. Sulphuris uiui partem unam, butyri partem unā, liquefacito & cum his per aurisculpium foueto. Aliud, Dentes ex sale præfricato, & lixiuium tepefactum mediocri tempore in ore contineto. Oportebat hic apponere, In gingiuarum dolore hoc conuenire.

Compositio

Compositio molaris eadem hora siue die dolorem sedans.

PIperis, pyrethri, succi tithymalli, galbani, singulorũ drach. I. terito & galbano excepta in cauernam indito. Alia. Piperis sesquiobolum, grani cnidij tantundẽ, galbani sesquidrach. spumæ nitri obol. II. croci sesquiobolum, iridis siccæ sesquiobolũ, rosarũ tenerarum drachmæ dimidiũ, trita melle excipe, & ad emplastri formã redactis molarem dentẽ intege. Ad corrosos molares. Melanthiũ torrefacito & ex acri aceto terito, indeq; molariũ cauernã integito, & non amplius erodetur, sed manebit ut est. Quidã etiam nitri drachma una cum acri aceto utuntur. Ad idem. Castorij, pyrethri torrefacti, galbani, singulorum æquales partes mixtas indito. Vt molaris citra dolorem tollatur. Farinæ cicerũ puræ drach. II. succo tithymalli exceptas denti imponito, supraq; hederæ folia addito, & ad horam sinito, tollito, & sua sponte in minutas partes frãgetur. Facit idem ad erosos. Verũ usus tẽpore ceram emollitam circũponito. Aliud, ut dens digitis tollatur. Præmũdato antea circũcirca denrem, & foueos, gallæ omphacines, staphidis syluestris, aluminis scissi, sulphuris uiui, piperis lõgi, æquales partes leuigatas cedria excipe & impone, ceraq; liquefacta dentem circumline. Ejicit ipsos etiam pyrethrũ, & tithymalli myrsinitæ succus cum farina erui ad massæ fermẽti modum coactus & impositus. Aut pyrethrum ad dies XL. aceto maceratum & denti circumpositum. Aliud ad fauciatos. castorij, pyrethri, opij, galbani, singulorum æquas portiones mixtas indito.

De dentifriciorum compositione, quibus utor.

QVædam ex dentifricijs à me cõpositis experimento cõprobata, & generosa efficacia prædita, digna mihi uisa sunt quæ conscriberentur, & primũ sane ea quæ frigidas dentiũ affectiones curant, siue ob immoderatã frigidæ aquæ potionẽ, siue ex fructibus per niuem frigefactis, siue ex quibusdã alijs edulijs, aut potionibus, sint productæ. Insuperq; si propter frigidũ humorẽ è capite in ipsos defluentem ortum habeant. Dentes igitur ob humorem refrigeratos magnifice iuuat Apophlegmatismus. Quomodo uero hunc præparare oporteat, alio capite priuatim conscriptum habes. Eos uero qui citra humorem frigefacti sunt, per solum medicamentũ hoc quod nunc referetur curare decet. Præstat eo etiã post apophlegmatismum uti, ut non solum nociuum euacues humorem, sed etiam generatam ab ipso affectionem persanes. Compositio pharmaci hoc modo habet. Accipito herbas duas, quarum altera sideritis, altera perdicias appellatur, easq; domi sensim citra solis admissionem siccato, ut neq; humidæ amplius, neq; siccæ adeo extent, & urito in tantum, ut ubi primum contusioni & sectioni aptæ fuerint, ab urendo cesses: uilescit enim & corrumpitur uis earum si diutius urantur. In alia porrò ollula sal fossilis uratur cum alumine scisso, Attico melle subactus. Deinde hæc alijs permixta tundantur, & per angustissimũ excreta cribrum, rursus in mortario terantur. Melius enim erit pharmacum, quanto diligentius fuerit leuigatum. Vtendum autem eo est solum ad dentes confricandos, citra gingiuarum circumsitarum contactũ, nisi humore fuerint prægnantes. Quum enim resiccandi uim habeat pharmacum, aptum quidem est gingiuis humentibus, inimicum uero siccis: attamen ipsas dentium radices post gingiuas sitas, eo confricare oportet itidem ut ipsos dentes. Cæterum eorum quæ in compositionem miscẽtur eiusmodi ponderum proportio esse debet. Herbarum quidem post ustionem drach. XVI. Salis uero cum alumine usti drachmas XI. Ante uero ustionem utriusq; herbæ par pondus misceatur. Sal autem quadruplici aluminis pondere ammisceatur. Aliarum autem rerum nihil uratur, sed arida injiciantur iuxta subscriptam appõderationem. Comæ origani drach. II piperis drach. IX in alio ex-

exemplari drach.II.pyrethri drach.III.seminis apij drach.III.iridis illyricæ drach. V.mentæ siccæ drach.II.cornu cerui aut capræ usti drach.II.seseleos,hyssopi, utriusq; drach.II. Si odoratum esse uelis, cassiæ aut amomi drach. II.ammisceto.Si uero in regis usum præparaueris,cinamomi drach.I.addito.

Ad mobiles dentes aliud,quo utor.

Seminis callitrichi libram unam, aluminis scissi & rotundi utriusq; quadrantem,spicæ nardi sextantem,malabathri foliorum unc.I. piperis albi unc.I.pyrethri drach. V. contundito & cribrato simul omnia, ac gingiuis usq; ad radices dentium admoueto. Timocratis dentifricium. Ad gingiuas madore laxatas,putrescentesq; ac cruentatas,mobiles molares, cõcussos dentes,ozænas, putrefactiones,parulidas,& omnia oris uitia,ac dentium dolores. Accipito herbæ perdiciadis modium italicum, alij minam habent, salis albi tenuis sextarium unum,mellis hexagiũ. Contundito ut massa friabilior reddatur,qua in ollam nouam conіecta, ollã luto figulino obturato: operculum aũt adaptetur circa medium perforatum, quo per ipsum foramen rudicula immissa pharmacum super prunas positum agitetur, donec neque fumosum quippiam neque uaporosum efferatur,Deinde ab igne tollito & refrigerato. Et fumito ex hoc toto,drachmas XIIII. piperis albi drach. V. piperis nigri drach. VI. pyrethri drach. VI. aluminis scissi usti & uino austero extincti drachmas II.pumicis,myrrhę,hyssopi,seminis apij,pulegij,singulorum sextantem,mentæ,iridis illyricæ,utriusq; drachmas III. Hæc omnia in sole præsiccata tũdito & cribrato,ac reliquis ex olla leuigatis,ammisceto. Aliud, Perdicij recentis drach.X.mellis drach.IIII.aluminis scissi drach.IIII. iridis illyricæ drach. IIII.piperis albi drach. VIII. nigri drach.III. pumicis drach.II. myrrhæ drach.III.pyrethri drach.II.mentæ siccæ drach.III. hyssopi drach.II.pulegij drach.II. seminis apij drach.II.herbæ sideritidis drach.III. salis fossilis drach.XIIII. Perdicium & sideritidem ac mel & salem mixta urito:alumen uero per se ustum uino extinguito,deinde simul omnibus contusis utitor. Aliud, Salis assati cum melle & perdicio drach.XIIII.aluminis scissi,assati, & uino austero extincti, iridis illyricæ,utriusq; drach.IIII.helxines,myrrhæ,mentæ siccæ,singulorum drach.III.pulegij sicci,pumicis, pyrethri,hyssopi,seminis apij, singulorum drach.II. folij malabathri drach.II. piperis albi drach.V.nigri drach. VI. Tusis & cribratis utitor. Aliud, Salis tosti cũ melle & perdicio drachmas XIIII. pulegij drach.II.aluminis scissi usti et uino austero extincti drach.IIII. iridis illyricæ drach. IIII. piperis albi drach.V. nigri drach. VI. pumicis drach.II. myrrhæ drach. III. mentæ drach.III. pyrethri drach.II. hyssopi drach.II. seminis apij drach. II. Sal lotus, melle probe subigitur, tritusq; in ollam nouam mittitur. Deinde etiam perdicium inditur,sale undiq; conspersum:quo facto, operculum ollæ imponitur, ipsaq; luto oblita in clibanum datur, indita torrentur, & exempta simul cum alijs teruntur. Oportet enim ualde leuigata in usum adsumere.

Smegma dentiũ quo albi & odorati reddũtur,& ab erosione adseruãtur. Nitri unciam unam, testæ sepiæ unc.I.myrrhæ unc.I.tritis utitor.

Dentifricium optimum. Aluminis scissi sexuncem, masticheS unc.I.comæ rosarum quadrãtem,iridis trientem,tritis utere,indeq; aquam tepidam colluendam præbe.

Dentifricium Damocrati inscriptum.

Libellus paruus extat Pythici appellatus, quem Damocrates Pythicũ inscripsit,ab eo qui ipsi pharmacorum ori destinatorum compositiones tradidit appellatione ducta, in quo sane libello iuxta finem etiam hæc conscripta reperiuntur.

Si dentifricijs uoles uti bonis,
Quæ candidos custodiant, immobiles
Dentesq́ reddant, oris & grauolentiam,
Laxasq́ gingiuas sedent, & comprimant.
Album hoc parabis optimum sic pharmacum.
Cerui cape cornu sic quater usti quàm optime,
Quartam libræ partem, salis solam libram.

In alio exemplari sic reperi.

Cerui cape cornu sic quater usti quàm optime,
Libram mediam rursus salis uncias duas,
Ammoniaci sicci nec amari hinc amplius,
Alicæq́, mastiches chiæ, solam libram.
Costi quadrantem, aut paulum quid amplius,
Albiq́ iunci tantum, & albi mox piperis
Vnam unciam, malabathri at uncias duas.
Contusa, cribrata omnia hæc mortario
Vrenda præbebis modo quem dixero.
Quod si uelis parare quando ad phlegmonas,
Et utile gingiuis cruentis, saucijs,
Carnemq́ callosam simul promentibus,
Aluminis coniungito his scissi libram.

Aliud Democratis dentifricium.

Verum magis parabile hoc fortasse erit,
Et promptius factum, minus nec commodum,
Admixta & hoc quadam simul dulcedine.
Multum Sideritin uiridem capito herbulam,
Magnam in nouam quam tu patinam mox inditam,
Miscebis ordeo recenti sed modico.
Sic ordeo ut posito sequatur fasciculus
Herbæ, sal hinc, herba atq; iterum, mox ordeum.
Fiantq́ tam diu uicissim hæc omnia
Donec patinæ omnem expleris amplitudinem,
Vt mox supernum rursus herba habeat locum.
Furnoq́ mox calente, uel clibano indita:
Torrenda per noctem sines, uel sic potius
Vrenda, quo teri queant ita promptius,
Cribroq́ mox sed arctiore hinc excuti.
Odoris addes gratia his, parum tamen,
Albi piperis thurisq́ mox item modicum,
Hinc iunci odori plus, cyperiq́ optimæ.
At omnibus mixtis probe & iam sepositis
Plus mastiches aridæ chiæ coniunxeris,
Dabis sed hinc in uesperam uolentibus,
Maneq́ rursus maxime puris uiris.
Sed colluant à pharmaco mox Bromium
Lymphis sociatum, & maxime hoc in uesperam,
Sed mane acetum mulsum aquosum præstiterit,
Oris leuandis turpibus fœtoribus.

Aliud Aurelij. Alumen in testa ærea aut figulina urito, ac uino austero ex-

 tinguito

tinguito, eiusq; dodrãtem accipito, & mastiches sexuncem, thuris unc. I. folij malabathri drach. IIII. cyperi drach. IIII. misceto ac utitor. Aliud quo utor. Cornu cerui usti drach. II. marmoris unciam I. origani drach. IIII. utitor.

Compositio pharmaci dentes præseruantis.

TRagorigani drach. II. hyssopi drach. IIII. herbę perdicij seu perdiciadis, melle & sale tenui subactæ, & in olla exustæ, donec in prunas redigar, quadrantem. piperis drach IIII. tundito & cribrato, & post usum reponito. Neq; dolebũt dentes neq; findentur, neq; parulides producẽtur, neq; gingiuæ superflua carne redundabunt, neq; fluxione infestabũtur. Habebis autem os odorum, & splendidos dentes. Quidam salsamenta in olla exusta ad pharmacum addũt, aut etiam cybiũ. Si quis enim eorum cinere per se utatur, dentis dolorem non percipiet.

Finis quinti libri.

CAPITA SEXTI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE COMPOSITIONE PHARMACORVM LOcalium, siue secundum locos Liber VI. Iano Cornario Medico interprete.

De affectionibus in ore, & de pharmacis ad eas commodis. Cap. I



VERVS profecto sermo est, quẽ plerięq; artifices in ore habẽt, Quod non idem sit, neq; simile, à uiua uoce discere, & ex libro legere. At uero industrij & natura prudentes homines, non uulgarem sæpe utilitatem consequuntur, si in libros incidant nõ obscure cõscriptos. Itaq; quũ sciam nõ paruam utilitatem ex hac tractatione, primũ quidem amicis ac sodalibus accessuram esse, qui uidelicet etiam per opera cognouerũt quantã uim habeat rationalis Methodus ad medicamentorũ copiã parãdam: deinde uero etiam alijs qui optimarũ rerum studio se fatigare nõ cessant, rem gratam facere uolens, ad huius operis explicationẽ progressus sum, nõ festinabũdo & cõpendiario docendi modo in hoc instituto, sed prolixo & longiore, quali etiam in sermonibus, quos frequenter citra scriptum ad amicos habeo, uti soleo. Præstat rationalis auxiliorum inuentio experimentatrici: quemadmodum etiam ante iam mihi in sermone de sauciatis neruis dictum est, in cognitione uniuersali facultatis pharmacorum, quorum usus circa singulas affectiones contingit. In pharmacis itaque ori destinatis: ob id stomaticis appellatis: uelut est quod ex moris constat omnibus notum, primus medendi scopus est communis omnium partium inflammatarum, deinde cõsequenter alter scopus priuatim ex ea quæ curatur. Quæ igitur sit affectio inflammatorum prius nosse oportet, si ex ipsa indicationem quandã auxiliorũ accipere uelimus. Prædidicimus autem & prius demonstratũ habemus, Inflãmationes ex calidi

sanguinis

sanguinis influxu fieri. Didicimus etiam quod hunc ipsum influxũ in principio quidem reprimere ac repellere oporteat, præterquã si ad partem aliquã principalem recursurus sit, atq; aliud quoddã grauius malum effecturus. Verũ nũc adeò nihil opus habemus eiusmodi determinationibus, sed uelut memores adhuc simus quomodo totũ corpus præparare, ad curationem affectuũ circa quãcunq; partem consistentiũ oporteat, ad institutũ progrediar. Etenim uenæ sectione utimur, & purgatione, & clysteribus, & inedia, ubi totũ corpus apparuerit aut multitudine humorũ refertum, aut eorundem malicia uitiatũ. Si uero neutrũ horum adsit, statim ad curationem per localia remedia peruenimus. Quomodo igitur inuenire ipsa oporteat eum qui oris inflammationes rite curare uelit, præsens sermo statim te docebit. Quomodo uero inuentis conuenienter uti oporteat sodalibus in memoriam reuocabo, qui sæpe uiderunt me pharmacis eorum medicorum qui me in consilium aduocarunt, curantem eas affectiones, quarũ gratia uocatus fui. Impossibile enim est pharmaco rite uti eum qui uim ipsius non noscit, iuxta cuius efficaciam auxiliatur. Eodem igitur modo in inflammationibus in ore consistentibus, communis scopus omnium ipsarũ si adsumpserit ex natura particulæ indicationem, reperiet primũ quidem genus pharmacorũ quibus uti cõueniet. Deinde consequenter etiam particulares in ipsis differentias siquidem præcognouerit simpliciũ pharmacorũ facultatem, uelut iam sæpe est demonstratum. Genus igitur repellentiũ pharmacorũ in principio inflammationũ, in refrigerãtium materia situ est. Hæc autem ipsa quum duplicia existant ut didicimus, Quæcunq; adstringendi natura prædita sunt, efficaciorẽ uim habent ad influxũ citius repellendũ. Inest autem ipsis statim etiam uis cogendi & densandi superficiem corporis, cui adhibentur. Cõmunis igitur scopus hic est prohibendi incipientes inflammationes, ab ipsius affectionis indicatione inuentus. Alter uero à particulæ quæ curatur natura ipsi accedit: quum sciamus rariorem esse ac molliorem superficiem tunicæ oris, nõ paulò quàm est cutis, quæ totum corpus ambit. Inest autem & aliud quiddam particulis oris, atq; id duplex, quod non adest ipsi cuti. Insuauitatem enim medicamentorũ quæ adhibentur sentiunt, & duos meatus subiacẽtes habet, per quos in uentrem & pulmonem defluere quippiam ex stomaticis pharmacis potest: quale est quod per atramentum sutoriũ constat. Et sanè medicus neq; imprudens, neq; inexpertus facultatis pharmacorum, ubi hoc miscuerit pharmaco ori destinato, multo quidẽ fortius ipsum reddet, uerum ueheměter lædens, si quidẽ ad gulam, aut asperæ arteriæ extremũ quid præterlabatur, atq; hæc quidẽ ut statim occurrentia, per ipsa uero & uentrem, et asperam arteriam, & pulmonẽ. Adest autẽ pharmaco ipsi circa gustũ insuauitas, quæ tum usus tempore molesta est, tum per totam perseuerat diem, adeò ut etiam in cibis accipiendis iniucũda sit. Huiusmodi itaq; fortibus & quæ uenenosam habent facultatem nõ cõuenit uti, ad affectionũ oris curationem, nisi magna necessitas urgeat. Neq; uero de inflãmationibus solũ hũc sermonẽ intelligere oportet, quum neq; ex harum indicatione ipsum inuenerimus, sed cõmunem esse de omnibus oris affectionibus intelligendũ est, ut qui indicationẽ ex ipsa particulę natura habet. His igitur cõsideratis ab eo qui pharmacũ ex succo mororum composuit primum quidẽ ipsum cum melle coxit, quo repositũ in promptu haberet per totũ annum, non illo tẽpore solum, quo expresso fructu, succo uti licet. Melior enim solus est incipientibus inflãmationibus, ideoq; me sæpe ipso in huiusmodi inflammationibus uti uidistis. Durabilior autẽ est priuatim cum melle apparatus. Appellaui autem durabiliorem, nõ solum quod cito corrũpitur citra cocturam cum melle repositus, ita ut sequẽti anni tempore eo uti non possimus: sed etiam propterea

propterea quod utilior est, ad sequentia inflammationis tempora, usque ad perfectam curationem. Quemadmodũ enim in principio cõmoda sunt pharmaca id quod influit repellentia: Sic post principium usque ad finem, pharmaco opus est ex utrisque mixto, repellente uidelicet & discutiente facultate prædito: ac primo quidem tempore adstringẽs præcellere oportet, ad finem uero discutiens, interposito uero tempore æquales utrorumque partes esse conuenit. Quando uero uelut induratũ quiddam de inflammatione relinquitur, penitus non conuenit adstringens ad discussorium ammiscere, nisi prius totum corpus sit euacuatũ. Atqui neque in principio bonum est discussorium adstringenti ammiscere. Cæterum qui pharmacum ex succo mororũ composuit, parum ex croco & myrrha et cõmiscuisse uidetur, quod communem habeant facultatem cõcoctoriam inflammationũ: priuatim uero crocus quidẽ adstringat, myrrha autem calfaciat, intantum ut sufficienter discutiat. Penetrat enim magis in altum corporum myrrha quàm crocus, utpote substantiã tenuium partium habens, atque ex hoc duplicem utilitatem exhibet, simul introducens quidem secum uires ammixtorum, & persanãs usque in altum inflammata. Et tamen adiuuãt se mutuo crocus & myrrha in penetrando in profundũ, crocus quidem uelut impellens myrrhã: myrrha uero uelut dux præcedens peditem sequentẽ crocũ, si ita dicere liceat, deducens. Quemadmodum enim crocus ob adstringendi uim, minus habet substantiã tenuium partium quàm myrrha, Sic myrrha substantia tenuiorũ partium prædita, citius quidem uim suam in altũ transmittit: citius aũt etiam ad cutem recurrit, simul secum efferens ea quæ in profundo sunt attenuata. Hanc igitur recursus eius uelocitatẽ impediunt adstringentiũ mixturæ: non enim hoc solus facit crocus. Est itaque in pharmaco stomatico ex moris appellato, tum mororũ succus, qui non modicam habet adstringentẽ qualitatem & facultatẽ, tum alia quædam etiam ammiscẽtur ubi quis forte pharmacũ reddere uelit. Hæc igitur adstringentia deducũtur quidem per myrrhã, quæ uicissim ab illis cõpellitur, atque ita se mutuo adiuuant, quo uis ipsorũ amplius progrediatur. Vidistis autẽ sæpe me ad pharmacũ ex moris in principio quidẽ Rhois succũ, aut uuæ acerbæ succũ, quem priuatim omphacium appellant, ammiscere. Si uero hæc nõ adsint, florem rosarũ, aut ipsas rosas siccas, balaustium, cytinos, & malicoriũ aridum, & gallam omphacitin appellatam. Amplius autem & pini corticem, itemque thuris, & tum hypocysthidis, tum lentisci succum, & ut cõpendio dicam, omnia adstringẽtia, præterea ea quæ corrumpentem habent facultatẽ, quã uenenosam uocant, & lethalium species quædam existit. Didicistis enim quod nõ omne lethale statim etiam est uenenosum. Quemadmodũ autem in principio inflammationis harum rerum mixtura fortius efficit medicamẽtum stomaticũ: Sic quum restiterit quod influit nullo eiusmodi opus habet solo. Sufficit enim tunc id pharmacum quod crocum & myrrham assumpsit ad inflammationem concoquendam. Nam ubi iam fuerit concocta, addimus etiã aliquid ex discussorijs, uelut sæpe uidistis me inijcere spumam nitri, & aliquando ipsum nitrum, quod tenuium partium existit, & iam ab omnibus Berenicium appellatur. Vltra hoc etiam sulphur uiuum uocatum, aliquãdo etiam sapam, origano quandoque incocto, interdum etiam hyssopo, aut alio quopiã simili, pulegio uidelicet, thymbra, thymo, calamintha hortensi ac agresti. Hoc igitur modo quis recte utetur pharmaco ex moris, si iuxta indicationũ uniuersalium quantitatẽ ipsius usum permutet. Quousque enim quicque influxerit, idipsum repellere cõuenit, Vbi uero restiterit, concoctoria afferre, & deinde cõsequenter discussoria. Manifestũ enim quod per huius methodi usum, nemo qui simplicium pharmacorũ facultatẽ nouit, unquam auxiliorũ inopia laborabit, siue per montes uenetur

res uetetur, siue quid operetur in agro, siue in peregrinatione quandoq; præparatis careat medicamentis, uelut Erasistratus scripsit, qui seipsum curauit ad rubi succum progressus, quum in illo loco Andronius pastillus præsens non esset. Quum enim sciret pastillum Andronium in adstringendo curādi dominium habere, materiam adstringentem perquisiuit. Non uelut Serapion & Menodotus aiunt, empirica transitione ad simile usus. Iuxta hanc enim uobis demonstraui plurimā dissimilitudinem succi rubi ad pastillum Androniū esse, paucissimam uero similitudinem iuxta unum solum, uim uidelicet adstringendi. Verum qui generalem facultatē quam uniuersalem uocant, nouit in quacunq; materia eam repererit, cōfidenter ea utetur. Huiusmodi autem materierū ingens est aceruus, quibus omnibus uti licet, ita ut solum fugiamus quæ uim quandam iniucūdam aut uenenosam habent. Sic igitur etiam ego pharmacum ex succo nucum uiridium præparaui, nullo doctore usus, neq; aliquod præscriptum sequutus. Cuius uim expertus sum multum aliorum stomaticorum facultatem excedentem, alia autem dico, id quod ex moris constat, & id quod ex succo rubi mororum præparatur. Ita enim rubi fructū appellant, & tertium quod ex musto, & quartū quod ex punicorum succo, & quintum id quod per adstringentia mala cōponitur, ex quorū numero optima sunt cydonia & struthia appellata, & post hæc ad præsentem usum quæ Cestiana à Romanis appellantur. Cæterum composita ex multis talibus sunt, quæ ex fructibus præparantur.

De stomatico medicamento ex nucibus.

EGo autem quando primū ex Alexandria in patriam redij, agrum pertransiui & inueni quendam hortulanū ab uua & tonsillis ac glandibus ferè suffocatum: utebatur autem collutione aquæ mulsæ rosis in ipsa incoctis. Quum igitur uidissem fructum nucum in uigore esse, iussi detractum ab eis externum corticem, quo etiam tinctores uideram utentes, statim in mortario contundi, & succum eius per linteū excolari, nondū sciens quomodo iuxta crassiciem aut tenuitatem haberet: quū uero reperissem aquosum & compage tenuem, gargarissare eum iussi ipsum hortulanū. Postquam uero ualde tenuis apparebat, præcoxi: & mel cōmensurate, uelut in eo quod ex moris fit fieri sciebam, ammiscui: atq; ubi iam ad cōpagem mellis redactum esset, hortulano utendū reliqui. Porrò quum uiderem celerrimā utilitatē ipsi inde oboriri, præstabile ratus sum in multis experiri, atq; ex hoc sufficiente experimento accepto de facultate eius pharmaci, semper ipso utor, uelut nostis. Meritò itaq; mirandum nullum ex prioribus medicis aliquid de hoc pharmaco mēte cōcepisse, ut tum parabili, tum generoso hoc succo uterētur, maxime quū uiderint quomodo etiā manus inficiantur eorū qui uirides nuces decorticāt. Ex his enim apparet qualis sit eatū succus, & quod ægrè elui possit ipsarum adstringendi uis, adeò ut neq; per fortissima extersoria elui queat. Amplius aūt adhuc miratus sum de medicis q̄d nō cogitauerint fortē esse ipsarū uim, quū etiā tinctores uideāt eiusmodi nucū corticibus uti. Nisi enim in profundū manuū descenderet, & nisi per omnem substātiam lanarū penetraret, non certe ægre eluibilis esset. Quum uero descendat, indicat planè substantiam succi tenuium partiū esse, rationi autem consentaneū est adstringendi uim maxime proficere, ubi in eiusmodi substantia cōtineatur. Etenim quæ ex adstringentibus crassas partes habent, per adstrictionem cogunt & cō densant superficiem corporum quibus adhibentur, & à progressu in altum ipsorum corporum sese impediunt. Quibus enim etiam alias ob substantiæ crassitudinem impossibile erat progredi in altum, his sanè amplius impossibile fuerit densato corpore suua te id quod totum est inflammatum. Optimū itaq; esse nucum succum persuasus, ut qui

ut qui etiam coctū cum melle gustarim nihil insuaue habentem. eum in quatuor partes diuido, & ad primam statim aliquid ex adstringentibus iniicio, ad secundam ex croco & myrrha, ad tertiam sulphuris quiddam ac nitri addo: quartā uero solam sinceram seruo, pueris utilem futurā ob dulcorem, Imò etiam uiris ob delicias mente fractis, & mulierculis. Ego quidem igitur à ratione inductus inueni, quemadmodum neruorum sauciatorum curationem, ita etiam hoc pharmacum quod omnibus præstat. Est equidem id quod ex rubi moris constat, fortius eo quod ex moris fit, quemadmodum hoc eo quod ex musto paratur, Omnibus autem his præstat id quod ex nucum succo inuenimus, in principijs quidem inflammationum cum his quæ fortiter adstringunt confectum: in uigore uero croco & myrrha additis, quanquam etiam solum aliquando moderatas inflammationes sanare queat. Quando uero humorem qui inflammationem produxit impactum digerere ac discutere oportet, cum acriū mixtura cōmodum existit. Verum dixerit fortassis quispiam mihi ex medicis pauperioribus, se amplecti quidem ipsum medicamētum, si unam pyxidem expleri iubeam hoc pharmaco semel præparato. Me autem præcipere, aut statim à principio quatuor facere compositiones, aut unam ex melle & succo compositam reponere, atque usu expetente ei ammiscere, usque quo quidem influxerit quippiam inflammatis, ea quæ uehementer adstringunt, postquam autem quieuerit fluxus, concoquentia: ubi uero euacuationē postulauerint ea quæ influxerunt, discutientia: operosum autem hoc esse & difficile his qui domi non habent supellectilem omnium simplicium pharmacorum, Imò neque ad peregrinationes me commodam confectionem exponere, in quibus impossibile sit quatuor uniuscuiusque medicamenti differentias circūferre: Ob id igitur excogitata sunt tum mihi, tum alijs etiam prioribus medicis, pharmaca medias facultates habētia, & ad peregrinationes idonea futura, & pauperculis medicis utilia. Quæ uero hæc ipsa sint, paulo post referam. Nunc autem pauperum medicorum sermoni respōdere uolo. Quemadmodum enim ipsi exilem apparatum laudant, sic oportet etiam diuitibus permittere, ut confectiones pharmacorum pro opulentiæ suæ dignitate comparent. Satis enim scio etiam ipse, non solum multos pauperes esse medicos, sed & qui ab ipsis curantur, quibus satis est ubi ægrotent, alicam cum aqua mulsa accipere, & mundū panem habere, aut aliquam farinam utilem ad cataplasma. Verum eum qui curandi tractationem scribit, omnis materiæ meminisse operæpretium est, quo tum diuitibus copia sit ipsis artificiose utendi, tum pauperibus electio sit illarū tantum, quibus unusquisque pro oportunitate abundet.

De mediorum pharmacorum compositione.

Dicamus igitur iam aliquid de compositione mediorum pharmacorum, initio ab eo quod ex moris cōstat sumpto. Cōmune est autem omnibus medijs, ut congruens modus mellis ad succum ipsum decernatur. Inuenitur autem hic modus per experientiam. Vbi enim succū ipsum cum melle miscueris ac gustaueris, si quidem apparuerit moderate habere, rursus similiter ipsa miscebis. Si uero deficere quid uidebitur, addes. Velut exempli gratia, In mororum succo si quinta pars mellis addatur, medium fuerit temperamentum, ut hoc modo coctum pharmacū plurimis ualde placeat, & hanc mixturam panci reprehendant, alij quidem uelut dulciorem, alij uero ut austeriorem. Quemadmodum enim alii qui aquam mulsam dilutiorem, aliqui dulciorem libentius bibunt, Sic etiam his pharmacis utrique delectantur iuxta propriam naturam. Quando igitur aliquis pharmacū sibi præparari postularit, semper utique uidistis me ei qui dulcioribus delectatur, plus mellis inijcere, qui uero contrarijs, minus. In pharmacis igitur

quæ

quæ deglutiuntur maxime coniectare oportet naturam eorum qui ipsa sument. Quod enim cum molestia aut iniucunde acceptum est, stomachum subuertit. In pharmacis aũt stomaticis eiusmodi sinceritatẽ aliquando contemnere licet. Medium itaq; temperamentum, uelut dixi, succi ad mel, quintuplum habeat multitudine succum. Audito autem me diligenter animaduertens quibus utor uerbis in symmetria seu cõmensuratione medicamentorũ quæ inuicem miscentur. Iam etenim præcepi quintuplum esse debere multitudine ipsum succũ ad mel, quod nihil differt ab eo si dicã mole quintuplum esse ipsum oportere. Vtrouis enim modo dicatur, mensurare oportet pharmaca permiscenda. At uero si pondere in beam quintuplum esse hoc pharmacũ, per lancem utiq; facere oporteat symmetriam grauitatis ipsorum. Cæterum ad permixtionẽ succi ad mel, non est necessarium heminæ aut cyathi meminisse, sed sufficit dicere, quintuplum esse oportere succum, mellis respectu. Si uero quid aliud his ammiscendũ sit ex dictis paulo ante, necessarium est dicere, quota quantitatis mole ipsis existentibus, quantum addendum sit illorum in lance appensorum. Velut in ipso adeò pharmaco ex moris, in Heræ Cappadocis medicamentario libro, Mellis conijcitur libra una, succi autem mororũ lib. VI. ammiscet autem ipsis croci drach. I. myrrhæ duplum, par etiam croci pondus conijcit ex succo uuæ acerbæ, qui omphaciũ appellatur, atq; eius dimidiũ ex alumine scisso. Mihi uero placet quintuplum succum ad mel conijcere; par autem pondus croci & myrrhæ, utriusq; drach. unam & dimidiam, ita ut ex utrisque tres drachmæ consentur. Quod si quis omphacium addat, & uini austeri item heminam unam, uelut Heræ uidetur, rectè sane drach. I. omphacij addet. Si uero citra uinum præparetur, multo plus de ipso cõijcere conuenit, si quidẽ mediũ temperamento pharmacũ efficere uelis unciam I. si uero austerius, ut in principijs cõuenit, nihil peccaris si omnino duas aut tres ammisceris. Quod si non sit omphacium, pro ipso rhois succum inijce: & si uoleris par pondus utriusq; indere, neq; sic quicquam deliqueris. Heras tamen in symmetria huius pharmaci etiam hoc adscripsit, hoc modo. Quidã autem & heminã unam dulcis uini, mustũ eum uelle indicare palam est: prædixit enim uini austeri maris expertis heminã unam. Mihi uero nõ placet, sufficiente melle iam cõiecto, unà cum hoc quòd & heminam austeri uini addidit, rursus aliam miscere uini heminam. Reddetur enim ualde uinosum medicamentũ. Coquunt autem hoc ex moris medicamentũ, aliqui quidem à principio miscentes succum mororum, aliqui uero modice præcoquentes. Heras autem uidetur uelle succũ solum diutius coquendũ esse. Scripsit igitur hoc modo. Succi mororum heminas VI. ad strigmenticiã crassitudinem coquito, deinde trita ammisceto, croci drach. I. & reliqua uidelicet iam dicta. Quin & ego censeo succũ ipsum solum per se præcoquẽdum esse: deinde uero adijciendũ mel, atq; ubi iam cacabum ab igne auferre uelis, reliqua ammiscenda esse. Verum Heras uidetur simul cum melle etiã alia ammisceri iubere. Et uinum quidem rationabiliter quis tunc ammiscuerit. Myrrham uero & crocum, melius est in fine coctura inijcere, eo usq; saltem cum alijs coquendo, aut olla in terrã posita mouendo, donec omnia probe uniantur. Amplior autem coctura ipsorũ, destruit facultatem aromaticorũ medicamentorum. Spuma argenti equidem & plumbago, atq; alia multa metallica per cocturã meliora fiunt. Crocus autem & myrrha multaq; alia aromata in decoquendo uires amittunt. Itaq; medij facultate pharmaci & symmetria, & coctura, moderatis inflammationibus congrua, ampliusq; in maiorũ uigore, atq; insuper in principijs & augmentis eorundẽ conueniens, iam relata est. Cæterum ad induratas inflammationes, quũ iam præterierit uigor, & nihil amplius influxerit, uenerit autem

tempus discutiendi, ammiscere conuenit ad stomaticum pharmacum aliqua discussoriorum. Talia autem sunt, Spuma nitri, & ipsum nitrum molle, asiæq; petræ flos, & sulphur uiuum. Sufficit porrò ad prædictam medij pharmaci cōmensurationem ammisceri, Nitri quidem unciam dimidiā, sulphuris autē uncias II. Quod si neq; sic præparatum habeas ipsum, neq; præsto sit tibi nitrum, aut sulphur, aut asiæ petræ flos: origanū in sapa, quam alij siræon, nostri omnes hepsema uocant, feruefacito, stomaticoq; pharmaco addito, ac gargarissare iubeto. Si uero neq; sapa adsit, in aqua mulsa origanum coquito. Nihil autem refert etiam si hyssopum conijcias pro origano, aut pulegium, aut thymum, aut thymbram, aut calaminthen, aut minthan odoram, quam ueteres hedyosmon appellant. At uero in uigore inflammationum, nō solum nihil ex eiusmodi pharmacis adhibere oportet, sed etiam cōtrarium totum: atq; raro quidem stomaticis medicamentis uti, collutionibus autem & gargarismis mitigatorijs cōcoquere inflammationem. Cuius generis est, Decoctum pinguiū caricarum, & oleum lentiscinum in duplo uase tepefactū. Quin & ipsum stomaticū pharmacum in uigoribus gargarissare conuenit, aqua mulsa dilutiore permixtū, aut calida sapa: quæ si non adsint, aqua calida. Præualere enim oportet tunc mitigatoriū & concoctorium ductum, uelut in declinationibus discussoriū, qui ex fortioribus cōstat medicamentis. Porrò meum pharmacū ex succo nucum omniū aliorum esse fortissimum opere experti estis. Ad uos enim sodales loquor, in quorū gratiam maxime ad hanc tractationē progressus sum. Quòd uero etiam omniū uilissimum & parabilissimū sit, nemo ignorat. proijciunt enim hortulani uiridium nucū cortices, ubi ipsas decorticarunt, ut uel maximos corbes nobis explere liceat gratis. Mel igitur solū ut pauperibus medicis (Nam & illis oportet nos ea quæ narramus communicare) deficit, quū eius fuerit penuria, nihil uero aliud, nisi quis ultro adeò aliud uelit. Sæpe enim hoc modo confectū pharmacū, nihilo deterius apparuit eo quod ex moris constat, in quod tum crocū, tum myrrham indebamus. Quin etiam si Alumen ipsi addere uelimus, nō est necesse scissum inijcere, Sufficiēter enim adstringit etiā liquidū, quod aliqui phorimon appellant, quod uilis precij & maxime parabile in omnibus regionibus existit, tenuitate tamē partiū à scisso de- cit, & ob id etiā minus efficax est. At uero si hortulanus aliquis aut ruralis hoc pharmacū sibi præparare uelit, habuerit gratis quos cōijciat, cytinos aridos contusos & cribratos, Nominantur autē sic primogenita punica. Quo tempore enim arbor florere desinit, fructus ipsius apparet figuratus in speciem punici mali, quem ablatū & reficcatū adseruare licet ad tempus fructus nucū. In fine enim ueris cytini generātur. Desinente autem æstate ad perfectionem ueniunt nuces. Quin & in terram decidunt multi cytini, aut à uento decussi, aut alio quopiā modo, quos collectos siccare licet, ut neq; hac parte egenos medicos quicquam impēdere opus sit. Nostis autem acidorū & acerborū punicorum, (quorū fructus parum abest ut esitari nequeat) cytinos meliores esse, Quare etiam si ex arboribus eos auellas, aut nemo penitus te prohibebit, aut certe uilissimū pretium sibi dari pro eis postulabit. Cæterum balaustium appellatum penitus cibis nō conuenit, & si quis colligere id uelit, quemadmodū origanū, & thymbrā, ac thymū, atq; alia huiusmodi, gratis licebit. Itaq; si balaustiū uelit quis crudū tusum ac cribratū inijcere iuxta proportionē quam antea dixi, pari omphacio pōdere, utile pharmacum efficiet. At uero & cortices punicorū malorum, ualde parabilis res sunt, adstringendi uim sufficientissimā habētes, & qui ad prædicta statim in principio conijci queant. Optimū autem pharmacū reddetur, si iuxta id tempus quo punica nondum perfecte matura sunt, nō tamen longe à perfectione absunt, eos

cortices

cortices detractos cõieceris atq; id statim in principio cocturæ succi. Oportet autem prius in mortario tundere, quo ipsorũ uis uniuersa citius in medicamentum quod paras diffundatur.

De confectione pharmaci ex malis punicis, & malis, alijsq; stomaticis.

QVum uero tres sint punicorũ malorum differentiæ, Aliqua enim ipsorum sunt austera, aliqua uero dulcia, & quædam acida, Siquidem sola austera inijcias, magis adstringẽs pharmacum reddetur: si uero dulcia, suauius. Quemadmodum sanè fortius fiet, si acida tantum indas. Ego autem consueui par pondus uniuscuiusq; generis ammiscere. Nam & aliàs ipsa sola matura punica mala integra unà cum corticibus tundo, deinde succũ exprimo, ac cum melle coquo, & non solum stomaticũ pharmacũ ori cõmodum habeo, sed & ad multa alia utile, ueluti rursus dicetur: atq; fit hic succus ad omnia præstantior ex tribus punicorum speciebus, aut generibus, aut differentijs, aut quomodocũq; quis appellare uelit. Miscemus autẽ & ruborũ fructus quos aliqui quidem à planta denominant, batina, hoc est rubina appellantes: aliqui autem cõposita appellatione Mora appellant, apponentes quæ à rubis producũtur. Ex quibus sane succus similiter succo mororũ præparatus, melius illo pharmacũ redditur: sed minus ualidũ eo quod ex nucum succo paratur. Quin & malorũ cotoneorũ, & pirorũ syluestrium, ac mespilorũ succus similiter præparatus, stomaticũ pharmacũ efficitur, deuorarióq; aptum, quũ hoc quod ex nucibus cõstat deuorare non liceat: quanq; enim nociuũ non sit, uelut atramentũ sutorium, tamen stomacho nõ est commodum. Manifestũ uero quod & ex punicis cõstans pharmacum aptum est fracto & cibos fastidienti stomacho: deficit tamen ab eo quod ex malis constat. Innocuus est etiam rubi mororũ succus deuoratus, uelut etiam ipsorum mororũ, sed succus rubi mororũ habet quid quod stomachũ corroborat, quod ipsum mororum succus non habet. Porrò mel his omnibus succis non eadem proportione inijcitur. Plurimo enim nucum succus opus habet, & post eum rubi mororum, modico autem malorũ, & punicorum, & pirorũ syluestrium. Medius autẽ inter hos est mespilorũ succus. At uero & ex cornis ac brabylis, & prunis apud nos appellatis præparantur apud nos stomatica pharmaca, eodem modo quẽ in principio de moris recensui, in quorũ omniũ confectione rationem quandam cõmunem referam, hanc. Siquidem crassus apparuerit succus, statim mel ammiscere oportet. Si uero liquidior sit succus præcoquatur. Suscipit autẽ pirorũ ac malorum succus: amplius uero etiã plurimorũ fructuũ, parem sibijpsis mensurã mellis. Succus uero eorũ quæ multũ acerba sunt, uelut est corni fructus, aliquando duplum, aliquando triplũ mellis adsumit. Omnia igitur hæc citra noxam deuorantur. Si uero atramentũ sutorium ammixtum sit, non ualde deglutire oportet cõfectum pharmacũ, præterquã si iuxta stomachũ aut aluum ulcerosam affectionem fieri suspicemur. Quin & si in ipso ore maligna ulcera fiant, præstãt ex atramento sutorio medicamenta. Sufficit autẽ drachma ad prædictã cõpositionem ammixta in qua unam mellis librã conijci est relatũ. Sed & plus quandoq; rectè inijcitur ad ulcera putrefacta. Singula porrò quæ dixi inijcere licet aliquãdo & musto uuarũ austerarũ quas Aminæas appellant. Præstat autem ultimum mustum in hunc usum. Quod enim in principio fluit liquidius est & aquosius. Inijcienda uero sunt ex prædictis pharmacis acerbiora, quemadmodũ sæpe uidistis me aut punica mala, aut balaustiũ, aut cytinos, aut ægyptię spinæ fructũ, aut corna, aut aliud quid ex huiuscemodi adstringentibus ammiscere. Maxime uero aptus est Rhus, siue masculino, siue muliebri genere ipsum uelis nominare. Est autem duplex, Alter obsonijs inspergitur stomacho commodus, alter à tincto-

ribus coriorum expetitur. Vterque uero musto incoctus stomaticum efficit medicamentum, cui ammiscere licet etiam alia iuxta eandem proportionē, uelut in eo quod ex moris constat relatū est. At uero citra mellis mixturam, mustum solum per se in mellis compagem redactū, exemptis etiam quæ aliàs induntur, bonū fit pharmacum in principijs, augmentis, & uigoribus. Ad declinationes autem si tedas addideris pingues, aut etiam in tenuia frustula contusas & fractas easdē unà cum Rhoē in mustū conieceris, deindeq; interposita una die coxeris, donec suam ipsorum qualitatem in ipsum mustū transmittant. Tunc enim tedas quidem eximere ac proijcere oportet, Mustum uero usq; ad aptam compagē coquere, quo uidelicet illiniri cōmode possit. Quæcunq; autem prius ex adstringentibus inijci dixi in id quod ex nucibus præparatur medicamentū, ea omnia etiam accipiēda sunt recte in mustum addi. Quod si uero pretiosius efficere pharmacū uelis, inijcies etiam cassiæ corticem, aut nardū indicam, aut malabathri foliū. Aeque enim ut pauperibus, sic etiam diuitibus nos pharmaca scribere oportet. Eadem etiam prædictis stomaticis pharmacis miscentur. Sufficit autem drachma una singulorum ex his tribus ad tantam medicamēti symmetriā ac cōmensurationem, iuxta quam libra mellis una cōijcitur. Nihil uero læseris si ad singulas drachmas adhuc dimidiam apponas, ut in totū quatuor drachmę & dimidia fiant. Cæterū ad induratas inflāmationes conijciūtur quæ generosius discutere possunt, tusa uidelicet & cribrata. Tempus autem indendi ipsa non est principiū, sed ubi prope perfecte coctum fuerit pharmacū, aut etiam penitus coctum, olla iam in terram deposita. Sunt autem hæc costus, amomū, & quod Macer appellatur, Nominatur autem sic cortex quidam aromaticus qui ex India affertur, multū calefaciens & adstringens. Quin & cyrenaicus succus ad discutiendas induratas inflāmationes aptus est, quemadmodum etiam Medicus, aut aliquis eorum qui postea celebres facti sunt. Pauperibus porrò pro sumptuosis discussorijs pharmacis, aut dictamnum, aut acorum, aut Meon, aut pyrethrum, aut cardamomum, aut sinapi inijciēdum censeo, pari pondere, ita ut ad triū drachmarū pondus eorū mixtorū moles perueniat, ad prędictā in principio stomaticorū pharmacorū symmetriā, in qua mellis libra habebatur. Si uero quatuor aut quinq; drachmarū pondus ex his explere uelis, magis discussoriū pharmacum habebis. Semper enim pro cōstitutionis affectuū proportione, augeri ac minui pharmacorum uehementiam oportet.

De confectione pharmaci ex musto, in quo etiam parabilia diuersa.

IN pharmaco ex musto, ad decē musti heminas, tres inijcimus heminas Rhois coriariorum, aut eius qui obsoniis inspergitur. Si uero utrūq; inijcimus, utriusq; unam & dimidiā, aut paulò plus sumimus. Iuxta proportionem uero etiam ex discussorijs quodcūq; tandem inuenerimus. Quod si unum tantū habeamus adstringēdi uim habens, quod in principio inijciamus, aut unum saltem discussorium quod iuxta finem indamus, ex illo totū pōdus immittimus quod ex omnibus alias cōflaretur. Quæ igitur dicta sunt in medicamentū ex nucibus conijcienda, ea omnia etiam in pharmacū ex musto indūtur. Quin & quæ isthic non dicta sunt, amplius inijcere licet. Velut gallam omphacitin appellatā, aut extremitates mollis rubi, aut rubi canini, & corni, cuius etiam fructū diximus inijci oportere, uelut etiam pruna, & myrti baccas, & fructū myricæ ac spinæ ægyptiæ fructum, omniaq; adstringentia præter ea quæ medicamētariam uim habent, ne uidelicet deuorata lædāt. Omnia porrò stomatica pharmaca quomodocūq; parata iuxta propria tempora oportuna ac commoda fiunt. Si quidem enim austeriora fiant, in principijs & uehementibus influxionibus conueniunt. Si uero moderatiora, in uigoribus. Si aūt magis discussoria ui prędita, in declinationibus. Quare etiam

si non

si non ipsi præparauerimus quid, neq; symmetriã iniectorũ nouerimus, sed tantum ipsum cõpositum pharmacũ gustauerimus, cognoscemus quomodo eo sit utendum. Hæc igitur si memoria conseruabitis, quando necessitate aliquãdo urgente eorum quæ experimento constant pharmacorũ copia non sit, ex parabili illius loci materia, uos ipsi ex tempore aptum medicamentũ componere poteritis. Non solum autem in hanc rem utilis fuerit prædictorum memoria, sed etiam ad iam inuentorũ cõuenientem usum. Si enim in ipsis adstringentem qualitatem præualere inueneritis, in principijs eis utemini. Si uero mitigatoriam & laxatoriam ac concoctoriam, in doloribus & uigoribus inflammationũ. Si uero obduratum quippiam & ægre solubile ab inflammatione relinquatur, in declinationibus. Eodẽ modo etiam in medijs temporibus, media relatorũ pharmacorũ medicamenta offeretis, ab repulsorijs ad discussoria paulatim transeundo, atq; si unũ duntaxat uobis præsto sit medicamentũ, idipsum per aquæ mulsæ & aquæ simplicis mixturam exoluentes, & per additionem parabilium intensius reddentes. Sunt autẽ parabilia ex adstringẽtibus, Rosæ, & myrtus, & lentiscus, & rubus, & rubus caninus, & galla omphacitis appellata, & ægyptiæ spinę fructus, omniaq; aluminis genera. Post hæc parabilia sunt Rhus culinarius & coriarius, & succus qui ex Syria affertur, atq; hic quidem per se ammiscetur, culinarius autem & coriarius Rhus aqua prius decocti, utiles mixtura fiunt. Est autem & glauciũ ex parabilibus, & omphaciũ, & cytini, & balaustia. Ex discussorijs autem parabilia moderata sunt, caricarum & furfurũ decoctum, et aqua mulsa in qua origanum, aut hyssopũ, aut thymus, aut calamintha, aut pulegiũ, aut mintha odora, quam hedyosinũ uocant, sint incocta: fortiora autẽ sunt etiam hæc, si diutius coquantur, amplius autem & nitri spuma aut ipsum adeo nitrũ ustum: fortius uero his est sulphur uiuum.

Stomaticorum pharmacorum compositio, in quibus etiam quæ ex moris constat, Heræ.

PRoprie quidẽ stomatica appellantur quæ ad uuas, tonsillas, ac omnes quæ in ore fiunt derepente inflammationes conueniunt. Componuntur autem per prædictam materiam, ex qua sanè multæ particulares cõpositiones à medicis sunt confectæ. Ego uero etiam hic celebrium tantum mentionem faciam.

Compositio pharmaci ex moris iuxta Heram.

PHarmacum ex moris stomaticũ faciens ad tonsillas, & uuas, atq; alias in ore inflammationes, tum illitũ, tum gargarissatũ, uelut est prædictũ. Præparat aũt ipsum Heras hoc modo. Succi mororũ heminas VI. ad strigmenticiã spissitudinẽ coquito. Deinde tritas croci drach. I. myrrhæ drach. II. omphacij drach. unam, aluminis scissi obol. III. Mellis heminam unam addito. Ipse autem Heras se etiam aliter præparare ipsum ait, hoc modo, ut croci drachma dimidia injiciatur, & passi hemina una, & uini maris expertis austeri hemina una. Coctura autem sit usq; ad compagem melleam.

Andromachi descriptio, pharmaci ex moris.

ANdromachus autem de pharmaco ex moris in hæc uerba scripsit. Succi mororum heminas VI. accipito, & in ipsum gallas V. conijcito, radicis aũt dulcis drach. XX. Vini chij heminam I. & insolato aut coquito, deinde ubi coactum & spissatum fuerit pharmacũ, radices tollito ac proijcito, gallas autem tritas ammisceto, & myrrhæ drach. I. croci drach. I. aluminis scissi drach. I. omphacij drach. II. Quidam autem aluminis drach. II. mellis attici heminam unam. Manifestum autem est, quod hoc pharmacũ magis adstrictorium est quàm præscriptũ, maxime si alumen adsumat. Sufficientes enim erant gallæ, & omphaciũ, ut mul-

tum adſtringens redderent pharmacũ, uerum ubi alumen amplius additur, plurimum in ipſo adſtrictoria uis augetur. Recte tamen in eius cõfectionem ammixta eſt dulcis radix, quę exaſparata lenit, & propterea aſperitatẽ ex adſtringentibus inductam lenire poteſt. Cæterum pro mororum ſucco conijcitur etiam mororum rubi ſuccus, alijs quomodocũq; uelis appoſitis, ſiue ut Heras, ſiue ut Andromachus ſcripſit. Relatum autem à me antea eſt, quomodo liceat ipſum uariare, per eorum quæ adijciuntur ammixtionem. Dictum eſt etiam, quod per ſuccum nucum cõponi queat hoc pharmacũ, reliquis eodem modo iniectis. Quin & per punicorũ malorũ ſuccũ ſimiliter præparatur, tum ſucco ſolo cum melle præparato, tum iam dictis iniectis. Si uero & rubi fructus cum melle confectus ſufficienter adſtringens ſit pharmacũ, quemadmodũ ſanè & quod ex nucũ ſucco paratur, ueluti prius eſt dictũ. At uero etiam uaria cõpoſitione pharmaca ex punicorũ ſucco à medicis conſcripta ſunt, uelut etiã ab Andromacho his uerbis.

Stomaticon ex malis punicis, Andromachi.

PVnicorum dulciũ nucleis carentiũ partes II. & acidorũ partem I. Succũ in uas amplum quod congium capiat exprimito, deinde excolatũ ad lentum ignem ad tertias coquito, Sint autẽ in prõptu myrrhæ minææ drach. VIII. crocomagmatis drach. VIII. omphacij drach. VIII. illyridis drach. VIII. aluminis drach. IIII. gallæ drach. VIII. His affundito liquorẽ teritoq; ac ad melleã ſpiſſitudinẽ coquito: deinde in pilam trãslata rurſus terito ac utitor, quandoq; cũ melle, quandoq; ſincero. Hic non ſimul coquit mel cum punicorum malorum ſucco, ſed poſtea quum paratum eſt, dupliciter pharmaco uti iubet, aliquando quidem ſincero, ad inflammationes uidelicet adſtrictionis indigas: aliquãdo uero cum melle, quum diſcuſſione indigent. Multitudinẽ autem ſucci congiũ eſſe iubet, hoc eſt ſextarios ſex Romanos Quũ enim Romæ medicatus ſit, ſemper eius urbis menſuris utitur. Inijcit autẽ in ipſum myrrhã, & crocomagma, & gallam, & iridem illyricam. (Ipſam enim Illyrida appellare ſolet.) Amplius autem ad hæc omphacium, omniũ quinq; numero, ſingulorum unciam I. octo enim drachmæ unciam efficiunt. Ex alumine uero ſciſſo unciam dimidiã. Scripſit porrò deinceps Andromachus etiam id quod ex muſto ſit ſtomaticum, ſic in hæc uerba.

Andromachi ſtomaticum ex muſto, quo utor.

GAllas XXX. Rhois coriarij ſextarios II. muſti ſextar. VI. Gallas confractas cum Rhoẽ per diem & noctem in muſto macerato, deinde coquito donec ex toto quarta pars ſuperſit, & per linteolũ colato, exprimito, & in olla ad mellis craſſitudinẽ ſpiſſato, deinde trita addito, aluminis ſciſſi drach. I. croci drach. I. myrrhæ drach. I. permixta repoſito atq; utitor. De muſto nihil manifeſti retulit ex quali uua ipſum ſumi uelit, Num ea quæ auſterũ uinum fundit, aut quæ dulce, aut medium. Nos igitur noſſe oportet quod pharmacũ ex dulci confectũ magis mitigatoriũ & moderatum erit, ac minus efficax. In quibus autem adſtrictione opus eſt, uti uehementiore, id quod ex acerbis uuis ſit uehementius quidem adſtringit, leniendi autem uim non habet. Palàm eſt autem ex medio uino paratum, etiam mediam facultatem habere.

Critonis ſtomaticum ex malis punicis.

CRito pharmacum ex ſucco punicorũ his uerbis deſcripſit. Stomaticũ ex punicis ad ulcera & aphthas oris. Succi punicorum dulciũ heminas VI. in æreo uaſe ad tertias coquito, deinde cinamomi drach. I. caſſiæ drach. I. myrrhæ drach. I. omphacij obol. III. croci obol. III. nardi Indicæ obol. III. terito, eiſq; mellis heminã I. ammiſceto, atq; ita adinfuſo ſucco ad lentum ignem moueto, ac donec ſpiſſetur coquito ac utitor. Scribit autem & aliam compoſitionem pharmaci

maci ex punicis huiusmodi. Malorum punicorum dulcium unà cum corticibus tusorum ac expressorum sextarios VI. mellis boni sextariū I. in ollam coniecta coquito ad spissitudinem mellis: deinde aluminis scissi unciam unam, myrrhæ unciam dimidiam, trita addito, ac mixtis utitor. Magis adstringens scripsit certe hoc pharmacum Crito quàm præcedens. Ridicule igitur quidam faciunt interrogantes utrum ipsorum altero melius sit. Alterutrū enim in proprio tempore altero melius est. atque hoc quidem posterius ad ea quæ uehementi adstrictione indigent, ad ea uero quæ discussione, prius. maxime quū & cinamomum iniecerit in ipsum discussorium medicamentum. Scripsit autem & ex musto medicamentum Crito, hoc modo.

Critonis stomaticum ex musto.

Stomaticum ex musto facit & ad aurium & sedis ulcera. Musti sextarios VI. ad sextarios II. decoquito, deinde Rhois coriarij drach. IIII. alij drach. II. misceto, & gallarū drach. IIII. alij uero gallas XXX. croci drach. II. alij drach. I. aluminis scissi drach. II. Quidam etiam myrrhæ drach. I. mellis sextarium I. mixtis utitor. Multa uero alia pharmaca ex prædictis succis à multis medicis scripta sunt iuxta commensurationem uariantia. quum aliqui quidem omnia prædicta cōijciant: quidam uero auferant, alius aliud, & alius plus, alius minus in quibus uelut dixi inspicere oportet quid redundet, an adstringens & repulsorium, aut lenitiuum & cōcoctorium, aut discussoriū. Ita enim rectissime ipsis utemur. Quare relinquam particulares eorum quæ scripserunt differentias. Transibo autem ad alia pharmaca citra hos succos præparata.

Stomatica pharmaca citra succos composita, ex aceto & gallis.

Stomaticum pharmacū scripsit tum Andromachus, tum Crito, eandem habens symmetriam. Sufficiet itaque descriptionem Andromachi referre, hoc modo habentem his uerbis. Stomaticum Aristoclis ad Synanchas, quas anginas Latini uocant, & reliquas in ore affectiones. Hac & Antipater usus est. Gallas numero XXX. aceti albi sesquicyathum, alij cyathos IX. myrrhæ drach. VIII. nardi Indicæ drachmā unam, Rhois culinarij sesquicyathum, alij cyathos IX. aluminis scissi drach. I. piperis grana XX. mellis Attici cyathos II. alij sesquicyathum. Coquuntur gallæ in aceto donec flaccescant, deinde tritæ melli miscentur tempore usus. Quidam etiam seminis mandragoræ unciā unam addūt. Hæc quidem Andromachus scripsit. Fortassis autem dubitauerit quispiam propter quid, quum scripsisset aceti sesquicyathū, mox adscripserit alij cyathos IX. multum enim mēsura altera alteram excedit. Quemadmodū etiam rursus quum ait, Rhois culinarij sesquicyathum, alij cyathos IX. Singulatim itaq utrunque expensum dubitationem affert. Si uero inter se complicentur, conuenienter scripta sunt. Si etenim cyath. IX. iniecerimus, inijciemus etiam Rhois culinarij eosdem IX. cyathos. Si uero aceti sesquicyathum, sufficiet etiam Rhois culinarij sesquicyathus. Quare in pharmaco plus aceti habente, diutior coctura facienda est, in minus habente breuior. Præstat autem diutius fieri cocturam, Ita enim gallæ molles reddentur. Conspicuum uero est, generosum esse hoc pharmacū ex contrarijs compositum. Gallę enim & acetum, & Rhus magis adstringentia sunt, & maxime repellunt: ualde autem discussorium est piper, sed mixtæ facultatis est nardus. Myrrha uero discussoriam habet uim, sed & lenem ac mitigatoriā unà cum hoc quod etiā concoquit. Discussoriæ facultatis est etiam mel, sed citra mordacitatem earum affectionum quæ in ore fiunt, quum in oculis mordax existat. Verū de aceti uiribus iam sæpe mentionem fecimus, quòd & secat, & discutit & repellit. Albū autem in descriptione addidit, ut uidelicet tenuiū partiū indicet,

Quidam uero tum aceti quinq; cyathos, tum Rhois eosdem iniiciunt, medium quodãmodo apprehendentes inter eos qui plurimum, & qui minimũ de utroq; coniiciunt. Manifestum igitur est eos medium quoq; pharmacum iuxta facultatem præparare, quemadmodum symmetria ipsa media existit.

Stomatica illitio ex besasa, hoc est, semine rutæ syluestris.

Celebre est & hoc pharmacum ab Andromacho hac uerborum serie descriptum. Sromaticũ ad anginas ex besasa, faciens ad desperata, quo utor. Seminis anisi, seminis apij, seminis ammij, floris iunci odorati rotũdi, aluminis scissi, iridis illyricæ, besasa quod aliqui harmala uocant, cinamomi, myrrhæ, troglodyticæ, aristolochiæ longæ, singulorũ unc. I. cassiæ, rosarũ siccarũ, utriusq; unc. I. crocomagmatis, unc. I. costi, cineris hirundinũ recentis, utriusq; quadrãtem, croci sesquiunciam, nardi indicæ, amomi, utriusq; unciæ dimidium, gallas VIII. tritis cum melle utere. Verũ usus rempore tandem mel adde. Hoc ipsum pharmacum etiam Heras scripsit, ur parũ absit quo minus penitus idem sit. Solas enim rosas uariauit, et nõ ipsas cõiicit, sed florem ipsorũ, et ad finem addit. Quidã etiã cassiæ fuluæ unc. I. De hirundinibus autem ambo obscure tradiderũt, quanq; alij clare scripserint, nisi quod inter ipsos non cõuenit. Alij enim nidum urere iubent ex stercoribus hirũdinum maxime cõpositum. Alij ipsas hirundines. Alij ipsarum pullos. Hi uero obscurius scripserunt, & Andromachus quidem, cineris hirundinum recentis, oportebat autẽ ipsum apponere ustarũ, Tale enim quiddã cineris uox significat, nisi nidũ ipsum terere ac leuigare iubet. Heras autẽ, hirundinum recrementi, non apponens ustarũ. Forte igitur neuter uult cõburi debere hirundinum recrementũ, quemadmodũ alij. In quibusdã tamen exemplaribus sic scriptum est. Hirundinũ tenerarum unciam I. quemadmodũ in alijs hirundinũ à trabibus. Palàm est autem acre & discussoriũ hoc pharmacum esse ex hirũdinum excrementis cõstans, Quemadmodũ etiam alia omnia omniũ animalium stercora, aliqua magis, aliqua minus. Velut etiam ipsorum animaliũ ustorum cinis. Dictum est etiã nobis de besasa in simpliciũ pharmacorũ tractatu, quod tertij sit ordinis calfacientiũ, & nunc sane ut eiusmodi ammixtum est etiam prædicto medicamento, quod plurima discussoriæ facultatis in se habet, Quemadmodũ aliqua ex alijs stomaticis adstringentis & repulsoriæ. Etenim iam relata pharmaca ualde discussoria sunt, & ad hæc amplius cinamomũ super omnia uim tenuium partium & discussoriã habens. Quin & semina anisi, apij, & ammij discussoria sunt, & iris & aristolochia ex discussorijs sunt, uelut etiam myrrha. Mixtæ autẽ facultatis ex discussoria & adstringente est cassia, & crocus, & nardus, & amomũ, & costus. Præcellit autẽ in ipsis calfactoria & discussoria, & maxime in costo. Mixtæ facultatis est & iunci rotundi odorati flos, sed utraque imbecilli tum adstringente, tum calfaciente. Gallæ uero, clarum est autem quod de omphacitidũ genere loquor, ex adstringentibus multum sunt pharmacis, uelut etiã alumen scissum. Rosæ autem rursum debilissimam habent adstringendi uim. Ex contrarijs igitur facultatibus particularium pharmacorum, hoc medicamentum propositum iam constat, & non solum contrarijs, sed etiam utrisq; fortibus, atque uelut dixi antea, multò fortioribus discussorijs quàm adstringentibus. Quando uero cõfectionem eius clare conscripserit Heras, uisum est ob id etiam illius uerba in commune proponere ac adscribere, quæ hoc modo habent.

Stomaticum ex besasa, Heræ.

STomaticũ faciẽs ad anginas, et inflãmatas tõsillas, aculcera facta in ore. Cõuenit etiã stomachicis & dysentericis summè, in frigida exhibita magnitudine fabæ. Est & Arteriaca bona, & dolorẽ sedat. Anisi unc. I. ammij unc. I. apij seminis

minis unc.I.costi sesquiunciam, floris iunci odorati unc.I.iridis illyricæ unc.I.alu minis scissi unc.I.gallas omphacitidas mediæ magnitudinis VIII. crocomagmatis unc.I.croci sesquiunciã, myrrhæ unciæ dimidiũ, floris rosarũ unc.II. aristolochiæ lõgæ unc.I. seminis besasa unc.I. cinamomi unc.I. spicæ nardi sesquiunciã, amomi racemi unciæ dimidiũ. Quidã etiã cassiæ fuluæ unc.I. cineris hirũdinum recrementi unc.I. Myrrham cum melle terito: reliqua uero omnia cõtusa & cribrata in mortariũ conijcito, & per pistillum myrrhã cum melle moderato cõmisceto, ut pharmacũ melle crassius reddatur. Vsus uero tempore melle dilutũ illine, atq; ex aqua gargarissandũ præbe, aut ex aqua mulsa uel succo ptisanæ. Cæterum pharmacum hoc in stanneo uase reponitur ac adseruatur.

Aliud stomaticum ex hirundinibus absq; Besasa, Asclepiadæ.

SCripsit etiam Asclepiades stomaticã illitionem his uerbis. Aliud stomaticum facit & ad Anginas. Hirundinũ syluestriũ ustarũ cineris drach.IIII.croci drach.I.nardi indicæ drach.I.melle excipe. Mixtura fit quũ iam sub manibus sunt affectiones. Hirundines porrò uruntur hoc modo. Pullos sale conspersos unà cum pennis in fictile conijcimus, obturatumq; prunis imponimus. Gratia habenda est Asclepiadæ ob id quod tam diligenter describit quomodo hirundinum pullos uri iubeat, & quod ipsa animalia, & non eorum recrementa, in pharmaci cõpositionem præparanda censeat. Scripsit uero etiam Andromachus stomaticum pharmacum ex hirundinibus, hoc modo.

Stomaticum ex hirundinibus ad anginas, ut Harpocras.

PVllorum hirundinũ ustorum numero XI.mellis cyathum I.alij cyath.II.habent, succi myrti uiridis cyathũ I.alij cyath.II.myrrhæ obol.III. Pullos urito omnibusq; mixtis ac tritis utitor. Clare etiam hic hoc loco pullos cõburi iubet. Hæc itaq; duo præscripta pharmaca ex hirũdinibus sunt absq; besasa. Alia autem duo stomatica hæc præcedentia ex hirundinibus unà cum besasa constãt. Est autem & tertia coniugatio pharmacorum eiusdem generis, in qua ea quæ ex besasa citra hirundines præparantur, continentur.

Alia stomaticæ illitiones Andromachi.

PRæstat autem opinor neq; alias relinquere oris illitiones, quæ sanè laudantur ab his qui de pharmacorũ experientia sunt curiosi, maxime quum multorum ex eis etiam ipsi experimentum fecerimus, partim quidem ex nostro usu, partim uero eorum qui nobiscũ sunt medicati. Incipiam autem ab his quæ Andromachus scripsit, ipsas compositurus iuxta illius uerba.

Ad Columellam laxatam.

MEllis lib.I.aluminis liquidi lib.I. florum rosarum libram dimidiã, succi hypocisthidis quadrantẽ. Alumen in melle coquito, deinde sicca inspergito atq; ita utitor. Coquito autẽ modice. Vere bonũ est hoc pharmacũ, eoq; tribus modis uti oportet, queãdmodũ uidistis me plurimis stomaticis pharmacis uti. Vnus utendi modus est & maxime in principio, ut dissoluatur per aquam calidam aut aquã mulsam ac gargarissetur, Nam & mitigatoriũ est hoc, & quod cõuenit efficit. Interea aũt dum eo sic utimur, etiam sincero pharmaco uti cõuenit, partim quidẽ cum digitis illinendo, partim uero per cochleare admouẽdo, unà cum hoc quod reprimamus & intrepide foras columellã ipsam ducamus. Confert enim quàm maxime ad linguã ipsam uergere, & à rectitudine secedere quã habet ut plurimum ad ipsius asperæ arteriæ extremum.

Aliud stomaticum eiusdem Andromachi ad omnia uitia oris.

CRocomagmatis drach.II. iridis drach.IIII. sandarachę drach. dimidiũ, hoc est obol.III.terebinthinę drach.II.lycij Indici drach.I.uuę passę drach.VIII.

aloes

aloes drach.I.omphacij drach.I.nucũ pinearũ tostarum drachi. VIII. succi glycyrhizæ drach.I. aluminis scissi drach.I. balaustij drach. I. floris rosarum drach. II. mellis heminas duas & dimidiam. In quibusdam exemplaribus sesquihemina habetur. Ipse quidem Andromachus sic scripsit, non ostendens quomodo mel miscere oporteat, Num crudum, aut coctũ, aut despumatum tantum. Ego uero despumatum miscendum esse censeo. Scripsit etiam alias stomaticas illitiones Andromachus omnes bonas, quare minime relinquẽdas putaui, ideoq; subscribam omnes deinceps, quemadmodum ipse præscripsit.

Stomaticum quo ipse se uti dicit. Floris rosarũ drach.II.nucũm pinearum drach.I.croci drach.I.Excipe melle. Aliud quo item se uti dicit. Iridis illyricæ drach. VIII. croci drach.VIII. alij IIII.florũ rosarum drach.IIII.Excipe melle.

Aliud. Misyos cyprij drach.VIII. iridis illyricæ drach.IIII. myrrhæ drach. VIII.croci drach.I.Excipe melle. Aliud odorum tenerum ad inflammationes & crustas cõmodum. Nucum pinearum drach.III.amyli drach.II.aluminis scissi drach.I.floris rosarum drach.I.croci obol.III.Excipe melle.Hæc ex ferula Cratippi esse ait. Aliud stomaticum Menecratis. Croci drach.IIII.balaustij drach.III.florum rosarum drach.I.alij dimidiam, fructus ericæ drachmam unam, malabathri drach.I.nardi indicæ drach.I.nucum pinearum numero XX. Excipe melle. Aliud quod ex libris Meliti esse ait. Rhois rubri drach.II. florum rosarũ drach.I.costi,croci,utriusq; obolos III.Excipe melle. Hanc etiam gargarissari cũ passo, aut aqua mulsa ait, neq; scio cur hoc hic adscripserit, quum omnia gargarissari possint. Aliud stomaticum quod etiam ipse laudat. Floris iunci rotundi odorati, myrrhæ, croci, cassiæ, aluminis scissi, illyridis, singulorum drach.IIII.nardi indicę drach.unam.Excipe melle cocto. Hic quidem igitur cocto adiecit.In prioribus uero semper simpliciter melle dixit, permittẽs nobis quomodocũq; præparare uelimus.Ego aũt uelut dixi melle despumato utor.

Aliæ illitiones stomaticæ, quas Asclepiades scripsit.

Illitio ad putredines oris Asclepiadæ Rhois rubri drach.IIII.acaciæ drach. unam, medullæ drach.IIII.uino pramnio dissoluta excipe melle cocto, & uterẽ ad illitionem. Haud scio quomodo reliquerit adscribere ad medullam, Num ceruinam, an uitulinam conijci uelit. Quando igitur nõ adscripsit, tutius est ceruinam adijcere. Forte enim esse uult medicamentum, fortior autem est medulla ceruina q̃ bubula. Alia. Succi hypocisthidis drach.II. balaustij drach.I. lycij drach.I.acacię drach.I.Excipe oliuę immaturę succo, & melle subactis utere.

Illitiones oris aptæ eis qui medicamentarias qualitates ægre admittunt.

Porrò de mulierculis quid attinet dicere, & maxime diuitibus, quæ præ delicijs stomatica medicamenta ægre admittũt? Iam uero etiam uiri quidã non solum præ delicijs, sed etiam natura quodã modo malum stomachum habentes, eiusmodi pharmaca non ferunt. Et sanè præterlabentia sæpenumero in stomachum, non solum iniucunda aliquo modo sunt, sed etiam nociua. Mansuetissima igitur ex ipsis crocum habent & myrrham, & alumen. Melius igitur est aliquas stomaticas compositiones absq; his factas habere. In moderatis itaque inflammationibus aut tonsillarum, aut uuæ, aut alterius alicuius partis, sufficiunt succi soli fructuum iam dictorum, uelut rubi & mororũ, punicorumq; malorum & cotonearum. Quin & succus nucum, ubi cum solo melle paratur, suauem gustum habet, item'que mustum ex acerbioribus uuis, ex quibus Aminæum uinum funditur, si in ipsum Rhus addatur: hoc enim uelut adscripsit optimum sit pharmacum coctum ut dictum est. Ad eas uero inflammationes quæ multa

adstrictione

adstrictione indigent, illitiones stomaticas huiusmodi paraui. Austerotũ puni-corum succum, aut austerorũ cotoneorũ, aut etiam utrorumque simul, iuxta prædictam proportionẽ cum melle miscui, atque sufficiens erat. At uero mororum succus debile pharmacũ est. Sed inter hũc & prædictos medius est iuxta adstringendi uim succus rubi mororũ. Fortis autem est nullo minus ex corticibus nucum, quanquam non sit etiam in gustu acerbus. Vnicuique uero ex his licet uuas acerbas expressas miscere, si quidẽ uehementius efficere uelis, eadem mensura: si uero non, omnino tamen dimidiũ succi ipsarũ addes. Vehementissimũ autẽ redde tur pharmacũ si punica integra tundas unà cum corticibus, indeque succũ exprimas, atque hoc magis si fuerint acerba. Amplius uero acerbissimũ ex his fiet, si ad punicorũ austerorum ita tusorũ succum, uuæ acerbæ succus superaddatur cum moderato melle. Præstantius adhuc erit, si tota cõtusa punica mala passo cocta excoles. Licebit etiam ex solis dulcibus punicis pharmacum præparare, ut debilius, ita suauius, & magis si ex solo succo citra cortices cõposueris. Ego uero sæpe tria punicorum genera permiscui, austera, acida & dulcia. Ne uero ualde exasperet, ammixto glycyrhizæ succo, optimũ pharmacũ efficies. Quin & ex fructibus factum per se solum optimũ est medicamentũ, tum his qui gargarissando colluere, tum qui illinire oris inflammationes uolunt. Est autẽ & hoc partim austerius, partim moderatius in adstringendo, dicetur que de cõpositione ipsius paulo pòst. Quando uero non solum repulsoriũ pharmacũ nos habere oportet, sed etiam discussoriũ si quid appareat induratũ, in hũc modum ipsum parabis. His quæ medias facultates habent ex prædictis, inijcies aliquid dum coquuntur, ex pulegio, aut thymo, aut origano, hyssopo, mintha, aut calamintha. deinde colabis, & habebis optimũ medicamentum. Si uero calidius efficere uelis, piper addes. Præparaui quandoque etiã sine pulegio, aut thymo, aut aliquo huiusmodi id quod ex succis constat, solo pipere in ipsum coniecto. Omnibus autem si glycyrhizæ succus addatur, melius pharmacũ efficietur. Quod si pro opulentis componas, etiam amomi quid miscebis. Quantitas autem huiusmodi rerum eadem tibi seruetur, cum his quæ crocum & alumen ac myrrham adsumunt, uelut præscriptum est: pro illis enim tibi hic amomum erit. Quin & mastichen chian quandoque inieci, post factam uidelicet colaturam, & postquam ea quæ in cocta sunt fuerint exempta.

De crustis in ore. Cap. II



IN calidis & humidis corporis locis, quale est os, cito putredo accedit, ex quacunque tandẽ causa fuerit exulceratũ. Confert ad hanc rem etiam, id quòd nihil penitus in ipso ex pharmacis incũbere queat, uelut in alijs ulceribus potest. Eluuntur enim omnia à saliua. Quapropter etiam fortissimis pharmacis sæpe ad ea uti cogimur. Fortissima autem sunt quæ crustam, escharan Græcis dictam, efficiunt ad modum cauteriorũ. In externis igitur ulceribus, ubi parti curãdæ crusta fuerit inducta, à fortibus pharmacis desistimus, ad ea quæ crustas tollunt transgredientes, quæ manifestũ est exterioriæ qualitatis ac facultatis esse. In his uero quæ in ore fiunt propter loci naturã, tutius mihi esse uidetur ammiscere ad exteriora pharmaca quædam fortia, quæ singulatim admota crustas infligunt. Ob hanc igitur causam melli uehementissima extergẽdi ui prædito, pharmaca ammiscemus ipsas crustas efficiẽtia, Quemadmodũ sane in sordidis ulceribus in cuticula obortis, diximus ammisceri oportere melli, quæ parũ extergent, thus, eruũ, iridem, aristolochiam, & quæcũque alia huiusmodi, eadẽ ratiocinatione contraria apponentes, uelut Hippocrates dixit: Vna enim eadẽque ratiocinatio in utrisque est, ut uidelicet exteriorũ pharmacum moderate

moderate habens ad affectionẽ adhibeatur. Habebis autem cõmoderatum pharmacum ipsum mel, in ulcerum quidem sorde, debilibus exterioribus permixtum. In quibus autem ob loci naturam, putredinis accessionem formidamus, ex fortioribus quippiam ad ipsum mel ammiscemus. Rationabiliter igitur ad oris ulcera arida medicamenta cũ melle cõmiserunt, per quæ crustas inducimus. Quędam igitur ex huiusmodi pharmacis prius recẽsui in eo loco, quo ad nomas oris medicamenta scripta sunt. Eadẽ enim etiam ad crustas cõuenire dixi, si mel ipsis addatur. Quin etiam nũc de ipsis scribã, omnia tametsi bis dici cuipiam uideantur. Quæ igitur ab Andromacho scripta sunt paulo antè, in memoriam saltem me reuocare oportet, ex eo loco in quo docuit quę pharmaca ad nomas oris cõueniant: apponam autem principia ipsorũ tantum. Vnum igitur pharmacũ sic conscripsit. Andromachi stomaticum odorum tenerum ad inflammationes & crustas cõmodum. Cõposuit autem ipsum ex nucibus pineis, amylo, & alumine scisso, flore rosarum, ac croco, melle ammixto. Alterum hoc modo scripsit. Illitio ad affectiones in ore, crustas, ac nomas, qua etiam ipse cũ melle utitur. Quin & omnia alia ab ipso ad nomas descripta, etiã ad crustas cõmoda sunt cũ melle.

Quæ Crito ad crustas conscripsit.

QVæ uero Crito ad crustas scripsit illius ipsius uerbis sic habet. Misy crudum euestigiò tollit. In alio exemplari cum melle tostum habetur. Ad oris uero crustas, aqua diluto ac modico utere. Sint autem misyos torrefacti drach. III. mellis boni cyathi sex. commisce ac utere. Similiter facit & chalcitis assata, cum melle, ut strigmenticia sit spissitudo.

Quæ Archigenes ad crustas scripsit.

ARchigenes autem de his sic tradidit. In crustis quæ Escharæ Græcis appellantur, priuatim cõmodum est stercus caninum cum melle illitũ. Aut atramentum sutorium purpurę marinæ tomento inuolutum urito, neq; agitato, deinde cum melle tritum illinito. Aut pice liquida cum pari melle, modica cedria ammixta utitor. Aut Rhoen coriariũ in aqua sufficienter, donec strigmentosus reddatur, macerato ac coquito, & melle ammixto utitor. Facit & Syriacus Rhus cum melle. Aut hirundinũ ustarum, & stercotis humani parem modum cum melle illine. Aut hepatis lupi aridi cochlearia duo trita bibẽda præbe. Horum pharmacorum maximam partem laudo, quod uero ex rhoe cõstat damno, quum adstringentis sit facultatis quæ nequaquam crustis conueniat. Verum de lupino hepate non habeo quod dicam. Ad hepaticas enim affectiones scio hoc pharmacum tum per se, tum pharmaco ex eupatorio mixtũ bibi. An uero etiam ad crustas in ore potum conueniat, iuxta aliquam totius substantiæ proprietatẽ, per solam experientiam iudicare oportet, de qua non est quod dicam ut qui hoc non sim usus in huiusmodi affectionibus. Caninum autem stercus ubi ossa comederint canes, per omnia optimum est, Nam & magnopere auxiliatur, neque ullam insuauitatẽ exhibet utenti. Humanũ uero tanquam abominandũ semper detestatus sum. Vsus est itaq; ipso quidã non prædicens, sed latere conatus. Accepit autem nõ uulgare, sed pueris dabat in cibo panẽ cum leguminibus quæ lupini uocantur, atq; ita resiccatũ habebat in promptu ad quæcunq; eo utiq; opus esset. Quin & Musa plurimum usus est primus adeò stercore canino, album semper adsumens. Scribit igitur in præsenti affectione similiter eodem canino stercore se usum, his adeò uerbis.

Musa ad Anginam.

AD Anginam stercus caninum album accipito ac resiccato, tritumq; cribro medico cribrato, & in promptu habeto. Vsus tempore melle diluito, atq; tunc ut

atq; tunc ut deuoretur illinito. Hæc quum scribat Musa, merito ei adstipulamur: hoc enim pharmaco fortius nullum nouimus, neq; in angina, neq; in magna tonsillarũ inflãmatione, aut his quibus ex glãdulis suffocationis periculũ imminet.

Ex Sorano. Experti sumus etiam Sorano scripta pharmaca probe facere, quæ his uerbis tradidit. Chalcitidis tostæ, mellis Attici, quod satis est, chalciti dem cum melle terito ad strigmenticiam crassitudinem, ac utitor. Aliud ad crustas faciens & humore prægnantia itemq; fœtentia. Misyos usti drach. VIII. iridis illyricę drach. IIII. croci drach. I. Hæc trita ac mixta in pyxide lignea reponito, & tum per se, tum cum melle utitor. Consequenter uero etiam hæc hoc modo prodidit. Aliud pharmacum Anthera ad prædicta faciens. Iridis illyricæ, sandarachæ, cyperi, singulorum drach. IIII. aluminis scissi, croci, crocomagmatis, singulorũ drach. II. his tritis ac mixtis utere. Quidam uero & florum rosarũ, & gallæ, utriusq; drach. II. adijciunt. Vtere autem ad putredines, & dispa ratas per abscessum ac cruentas gingiuas arido, Ad crustas cum melle.

Quæ Heraclides Tarentinus ad crustas in ore scripsit.

Heraclides Tarentinus in scriptis suis ad Antiochidem in hunc modũ scripsit, de putredinibus in ore. Facit quidem & Anthera admota. Si uero ualidior sit putrefactio, apposita est hæc compositio. Bdellij usti partes III. auripigmenti partem I. tritis mixtis utitor, & superne linamentum cõuulsum impone, rosaceo tinctum ac expressum. Quidam bdellij partes VIII. capiunt.

Aliud ad robustas putrefactiones oris, ac reliqui corporis. Chalcitidis partem I. calcis uiuæ tantundem, auripigmenti partem dimidiã, tritis mixtis utere.

Aliud ad putredines in ore & gingiuarum abscessus. Florum rosarũ drach. IIII. aluminis scissi drach. II. gallæ drah. II. myrrhæ drach. I. trita melli misceto ac utitor. Verũ ad ulcera leuiter crustosa, inijce aluminis drach. IIII. myrrhæ obol. III. gallarum drach. I. Aliud, Aceti acerrimi heminam unam accipito, in ipsumq; tantum salis donec non amplius liquetur conijcito, deinde donec siccetur coquito, & ex illo accipito, atq; aceti cyathum unum affundito, a core deti nendum exhibeto, per satis multum tempus, deinde iterum atq; iterũ idem facito ter aut quater per diem, respectu habito ad subiectas partes. In pueris uero lanas circũ specillum apponito, intingitoq; ac locum confricato, ea corporis figura ordinata ne ipsam deuoret. Quidam uero arido sale utuntur terentes ipsum cum aceto & resiccantes. Faciunt & alumen rotundũ ac fori, pari pondere. Oportet autem colluere lentium decoctum modico ammixto melle, aut rosarũ cremore cum melle. Quod si non exuperetur per hæc putrefactio, urere iube, munitis et cõtectis in orbem circũsitis locis, Sit autem candens ac pellucens cauteriũ, quod admoueatur donec nullus humor amplius defluat, & locus uideatur exuperatus. Postea colluenda prædicta, & Anthera compositione utendũ ex melle, usq; quo crustæ circũrumpantur, atque tum sane melle uteris.

Aliud odorum tenerũ ad inflammationes & crustas commodum. Nucum pinearum drach. III. amyli drach. II. aluminis scissi drach. I. florũ rosarũ drach. I. croci obol. III. Excipe melle. hoc medicamentũ ex Ferula Cratippi sumptũ dicit.

Ad columellam siue gurgulionem. Cap. III



Carnosa quedã particula in summo ore apparet depẽdens, si quis aper to plurimum ore toto, linguam deprimat. Hæc ipsa carũcula duobus nominibus appellatur à ueteribus Græcis, gargareon, & chion, hoc est gurgulio & columna. Cæterũ posteriores Medici fere omnes, non ita, sed cionidem, id est columellam uocãt. Nam qui staphylen, id est uuã, ipsam appellant, eorum neq; meminisse præstat, Nos enim non particulam ipsam, sed

unam aliquam eius affectionem, staphylen siue uuam nominamus. Raro autem hæc affectio circa columellam contingit, Verum ualde sæpe inflammatur. Et sane quemadmodũ in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu cõtingit morbus, Ita etiam hic prima auxilia reprimunt fluxum. Adstringentis igitur facultatis hæc esse oportet, & siquidem moderatus sit influxus, moderate adstringẽtis, quam austeram priuatim dicunt, Vbi uero uehementior fuerit influxus, acerbę, Ambæ enim adstringunt, sed debilius austera, uehementius autem acerba, Relatæ sunt autem sæpe ambarum materiæ. Verum præstat & nunc meminisse, quo in paruis inflãmationibus debiles, in magnis uehementes adhibeatis. Collutiones itaque moderate sunt ex palmulis, aut phœnicobalanis, aut quomodocunq; appellare uelis, decoctis quandoq; sola aqua, quandoque modico melle iniecto. Huic consimilis est collutio ex decocto rosarum, pampinorũ uitis, rubi, rubi canini, aspalathi, cyperi, ac cytinorũ, Item siliquarum, & radicum mori, hypocisthidis, malorum austerorũ, & pirorũ acerborũ, ac sorborũ. His fortiora sunt myrti ac baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, & uirgultorum tenerorum ilicis, arbuti, smilacis, ac phagi, & ipsarum glandium, mespilorum item & cornorum, & fructus memæcyli. Generosissimũ autem est decoctum gallarum, & Rhois culinarij ac coriarij, ac fructus miricæ, & spinæ Aegyptiæ. Ex his singula tum per se, tum etiã mixtim, cocta ex aqua gargarissare oportet. Mirũ enim quàm mixturæ ipsorũ utiliores sæpe fiunt ipso simplici usu. Quin & aridis tritis columellam contingere oportet, sensim quodammodo ad supernã regionem & externam, ad linguã uidelicet, ducendo. Verũ trita arida pharmaca cochleario excipiantur, & melius est ut ipsum cochlearium ad finem in obliquam sectionem desinat, quàm in rectam. Et ex his ipsis, Moderatæ quidẽ sunt rosæ, & flos ipsarũ, & uirgulta iam enumeratarũ plantarũ, hypocisthis, Rheon, lapis quo sutores muliebria calciamenta expoliunt, uocatur autẽ Ageratus, uelut non senescens, aloëq; & cyperus, & iunci rotundi odorati flos, radix nardi Indicæ, ac nostræ montanæ. Fortiora his sunt, & citra manifestam asprit ũdinem adstringũt, fructus spinæ Aegyptiæ, Rheon, & quod diphryges appellatur, Rhus obsoniorum siue culinarius, & ex acerbis, balaustium, cytini, malicorium, galla, & magis exacte quum omphacitis fuerit. Adstringũt etiam eximie omnia aluminis genera, Scissum uero inter ea tenuiorum partium est, & ob id utilius. Atramẽtum uero sutorium uehementem habet adstringendi uim, sed non expers est calfaciendi, & propterea putredinosis ulceribus conuenit, & tamen exacerbat columellam, etiam si iam sit in scirrhũ indurata. Succi porro adstringentes ex omnibus dictis plantis sunt, & fructibus ipsarum consimiliter. Dictum est de ipsis inter illitiones stomaticas, quarũ aliquæ ex musti, aliquæ ex mellis mixtura præparantur. Corrumpũtur enim succi omnino, si absq; melle reponantur, aut rursus resiccantur, si plurimum fuerint cocti. Quidam uero succi etiam si ad solem æstiuum siccentur ad moderatam spissitudinem, per tempus tamen exarescunt: & si ad plures annos durarint, in eam perueniũt ariditatem ut conteri queant in modum cytinorũ & balaustiorum. Tales sunt hypocisthidis succus, & uuę acerbæ, ac glycyrhizæ & centaurij. Et ut in summa dicã, Omnes succi etiã si absq; melle diutius fuerint cocti, non quidem corrũmpuntur, uerum tempore fiunt aridi, & quidam sane uelut dixi cõteri possunt, quidã uero natura uidelicet tenaces & uiscosi, in laminam magis abeunt, quàm ut conterantur. Atq; hæc quidem simplicia commoda existunt. Composita autem ex ipsis iuxta duplicem utilitatẽ fiunt, Vnam quidem ex his quæ eiusdem generis sunt, quando uehemẽti molle ammiscemus, carentes medio, uelut florem rosarum aut ipsas rosas cum galla aut alumine

mine permiſcentes, & unũquodq; ex prędictis lenibus pharmacis ad uehemens addentes. Non pauca enim numero iuxta huiuſmodi permutationẽ erunt. Imò & iuxta mixturã ipſam ex duobus factã, plura pharmaca fient, quum aliàs alia quantitate miſceantur. Velut ſi duplo ſit roſarum flos quantitate aluminis, aut uice uerſa, duplum alumen ad florem roſarum: poſsit autem non ſolum duplum, ſed & triplum, & quadruplum, alterum alteri miſceri. Neq; clam eſt etiam par pari, atq; hoc quidem mediũ fuerit inter ſumma ſiue extrema. Reliqua uero omnia partim propius mollioriaccedũt, quæ uidelicet plus roſarum habent, partim autem uehementiſſimo, quæ ſcilicet plus aluminis capiunt. In utriſq; uero non obſcurum eſt magis & minus, Quũ enim duo ſunt pharmaca, forte quidem eſt in quo alumen roſas excellit. Fortius autẽ eſt in quo triplum alumen ad roſas continetur, quàm pharmacũ quod duplũ ſaltem habet. Quod igitur ſemper me dicere audiuiſtis, etiam nunc dicã. Stulti ſunt qui inter duo eiuſdẽ generis pharmaca, utrũ ipſorum melius ſit quærunt, aut quod tandem omniũ optimum exiſtat. Perinde enim faciũt ac ſi quis quærat, præſtet'ne alicam aut ptiſanã ægris exhibere, aut Num uinũ, an acetũ mulſum, aut aliquod purgatoriũ medicamentum, aut Num melius ſit ueratrũ album an nigrum, aut ſi in uniuerſum quis de omnibus auxilijs interroget, quod ipſorũ optimum exiſtat. Omnia enim reſpectu ad aliquid, tum emolumentũ, tum detrimentũ in ſe habent, quod ipſum etiam Hippocrates dixit primus omniũ poſteriorũ quod equidem ſciam. Ex recẽtioribus autem medicis aliqui, quemadmodũ alia multa nugãtur, ſic etiam talia. Vidiſtis porrò ſæpe opere perfectã quam dico ueritatẽ. Intempeſtiue namq; aliqui pharmacis quæ habebant uſi, deinde quod exacerbari affectionẽ his uiderent, ad alia citra methodũ tranſgreſsi, & neq; his quicquã efficientes, ad tertiã deinceps trãſitionem, aliquando etiam quartã præter rationẽ delati, & affectũ iam malignum eſſe iudicãtes, me in conſiliũ adhibuerunt: quibus oſtendere mihi iuſsis pharmaca quæ habebant, id quod cõmodum eſſet ad præſentem conſtitutionẽ indicaui: atq; quum ipſi dicerent per pharmacum quod ego conſulebam, ægrum exacerbatum eſſe, & ob id ſe eo uti formidare, uerũ etiam ſic perſuaſos à me ad ipſius uſum cõpuli, & tum illis, tum uobis, utrunq; quod Herophilus dixit, uerum eſſe oſtendi. Siue enim dixeris pharmaca nihil eſſe ſola per ſe ipſa, rectè dices. Nihil enim ſunt, niſi utentẽ eis rectè fuerint adepta. Siue rurſus pharmaca ueluti Deorum manus eſſe dixeris, etiam hoc rectè dices. Iuuant enim maxime, ſi is qui eis utitur in rationali methodo fuerit exercitatus, & cum hoc natura prudens. Quidam enim nõ ſolum præſtantiores exiſtẽtes, de ſapientia cum prudẽtiſsimis contendunt. Mixtura itaq; medicamentorũ eiuſdẽ generis, mediorũ pharmacorũ uſus gratia fit, & ob id ſemper duo cõtraria facultatibus pharmaca in unoquoq; affectu uos habere operæpretiũ duco. Permiſcẽdo enim ipſa omnino multis medijs pharmacis abũdabitis. una igitur mixturæ eiuſdẽ generis pharmacorũ cauſa hæc eſt, iam uidelicet relata. Alia porrò mixtura ex diuerſi generis pharmacis, ex huiuſmodi ratiocinatione cœpit. Raro equidẽ inuenerit quis affectionẽ aut diſcuſſorijs tantũ, aut repulſorijs indigentẽ. Paruæ etenim, & affectionis nomine uix à medicis dignatæ, confeſtim ſedatur, Vbi uero generatus affectus maiorẽ habuerit cauſam, impoſsibile eſt ipſum per repulſoria perfectè ſanare, & maxime ubi ægri corpus fuerit humoribus multis refertũ, aut particula affecta natura debilis. Ob id igitur cogimur ſæpe quidem in principio, ſæpe uero paulo pòſt ammiſcere quippiã ex diſcuſſorijs. Si uero dolor affuerit ſimul uehemens, etiam ex mitigatorijs. Itaq; tunc opus eſt unicuiq; prædictorũ pharmacorum aliquid ex diſcuſſorijs addere. At uero quũ & hæc omnino multa ſint, à mollioribus au

p 2 ſpicandum

ſpicandum erit. Ab acribus enim inflammata exacerbantur. Atq; ea gratia compoſita medicamenta in uſum uenerũt, quum ad aliarum partium inflammationes tum gurgulionis. Veluti quum ad alumen iridem illyricam ammiſcemus, aut farinam eruinã, aut thus aut myrrham. Quũ enim adſtringentia ſint multa, & non pauca citra acrimoniam diſcutientia, uarietas pharmacorũ ad columellas inflammatas meritò multijuga facta eſt. Cæterũ tu perſpecta inflammationis magnitudine ac caliditate, & conſiderata influxus quãtitate, ampliusq; copiam humorũ in toto corpore per cõiecturam aſſequutus, pharmaco in quo aut adſtringẽtium, aut diſcutientiũ uis excellit uteris. Adſcribã aũt rurſus etiam hic pharmaca quæ ab expertiſſimis tradita ſunt, partim quidẽ cum proprijs diſcriminibus, non pauca uero etiam citra diſtinctiones, In quibus ſanè ego, uelut etiam in alijs quæ ſupra tradidi, propria diſcrimina apponam

Quæ Archigenes ſcripſit ad gurguliones inflammatos.

AD propoſitam affectionem ſic ſcripſit Archigenes in primo pharmacorũ. Vua laxata ſuccũ diſſolutũ admoue, aut gallam tritã cum ſale, aut ipſum ſal diſſolutum, aut lycij radicem tritam, aut omphacium cum melle. Si uero fortius uelis, Atramẽti ſutorij, ſquamæ æris, aluminis ſciſſi, miſyos, myrrhæ, gallæ, æquas partes tritas ac uino exceptas illine. Si ſola illa Archigenes tradidiſſet & ſic ceſſaſſet, haud iniuria ipſum reprehẽderim citra diſcrimen ſcribentẽ pharmaca facultatis penitus contrariæ. Verum quando in ſequentibus hanc ipſam tradẽdi negligentia corrigit, rectè facit. Quod uero indiſcriminatim hæc dicta ſint, hinc diſcere licet. Vua inquit, laxata ſuccũ diſſolutũ admoue. Oportebat equidem etiam hic apponere, qualem ſuccũ dicat, Verum quũ omnibus iam perſuaſum ſit cyrenaicum ſuccum optime facere ad columellam inflammatã, non appoſuit cyrenaicũ, & ob id ſanè quiſpiam ipſi ſuccẽſuerit. At uero quòd acerrimum & maxime calfactoriũ pharmacum, ipſum cyrenaicum ſuccum cum contrarijs ſcripſit, non apponens diſcrimen, neq; oſtendens quando ipſo ſucco uti conueniat, & quãdo aſtringentibus pharmacis, In hoc perperam fecit. Atramentũ ſutorium enim & ſquamã æris, & alumen ſciſſum, & miſy, & gallam, omnia æquis partibus in uino terere iubens, ampliusq; ad hæc myrrhã pari pondere addens, hoc modo compoſito pharmaco uuam illinit, quod fortiſſima adſtringẽdi facultate præditum eſt. Verum huius ſcripturæ indeterminatã incertitudinẽ mox mitigauit, præſcribendo uidelicet hæc uerba pharmaci cõpoſitioni, Si uero fortius uelis. Hoc enim ſcripſit tanquam ſcientibus nobis quando fortibus utẽdum ſit. Porrò mixtum pharmacũ eſt & hoc ubi ſcripſit, aut gallam tritam cum ſale, Galla enim uehementer adſtringit. Sal uero diſcutit cũ modica adſtrictione. In principio uero ſale non eſt priuatim utendum, ſicut neque ſucco, ſed in indurata iam & diuturna columellæ inflammatione. Ipſe autẽ nõ columella ſcripſit, ſed uua laxata, cum uulgo exiſtimans columellæ inflammationẽ uuã appellari. Et quid mirum hoc putandũ, quando etiam ex noſtratibus quidã ob Atticiſmũ ſupercilioſus & iactabũdus, uuam ipſam particulam appellari exiſtimauit. Maior enim huius quàm Archigenis ignorantia fuit, quanquã tum ex alijs ueteribus huius appellationis uſus parabilis ſit, tum ex Hippocrate cõſtet, ex his adeò in prænotionum libro, uerbis. Gurguliones cum periculo excinduntur, uruntur, ac reſecantur quãdiu rubri fuerint, & magni, Nam & inflãmatio ad hoc cõſequitur, & ſanguinis eruptio. Verum tales graciles reddere alijs artibus hoc tempore oportet. Hæc præfatus Hippocrates deinceps ait. Quũ uero totum fuerit ſeparatũ, quod ſanè uuam uocant, & extremum gurgulionis maius & liuidũ fuerit factum, ſuperior uero pars tenuior, in hoc ſanè tempore tutũ eſt manus admoliri. Præſtiterit

autem

autem aluo prius euacuata manũ adhibere,si tempus hoc permittat,& non suffocetur homo. Manifestius autẽ adhuc Diocles interpretatus est, qualis sit affectio uua appellata, & post eum Praxagoras & Mantias, & quicunq; concomitantia affectus conscripserũt. Quidã uero etiam ob id affectionem uuam appellatã esse dixerũt, quod uuæ fructui extremum gurgulionis simile apparet. Quæ porrò deinceps ab Archigene scripta sunt, rectè dicta sunt, discrimina nimirũ usus ipsorum eo adscribẽte. Habent autem sic. Cõmune pharmacum columellæ & tonsillarũ. In cõmune tum tonsillis, tum columella inflãmatis, aut exulceratis, in principio cõuenit, quies, inedia, & cõsequens diæta, gargarismi simplices leniter adstringẽtes. Posca dilutior tepida, aut aqua mulsa, aut palmularum, aut uitis pampinorũ, aut malorum cotoneorũ, aut mespilorum, aut pirastrorum, aut rosarum decoctũ, ita ut ad austerã decocta parum mellis ammisceatur. Paulo antè quum aqua mulsa per se uti iussit in principio inflammationum, non rectè fecit. Nihil enim adstringens habet aqua mulsa, sed rectissime quis ipsam extersoriam dixerit: & si simul discussoriam dicat, nihil deliquerit. Quæ uero deinceps ab eo scripta sunt, rectè habent in hunc modum. Facit & acaciæ succus aqua dilutus. Illinenda sunt etiam cõsimilia stomatica medicamenta, uelut est quod ex moris cõstat simplex. Rhois item syriacæ ac coriariæ cremore cocto ad spissitudinem, cum melle mixto utere. Aut punicorũ dulcium atq; acidorum succum ad mellis crassitudinem decoquito ac utitor. Aut uuæ acerbæ succum expressum adhibeto. Aut rubi, aut lentisci, aut terebinthi, aut myrti, aut rosarũ succo cũ melle utere. Et postea forinsecus alumen scissum cum dimidia aloes parte, ac modica acacia cum succo solani, imponere consulens, hæc uerba infert. Quod si moretur inflammatio, acetum tepidũ per se gargarisset, aut galla trita ammixta, aut rubi aut agrestis oleæ radice. Aut cyperi decoctũ cum melle. Aut passum cum aqua. Aut sycites uinum calidũ. Aut maluæ decoctũ. Manifestũ est enim hæc auxilia cõmunia esse, uelut prædictum est, tum columellæ, tum tonsillarum. Verum non rectè uidetur mihi passo cum aqua cõfidere, utpote imbecilli ad talia medicamento. quemadmodũ etiam uino sycitæ, & maluæ decocto, priusquam ad suppurationẽ perueniat affectus: oportebat autem hoc ipsum ab eo indicari. Connectit deinde Archigenes ad prędicta sic scribẽs. Illinito & ea quæ supra ad ulcuscula in naribus scripta sunt. Priuatim autẽ picem cum oleo aut melle. Aut crocomagma cum modica galla & melle. Aut alumen rotũdum cum flore rosarũ tritũ, aut rosas aridas, aut florem ipsarũ, trita insperge, aut tum tonsillis, tum uuę insuffla. Aut cyperi radicem, uel myrtũ, aut lentiscũ, uel rubum, aut gallam, aut salem tenuem similiter insperge. Aut omphacium uel lentiscũ cum melle illine. Aut florem rosarum uel crocum cum mali punici succo. Hic rursus adstringentia ad discussoria citra discrimen permiscuit. Nihil enim simile est inspergere salem tenuem, aut rosas siccas, uel florem ipsarum. Aut pice cum oleo uti, quod pharmacum est calfactoriũ ac discussorium, aut galla & alumine, quæ pharmaca sunt maxime adstringentia. Cæterum indurata iam inflammatione, rectè pix liquida adhibeatur, aut arida oleo liquefacta. Tunc uero etiam sal cõmodus fuerit, corpore uidelicet prius euacuato. Incipiente uero aut augescente & cũ multa caliditate uigente, maxime contrarium auxilium est pix cum oleo, eademq; ratione etiam sal. Consequenter autem rectè descripsit Archigenes ad uigentem affectionẽ auxilia. Indicat autem ex eo, augescens & nihil opis sentiens ex prescriptis malum. Habet sermo eius hoc modo. Si uero in uigorẽ peruenerit affectio, aut aluus subducatur, aut furfurũ loturã calidã gargarisset, aut ptisanæ succum, aut passum tepidum, aut radicis dulcis decoctũ cum passo & hyssopo, aut

ficus uino incoctas, aut ptisanæ succū in quo uuæ passæ sunt incoctæ. Magnopere iuuantur si amygdalinum oleum in aures infuderis, forinsecusq; spongijs expressis leniter foueris. Quin & omelysis ex cruda ordeacea farina imponēda, aut ex farina seminis lini aut fœni græci, aut etiam mixtura ex his omnibus facta. Si ita prope suppurationem fuerint tonsillæ, coadunare assidue per ficuum decoctum oportet, & tantum non indesinenter id ad gargarissandum exhibere, similiterq; aquam mulsam calidam. Si uero nihil tale apparuerit, augescat tamen malum, ita ut ægre transglutire possint ægri, & suffocationis principium sit nobis suspectum, aluus forti clysteri aut glande subducendus est, & uena cubiti secanda, cucurbitæq; cum scarificatione collo ac mento affigendæ. Fomentis etiam ac cataplasmatis frequentius & robustius utendum, & assiduis gargarismis. Quod si ad nullum horum præsidiorum cedat sed augeatur, uenæ sub lingua secētur, aut iuxta angulos oculorū, atq; ea quæ in fronte est. Illinatur autem assidue fel tauri, & elateriū cum melle, aut sal cum oleo ueteri melleq; & aceto. Aut cētaurea cum melle. Aut absinthium cum nitro & melle. Aut hirundines integras unà cum pennis ustas ac tritas cum melle illinito. Aiunt aliqui etiam summe facere hirundinum pullos teneros ualde siue recentes, siue inueteratos assatos, & in cibo exhibitos. Statim enim leuant suffocationem. Siue autem pueri sint, siue senes, sulphur & iridē cū melle delingēda dato. Quod hæ cōmunes medelæ sint utriusq;, uelut in principio dixit, uuę uidelicet & tonsillarū, manifestū fecit ex hisquæ cōsequenter infert, quum ait. Aliqui angina prehēsis, quos tum synanchicos tum cynāchicos Græci appellant, elaterij, & fellis tauri, utriusq; obolos II. cum aqua mulsa tepida bibēdos præbent. Quidā uero asellos sub aquarijs uasis nascētes in potu exhibēt, aut delingēdos dant, aut dolentibus & affectis partibus illinūt, & ualde se iuuari testātur. Quin & per uaporē intra os receptum hoc modo fomentum adhibetur. Origanum aut hyssopum, aut satureiam, cum sufficienti aceto diligenter in olla feruefacito obturata, Operculum autem circa medium habeat foramen. Deinde harundinem ad foramen operculi ac os ægri adaptato, ac fomentum admittito. Si uero os à feruore harundinis cōburatur, ouum uacuū utrinq; perforatum ægri in ore contineant, & per ipsum harundo inferatur. Mollius fit fomentum, si pro aceto aqua sumatur. Quidam nitrum, & origanum, & nasturtij semen, ac oleum in posca trita miscent, & similiter pro fomento adhibēt. Aut cinerem pullorum hirundinum implumiū illine, aut solani succum, & butyrum æquis partibus cum rosaceo cerato mento impone. Eis uero qui suffocantur, picem cum aqua & nitro in potu præbe. Hæc quidem Archigenes scripsit. Ego uero nunquā tentaui ulli alicui, ea quæ bibuntur pharmaca, in eiusmodi affectionibus exhibere, qualium sane tum ipse, tum alij quidam meminerunt. Itaque hoc quod ad finem sermonis præscripti habetur, his uerbis: Eis uero qui suffocātur, picem & nitrum cum aqua in potu præbe: non possum mihi persuadere qua ratione sit dictum. Imò neq; ex præceptoribus aliquem, neq; alium ullum eo utentem uidi, neque etiam ipse in usum assumere tentaui. At uero uenam secare eis qui suffocātur, & eluere forti atq; acri clysteri, & purgatoria exhibere, gratia euacuandi uniuersum corpus, & transferendi infra humorum momentū qui ad affectas partes feruntur, rationabile est, & multa experientia iudicatum ac cognitum. Similiter etiam post totius corporis euacuationem, & diuersionem ad inferna partes, pharmacis acribus multum discussorijs uti, rationi cōsentaneum est, & experientiam testem habet. Picem uero cum aqua & nitro in potu præbere, abstinui, utpote quum neque alium utentem uiderim, neque rationem ad hunc usum ducem habeam.

Quæ

Quæ Apollonius in primo parabilium prodidit.

APollonius in primo parabilium sic ad uerbũ scripsit. Ad inflammatam columellam illitiones. Sale trito & melle illinens reprimes columellam. Picem illinens per digitum apprimito. Succum cyrenaicum aqua diluito, & columellæ adhibeto. Chalcitide tritã similiter admoueto, omphacio trito cum melle utitor. Hæc Apollonius. Licet autem nobis uidere in his quæ absq; discrimine scripta sunt, quod si quis non uniuscuiusq; indefinite scripti facultates nouerit, quo in oportuno tempore eis utatur, maximum omnino nocumentum inferet. Scriptum est itaq; hic primum omnium, Sale trito & melle utendũ esse. Postremũ autem, omphacio cum melle. Cõtraria autem facultas est omphacij ad salem. Quare si quis in principio sale utat̃, maxime si humores in corpore ex æquo abundent, aut etiam circa caput hæreant, extreme ægrum lædet. Omphaciũ uero in principio commodissimum est, non trahens, neq; euellens ad se ex alto, uelut sal cum melle, sed repellens. Sales autem cum melle discussoriam uim habẽt, modica adstrictoria ui sali cõmixta, quæ sane per ammixtionem mellis penitus euertitur. Cæterũ id quod ex pice constat, inueteratis inflammationibus, & iam in scirrhum, ut ita dicam, induratis conuenit. Quemadmodum etiam cyrenaicus succus non incipientibus, sed ubi iam quod influit per adstringentia repressum est, prodest. Chalcitis uero in totum inepta est, preterquàm si ualde inueterata & ægre curabilis sit affectio. Est enim medicamentum mordax si cruda adhibeatur, quapropter ut uim ipsius deleamus, usta frequentius utimur. Deinceps Apollonius hæc ad uerbũ scripsit. Gargarismi ad pendulam columellam, Origanum tritam, aceto & aqua affusis, feruefacito, & cum caricarum succo misceto, ac utitor ad gargarissandum. Aut hyssopum terito, & caricarum coctarum succo misceto, ac utitor uelut origano. Mentam ac rutam & coriandrũ lacte asinino trita gargarissanda præbe. Apium & lauri folia trita, & uino aut lentis decocto diluta gargarissato. Noui quendam qui omnibus ab Apollonio scriptis indiscriminatim utitur, in principio inflammationis gurgulionis uno ex his usum esse, & ægrum extreme læsisse: præter alia enim neq; sciebat quid pendula columella esset, quum uelit Apollonius ualde laxatam absque inflammatione, gurgulionis affectionem ostendere, quam etiam resecare consueuimus, atque in hac re uera pituitam detrahentia & calfacientia pharmaca commoda existunt. Nam in totum subalbida fit & exanguior. Deinde Apollonius hæc subdit. Lotium asini plurimum & calidissimum bibendum præbe. Idem etiam in angina. Miror equidẽ eiusmodi auxilia tradẽtes: certe enim scio omnes homines, paucis omninò exceptis, citius mori uelle, quàm urinam asini bibere. Verum hic etiam plurimam addidit, & alias uel ut etiam ante dixi, absurdissimum est curantẽ oris inflammationem, pharmacum potabile exhibere, nisi si ex purgantium numero exista t. hæc enim alterius usus gratia dantur. Ex alijs sufficiunt quæ citra transglutitionem auxiliari possunt. Quin & quod postea scriptum est similem habet absurditatem, quod itidem bibere iubet. Scribit itaq; sic de ipso. Lauri folia trita ex uino & aqua bibenda præbeto.

Quæ ab Hera tradita sunt.

HEras igitur multò melius quàm Apollonius scripsit hoc modo. Ad columellam laxatam. Gallæ omphacitidis partem. I. salis ammoniaci partem. I. Vtrũq; per se ac simul terito, & expleto inde cochleario uuam cõtingito. Lapidem Ageratũ appellatũ, quo sutores ad muliebria calciamenta expolienda utuntur, deradito, indeq; cochliariũ expletũ uuæ adhibeto. Ex his duobus pharmacis, alterum posterius omni molestia caret, neq; nocere potens, neq; magnopere

iuuare, quocunque tandem tempore quis eo utatur. Fortius est prius. In principio itaque & quum ualde rubent, minime aptum est. Si uero præeuacuato toto corpore, & post repulsoriorũ pharmacorũ usum, adhibeatur, ubi non ualde rubens sit gurgulio, iuuare potest. Ex cõtrarijs enim fortibus cõponitur facultatibus repulsoria & discussoria. Quare non rectè fecit Heras indiscriminatim ipsa tradendo.

Quæ Heraclides Tarentinus tradiderit.

TArentinus porrò Heraclides in libris ad Antiochidem, ad inflammatas columellas sic scripsit. Omphaciũ siccũ terito, & ammixto sufficienti melle adhibeto. Aut gallam tritam cum melle, aut alumen scissum eodẽ modo. Aut succũ cyrenaicũ cum melle. Aut Melanteriã qua sutores utuntur. Aut Andronium pastillum, quẽ in uulnerarijs medicamentis referã, cũ uino. Oportet autem post hæc lentiũ decoctũ gargarissare. Rectè ad finem hoc adscripsit. Vehemẽtia enim sunt omnia præscripta ab ipso pharmaca, acerba qualitate prædita, & ob id exasperanti, Itaque asperitudinem ab ipsis inductam mitigare uult per lentium decoctũ. In moderata inflãmatione non est necesse his uti, quemadmodũ neque ubi columellæ ualde rubræ fuerint, & calidã inflãmationẽ habent. Imò neque in declinatione earũ: tũc enim discussoriorũ medicamentorũ uim prædominari oportet.

Ab Asclepiade prodita.

ASclepiades ad easdem sic scripsit. Siccũ ad laxatas columellas. Anethum unà cum semine & radicibus quod satis est accipe, & in uas fictile coniectum, cuius os sit subobturatũ, & ipsum uas luto oblitũ, in furnũ donec uas igne scat mitte, deinde ex furno extractum anethum ustum tere, & sublatum repone. Vsu uero expetẽte anethi ustĩ partes II. accipe, & iridis illyricæ in tenuissimũ puluilum redactæ partem I. ammisce, ac per harundinẽ insuffla. Aliud, Rosarũ siccarum sextariũ I. nardi celticæ unà cum radicibus & adhærente terra fasciculum unum, nidi hirundinum syluestriũ aridi drach. III. myrrhæ drach. VIII. gallas omphacitidas numero XV. contusa & trita insuffla, & cũ digitis adhibe. Ex his duobus pharmacis prius penitus nihil ex repulsorijs habet, sed est totũ discussorium. Alterũ uero ex contrarijs mixtum est facultatibus: multam enim discussoriam uim habet syluestrium hirundinũ nidus, adstringẽtem autem gallæ, Mediæ uero potentiæ est myrrha, & mixtæ nardus celtica, Ita ut tum discussoria, tum adstrictoria facultas, ambæ in eo sint moderatæ. Cæterum per harundinem eiusmodi pharmaca insufflari, ualde improbo. Defertur enim ex ipsis multũ, tum in gulæ summum, tum in ipsam gulam. Præstat itaque cochleario indita apprimere, quemadmodũ ego uti soleo, ut uidistis. Quin & tertium pharmacũ Asclepiades post prædicta duo cõscripsit his uerbis. Siccũ ad laxatã columellã & tumẽtem Neapolitæ. Piperis albi drach. I. myrrhæ drach. I. aluminis scissi drach. II. gallæ omphacitidis drach. II. trita admoue. Hoc pharmacum à principio usque ad finem utile esse poterit, præterquam in uehementer rubentibus. In his enim uitare oportet acrium ac mordacium ualde mixturam, quale hoc loco piper existit. Aliud deinceps eiusdem facultatis scripsit ad tumentes columellas ex his compositum. Lapidis agerati drach. IIII. floris lapidis Asij drach. IIII. terræ samiæ drach. IIII. aluminis scissi drach. II. croci torrefacti drachmas II. gallarum omphacitidum drachmas II. tritis utere. Hoc & nos usi sumus sæpe ut optimo, & quod omni tempore iuuare possit, præterquã uelut in præcedenti dixi, statim in principio, & quum ruber & calidus fuerit inflammationis tumor. In inueteratis autem iam, & corpore euacuato, post unum usum statim magnam commoditatem exhibet. Sunt enim uehementer adstringentia, ac discutientia, & ea quæ mediæ materiæ sunt, in ipso temperate mixta.

Critonis pharmacum hoc modo scriptum ad columellas.

HOc pharmacum ad ipsam temporis oportunitatem apparato. Ossium palmularum, nucum tenerarum immaturarum siccarum, utrorumq; drach. IIII. urito ac in puluillũ terito. Vtere arido admoto. Et in hoc pharmaco ossiũ palmularum uis satis discussoria est. Nam & in alijs affectionibus, eorum experientiam habemus, quod eiusmodi uiribus sint prædita. Nucum uero tenerarum siccarum cinis, discussoriam uim habet unà cum adstringente.

Sorani ad columellas.

QVin & Soranus pharmacũ indiscriminatim scripsit, nõ apponens in quibus priuatim faciat. Habent autẽ uerba eius hoc modo. Radicẽ dulcẽ cõtundito, & mel & dulcẽ aquam pari mẽsura affundito, deinde coquito, & succũ gargarissandũ præbeto. Peccauit in hoc quod nõ adscripsit, maxime mitigatorium hoc pharmacũ esse, quod in uigore inflammationum magnopere auxiliari potest. Huius usus cõmodus etiam est, ubi ex acerbis pharmacis immoderatius quis irritarit & exasperarit columellã inflãmatã. Hãc enim lenit hoc pharmacũ.

De pharmacis ad ulcera oris aphthas appellatas. Cap. IIII



VLcerationes in superficie oris obortas aphthas appellãt, habẽtes quippiam igneæ caliditatis: fiunt autẽ ut plurimũ pueris lactẽtibus, quum aut uitiosum fuerit lac nutricis, aut nõ probe ipsum cõcoxerit infans. Curantur facile utpote quæ ex moderate adstringentibus sedantur. Quandoq; tamen diuturnæ fiũt ac ægre solubiles, & progressu tẽporis putredinosum quid acquirunt, quod à Medicis Nome appellatur. Scripta itaq; sunt & ad ipsas medicamenta moderata quidẽ ad eas quæ nihil maligni habent. Fortia uero ad eas quæ iam quid putredinosum & serpendo depascens habent. Mentionẽ faciã eorũ quæ recentiores coaceruarunt, Nam ex his quæ ueteres conscripserũt, optima cum magna experientia ipsi elegerũt, & quædã eorũ quæ postea inuẽta sunt apposuerũt. Inuenias aũt post ueteres, etiã Mantiæ & Heraclide Tarentini plurima pharmaca scripta. Similiter & Menecrates librũ optimorũ pharmacorũ inscripsit, ex quibus plurima ipse inuenit. Quemadmodũ & cappadox Heras. Andromachus aũt duos, & tertiũ in quo oculorũ pharmaca cõtinentur. Plures aũt libros cõposuerunt Antonius Musa, & post eum Asclepiadẽ duo, & post hos Crito. Verũ hi quidẽ tres post Andromachũ nati sunt, Heras autẽ ante Andromachũ, & ante ipsum etiam Musa ac Menecrates. Longo uero tempore etiam hos præcessit Heraclides, & præceptor eius Mantias. Verum Mantias ue lut ab initio Herophili sectator fuit, ita etiã per omnia mansit. Heraclides autem medicorũ empiricorũ sectam elegit, optimus medicus tum circa alias artis partes factus, tum plurimorũ pharmacorũ expertus. Quũ itaq; aphthę, de his enim sermo institutus est, malignæ euadunt, fortioribus medicamentis egent, qualia etiam alias in tonsillis ac ore affectiones sanant. Prædicto igitur scopo compositionis eorum, nihil amplius opus habeo de his dicere, sed ad narrationem progrediar præcognitorũ, initio sumpto ab his quæ Andromachus scripsit, quemadmodum consueui ad uerbum ipsa transcribere.

Quæ Andromachus scripsit ad aphthas.

NOn solũ Andromachus, sed & alij multi duo pharmacorũ genera ad aphthas conscripserunt. Ad eas quidem quæ nihil maligni habent, moderata uiribus pharmaca cõponentes. Ad malignas uero fortiora: adscribunt autem in his ipsi aliquando, quod ad aphthas & ulcera hoc pharmacum conuenit, aliquando quòd aphthas putredinosas, Quum uero simpliciter ad aphthas adscripserint, simplices indicant & nihil maligni habentes. Andromachus igitur ad malignas

ad malignas aphthas sic scripsit. Ad aphthas in ore & ulcera. Aluminis scissi usti drachmas, II. fructus ericæ drach. I. oleo excipito, & per digitum locis apprimito. Aliud, Aeruginis drach. II. aluminis scissi partes II. gallæ in puluillum redactæ partem unam, terito & per linteolum cõcernito, deinde digitũ oleo madefacito, succumq; excipito, & tonsillis extergẽdis apprimito, item palato, & uuæ. Dissparat pelliculas, & tollit asperitates circa ipsum os, callos excoriat, & ulcera ad cicatricem perducit. Cæterum ad aphthas in superficie hærẽtes sic scripsit. Ad aphthas lycium Indicum uino tritũ circũlitum facit, & ericæ fructus tritus, aut rosæ siccæ cum melle. Hæc præfatus infert. Si uero nigræ sint & malignæ, Vuæ passæ puræ partes III. anisi tantundẽ, trita cum melle illine, deinde collue.

Quæ Crito ad aphthas scripsit.

CRito uero sic ad aphthas scripsit. Portulacam in melle tinctam mãducet, aut oleæ folijs in uino coctis os colluat, aut foliorũ myrti albæ decocto ex uino, aut æruginis uermiculatæ obolos III. in uini heminæ parte quarta tritos colluat. Quin & galla in aceto teratur, ac illinatur. Faciunt & amygdalæ amaræ cum melle. Nigrefactas autem aphthas, uua passa exacinata & aniso tritis cum melle illine. Tarẽtinus autem Heraclides, ubi exterseris ait farina erui cum melle, gallam cum melle adhibe. Conuenit & Rhus obsoniorum cum mentæ ramulis. Sit autem Rhois copia quantum tribus digitis prehendi potest, mentæ uero ramuli tres, & rosarũ folia septem, & nuces pineæ septem. His omnibus cum melle tritis utitor, aut lycio ex aqua. Conuenit & fex uini dulcis illita cum melle. Aut alumen, & malicorium punici dulcis, æquis portionibus terito, & adipe anserino mixta illinito, atq; aquam calidam frequentius colluendam præbeto, ampliusq; adipem anserinum admoueto. Aliud Musæ. Fructus myricæ drach. VI. aluminis scissi drach. II. oleo excepta admoue. Aliud maxime in pueris. Rhoẽn rubrũ tritum melle mixtum illine, aut adipem suillum & mel liquefacta. Præbeto eis etiam gargarissandum lac asininum. Quod si multa saliua feratur, gallam & solanum aceto diluta gargarissare facito, aut uiolas albas siccas cum melle tritas illinito. Hæc quũ scripserit Crito, meritò quis eis succenseat, uelut etiã alios semper reprehẽdo, qui ex ordine indiscriminatim auxilia recensent, non apponẽtes an incipiente affectione, aut progrediente, aut decedente, aut uigente, aut decrescente, cõueniant, & Num parua existente affectione & mansueta, aut adeò maligna ut iam putredinosum quid habeat. Ex his enim quæ scripsit aliqua simplicissima sunt in pueris maxime cõuenientia nullam affectionem habentibus. Velut quum adipem suillum & mel liquefacta assumit, & multò magis quum asininum lac colluere præcipit. Simplicissimum pharmacum est & portulaca melle tincta & manducata, & collutio ex folijs oleæ, similiterq; ex myrto alba. Fortissimum uero quod ex ærugine & uino constat, quemadmodũ etiam galla acri aceto trita ac illita. Valde enim forte hoc pharmacum, uelut etiã id quod ex ærugine cõstat. Verũ in illo paucissima est ærugo, (obolos enim tres dixit in uini quarta heminæ parte terẽdos esse ac colluendos) debilisq; fit, copia mixturæ uini exoluta, Galla uero aceto acri trita ut crassa fiat, & illitioni apta, ualde uehemens est pharmacum, Quemadmodũ etiam quod ex aluminе & malicorio punici dulcis componitur, quod nisi ad adipem anserinum ammixtum esset, ad putrefactiones fortes congruens esset. Forte est & quod ex myricæ fructu ac alumine constat, sed non adeò uelut id quod ex galla & aceto. Semel porrò tantum rectè fecit apponendo in uerborum serie sic. Quod si multa saliua feratur, gallam & solanum aceto diluta gargarissare facito. Multam enim saliuam ferri, maiorem affectionem esse significat. Præstabilius autem fuisset statim

tim dixisse. Quod si pascendo proserpat affectio, aut ulcera profunda fiant, aut eiusmodi quippiam adscripsisse.

De his quæ Asclepiades ad aphthas scripsit.

Recte igitur fecit Asclepiades, tametsi non multa pharmaca ad aphthas conscripsit. Veruntamen in duobus quæ in principio tradidit sic. Ad aphthas citra nomen serpendo depascentẽ. Deinde pòst duo rursus adscribens. Ad aphthas depascentes. Lenia enim sunt duo pharmaca, alterũ quidẽ prius in quo ait, Medullam bubulam melle mixtã ac tepefactã illinito. Maxime uero pueris infantibus est commodum. Alterum uero est, Adipe suillo melli ammixto utitor. Cæterum ad depascentes aphthas, gallarũ decocti cyath.I. ac mellis tantundem miscere iubet, & feruefacto uti. Verũ ego tum hoc pharmacũ, tum alia tria post ipsum tradita, paulo ante in pharmacis ad nomas præscripsi: neque enim referre puto, siue ex aphtha, siue ex alio quopiam transitio ad nomen contingat.

Quæ ab Apollonio ad aphthas scripta sunt.

Apollonius autem Herophili sectator in primo parabilium pharmacorum sic scripsit ad uerbum. Ad aphthas albas. Chalcitidem oleo tritã penna illinito. hoc euestigio sedat. Postquam uero pura facta fuerit, Myricæ fructum tritum, & aqua mulsa aut uino dilutũ illinito, maxime infantibus. Deinceps autem aliud scribit, & maxime ad nigras aphthas. Vuam passam exacinatã & anisum trita cum melle illinito. Et rursus aliud, Atramento sutorio trito cũ melle utitor. Videtur sanè in malignis, eiusmodi pharmacis iubere uti. Adscripsit itaque ad primum, Ad aphthas albas. Ad secundum, Ad nigras. ostendens per id colorem præter naturam, & magnitudinem affectionis. Cõsequenter adscribit & collutiones ad aphthas, hac uerborum serie. Vino nigro austero & subadstringente colluito. Oleæ folijs in uino coctis colluito. Myrti albæ foliorum decocto cum uino similiter utere. Hæ collutiones citra discrimen scriptæ nullum detrimentum inferũt. Nam & in moderatis, & in maioribus, & in maximis affectionibus conueniunt. Recte uero deinceps aliud ualde efficax scripsit. Aeruginis uermiculatæ obolos III. in uini quarta heminæ parte gargarissandos præbe. Deinde etiam uinũ colluendũ præbe. Hoc enim in fortioribus conuenit, quemadmodum etiam quod consequenter sic scriptum est. Muriam oliuarum & acetum pari mẽsura mixta colluenda dato, indeq; uino colluito, postea etiam aqua mulsa, & deinde aqua. In omnibus autem oleum colluendum præbe. Post hæc, duo pharmaca scribit diuersis formis ac speciebus aphtharum congrua. Hyssopum enim tritum ad calidas & erosas affectiones, itemq; puras maxime contrarium est: congruit autem sordidis & inflammatis aphthis. Omphaciũ uero cum uino aptũ est pueris & mordacitatem sentientibus ac erosis. Iubet autẽ omphacium cum uino tritum collui, hyssopũ uero cum uino aut aqua mulsa. Validum ualde est quod ab his sequitur pharmacũ, ut iam pascendo proserpentibus aphthis cõueniat, quod ipsum componit, myricæ fructum coquens cum aceto. Validum est & quod deinceps ab eo scriptum est, in quo ait, Gallam tritam in acri aceto colluendam præbe. Hoc uero quod postea sequitur, in quo ait, succo silphij diluto similiter utitor, & postea oleum coluẽdum dato: etiam ipsum acre & mordax est ac discussorium non adstringens. Non recte itaque adstringentia & acerba ac repulsoria, discussorijs ammixta sunt ac acribus, atq; hoc nullo discrimine adiecto. Quod uero sequitur ex aceto apparatũ generosum est: quòd autẽ nõ apposuit ad acetũ, acre, in hoc deliquit, & quod per semen lini moderaratius reddi tacuit, adiecit autẽ ipsi etiã loliũ, pharmacũ multũ discussoriũ, atq; propterea ipsum ad linguæ tumores cõuenire ait. Verũ adscribã omnẽ ipsius dictionẽ.

Semen

Semen lini, ac lolium, æquis partibus aceto trita colluito. Hoc itidem ad linguæ tumores facit. Longe lenius his omnibus pharmacũ deinceps scripsit hoc modo, Folia pruni cõtusa ac lacte permixta colluito. Quum enim adiecerit sermoni, colluito, manifestum est quod multo lacti pauca folia ammiscet. Nam si folia cum lacte trita pro pharmaco inunctili esse iussisset, palàm utiq; esset, quod multa folia, paucũ uero lac esse iussisset. Deinceps porrò etiam quæ mansa aphthis iuuent annectit. Mandendæ sunt oliuæ muria conditæ. Manifestum est lenissimum hoc pharmacum esse. Et rursus. Portulaca melle tincta manducetur. Et hoc similiter mite est. Differunt hæc duo inter se in eo, quod oliuæ muria conditæ & adstringunt, & discutiunt: plurimã uero in se adstringendi uim habẽt. Portulaca uero cũ melle imbecillius est pharmacũ. Consequenter probe fecit quum ait, In pueris cõuenire quæ dicturus est medicamenta. Scribit uero de eis in hæc uerba. Vbi puer aphthas habeat, Similaginẽ & medullam bubulã, ac farinã, cocta in cibo exhibeto. Si uero sugere nequeat, lienem bubulum in uino coctũ, ac tritum cum melle, in cibo dato. Hoc pharmacũ superuacaneũ est, & plus æquo curiosum. Deinceps recte scripsit. Abstinendũ circa diætam, ab acribus, & salsis, & acidis tum eduliis, tum potibus. Deinde haud scio quo modo, in hanc sententiam scribit. Atramentũ sutorium tritum cum melle illinito. Hoc enim medicamentum superius scribere oportuit cum aliis fortibus pharmacis.

Quæ Archigenes scripsit ad aphthas.

QVædã ex his quæ Archigenes ad aphthas scripsit, eadẽ sunt cum præscriptis, Verum uisum est mihi ex ordine omnem ipsius sermonem adscribere, ita ut nihil ex eo relinquam. Scribit igitur sic. Ad aphthas collutiones faciũt, Foliorum oleæ decoctum, aut foliorum myrti albæ eodem modo. Aqua oliuæ colymbadis appellatæ, hoc est muriæ innatãtis. Facit & amurca, & marrubii succus, aut lentis decoctũ, seu rubi, aut cypri. Aut æruginis uermiculatæ obol. III. in uini cnidii quarta heminę parte dissolutas colluat. Illitiones autẽ faciunt pleraq; ex descriptis stomaticis medicamentis: priuatim autem cõgruunt hæc. Aluminis scissi, florum rosarũ, æquales partes, fructus myricæ duplum, utere siccis. Aut thus & glycyrhiza succum æquis portionibus, gallæ, myrrhę, anisi, singulorum parum quid, cum uino protropo illine. Aliud, Mannã & salem pari pondere sicca, per pennã adhibeto. Aliud, Fecem uini dulcis cum melle illinito. Aliud, Misy & alumen & Rhoẽm cũ melle, aut chalcitidẽ cum oleo, per pennam illinito: uehemẽter bonum est. Aut oleæ folia cum oleo illinito. Postquam uero repurgatæ fuerint, myricæ fructum cum aqua mulsa aut uino illine. Aut ubi cum erui farina & melle exterseris, gallam cum melle adhibe. Aut myricæ semen & aluminis tertiã partem cum oleo illine. Hoc etiam ad nomas facit. Aut adipem suillum aut anserinum manna inspersa illinito. Aut gallam tritam cum oleo. Aut liquidum alumen dilutum. Aut cypri folia manducent. Aut lycii radicem aridam adhibe. Aut oleæ germina trita ex melle. Aut gallam cũ sale. Si uero extendatur affectio, & serpendo putredinose depascat: collutionibus quidem & gargarismis utẽdum est ad aphthas descriptas fortioribus: priuatim autem muria frequẽtius colluenda est. Aut herbam sacram aqua aut uino incoctam colluendam aut gargarissandam dato. Illitionibus etiam ad aphthas descriptis fortioribus utatur: priuatim uero cornu cerui tritum affrica. Aut atramentum sutorium tostum tritum cum melle. Aut æruginem æris siue squamam cum melle. Summe facit ad nomas, fœniculi radicis ustę cinis. Hæc ad aphthas Archigenes in primo de pharmacis scripsit, quę parũ abest ut omnia etiã aliis sint scripta. Quid igitur operæpretiũ duxi eadem bis scribere, quãuis

cauerim ne hoc facere. Quod sane & Archigenem, quem scimus maiore quàm alios dignitate, etiam communia cum proprijs discriminibus scribere posse, uideбам nunc ipsum in pluribus eiusmodi doctrinæ negligentẽ. Nunc enim omnia confusim proijcit auxilia, unà cum hoc quod cõtinenter inter se scribendo commiscuit, lenissima & acerrima. Quid enim simile habet ærugo ad lentis & rubi ac cypri decoctũ: quid galla simile adipi anserino aut suillo: Acre enim & erodens fortiterq; resiccans pharmacum est ærugo. Rubus autem & cyprus, & lens, paucissimam habent adstringẽdi facultatem. Sic etiam galla fortissime adstringens, contrariã uim habet suillo ac anserino adipi. Quin & deinceps ab eo scripta planeq; omnia quorum mentionem facit, eandem confusionem perturbati ordinis habent. Præstabat autem uelut semel alicubi in sermone apponendo dixit, Hoc etiam ad nomas facit: eodem modo etiã alia distinxisse ut adscripsisset uidelicet, hoc quidem infantibus ac pueris conuenit, hoc uero perfectis: & hoc incipientibus aut moderatis aphthis, hoc aũt uigẽtibus & fortibus. Maxime uero omniũ, aut inflammatis & calidis, aut magis frigidioribus: & ex inflamatis, hoc quidem rubicundioribus, hoc uero flauioribus. Aliæ enim ex sanguine, alia ex flaua bile inflammationem habent. Quemadmodũ rursus non inflãmatæ pituitosæ in totum existunt, quemadmodum aliquæ ex inueteratis humoris atræ bilis malignitatem acquirunt. Cognoscẽtur hæ omnes facile uisu simul & tactu. Visũ quidem ex coloribus, quemadmodum etiam nunc dictum est. Rubicundiores enim sanguineũ humorẽ præualere ostendunt: flauiores autem amarã bilem. Quemadmodũ rursus albescentes pituitosiorem, liuescentes & nigrescentes, atræ bilis succũ. Qui enim hæc rite discreuerit, nouerítq; amplius singulorum simplicium pharmacorum facultatem, quemadmodum in libris de ipsis à me scriptum est, is in unaquaq; aphthæ specie, tum simplicibus, tum compositis uti sciet, uelut iam sæpe est prædictũ. Considerabit autem simul & corporum naturas, Num molles sint & humidæ, uelut in pueris, eunuchis & mulierculis, an duræ & aridæ, uelut in piscatoribus ac nautis, & uenatoribus atq; agricolis. Fortioribus etiam corporibus fortiora adhibebis pharmaca, debilioribus molliora. Ego porrò infantibus qui adhuc à nutricibus aluntur, lentem cum modico pane & medulla ceruí, aut uituli præbeo. Ammisceo etiã cibis, ex malis coroneis, atq; alijs quæ adstringunt, uelut Romę cestiana appellata. Quin & ex piris addo, sorbisq; ac mespilis, & cornis, Quãdoq; etiã de lactuca, & seride, ac solano, & portulaca in cibos permisceo, si aphtha fuerit inflammata. Quod si cibum adhuc adsumere nõ queant, nutricem eiusmodi uictu alo, eiq; simul bonam concoctionem prospicio. Verum tamẽ etiam infantes pharmacis illino, siquidẽ subrubras uidero aphthas, in principio quidẽ his quæ moderatissime adstringunt ac frigẽfaciunt: deinde uero his quæ citra mordacitatem discutiũt. Si uero subflauas uidero, ijsdem quidẽ utor, sed magis refrigerantibus. Si uero pituitosiores, adstringẽtibus. Si nigrescẽtes, discussorijs generosioribus. Cæterũ in maioribus pueris, eiusdẽ generis facultatibus pharmacorũ utor, auctis tantũ uiribus ipsorũ. Quemadmodũ sane etiã in perfectis & duris corporibus, singulis relatis facultatibus fortissimis utor. Sufficit autẽ mihi in his per omnia misyos usus cum uino adstringente, quod tum intendit, tum remittit uim suam, prout magis aut minus uinum fuerit adstringens, & prout crassius aut liquidius efficitur pharmacum ex misyos ac uini mixtura. Quod si sordida appareat aphtha, Misy cum uino mulso tero. His uero qui fortioribus quàm misy est, pharmacis opus habẽt, Aerugo similiter cum uino & uino mulso utilis existit. Illinendæ autem sunt ex his pharmacis affectæ oris partes. Cõmodum est etiam pharmacũ ad hanc rem, chalcitis oleo trita. Atq; hæc

quidē efficaciora, Moderata uero & maxime ad incipientes affectiones, omphacium cum uino & uino mulso. Similiter etiā Rhus. In pueris sufficit rosarū flos, & ipsæ rosæ siccæ, & collutiones moderate adstringentes, pro ætatis & naturæ eiusmodi corporū ratione. Et in summa, Moderatæ aphthæ maxime in teneris corporibus, moderatis pharmacis opus habent. Fortes uero & maxime in duris corporibus, à fortioribus curantur. Fortia pharmaca dico, tum quæ fortiter adstringunt, tum quæ mordent, & immoderatius discutiunt. Fiunt porrò etiam in his, uelut in alijs prius dictum est affectionibus, cōposita medicamenta, & sæpe etiam ex contrarijs, quale est quod ex oleo & chalcitide constat. Ipsum equidem oleum per se infestissimum est aphthæ affectui, uelut etiam chalcitis. Quandoquidem alterum quidem humectat & sordidū facit. Mordet autem uehementer chalcitis. Verum mixtura ipsorum ubi fuerit moderata, optimum pharmacum efficit. Quemadmodum igitur ex cerato & ærugine, incarnans effici pharmacum ostensum est, quum tamen ambo incarnationi cōtraria existant, Eadem ratione ex oleo & chalcitide aptum medicamentum efficitur. Si uero in putredinem aphtha uertatur & exulcerationes facit, neq; aphtham amplius affectionem nominare conuenit, neq; pharmaca eiusmodi affectiones curantia, inter ea quæ aphthis commoda sunt connumerare. Quemadmodum neq; inter erysipelata sanantia, rectè cōnumerantur ea quæ præclare discutiūt liuidas & duras partes, ex frigidorum medicamentorum adhibitione tales factas, & iam ad induratam in scirrhum affectionem, ex erysipelate delapsas. Profectò enim qui eiusmodi scripturarū indiscriminata incertitudine decepti, erysipelatis calida & discussoria medicamenta, aphthis autem ea quæ putrefactis cōueniunt, adhibent, non parum detrimenti inducunt.

Finis sexti libri.

CAPITA SEPTIMI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI
DE COMPOSITIONE PHARMACORVM LOCALIUM, siue secundum locos Liber VII. Iano Cornario Medico interprete.

De affectionibus circa partes respirationis contingentibus. Cap. I



OS est recentioribus medicis arteriæ pharmaca, Arteriacas appellare, non apponentibus num antidotos dicāt, an iuxta aliud significatum. Quidam uero electa nominăt ipsa, non apponentes pharmaca, & quidam penitus nullum discrimen ipsis adscripserunt, aliqui uero raro addiderūt, alij ad uocem interceptam, alij adhuc generalius ad uocem læsam. Sunt qui & ad exaspera tam

tam arteriam, & ad exulceratam scripserunt: adeò ut rationabile sit, eos qui arteriacis appellatis pharmacis indiscriminatim utuntur, aliquando feliciter eis uti, aliquãdo uero nihil penitus ægros iuuare, sed maxime lædere. Palam est autem quod asperam arteriam in huiusmodi affectionibus criminantur. Quondam igitur quando nondum eas quæ similiter ut cor pulsant arterias, sic nominabãt, in solam eam quæ ex pulmone in laryngem emergit arteriã, ipsum arteriæ nomen inferebant, Venas appellantes in totũ, uelut alias quæ non pulsant, sic etiam pulsantes. Postea uero consuetudine obtinente arteriæ appellationẽ in pulsantibus dici, propter æquiuocationem asperæ nomen apponentes, eam quæ ex larynge in pulmonẽ descendit arteriam, asperã arteriã appellauerunt, unà cum hoc quod ipsam etiam bronchũ uocant, quandoquidẽ cartilaginosa corpuscula, quæ plurima eius pars sunt, bronchia appellant. Ambit autem ipsam arteriã intrinsecus crassa pellicula, quam ob crassitudinẽ aliqui tunicã uocãt. Qui igitur affectio aliqua aut circa hanc, aut circa laryngis (qui summa arteriæ pars est) musculos contingit, arteriacas appellant curãtes ipsam, non apponentes, uelut dixi, antidotos. Dissimiles autem facultatibus sunt ab ipsis descriptæ, & ob id contingit utentes ipsis absq; discrimine, à scopo aberrare. Quod uero multa sit differẽtia earũ quæ in medicamentarijs libris scriptę sunt, ex tribus exemplis discere licet, quorũ primum omnis acrimoniæ expers est, & exquisite meatus obturat, leuigans asperitates. alterũ huic contrariũ est, acrimoniæ mordacis nõ parum habens, ut si sanæ particulæ adhibeatur, ipsam exasperet. Medium deinde inter ambo dicta, aliud genus arteriacorũ pharmacorũ est, lenis & citra acrimoniã extergẽtis facultatis. Id igitur quod meatus obducit, ex passo cretico, & gummi, & tragacantha, ac radice dulci apparatur. Acre uero ex pipere, & cassia, & cinamomo, & galbano, ac resina terebinthina. Mediũ autem amborum ex ptisanæ constat succo, & amygdalis, & fabis fresis elixis, & alijs huius generis. Inter mediũ autem & utrũq; extremũ plura pharmaca sunt, partim magis, partim minus, à medio progressa, De quibus deinceps determinabo, eos quidẽ qui discrimen aliquod addiderunt laudaturus, qui uero simpliciter protulerunt, neq; admissurus. In horum medio locandi sunt, qui discrimina non tamen integra fecerunt, qualia sunt eorũ qui scripserunt. Arteriace ad interceptã uocem. aut rursus. Arteriace ad raucã uocẽ. Etenim uox intercepta, hoc est nõ posse loqui, ad plures causas sequitur, partim quidẽ ad destillationes à capite diuturnas, partim uero suppuratis pectore ac tabidis, & his qui ex magno & multo clamore læsi sunt, & deinde nõ probe curati sunt, aut etiam affectionẽ quæ adhuc generatur habent. Eodem modo etiã raucosa uox fit ob easdem causas, & amplius ob frigidi aëris inspirationẽ. Affectio itaq; interceptæ ac raucosæ uocis eiusdem generis est. Magnitudine tamen differunt inter se hæc mala. Quum enim uocis organa ab humiditate uehementius & ut ægre solui possit, fuerint madefacta, uox intercipitur. quando uero moderatius sunt humecta, raucedo oboritur. Organa uocis quũ dico, arteriã accipite, & eius summũ, ac fauces. Qui igitur ex uehemẽti clamore uocẽ amplius oblæsam habẽt, his similis quædã affectio cõtingit ei quę manibus, & cruribus, & lumbis, & spinę, & musculis ubi plurimũ laborem pertulerint, accidit. Vocãt aũt aliqui exercitiorũ magistri eiusmodi affectionẽ musculorũ, in quibus cõsistit, lassitudinem inflãmatam. Itaq; iuxta arteriã intrinseca pellicula, aut tunica, aut quomodocũq; quis nominare uelit, à spiritu in magnis uociferationibus extra prolato pculsa, in affectionẽ inflãmatã deuenit: atq; hoc multo magis si ad magnitudinẽ uocis, acumen quoddã accesserit. Iuxta arteriæ uero summũ ultra hanc plagam, etiã musculorũ ipsum mouentiũ actio offensa, maiorem affectionẽ efficit. Porrò

q 2 curationis

curationis ipsarum genus, in omni particula secũdum materias euariat. Etenim crura, & manus, & spinam, per oleũ confricare facile licet, quũ per cutem in adiacentes ipsi musculos, uis ipsius olei penetrare possit. Iuxta asperã uero arteriam cartilagines post cutem sitæ, prohibent in subiectã pelliculam transitũ facultatis emollientiũ ungentorũ. Quemadmodũ enim oleum, sic etiam alia multa cõpositapharmaca eandem utilitatẽ præbent. Quin & ea quæ in principio Acopa tantum appellata sunt, hoc est lassitudines emẽdantia, paulatim appellationẽ suam à seipsis extenderunt ad similia cõpage medicamẽta, etiam si gratia uehementer calfaciendi assumantur. Cæterum cõmunis materia auxiliorũ ad uocis organa, præter reliqua, est quæ ex balneis cõtingit. Manifestũ est autem quod dulcium aquarũ dico. Marina enim balnea, & sulphurulenta, & aluminosa, & atramentũ sutorium olentia, ac bituminosa, propterea quod fortiter resiccãt, inepta sunt. Et sane ita faciunt phonasci, qui magno uocis exercitio utuntur, quũ contendendo oblæserint uocẽ. Sunt autem hi citharœdi, & præcones, & tragœdiã ac comœdiam personati repręsentantes: balneis enim multis utuntur, & cibos lenes ac laxantes edunt. Si uero etiam asperitudinẽ percipiant, cibos qui infarciuntur particulis quas contingũt assumunt. Vna enim est tunica sibijpsi cohærens & continua, quæ summo gulæ, summo asperæ arteriæ, gulæ etiam, atq; ipsi asperæ arteriæ, intrinsecus prætenditur. Quod si ex uictu ac balneis oborta affectio non sedetur in organis uocis, ad arteriacas transeũt, per totũ hoc tempus cibis utentes qui ex lacte, amylo, alica, ouis, & dulciarijs libis componuntur. Si uero per hæc nõ curẽtur, inuẽta sunt à Medicis pharmaca sub lingua tenenda, inde etiã hypoglottides appellata. Sunt autẽ ea eiusdẽ cum arteriacis inflammationẽ arcẽtibus facultatis, ex uino Theræo & gũmi, ac tragacãtha, & glycyrrhiza cõposita, quæ ut dixi, leuigant simulq; reprimũt asperitates, quicquid uero reliqui est in partibus inflãmationis, hoc concoquũt & cito persanãt. Industriũ porrò esse oportet qui pharmacũ linguæ subdit, quò eo paulatim liquescẽte, asperæ arteriæ summũ id quod in ipsum defluit suscipiat, renitendo oborienti tussi. Obluctantes enim ut ne tussiant, permittent quippiã ex pharmaco in arteriæ summũ ipsamq; adeò arteriã demanare. At uero sic curatos claram uocẽ habere impossibile est, citra usum pharmacorũ absq; acrimonia extergentiũ, quale est faba fresa elixa, & ptisana, & semẽ lini torrefactũ: huiusmodi enim mediũ obtinent, inter ea quæ mordaci facultate prædita sunt, & ea quæ meatus obducunt pharmaca. Cæterũ his omnibus uina mollia, & passum creticũ, & theræũ, ac scybelites apta sunt, & ad hæc haud scio quomodo neglectũ, id quod à Græcis in nostra Asia hepsema appellatur, Latini sapam dicũt. Verũ Atticissantes ipsum Siræũ uocant, quẽadmodum alij caricarũ decoctum Siræũ appellandũ censent, pugnantq; inter se utrum ipsorũ Siræũ uocare oporteat. Est sane & hoc ipsum Siræũ, quod pinguibus caricis in aqua decoctis fit, mediæ facultatis, quã lenem & citra acrimoniã extergentem appellauimus. Mustũ quidem igitur coctum, hoc est sapa ipsa, lenissimum pharmacũ est & maxime meatus oblinens. Caricarũ autem decoctum magis discutit & exterget. Quemadmodũ igitur in præcedentibus dixi, Omnium simplicium medicamentorũ uires exquisite nosse oportet eum qui cõpositum quoddã sit facturus, atq; hic ipse etiam ab alijs cõpositis rectè utetur, & maxime ubi indiscriminatim fuerint cõscripta, quemadmodũ plures arteriacæ habentur. Palàm est etiam quod hic ipse his quæ cum discrimine prodita sunt rectius utetur. Etenim iuxta exactã rationẽ, in quantũ apparatus affectionũ transmutatur, tantum etiã cõmodum ipsi pharmacũ permutare oportet. Hoc ipsum uero solus is qui singulorũ simpliciũ pharmacorũ uim nouit, exactè præstabit, ad primum pharmacum

macum parũ quiddam ex sequenti ordine apponendo. Velut exempli gratia, In lassitudinibus tensiuis, quũ in summi ipsius asperæ arteriæ musculis fiunt, in principio lenissima edulia cõueniunt, pharmaca uero meatus obducentia. Cõsistẽte autẽ inflãmatione parũ quid extergentiũ addendũ est. Deinde consequenter amplius. Deinde rursus aliud illo præstatius, quo paulatim cõpositio ad mediũ extersoriũ perueniat, & rursus secundũ eundẽ modũ ab hoc magis discussoriũ ac extersoriũ, ita progressu ad uehementissimũ facto, ubi diutius uelut in scirrhũ indurata affectio in uocis organis perstiterit. Primi itaq; ordinis est tragacãtha, & gũmi, & similis alter, amylũq; & ex alica ac trago probe coctis sorbitio, Quin & lac aptũ est, & dulciarij panes, & oua sorbilia, ac nuces pineæ, quas nũc omnes Græci strobilos uocant: quondã autem apud Atticos Coni uocabantur. Sesama etiam ex hoc genere sunt. Ab his autẽ deinceps est butyrũ, quod etiam butyros masculino genere Græcis appellatur, & decoctũ radicis dulcis ad crassitudinem Attici mellis liquidi redactũ. Atqui radicẽ dulcẽ quam glycyrhizam uocant, præstat in primo tẽpore in aqua, uelut dixi, coctam, ad sireũ siue sapam ex musto paratã ammiscere, ad passum item Creticũ idem decoctum misceri potest: siue aũt cum sapa, siue cum passo Cretico fuerit permixtũ, rursus post mixturam decoquendũ est. Hæc igitur in affectionibus inflãmatis iuxta arteriã eiusq; summum, commoda in principio sunt, donec inflammatio moderata fiat, & præ omnibus à uini potu hoc tempore abstinendũ. Quum uero moderatior facta est inflãmatio, Vinũ dulce Theræum aut scybelites bibere licet, aut ex nostra Asia caryinũ, & deinde Therinũ appellatum, deinde etiam dulce Tmolites. eo tempore etiam butyrũ aptum est, & sorbitio ex amygdalis, sorbitio item ex lacte & melle diutius coctis, amylo iniecto, & si amylum non adsit, siliginẽ Romanis appellatã iniecta. Manifestũ est autẽ quod per huiusmodi uictũ, inflammatio tum pellicularũ, tum musculorum, circa arteriam eiusq; summum sedatur. Relinquitur autem humiditas multa, ob quam impossibile est clarã uocẽ proferri. Quare transire tunc cõuenit ab his edulijs, ad omnia ex melle cocta, & ad fabam fresam elixatã, & ptisanam, ac brassicã, & porrum probe coctum. Pharmacorũ porrò usus idoneus est, quo tempore aut inflammatio, aut asperitudo præualescunt, eorum quæ sub lingua detinẽtur, de quorũ cõpositione dicam. post hæc magis extersoria & resiccãtia damus, et deinde rursus his ipsis magis extersoria, & adhuc magis resiccantia, usq; quo ad ea quæ aliquid acredinis habent perueniamus, ita ut etiã in his à moderatioribus initio facto, ad uehemẽtiora paulatim trãseamus, Itaq; qualem formam esse cõueniat uictus, antea dictũ est, quemadmodũ etiam simplicium pharmacorũ species est relata. Cæterum cõposita ex ipsis pharmaca multiformiter alij iuxta aliam symmetriã & cõmensurationem cõscripserũt. Et quibusdam sanè ex tribus aut quatuor simplicibus compositum pharmacum suffecit. Quidã uero in maiorem numerũ extenderũt. Et quidã uelut dictũ est, ex mollissima & lenissima materia, arteriacas confectiones composuerunt. Alij uice uersa ex acri, calida, extergente, ac multũ resiccãte. Sunt & qui tertiũ genus mediũ inter ambo ista fecerunt. Post hos uero, alij medij generis inter mediũ & mollissimum, alij medij generis inter medium & acerrimũ, & iuxta eandem rursus rationẽ, quidam magis, quidã minus, à medijs facultate pharmacis digressi, diuersas compositiones fecerũt, quibus omnibus solus is rectè utetur, qui singulorum simplicium pharmacorũ uires nouit. Ipse enim sciet & ordinem pharmaci, & quanta distantia sit à medijs digressum. Porrò eiusmodi pharmaca scripserunt etiam qui ante Mantian & Heraclidem uixerunt. Verum multo præstatiora à prædictis uiris tradita sunt, per libros quos nobis reliquerunt, & in quibus

medicamentariam artis partem auxerunt, partim ipsi componentes, partim ab alijs cōposita transcribentes. Progressu uero temporis tum hæc, tum etiam prio ra, exacta & longa experientia cognita, à uiris electa et coacervata sunt, quorum iam sæpe in hoc opere mētionem fecimus. Sunt autē hi: Asclepiades, Musa, Andromachus, Heras, Crito, & Menecrates. Quin & multa alia pharmaca Archigenes & Philippus scripserunt, ut nullo ex ueteribus opus habeamus. Hi enim omnia ab antiquioribus inuenta optime uelut dixi, tradiderunt.

De Arteriacis ab Andromacho descriptis. Cap. II

Plurimas arteriacas confectiones scripsit Andromachus, ut promptū sit à debilissimis ad fortissima paulatim per media transitu facto progredi, si quis ipsorū differentiā nouit. Ipse enim Andromachus indiscriminatius ipsas prodidit. Verū ego discrimina apponā, in memoriam reuocatis his quę paulo antè dixi. Quod enim circa simpliciū pharmacorū tractatū præexercitatū esse oporteat eum qui dicenda assequi uelit, sæpe à me dictum est. Citra enim singulorū simpliciū exactam ac certam cognitionē, impossibile est cognoscere ex quo ordine eiusdē generis medicamentorū cōpositum sit, Num ex mollissimo, an uehementissimo, aut medio, aut alio aliquo inter hunc & alios intermedio. Primā itaq; arteriacā confectionē, non longe à principio libri, in quo affectionū corporis internarū curationem tradit, hoc modo in hæc uerba scripsit. Arteriaca qua utor. Thuris drach. I. alij IIII. myrrhæ drach. I. alij IIII. croci drach. I. alij IIII. scyllæ drach. II. passi cretici sextar. III. Scylla in passo coquitur donec passum spissēt, deinde scylla abiecta, reliqua inspergūtur. Hoc pharmacū si scyllam nō reciperet, inter exactè mollissima numerandū esset, utpote in tres passi cretici sextarios, paucissimo thure, ac myrrha, et croco cōiectis, ut parū absit quo minus totū passum creticū existat. Manifestū est autē quod pharmacum hoc, eclecton hoc est delingibile efficitur. Vocāt aūt huiusmodi etiā Attici eclectas, hoc est, delingibiles cōfectiones. Cōsequenter ad præscriptā alteram addidit Andromachus hoc modo. Arteriace diacodyon ex capitibus papaueris. Capita papaueris uiridia mille & ducēta, mellis Attici lib. IIII. croci cilicij drach. V. alij X. succi hypocysthidis drach. X. acaciæ drach. X. aquā pluuiā ad capita papaueris. Aqua quidē pluuia additur, quo minus putredini obnoxiū sit pharmacū, habet autē & adstringens quippiā in se hæc aqua. Scopus est prædicto pharmaco cōcoquere affectionē circa arteriam, quod sanè cōtinget per somnū, & cōcoctoria, cum adstringēdi ui nō adeò multa. Cæterū simplex pharmacum ex papaueris capitibus, sola capita habet in aquā coniecta, atq; ubi flaccida reddita fuerint, ipsa quidē proijcimus, aquā uero ipsorū ad solum mel Atticū admiscemus, usq; ad cōpagem delingibilis pharmaci facta coctura, quomodo sanè ego apparare cōsueui. Quantā autē copiā aquæ itēq; mellis miscere oportet, in huiusmodi pharmacorū preparatione, in sequentibus dicā eo loco, quo talia uerba scripturus sum, Cōfectio ex capitibus papaueris. Tertiam deinceps confectionem Arteriacā Andromachus hanc prodidit. Arteriace qua utor, Blasti, ad tabescentes ualde bona. Nardi celticæ drach. IIII. amomi drach. VIII. cinamomi drach. X. malabathri drach. IIII. nardi indici drach. III. floris iunci rotūdi odorati drach. II. casiæ drach. VIII. thuris drach. III. myrrhę drach. I. costi drach. IIII. sescis ungēti malabathrini drach. VI. succi glycyrhizæ drach. III. succi mādragoræ drach. V. mastiches chiæ drach. III. croci drach. VI. Palmulas in uino mulso aut protropo coquito: deinde in ipsum decoctū nuces pineas XX. cōijcito ac terito. Postea ex pharmaco ad nucis ponticæ magnitudinē, aut paulò minus accipito, & ad aliquot dies cū hoc decocto utitor, deinde etiam simplici pharmaco utaris. Postea autē ad duos uel tres dies hiera ex aloe uteris, cochlearij mēsura ex aqua in diem

in diem data. Vtere pharmaco etiam cum lacte, in his qui arteria affecti sunt ad gargarissandũ,& rursus facto interstitio, utere pharmaco fabę Aegyptiæ magnitudine. Quũ uero fortis fuerit fluxio, opium & castoriũ in antidotũ miscemus, utriusq; parum quid. In his autẽ qui stomacho male affecti sunt, ea ipsa uitamus. Manifestum igitur ex ipsis uerbis, quæ scripsit Andromachus, quod in fluxionibus partiũ thoracis, & pulmonis, ac arteriæ, præscripta cõfectio apte cõponitur. Dixit enim ipse, quũ fortis fuerit fluxio, opiũ & castoriũ in antidotũ miscemus utriusq; modicã partem, resiccare nimirũ fluxionem & sanam reddere uolentes. Variũ autẽ est pharmacũ, & ex multorũ mixtura constans, ut ad omnes conueniat affectiones, quæ etiã diuturnę & malignæ existũt ac ægre curabiles, etiamsi ulcus sit circa arteriã aut eius summam extremitatẽ, Laringem Græcis dictam, & multo magis si iuxta pulmonẽ. Talia enim fortibus adeo opus habẽt pharmacis, quo ad longius tẽpus sufficere queant tabidã affectionẽ habentes. Quũ enim obtigerit eis regio sicca, & in cõuenientis uictus ac pharmacorũ usu pseuerarint, q̃ diutissime renitenẽ cõsuetas actiones moderate obeũtes. Hãc igitur confectionem non censuerim ammiscendã esse his quæ priuatim Arteriacæ appellantur.

IIII. deinceps cõfectionem Andromachus sic scripsit. Altera eiusdẽ. Blasti uidelicet dicit, de quo circa præcedentẽ arteriacã scriptũ est, Arteriaca Blasti qua utor, cõpositionẽ aũt eius talẽ facit. Aloes sextantẽ, croci unc. I. masticheis unc. I. Palã est hoc pharmacũ ex eorũ numero esse, quæ priuatim stercorũ eductiua appellant, unã cũ hoc quod cõcoctorium quiddã habet crocus. At uero quũ concoctoriũ dico, intelligere oportet eius affectionis cuius gratia exhibetur. V. ex ordine cõpositionem Andromachus talẽ prodidit. Confectio sedãs dolorẽ eiusdẽ. Opij quadrantẽ, croci unc. I. myrrhę sextantẽ, acacię uncię dimidiũ, succi radicis drach. IIII. Excipe melle. Hæc Andromachus. Verũ ego nõ auide recipio eiusmodi compositionẽ pharmacorũ, ubi nõ ostẽditur affectio, in qua ea sit utendũ. Scimus etenim cõponendi sedãtia dolorũ scopũ, quũ somnũ uidelicet inducere uoluerimus, & uehementẽ dolorẽ stupefacere. Acaciæ autẽ mixtura uelut ad ulcus est, quemadmodũ radicis dulcis succus ad liniendа exasperata. Crocum autem & myrrham in cõpositiones dolorem leuantes miscere plurimis placuit. Videntur enim ipsis omnes affectiones sufficienter cõcoquere posse. VI. consequenter confectionem Andromachus hoc modo scripsit. Arteriacæ eiusdem. Thuris unc. I. succi radicis dulcis unc. I. myrrhæ drach. IIII. tragacãthæ drach. VI. nardi drach. I. amomi drach. IIII. croci drach. IIII. mellis Attici quod satis est. Non obscurum est etiam hanc ad respiratorias organorũ affectiones cõpositam esse, ex cõcoctorijs, mitigatorijs, adstringẽtibus & extergẽtibus. Myrrha enim & thus, & crocus, affectiones cõcoquunt. Radicis dulcis succus exasperata mitigat, idem etiam tragacantha facit. Amomũ fortiter resiccat cum modica adstringendi facultate. Mel autẽ calfactoriã & extersoriam uim habet. VII. post relatas cõpositiones Andromachus scripsit ex multis ualde medicamentis constantem, quæ omnes ferme facultates habent. Nam & adstringentia, & mordentia, & attenuantia, & mitigãtia, & leuigãtia, in ea cõtinentur. Quin & soporifera uis & discussoria ac extersoria in ipsa habetur, In quibus omnibus multifariam mixtis facultatibus cõmunis ratio est, quemadmodũ etiã antea dixi, quod uidelicet quispiã ex omnibus pharmacũ quoddam cõponere uoluit, spe faciẽdi unũ medicamentũ ad omnes eiusdẽ generis affectiones cõmodum. Verum ex ipsis aliqua quidẽ per experientiã cognita sunt maligna, & propterea relicta. Aliqua uero feliciter pro ipsius cõponẽtis cõiectura, efficacia euaserũt, & ob id recepta: Quin & præparandi ipsam modũ Andromachus adscripsit; quanquam hoc facere alias non soleat. Quod uero ex pharmacis cõposita sit eas quas dixi facultates

tates cõplectentibus, præstat meminisse eos qui hos libros in manus sument: si tamen non promptam habeãt memoriam, eo sane tempore quo huiusmodi pharmaca discunt, sextum & septimum ac octauũ de simplicium pharmacorũ facultate librũ legant: in illis enim omnem pharmacorũ materiam cõscripsi, qua radices & folia, & flores, & semina, & fructus, & liquores, & succi, omnium ex terra nascentiũ plantarũ existunt. His itaq; præmissis, iam animũ ad ea quæ Andromachus de hoc medicamento scripsit aduerte. Arteriaca qua utor. Radices filicis crassissimę lauãtur donec purissimæ fiant, & omne terreũ deponãt, deinde per diem unũ perfrigerantur, & in frusta magnitudinis trium digitorũ secta conquassantur, atq; ex eis libræ x. in ollam nouam picatã aquæ dulcis sextarios x. complectentem iniiciuntur, & ad dimidias, hoc est ut sextarij v. reliqui fiant, coquuntur, exprimũtur: & liquor quidẽ in duplũ uas diffunditur, & aromata crassa ac integris partibus addũtur, Nardi indicæ drach. IIII. cinamomi drach. VI. radicis dulcis drach. VI. casiæ drach. IIII. Rhei pontici drach. IIII. balaustij drach. VI. rosarum siccarũ drach. III. alij. VI. Hæc similiter ad dimidias coquũtur, ac exprimuntur, & ad decoctũ mellis Attici sextarius unus additur: sit autem mel præcoctum & in duplici uase priuatim spissatũ usq; quo manus non inquinet. adijciuntur & terebinthinę pellucidæ drach. III. galbani drach. II. croci drachmæ V. succi hyoscyami drach. I. succi hypocysthidis drach. I. mãdragoræ succi oboli III. piperis albi drach. VIII. VIII. deinceps confectionem scripsit, summa facultatis ipsius indicata, quod ipsum in omnibus fecisse oportuit. Habet aũt sic. Arteriace laudata Mithridatis, ad thoracis collectiones, subpurgat & leuigat. Irionis torrefacti drach. I. in quibusdã exemplaribus fabæ fresæ scriptũ est, Sunt autẽ ambo extersoriæ potẽtiæ, seminis lini tosti drach. XX. & hoc extersoriã uim habet, nucis pineæ drach. VIII. hæ leuigandi uim habẽt. Vuæ passæ exacinatæ drach. IIII. & hęc ob id quod modice subadstringat, simulq; cõmodus corpori cibus sit, merito ammixta est. habet autẽ & passi facultatẽ, qualẽ in quarto de simpliciũ pharmacorũ uiribus indicauimus. croci obol. II. Minimũ quid ex croco conjecit qui pharmacũ cõposuit, ut prope nihil sit aliorũ proportione. Diximus de croco eũ cõcoquendi uim habere, unà cum adstrictione, Dictum est etiã quod adstrictio, corpora cogit, cõstringit & corroborat, Adiecit aũt etiã mellis heminas IIII. à uino dulci, ac sapa digressus. Vult enim hoc modo præparatum pharmacũ uelut præfatus est, in pectore hærẽtes collectiones depurgare. Cæterum in huiusmodi pharmacis ea quæ crassos succos habẽt, impediũt repurgationẽ. His ammiscuit tragacanthæ drach. IIII. quod pharmacũ leuigat exasperata: prædictũ est autem quod uult hoc propositũ medicamentũ repurgare, & leuigare ea quæ iuxta thoracem hærẽt. Scopus enim huiusmodi est, attenuare & abstergere, ac ad eductionem superne aptas facere collectiones in thorace. Verum sedandi doloris gratia, & ne nimium extergantur ac emungantur partes exasperatæ, leuigantia apponuntur. Maximũ hoc est, atq; ipsius per omnia meminisse oportet, Nimirum quod sæpe unus scopus sit, in quẽ pharmacũ cõponitur, Ne uero hoc ipsum aliquo modo offendat, utraq; miscentur primũ utilitatis scopũ habẽtia. Nonam arteriacen post has Andromachus his uerbis tradidit. Arteriace Marini. Croci unc. I. gũmi sextantẽ. tragacãthæ unc. I. mellis Attici sextariũ I. Coquito donec quum diffunditur nõ inquinet. Hoc pharmacũ mediũ est facultate, effetq; exacte mitigatoriũ ac dolorem sedans, si non crocum haberet, neq; mellis sextariũ, sed pro ipso Theræũ uinum Creticum, aut sapam ex musto cocto factam, quam nos Asiani, ut dixi, hepsema appellamus. Verũ hoc loco importune inter relata fortia pharmaca locatum est, utpote quæ suppuratis & tabescentibus conueniunt.

Decimam

Decimam consequenter recenset, quæ inter exacte lenissimam ac mediã, qua/lem sanè esse dixi præcedentẽ, intermedia est. Ex gũmi igitur hanc, & passo cre tico, ac aqua componit, melle etiam ammixto. & gummi quidem iniicit bessem, passi sextariũ unum. mellis lib. I. dissoluere cum aqua iubens ipsum gummi, co/pia eius non expressa. Itaq; ob gũmi, & passum, & aquam penitus nihil exterso rium habet, ob mel uero, à lenissimo & leuigante est digressa. Scimus enim exter soriũ esse mel. Coqui autẽ super prunas oportere ipsum dixit, hoc est ad mollem & nõ fumantẽ ignẽ. Melius uero fecisset si etiã ad alias omnes hoc adscripsisset. Ego itaq; sic ipsum præparo, & neq; ad prunas adhuc ardentes coctură facio, ne uidelicet inde quid acre & fumosum sublatũ, acrimoniã non necessariã medica/mento ipsi affricet. Mellis equidem acredinem toleramus, quanq; ea nõ sit uehe/mens, propter aliã ipsius utilitatẽ. Verũ fumi nulla est utilitas. Quare fugiẽdus est fumus in quantũ possibile est, circa omniũ huiusmodi pharmacorum præpa/rationẽ. Præstat aũt & in his quæ meatus obducũt, lignis fumũ nõ edẽtibus uti.

XI. confectionẽ sic prodidit. Arteriaca alia bona. Cinamomi, thuris utriusq; unc. I. succi radicis dulcis unc. I. myrrhæ drach. IIII. tragacãthæ drach. VI. nardi In/dicæ drach. IIII. amomi drach. IIII. croci drach. I. melle Attico excipe. Recte dixit bonã hanc Arteriacen esse, uerũ deest sermoni, ad quas affectiones bona sit. Di ctum enim in principio est & per uociferationẽ, & per distillationẽ lædi atteriã, ampliusq; propter ulcus & inflammationẽ obduratã. Hæc aũt cõfectio quã nũc Andromachus descripsit, etiam ad tabidos aptum pharmacum est, & simpliciter omnes inueteratas thoracis ac pulmonis affectiones. Cinamomi etenim natura tenuium partiũ & resiccatoria, etiam induratas affectiones sanare potest. Ab eo proximũ locum amomi facultas habet, simulq; adstringens quippiã habet. Ve/rum ob horũ actionem uehemẽtem rationabiliter ammixta sunt, thus & radicis dulcis succus & tragacãtha, pharmaca exasperata lenire à natura apta. De croco & myrrha sępe diximus, esse uidelicet cõcoctoria & modice resiccatoria huius/modi affectionũ.

XII. arteriacã Andromachus hoc modo scripsit. Alia ex libris Galli ad arteriã affectã, ulcera pulmonis, puris & sanguinis reiectiones, & fluxiones in thoracẽ, & ad ea quæ ægre educi possunt, uehementer efficax. Resi næ terebinthinę drach. IIII. croci cilicij drach. IIII. thuris drach. IIII. myrrhæ tro/glodyticæ drach. IIII. cinamomi drach. IIII. amomi drach. III. nucis pineæ drach. IIII. radicis dulcis eiecta medulla drach. IIII. nardi Syriacæ drach. II. & dimidiã. cassiæ nigræ drach. II. tragacãthę drach. III. palmularũ Syriacarũ carnis drach. III. asteris Samij drach. III. galbani puri obol. IIII. costi drach. IIII. alij drach. I. mellis Attici heminas IIII. Mel & resina in duplo uase coquũtur, atq; ubi spissari cœpe rint galbanũ miscetur, donec nõ inquinent. Deinde refrigetatis reliqua trita am misce, & sic utere. Recte fecit in hoc pharmaco, tum quod ad quas affectiones cõueniat, tum quod quomodo præparare ipsum oporteat, adscripsit. Ratio autẽ cõpositionis ex superioribus constat.

XIII. arteriacen Andromachus his uerbis tradidit. Arteriaca Galli, eadẽ etiam antidotus est ad eadẽ efficax. Nar/di Syriacæ drachmas IIII. myrrhę drach. IIII. croci drach. IIII. costi drachmas IIII. alij drach. unam. piperis albi grana XXX. radicis dulcis drachmam unam, nuces pineas centum, styracis drach. I. tragacanthæ drach. I. cinamomi drach. unam, amomi drach. I. thuris drach. I. obol. IIII. cassiæ fistulæ drach. I. balaustij drach. III. obolos III. mellis Attici aut passi cretici heminas duas. Passum in duplo uasculo coquitur ad spissitudinẽ mellis, atq; ita ad arida trita affunditur. Tragacãtha aũt & styrax per diẽ antea in sufficiẽte protropo macerantur, & ita ad reliqua ammi scentur. Reponiť pyxide argẽtea aut uitrea. Recte fecit & hic quod tum ea quę promittiť

promittit hoc pharmacū, tum quomodo preparatur adſcripſit. Ego uero propterea omnes ab ipſo deſcriptas Arteriacas appoſui, ne quis alium ſcriptorē requirere cogatur. Omne enim facultatum genus in ipſis cōtinetur, mollitū, fortiū, ac mediorum. XIIII. Arteriaca eius eſt de qua ſic prodit. Arteriaca ex uehementibus, Moſchionis. Eſt eius facultas non modice medias tranſgreſſa ad fortiſſima. Habet uim ſecādi & attenuandi ac calfaciendi ex multis pharmacis, quibus etiam lenia quædā ammixta ſunt ob eam quā dixi cauſam. Cōpoſitio eius hæc eſt. Rubricæ lemniæ, thuris, myrrhæ, nardi, amomi, caſſiæ rufæ, croci, iridis illyricæ, floris iunci odorati, ſingulorū drach. II. cinamomi drach. IIII. reſinæ terebinthinæ drach. IIII. floris roſarū drach. IIII. opobalſami drach. II. mellis heminā unā, aut paſſi cretici heminæ dimidiū amplius'que quartā eius partē. Liquorem & reſinam donec fulua reddantur coquito, deinde ab igne ablatis reliqua addito ac cōquaſſato. Datur in thoracis & arteriæ affectionibus fabæ græcæ magnitudine, cum aqua quarta heminæ parte. Reliquis forma eclegmatis delingendum.

XV. Arteriacā ſic ſcripſit. Arteriace ad gutturis ſiue arteriæ aſpretudinem, uocem interceptā, & ſanguinē reiectantes, qua utor. Ex libris Apollonij & Alcimionis. Tragacāthæ drach. VI. gūmi drach. VI. thuris drach. I. obol. I. myrrhæ drach. I. obol. II. croci drach. I. obol. II. ſucci radicis dulcis drach. I. obol. III. aut radicis ſeſquidrachmā, piperis albi grana XXV. palmularū pinguiū carnis drach. III. alij palmulas V. aut tres habent. Tragacanthā paſſo maceratā ac tritam, reliquis aridis tritis cōmitte, ex eiſ'que omnibus catapotia fabæ magnitudine effice, ſub linguaq'ue tenenda exhibe. Huiuſmodi cōfectiones hypoglottidas medici, ab eo quod ſub linguā dātur, appellant, iubentq'ue id quod à diſſoluto pharmaco defluit, ſenſim in aſperæ arteriæ ſummū excipere, obnitēdo ſimul ne tuſſis excitet.

XVI. ex ordine ſic ſcripta eſt. Arteriace delingibilis ad omnes interias affectiones, maxime tabeſcētes, & ſuppuratos, ad hydropas incipientes, tuſſes ueteres. Datur per diē & noctē, cochlearij mēſura. Succi ſcyllæ ſextarios IIII. paſſi cretici ſextarios III. uini falerni ſextar. VIII. mellis Attici ſextar. III. myrrhæ trientem, croci ſextantē, thuris ſextantē. Ariſtolochiæ dactylitidis minam unā & dimidiā, glycyrhizæ minā unam, radicis eryngij ſextantē, caſſiæ unc. I. nardi celticæ unc. I. xylobalſami beſſem. Ariſtolochiā, eryngiū, glycyrhizā, xylobalſamū, caſſiam, nardū, in craſſas partes cōtuſa in uini ſextarijs VIII. macerato ad triduū, deinde ad lentū ignem ad tertias coquito, atq'ue ita exprimito, & retrimentis abiectis paſſum, mel, & ſcillæ ſuccū cōmittito, & ad mellis craſſitudinē coquito. Crocum uero thus & myrrhā cum uino terito, atq'ue ubi optime habuerit pharmacū addito, & ubi modice fuerint liquata ab igne tollito, & repoſitis utitor. Recte fecit & hic Andromachus quod quæ promittit, & quomodo præpareť adſcripſit.

XVII. Confectio talis ab eo traditur. Arteriaca alia ut Heraclides Tarētinus. Succi ſcillæ ſextarios III. paſſi cretici ſextarios III. mellis Attici heminam unam. croci trientem, alij ſextantē. myrrhæ quadrātem. tragacanthæ unc. I. ſucci radicis dulcis ſextantē, thuris unc. I. opobalſami ſexuncē utere præparato. Iuxta hanc cōfectionem neq'ue quæ promittat, neq'ue quomodo præpareretur tradidit, tanquam iam ante ſententiā ipſius legētes intelligere queant. Ex eo enim quod dicit. Alia Arteriaca, ſimilia præſcriptæ ipſam promittere, nos intelligere cōuenit. præparatione aūt ex antea relatis cōputare oportet. XVIII. Cōfectio ſic tradita eſt. Arteriaca ex libris Perigenis, ad omnes arteriæ affectus. Croci drach. I. uuæ paſſæ exacinatæ drach. I. amygdalarū drach. VIII. myrrhæ obol. IIII. tragacāthæ drach. IIII. piperis albi obol. IIII. mel coctū. Vua paſſa torreť, amygdalæ excorticatur. Tragacātha in aqua maceratur per diem unā, & teritur, ac reliquis ammiſcetur.

Et hic

Et hic recte ab eo factum est quod tum promissionem, tum compositionem eius adiecit. Cæterum mediæ facultatis pharmacum existit, quare ad omnes affectus ipsum cōmodum esse ait. Est enim mediorū pharmacorū natura talis, unde etiā ipsis medijs affectionibus proprie & primario conuenit: his uero qui mollibus aut fortibus opus habent, neque emolumentum neque detrimentum magnū affert. Vltimam omnium Arteriacam hoc modo descripsit. Vini mulsi ueteris sextarios III. ad unum decoquito, deinde nucum pinearum tostarum heminam adijcito, piperis albi sextantem, ac utitor. Esset sane hoc pharmacum ex mollissimis, si non piper accessisset. Hoc uero addito, ad mediam facultatem peruenit: quapropter etiam eiusdem generis cum præscripto esse ratus subscripsit.

Arteriacæ à Critone conscriptæ quatuor numero.

EX arteriacis à Critone cōscriptis quatuor produxisse suffecerit. De prima scribit in hæc uerba. Ad uocem interceptam ob contentionem. Ficum & & eryngiū probe coquito, & ad decoctum gummi misceto, ut melle durior confectio fiat. Dato ad noctem. Facit & ammoniacum. Ob id sane pharmaci huius mentionem feci, quod in principio apta est hæc præscripta confectio si per eryngium præparetur. Ammoniacū autem inueteratis commodum: forte enim pharmacum existit. non recte igitur Crito fecit, quod cum moderato fortissimū pharmacū indiscriminatim tradidit. Si enim duro pro moderato permutatis uicibus uteris, non solum nihil iuueris, sed etiam lædes hominem. Alteram arteriacam scripsit Crito mediam facultate, concoctoriam & lenem his uerbis. Alia faciens maxime ad phonascos, & asperam arteriam, & tussis irritationes, dolorem aurium, ulcera in auribus, ac pudendo. Concoquit etiam destillationes. Thuris obol. IIII. myrrhæ drach. II. passi cyathos III. passum ad mellis spissitudinē decoquito, Deinde myrrham & thus trita cum passo semicocto ablato adijcito. Facit etiam ad dysentericos, cœliacos. Quidam croci etiam drachmam addunt, & fit auribus cōmoda atque oculis inflammatis. Hæc Crito perspicue & probe scripsit. Neque opus est me eiusmodi pharmacorū expositionē apponere, ut qui sæpe iam de his dixerim. Porro alias duas prædictę quidē similes, uerū moderatiori facultate & simplicissimas sic scripsit. Eclegma Faustianū appellatum. Vini falerni sextariū I. mellis attici lib. I. In duplici uase coquito, rutæ ramulo agitando. Alterū pharmacum tale est. Eclegma ex uino scybelite quo utimur. Vini scybelitæ sextarium I. gūmi quadrantem, mellis dodrantem. Coquito in duplici uasculo, gummi prius macerato ac dissoluto. Hoc solum loco apposuit, in duplici uasculo, hoc est diplomate, coctura fieri debere. Rectissime autē fecerit, qui omnes arteriacas quæ mitigatoria, cōcoctoriam, & lenitoriam uim habere prædicantur, in duplo uase coxerit, quod Diploma Gręcis uocatur, quomodo sane ungētarij ungenta præparant, Nimirum calidam aquam in magnum quendam lebetem infundentes, ac postea uasculū quod pharmacū coquendū in se habet, imponentes, & sic præustas prunas, aut ligna fumum non edentia succedentes.

Confectio Diacodyon ex capitibus papaueris, iuxta ueterū traditionem.

QVin & circa huius cōpositionē ueteribus indiscreta discordia fuit, Quidā enim ex ipsis ad capita papaueris CXX. aquæ sextarios XX. infundēdos censent, ut quælibet sextarij mensura, sex papaueris capita recipiat. Quidam uero in LXXXX. sextarios octingēta papaueris capita inijciunt, ut singuli sextarij capita X. accipiant. Quidam ita temperauerunt ut sextario uno VIII. capita tribuerentur. Quidam autem haud scio qua ratione, in aquæ sextarios tres capita papaueris LXXXX. coniiciunt, alij capita CXX. in eosdem tres sextarios addunt. Verum mihi uidetur ualde pauca aqua esse, ad tantam copiam capitum.

Confectio ex capitibus papaueris, Andromachi.

ANdromachus igitur, uelut suprà in arteriacis præscriptum est, alteram ex ipsis præparans sic scripsit. Capita papaueris uiridia mille ducenta, deinde ad finem, Aquam pluuiam, non apponens aquæ quantitatem.

Confectio ex capitibus papaueris, Critonis.

CRito uero sic, Cōfectio ex capitibus papaueris simplex, Capita papaueris agrestis octingēta, aquæ sextarios LXXX. coquito ad tertias, atq; expressis addito mellis lib. X. Si uero uariā efficere uelis, adde croci, myrrhę, succi hypocysthidis, singulorū drach. XII. thuris drach. VI. acaciæ drach. XII. Recte uidetur mihi ad singulos sextarios capita X. conijcere: ita enim contingit, quum scribat ipse, capita octingenta in aquæ sextarios LXXX. indendos esse. Et ego sanè hoc modo præparo non apponens, neq; crocum, neq; myrrhā, neq; aliud quicquam. Optima est enim simplicissima.

Confectio ex capitibus papaueris, Heræ.

AT uero Heras ad capita CXX. aquæ pluuiæ sextarios III. infundit, modicā omnino quantitatem, tametsi in quibusdam exemplaribus, non numerus capitum papaueris CXX. scriptus sit, sed pondus totidem drachmarum. Adscribam autem totam ipsius dictionem sic habentē. Capita papaueris uiridia CXX. in uas conijcito, & affusis aquæ pluuię sextarijs tribus ad triduū madescere sinito, deinde ad tertias coquito, & ablata ab igne exprimito ac colato, ammixtoq; mellis sextario in duplici uase coqto, atq; ubi spissari cœperit, acacię rufæ drach. unam, succi hypocysthidis drach. I. adijcito. Cæterum quum ipsa capita coxeris in aqua, croci drach. I. linteolo illigatam simul coqui permittito. Quidam etiam myrrhæ drach. I. addunt, ipsaq; cum modico passo terūt, atq; ita induntac simul coquūt, donec aliquantulum fuerit confectio inspissata. Quod si tamen nō medicamentariam confectionem facere uelis, cum capitum decocto ad tertias redacto, mel coques, reliquis non adiectis.

Confectio ex capitibus papaueris, Damocratis.

HOc pharmacum primum à Themisone præparatum est, inquit Damocrates, in libro Damocratis Philiatrus, hoc est rerum medicarū studiosus, inscripto. Scimus autem ex uersibus eum constare. Aiunt Themisonē hoc pharmacum primum præparasse ad tusses humidas, dolorē arteriæ, & gulæ, species fluxionū simpliciter omniū quæ circa thoracē consistunt, & ad uigilias, quarum sanè illæ existunt causæ.

Papaueris quod nominant ipsi agricolæ
Agreste; nam spontaneum est, nec conseritur,
Capita uirentia & recentia, integra,
Semens rubens nondum nigrum gerentia,
Decem quater centumq; magnitudinis
Mediocris, in nouam ollulam atq; amplam indito,
Infunde tres pluuia de aqua sextarios,
Macerato in his totam diem noctem simul,
Dein coquito lento igne, ac diutiuscule, &
Omnem liquorem expressum in ollam excipito.
Et mellis Attici libras tres addito,
Rursusq; lenem ad flammulam decoquito.
Dum mellis haud fiat liquidi bona compages,
Mox frigefacta in uitreum uas condito.
Sic nos quidem, at Themison primus qui prodidit

Vsum

Vſum,addidit myrrham,acaciam,& rubens crocum,&
Hypocyſthidis ſuccum,aſt ea obſoleta iam.
Simplex enim parata commodiſsima eſt,
Iucunda ualde,lenis atq; uiribus.
Ex hac datur myſtri minuti quantitas,
In noctem aliquando plus,minus rurſus diem.
Vt tempore pauco in ore quis hanc ſic detineat,
Iuſſus liquentem ſenſim ita poſt ut deuoret.
Quod ſi uoles aluum morandi gratia,&
Siſtatur ut pulmonis & ſtomachi fluor,
Eruptioq; ſanguinis ſeptum ſupra:
Facere,Eupatoricæ aut tu potius hinc Ponticæ
Addes Rhois ſucci ſimul drachmas duas,
Tantundem & Acaciæ bonæ,non ueteris,&
Auferre iam uolens ab igne pharmacum,
Diluta paſſo ambo hæc ſimul confundito
Paulatim,adhuc feruentibus in ollula,
Quo ferueant parum ſimul,mox uaſculo
Refrigerata indantur inde uitreo.

Confectio ex capitibus papaueris Sorani.

SOranus porrò ita præparandam cenſet. Capitū papaueris numero. CL. aquę ſextarios. XX. in lebetem nouum cōiecta ad dimidias coquito, & reiectis capitibus mellis ſextarium unum addito,poſtea uero myrrhę,croci,hypocyſthidis & acaciæ ſucci ſingulorum drach. I. obolos. III. linteolo illigato, & in ollam ſiue lebetem ſuſpendito, quo ſimul cum melle coquantur: poſtq; uero craſſeſcere inceperit,faſciculum colligatum tollito,& in mortarium coniectum cum paſſi cyathis. III. terito, indeq; in lebetem coniectum, lente ſimul donec ſpiſſetur coquito. Verum mitior eſt cōfectio quæ ex ſolo melle & capitum papaueris cremore cōſtat. Efficacior autem redditur,ſi in faſciculum linteoli, pro adſtringentibus, meliloтum & radicem dulcem addideris.

Confectio ex papaueris capitibus,Galeni.

CAeterum uelut ego compono confectionem ex papaueris capitibus,ita ea utendum cenſeo. Etenim quum de prædictis confectionibus experimentum ſumpſerim, præſtantior ea uiſa eſt, in qua ad unum aquæ ſextarium capita decem inijciuntur, quemadmodum Crito ſcripſit, aut ad duos ſextarios quindecim capita,uelut Soranus. In medio autem horum amborum terminorū eſt, ubi VIII. aut. IX. capita in unum ſextarium conijciamus. Præmacero autem ea nō ad triduum, uelut Heras, ſed neq; ſtatim ablatas coquo, ſed ſi quidem humidiora & molliora fuerint,ad unum diem, Accipiēda eſt autem in omnibus huiuſmodi ſermonibus etiam nox, Quemadmodum etiam annum dierum CCCLXV. eſſe, ſolemus dicere. Si uero duriora & ſicciora ſint, etiam longiori tempore ipſa macero, præſtat aūt accipere nondum indurata. Manifeſtū uero quod etiam ualde mollia abijcienda ſint. Sicciora enim modicum ſuccum habēt, Humectiora uero craſſum quidem ſed crudum adhuc & aquoſum ac debilem: quapropter ex humidis ac paluſtribus locis accepta fugienda ſunt. At uero numerum quem dixi inijci oportere iuxta proportionem aquæ,de mediocribus intelligere oportet. Quum enim quædam maiora moderatis, quædam minora exiſtant, Quædam uero inter hæc media,quemadmodum ut plurimum eſſe ſolent,ex his prædictum numerum ad ſextarium conijcere oportet. Terminus autem coctūræ ſit non ut tertia,

aut quarta, aut aliqua talis pars aquæ fiat reliqua, uerum ubi primũ in totũ flaccida fuerint facta, Succum enim ipsorum exprimere uolumus, hoc uero sufficienter continget, ipsis flaccidis factis. Superuacuũ igitur diutius coquere. Cæterũ mellis dimidiã mensuram huic succo ammiscendã censeo, & coquendo simul ad lentum ignem ad compagem Attici mellis. Verum in aqua pluuia quidam capitum coctură fecerũt, ne uidelicet ipsa ad aliam putredinosam qualitatẽ transmutetur. Tibi uero etiam fontana sufficiet, pluuia non præsente. Satis est & ipsam mundã esse, & omnis mixturæ exortem. ob quam rem ea quæ per plumbeos canales deriuatur fugiẽda erit: limus enim quidã ex plumbo in ea continetur. Vnde etiam qui aquæ eiusmodi fecem combibunt, dysenterici euadunt.

Deusu confectionis ex papaueris capitibus.

VSus eius est in his qui somno opus habẽt, quibus etiã ex opio cõstantia se pe exhibere cogimur. Opus habẽt maxime huiusmodi pharmacis hi quibus tenuis fluxus à capite ad asperam arteriam destillat, nõ permittens dormire, ob consequentẽ tussim, In talibus ego etiam ex sapa pharmaci cõfectionem parare soleo. Dictũ autem à me antea est Sapam, Hepsema à nobis appellari mustũ coctum, quod etiam siræum quidã Medici uocant. Sufficiens coctura eius ad huiusmodi est, ubi capita papaueris ad medietatem aquæ fuerint decocta, Quin & per passum, aut Theræum Creticũ, melius est quàm per mel cocturam fieri, ubi fluxus ualde tenuis extiterit. Scimus enim attenuantis facultatis mel esse, fugiendum igitur tunc, tenues enim fluxiones auget. Ammiscetur etiã huiusmodi pharmaco dum coquitur, radix dulcis quo simul coquatur. Vbi uero hæc non adsit, succus qui ex Creta asportatur. Si uero circa pulmonẽ cõsistat copia fluoris à capite delati, confectio ex melle melior est. Quemadmodum enim somno opus habentibus, ea quæ ex sapa cõstat. Sic reiectione per sputũ indigentibus, ea quæ ex melle fit, cõmodior existit. Cõtra urgenti igitur renitendo, ubi somnum capere uult æger, aut quod ex melle constat, aut quod citra hoc apparatum est, pharmacum exhibebis: aliquando etiam ambobus permixtis, scopum habens ipsum urgens, circa mixturã, ex utro amplius conijcere oporteat. Appello autem urgens, id quod maiori auxilio opus habet. Datur cõmoderata mensura, duorũ cochleariorum satis magnorũ copia, Augebis autem & minues hanc copiam, ad magnitudinem corporis cui exhibiturus es, respicies, item ad ætatem, & anni horam, ac regionem, In omnibus enim his, frigidioribus minimũ dabis, calidioribus amplius. Quod uero etiam multitudinis ac qualitatis ipsius destillationis respectu, aut plus aut minus dabis, manifestum existit. Cõmune enim hoc in omnibus auxilijs est. Suffecerant equidem præscriptæ arteriacæ, uerum apponere amplius mihi uisum etiam eas quæ Asclepiades in secundo interiorum scripsit. Aliquæ enim ex eis penitus eædem sunt. quædã præscriptis ualde uicinæ, ut & ex eo certitudo descriptionum confirmetur. Quin ultra hæc præparãdi & utendi modus, diligentius ab ipso Asclepiade traditus est.

Arteriacæ ab Asclepiade in II. internorum conscriptæ, Quæ Mnasoni inscribit. Antonij Musæ, ad uocem interceptam.

BRassicæ uiridis cauliculos depuratos manducandos præbe, & quod instar palearũ exuccũ est expuere iube, succũ uero delingere. Alia, Brassicæ succũ cum melle coctum delingendũ exhibe. auxiliatur confestim. Alia, Succi eryngij in aqua cocti heminas duas excipito, & succi ficuum in aqua coctarum tantundem, his adde gummi subtilissime dissoluti drach. VIII. coquito diligenter ad arteriacæ spissitudinem, & inde cubitũ ituris ad cyathi mensurã delingendum præbe. Alia arteriaca Charixenis. Facit ad sonum uocis fractum, destillationes

destillationes in arteriam, uocem interceptã & raucosam, ad interceptiones uocis ex distensione. Croci drach. II. succi cyrenaici drach. I. mellis Attici cyath. VI. Mel coquito, & ubi spissatum fuerit, reliquis ammisceto, ac utitor uelut dictũ est pilulis inde formatis, quæ sub lingua detineant. Alia. Galbani drach. VI. piperis drach. I. nitri drach. I. mellis Attici cyath. VI. Galbanũ & mel coquito, & densata reliquis unito, utitor ut dictum est. Alia ad exulceratam arteriam, Charixenis. Facit phonascis ante & post certamen data. Facit ad oculorum dolores, forinsecus imposita. Lana ex ea madefacta facit & ad internas affectiones delinita. Gũmi, tragacãthæ utriusq; drach. VI. thuris, myrrhæ, utriusq; drach. I. obolos. III. croci, hypocysthidis succi, utriusq; drach. I. passi scybelitæ aut Therei sextarios VI. Gummi, tragacantham, myrrham, thus, unà cũ hypocysthidis succo macerato, affusa ipsis passi portione, atq; ubi dissoluta fuerint, diligenter terito, & ad passum misceto, assidueq; mouendo coquito. Crocum uero laneo panniculo inditum, & in ollam suspensum, unà cum pharmaco coquito, Deinde exemptũ passo dilutũ ac tritum ad pharmacũ conijcito, & repositis utitor. Alia. Succi radicis dulcis, tragacanthæ utriusque drach. III. croci, myrrhæ, utriusque drach. I. thuris, spicæ nardi utriusq; obolos. III. protropi sextarios. III. Vtere.

Alia Lysiæ ad easdem affectiones. Croci, myrrhæ, succi radicis dulcis, thuris, casiæ, singulorũ drach. I. piperis grana. XXIIII. passi cretici sextarios. III. mellis Attici cyathos. VI. Vtere. Alia Charixenis. Croci drachũ. III. myrrhę drachmam unam & dimidiam, thuris, glycyrhizæ, utriusque drach. I. passi cretici sextarios. III. Facit ad sonum fractum, destillationes in arteriam, interceptam uocem, tonsillas inflammatas, facit etiam ad phonascos ante & post certamen data. Iuuat perfrigeratos, facit ad recentem & ueterem tussim, ad spuentes sanguinem, eundemq; sursum reiectantibus prodest, & cœliacis. Conducit item ad spiritus fœtorem. Alia hypogloßis, sub lingua tenenda. Facit ad arteriam exasperatã, & uoce interceptã, itẽq; reliquas affectiones. Tragacanthæ, gũmi thebaici, utriusq; drach. III. myrrhæ, thuris non secti, utriusq; drach. I. obol. III. croci drach. I. succi glycyrrhizæ obol. III. Phœnicobalanorũ triũ carnem, passi protropi aut Theræi quod satis est his excipiendis. Decoquatur ad crassitudinem mellis, Datur fabæ Aegyptiæ magnitudine sub lingua tenenda, & dissoluta transglutiẽda. Alia hypogloßis Dioscoridæ. Croci, myrrhæ, tragacãthæ, radicis dulcis succi, singulorũ drach. I. nuces pineas cõtusas numero sexaginta, amygdalas mũdatas totidẽ. Excipe melle cocto. Datur nucis põticæ magnitudine sub lingua tenẽda.

Alia Scribonij Largi hypogloßis. Facit ad uocem interceptam. glycyrhizæ drach. VIII. myrrhæ drach. XXIIII. terebinthinæ drach. XXXII. tragacanthæ drach. XXXVIII. Arida singula per se tũdito ac cribrato, Resinã aũt in pilã cõiectam tũdito, arida ad ipsam inspergendo, quos deinde ex unitis omnibus pastillos formato, fabæ Aegyptię magnitudinis, quos in umbra siccato, atq; usus tẽpore unũ aut duos sub lingua tenendos dato, ac liquescentes deuorãdos. Oportet aũt hoc pharmacum confestim in pastillos cõformare. Quo tempore igitur pastillos cogis, eodem etiam tundes, Resiccantur enim cito, & ob id pastilos ex eo formantem ad manũ simul tundere oportet. Alia aromatica Mithridatis. Facit ad Arteriæ affectiones, pulmonis ulcerationes, spuentes sanguinẽ, tabescentes, suppuratos, & peripneumonicos. Croci drach. II. & dimidiã, myrrhæ, resinæ terebinthinæ utriusq; drach. II. thuris sesquidrachmam, nardi, cinamomi, cassiæ, tragacanthæ, singulorum drach. I. mellis Attici heminam I. Mel & resinã coquito, ut tractilia fiant ac fibrosa, & nõ inquinent in frigidã aquam instillata, dein cum aridis cõmittito, ac probe cõtundito, & reponito. Vtere nucis ponticæ magni-

tudine sub lingua detēta. Alia Mithridatis. Myrrhę, croci, utriusq; drach. IIII. nardi Indicæ, terebinthinæ utriusq; drach. II. thuris, cassiæ, cinamomi singulorum drach. I. passi cretici heminas. III. Passum & terebinthinā ad perfectā compagem coquito, & cum siccis cōmittito. Indeq; ad nucis ponticæ magnitudinem sub lingua tenendū dato. Alia ex filice Andromachi aromatica. Prodest hæmoptoicis, pleuriticis, tabescentibus, splenicis, hepaticis, ictericis. Facit & ad affectiones circa uterū & uesicā. Radices filicis q̄ crassissime lauātur diligenter donec omne terreū ab eis decedat, deinde perfrigerātur ad diem unā, & ex ipsis libræ x. in frusta digitalis magnitudinis secātur, & cōquassant, ac in uas figulinū cōijciuntur. Infundūtur deinde aquæ dulcis sextarij x. & ad ignē positę coquuntur. Quū uero ad dimidias deuenerint per coctură, eas tollimus & in duplū uas ungentariū excolamus, & radices quidem expressas proijcimus. In aquam uero crasso modo cōtusa conijcimus: balaustij drach. VI. nardi Indicæ, rosarū siccarū utriusq; drach. IIII. cinamomi drach. III. glycyrhizæ drach. VI. cassiæ drach. IIII. Rhei pontici drach. IIII. Deinde rursus ad ignem admota coquimus, & ubi ad dimidias peruenerint, rursus in aliud parium uas ungentariū excolamus, & arida quidem expressa reijcimus, ad aquam uero mellis Attici heminas IIII. addimus, probeq; mixta & igni adhibita, rursus coquimus, & quū instillata in frigidā non inquinarint eam, his resinæ terebinthinæ drach. III. galbani nō lignosi tantundē, ammiscemus. Hæc uero liquefacta ad subscripta deplemus. Sunt autē hæc, croci, succi hyoscyami, succi mandragoræ, piperis albi, succi hypocysthidis singulorum drach. I. omnia hæc tenuissime trita, & cū primo filicis succo unita habeto, ut strigmētitiam crassitudinem habeant. Postquam igitur inuicem permixta ac probe conquassata fuerint, in uitreum aut argenteum uas reponimus. Datur ex pharmaco cochlearium, maxime iuuat uocem interceptam.

Alia panacea Mithridatis, ad phonascos ante & post certamē. Facit & ad glādularū inflāmationes, laxatas columellas. Facit ad gingiuas humore pregnātes, & nomas in ore, & mōtos dentes. Prodest destillationibus, recēti ac ueteri tussi, hemoptoicis, & sanguine reijciētibus. Vtor pharmaco hoc quādoq; puro, quandoq; passo dissoluto, aut uino scybelite, & aqua calida. Etenim ad tonsillarū inflāmationes dissoluto pharmaco utendū est. Ad affectiones uero in profundo, puro. Cōpositio sic habet. Capita papaueris agrestis, numero. CL. filicis lotę drach. III. symphyti depurgati, corticis mādragoræ, Rhei pontici, rosarū siccarū, iridis chalcidoniæ, glycyrhizæ pōticæ, balaustij, singulorū triētem, cinamomi, drach. II. nardi celticæ sesquidrachmā, aquæ pluuiæ sextarios. XV. Prædicta in crassas partes contusa in uase duplici ungētario ad triduū macerātur, sequēti deinde die ad tertias coquūtur, & postea in qualluм coniecta exprimimus ab ipsis in aliud uas ungentariū liquorē, & res decoctas abijcimus quidē, uerū de expresso liquore quantū sufficit accipientes, subscriptas res in ipso dissoluimus. Sunt autē hæ, gūmi, tragacanthæ albæ, utriusq; lib. I. myrrhæ, succi radicis dulcis, succi hypocysthidis, singulorū sextantē. croci, mastiches utriusq; unciā I. Hæc dissoluta diligenter terimus, paulatim ex expresso liquore adstillantes. Postea ad pharmaci cōfectionē uino scybelite, aut thereo, aut pramnio utimur. Sint autē eius sextarij XXIIII. Passum in uas fictile diffusum coquimus, atq; ubi mellis spissitudinē acceperit, ipsi dissoluta & trita pharmaca adijcimus, rursusq; coquimus ad cōpagem, & sublato in uas uitreū aut argenteū utimur, queadmodū dictū est antea.

Aliam ad destillationes, & omnes tussiculosas affectiones, Asclepiades in primo internorū sic tradidit. Ad destillationes pharmacū quo usus est Comon philosophus, auxiliatur statim. Pyrethri, costi, utriusq; drach. II. piperis albi drach. I.

tuſa & cribrata reponito. Vſu uero expetente, naribus admouere, & pharmacũ
attrahere iubeto. Alia. Piperis albi drach. I. ſeminis urticæ tantundẽ, coſti,
myrrhæ, croci, ſingulorũ obol. III. præparato ac utitor ut dictũ eſt. Alia do-
lorem ſedans, Antonij Muſæ. Facit ad deſtillationẽ, & uocem interceptã. Opij,
myrrhæ, ſeminis hyoſcyami ſingulorũ drach. II. ſingula in cicutæ decocto mace-
rato ac diligẽter terito, & ex mixtis catapotia erui magnitudine formato, & duo
ex ipſis ante ſomnũ dato. Alia facit ad hæmoptoicos, Seminis hyoſcyami
albi drach. VIII. nardi Indicę drach. VI. croci drach. IIII. opij, amyli, aniſi ſingulorũ
drach. II. rubricæ lemniæ drach. I. cũ aqua catapotia erui magnitudine formato,
ac utitor ut dictũ eſt. Alia delingibilis, ad tuſſes extremas & inueteratas. Vi-
ni falerni ſextariũ I. mellis Attici lib. I. coquito aſſidue agitando cũ ramulis rutæ;
Dato inde myſtrũ. Facit & ad ſtomachicos. Alia Petini, ad ulcerationes &
ſuppurationes in profundo. Vini mulſi ueteris ſextar. I. axungiæ ueteris ſextan-
tem, alij unc. I. Axungiã probe cum uino mulſo terito ac diſſoluito, indeq; in uas
fictile transferto, & ad prunas ramulis rutæ agitando coquito, & ubi denſata fue-
rint, in uaſe uitreo reponito, ac myſtrũ delingendũ ut prædictum eſt exhibeto.

Alia Origeniæ. Glycyrhizæ ponticæ drach. II. ſeminis urticæ toſti, ſeminis li-
ni toſti, utriuſq; drach. I. myrrhæ, croci, utriuſq; obol. I. mellis Attici, aquæ, utriuſ-
que cyath. VI. Glycyrhizã aqua coquito, deinde expreſſo liquore, reliqua terito,
& melle cocto excipito, ac delingenda præbeto. Alia, Ari toſti drach. I.
ammij torrefacti, nucũ pinearũ toſtarũ, Irionis toſti, ſingulorum drach. I. excipe
melle cocto. Alia placentula, hoc eſt, Coptarium ad tuſſiẽtes. Seminis lini
torrefacti, contuſi, & cribrati. Vuæ paſſæ pinguis citra acinos, utriuſq; ſextariũ I.
nucũ pinearum toſtarũ, nucum ponticarũ depurgatarũ, utrarumq; heminã I. pi-
peris albi ſextantem. myrrhæ, croci, utriuſq; unc. I. mellis Attici lib. IIII. cõtuſa ut
oportet tritaq; reponito. Semẽ lini cũ melle coquito, & denſata reliquis addito;
miſceto ac cõtundito. Datur nucis ponticæ magnitudine. Alia. Facit & ad
Thoracis affectiones. Farinæ fabaceæ tenuiſſimæ toſtæ heminã I. iridis Illyri-
cæ quadrantẽ. nucum pinearũ toſtarũ ſextantẽ. pulegij aridi cõtuſi ſeſquidrach-
mam. ſeminis urticæ drach. I. piperis unc. dimidiã. Mellis boni ſextar. II. farinam
cum melle ad denſitatẽ coquito. Seminis lini etiã tuſi, toſti, & cribrati heminã II
in promptu habeto & adijcito. Alia ad tuſſim, & ſpiritus prolationẽ, ualde
probe expurgans. Hyſſopi, pulegij, utriuſq; ſextantẽ. iridis, ſeminis ſinapis, na-
ſturtij, ſingulorũ unc. I. aniſi, piperis, utriuſq; unc. I. tuſa & cribrata melle cocto ex-
cipito. Datur cochlearij boni mẽſura. Si uero hyems ſit, & accepturus nõ febriat,
piperis ſextantẽ, & pro aniſo, fœniculum aut cuminũ, & pro naſturtio, ſinapi du-
plum cõijcito. Catapotiũ ad tuſſim recentẽ. Panacea pharmacũ dolorem le-
uans, inducẽs ſomnũ, facit ad hæmoptoicos. Styracis drach. VIII. opij, myrrhæ
utriuſq; drach. IIII. diluta paſſo in catapotia cogito, & erui magnitudine cubitũ
euntibus dato. Alia exemplaria par pondus omniũ habent. Aliud Platoni
inſcriptũ, e ueſtigio auxiliatur. Styracis, myrrhæ, opij, galbani, ſingulorum par
pondus, paſſo diluta in catapotia redige. Aliud Baſſo inſcriptũ pharmacũ
accõmodatum auxiliatur ſtatim. Facit hæmoptoicis, ſanguinẽ reijcientibus, ſup-
puratis. Galbani, ſtyracis, iridis illyricæ, corticis pinus, ſingulorũ drach. II. enu-
læ, opij, utriuſque drach. I. Excipe melle cocto, & præbe ciceris magnitudine ex
aquæ mulſæ cyathis. IIII. Confectio ex marrubio Platonis. Myrrhæ, ſty-
racis, opij, ſucci marrubij, galbani, croci, æquales partes, præpara ac utere, melle
exceptis cocto. Catapotium dolorem ſedans, pharmacum accommoda-
tum ad inueteratas affectiones. Facit ad deſtillationem, dolorẽ capitis, ægre ſpi-
rantes, peripneumonicos, ad ueſicæ & uteri affectiones. Inſcribitur panacea ac-

commodata, ab aliquibus Stichus. myrrhæ, piperis, opij, styracis, castorij, galbani, æquas partes excipe passo, fac catapotia, & utere. Aliud pharmacū ualde bonū, Inscribitur Harmonia, Facit ad destillationes, & inexuperabilem defluxum. Styracis, castorij, piperis, cardamomi, singulorū drach. III. opij, myrrhæ, seminis hyoscyami albi, singulorū drach. IIII. Excipe passo, reduc in catapotia, Dato ciceris magnitudine ad somnū. Aliud, Croci, sulphuris uiui, myrrhæ, opij singulorū drach. IIII. seminis hyoscyami albi, cardamomi, piperis albi singulorū drach. VIII. mellis cocti quincūcem, aut quod satis est. Vsus prædictus est, Datur cubitū eūtibus. Cōfectio Proxeni, ad tusses inueteratas, & ualde diu durātes humectas affectiones, appellatur Symphonos Lexopyretos, id est, optime sedās febrē. Hac usus est Antonius Musa. Piperis albi, opij, cardamomi, singulorum drach. VIII. croci, sulphuris uiui, myrrhę, seminis hyoscyami albi, singulorum drach. IIII. mellis cocti sexuncę. Datur nucis ponticæ magnitudine cum aqua mulsæ cyathis tribus.

Confectiones ad tussim ab Andromacho libro II. de confectionibus internis conscriptæ. Cap. III

Postquam multas ad tussim Andromachus scripsit cōfectiones, deinceps omnes soporē inducētes, et ob id soporiferas appellatas tradidit. Cæterū hæ omnes tenues fluxiones inspissare possunt, resiccantes similiq; refrigerantes, & propterea aliquæ nō tantū opiū, sed & mādragoræ succū, aut radicis corticē, aut hyoscyami semen, aliquę etiā duo aut tria, aut etiā omnia huiusmodi habent. Quemadmodū aliæ styracē, & crocū. Rationabiliter aūt his alij partim calfacientia ammiscuerūt, partim cum modica adstringēdi ui aromatica & reficcātia, itemq; semina quædā familiaria. Velut anisi, fœniculi, apij dauci, seselis, utpote quæ tum pharmacorū iniucunditatē ac uim obtundūt, tum urinā etiam prolectant. Quædā uero etiā asperitudines leuigant, uelut sunt, tragacātha, glycyrhiza, & uina dulcia. At uero ex his, quæ minus de sopore inducētibus cōplectuntur, eas etiā tabescentibus præbent. Confectio ad tussim ex duobus piperis generibus. Cinamomi drach. I. succi papaueris drach. I. myrrhæ obol. III. piperis nigri obol. III. castorij obol. III. piperis albi obol. III. galbani obol. III. croci dimidium, Redigito in pastillos, Dato cum melle aut passo. Alia ad tussim excellenter efficax. Eadem febres sedat. Seminis hyoscyami unc. dimidiā. Vnū exēplar unc. I. habet. cardamomi drach. I. succi papaueris unc. unā, myrrhæ, sulphuris uiui, croci, singulorum unc. dimidiam. piperis albi iuxta Heram sesquunciam. Mellis Attici quod satis est. Alia ad tussim siccam. Styracis partem I. succi papaueris tantundem, croci partem dimidiam. contundito simul & catapotia inde exhibeto. Cōfectio ad tussim qua utor, Sacrificuli bona. Succi papaueris drachmas X. seminis lactucæ drach. XX. castorij drach. XVIII. alij XVI. rutæ hortensis aridæ drach. XIIII. croci drach. VII. alij unciam unam. Excipe melle. Datur pro uiribus ægyptiæ fabæ magnitudine, febrientibus ex aqua, febre carentibus ex uino, ad noctem. Catapotiū ad tussim quo utor. Styracis, myrrhę, opij, singulorū drach. IIII. opobalsami, croci, utriusq; drach. II. simul trita excipe, ac utere. Ad tussim siccam. Succi radicis dulcis drach. II. styracis drach. I. opij, croci, myrrhæ singulorū obolos. III. excipe passo aut aqua, & ad fabæ grecæ magnitudinem redigito ac utitor. Potio qua utor ad phthisicos, Rhipali multis cōmoda appellatur Menodorios, & Ambrosia. Facit ad febres per circuitum repetentes. Nardi, croci, myrrhæ, costi, cassię, cinamomi, iunci rotūdi odorati, piperis nigri & albi, castorij, galbani, terebinthinæ, styracis, succi papaueris, seminis hyoscyami, singulorum drach. I. tragacanthæ drach. VI. mellis quod satis est. Vini falerni heminā I. Tragacantham uino

sufficienti

ſufficienti macerato, & reliqua ſimul cum melle committito. Datur febrientibus ſeſquidrachma, ex aqua mulſa. Febre carentibus uncia dimidia, cũ melle, & aceti cochleario I. & uini Falerni cyath. II. Apollonij confectio, facit ad multa præſertim ad tuſſes egregie. Cardamomi drach. XVIII. myrrhæ, drach. XII. hyoſcyami drach. XII. opij drach. X. alij XII. ſeminis petroſelini drachmas XII. croci drach. XV. malorũ mandragoræ drach. X. zingiberis drach. VIII. ſulphuris uiui drach. VI. ari drach. VI. thuris drach. VI. coſti drach. VI. piperis albi drach. VI. mellis Attici. Alia ad internos abſceſſus, probe repurgãs. Sagapeni drach. II. myrrhæ drach. II. cardamomi drach. IIII. alij drach. I. caſtorij drach. I. piperis albi obol. III. opij drach. II. cum aqua in paſtillos formato duorũ obolorum ponderis. Dantur cum aqua. Iſotheos ad tuſſim, ad tabem, ad omnes internas & per circuitũ repetentes affectiones. Nardi drach. II. myrrhæ drach. I. croci drach. I. & dimidiã, coſti drach. I. piperis albi drach. I. fecis opobalſami drach. II. cinamomi drach. II. ſucci mandragoræ drach. II. caſtorij drach. II. ſeminis dauci drach. I. & dimidiã. opij drach. II. amomi ſeſquidrachmam. caſſiæ nigræ ſeſquidrachmã. mel coctum. Facit ad dolores ſtomachi, hepatis, pulmonis, oculorũ, ſanguinis reiectionẽ, abſceſſus. Prodeſt dyſentericis, uoluuloſis, nephriticis, iſchiadicis, ægre ſpirantibus. Vrinæ ſuppreſſæ, doloribus laterũ, præcordiorũ, ad fluxum muliebrem, & uteri ſtrangulationẽ. Admirãda eſt Antidotus ad lethalia uenena, ante & poſt cibum ſumpta, ad omnem ſanguinis eruptionem cum frigida, & ad morſos à uipera, & percuſſos à phalangijs, in uini cyathis tribus. Quartanarijs prælotis dantur ante horam acceſſionis oboli. II. ex uini cyathis tribus.

Potio ad tuſſim, Dyſpnœam, & alia multa Antipatri, qua utor. Styracis drach. VI. terebinthinæ drach. IIII. opopanacis drach. II. galbani drach. II. iridis Illyricæ drach. II. myrrhæ drach. II. ſeminis hyoſcyami albi obolos IIII. ſpumæ nitri obol. IIII. piperis albi obolos IIII. opij obol. V. Datur quãtitate fabæ Aegyptiæ ad ſomnum. Quidam opij obolos III. alij drachmam unam conijciunt.

Eclegma ad tuſſim. Nucleorum nucum pinearum drach. XII. ſeminis lini toſti drach. VIII. tragacanthæ drachmas XII. carnis palmularum drachmas XVIII. iridis Illyricæ drach. XII. amygdalarum dulcium drachmas XVI. Mel coctum. Dato delingendum bis per diem, mane & ueſperi. In quibuſdam tragacantham aqua pluuia diſſolutam primum cum melle coquito.

Catapotion ad tuſſim, Criſpi Liberti. Myrrhæ, piperis albi, galbani, caſtorij, ſtyracis, croci, opij, ſingulorum par pondus, ſtyracis dimidium. Dato inde catapotia II. ad noctem. Scribonij ad tuſſim. Seminis apij drachmas duas. floris iunci odorati, nardi celticæ, ſtyracis, croci ſingulorum drach. unam. balauſtij obol. III. ſucci papaueris drachmas IIII. mellis quod ſatis eſt. Datur magnitudo fabæ non febrientibus ex aceto mulſo. febricitantibus cum aqua.

Aſclepiadæ ad tuſſim. Rhei pontici, croci Cilicij, ſucci papaueris, ſpicæ nardi, thuris, myrrhæ, ſingulorum drach. unam. radicis nardi Celticæ ſextantẽ. ſtyracis ſexuncem. Datur drachma una cum uino mulſo.

Theſpiana Apollonij ad internos abſceſſus. Seminis apij drachmas III. ſucci papaueris drach. III. melanthij drach. III. iridis Illyricæ drachmas VII. caſtorij drachmas II. ſeminis dauci drachmas VII. ſinopidis rubricæ drach. VII. excipe melle cocto, & dato nucis ponticæ magnitudine ex aqua.

Cataporium reſiccatoriũ. ad fluxiones Thoracis, ad molæ dolorem, affectiones per circuitũ repetentes, & percuſſos à ſcorpio. Succi papaueris, ſeminis hyoſcyami, utriuſq; par pondus cum paſſo aut melle ad fabæ græcæ magnitudinem formato, Dato ad noctem. ſomnũ inducẽdo prodeſt. Cõfectio finiens febrem Pamphili pharmacopolæ bona. Seminis hyoſcyami unc. I. cardamo-

mi exenterati unc. I. succi papaueris unc. I. sulphuris uiui unc. dimidiã. croci unc. dimidiã, myrrhæ unc. dimidiã, euphorbij drach. II. costi drach. III. iridis Illyricæ drach. III. piperis albi drach. IIII. & dimidiam. Mellis quod satis est. Vtere.

Catapotium ad tussim & alia multa cõmodum, & præsertim ad tussim humidam. Iunci odorati drach. VI. opij drach. IIII. galbani drach. VI. styracis drach. IIII. fiant Catapotia araci magnitudine, dentur ad somnũ. Alia sedãs febrẽ, Darij. Hac antidoto usus est ad omnia, ad tonsillas, tusses, & anginas. Croci unc. I. piperis quicuncẽ, myrrhæ unc. I. succi papaueris unc. I. thuris tantundẽ. seminis hyoscyami tantundẽ, cardamomi tantundẽ. costi drach. IIII. iridis Illyricæ drach. III. aristolochiæ drach. II. melle Attico excipito. Aliud ad omnẽ tussim expertũ. Anisi drach. II. costi obol. III. myrrhę drach. I. castorij, galbani, piperis albi, seminis hyoscyami, opij, succi radicis dulcis, singulorũ drach. I. excipe passo, redige in catapotia ciceris magnitudine. Dato in noctẽ. Catapotiũ concoctorium ex libris Perigenis, ad tussim & destillationẽ. Styracis obol. II. piperis grana. XX. myrrhæ drach. II. & dimidiam. seminis hyoscyami obol. IIII. euphorbij drach. II. iridis Illyricæ drach. II. opopanacis drach. II. croci obol. III. opij obol. III. terebinthinæ drach. I. piperis albi obol. III. galbani drach. II. trita excipe galbano ac resina, opioq; & styrace. Datur prout sunt uires. Apollonij confectio ad tussim cõmoda. Foliorum malabathri drach. VIII. croci drach. VI. opobalsami drach. I. spicæ nardi drach. I. rosarũ siccarũ, floris iũci odorati, singulorũ drach. I costi, cassiæ, styracis, myrrhæ, mei, singulorũ drach. III. uuæ passæ mundæ drach. XVI. succi mãdragoræ drach. VI. mellis quod satis est. Vuam passam in Cretico passo per noctẽ & diem macerato, deinde ammixtis aridis terito, et mel misceto, ac reposito utitor. Potio ad tussim ex libris Apollonij, item ad muliebrem fluxũ. Seminis hyoscyami drach. III. myrrhæ drach. III. croci, succi mãdragoræ, thuris, singulorũ drach. III. piperis albi & nigri utriusq; drach. IIII. uiticis drach. III. opij drach. III. mellis & uini chij quod satis est. Datur magnitudo fabæ.

Ad tussim, incipientem phthisim, hæmoptoicos, ad fluxiones. Seminis hyoscyami drach. IIII. radicis nigræ mandragoræ drach. IIII. Rhei drach. III. corallij drach. III. opij drach. III. lycij drach. I. balaustij drach. III. thuris drach. V. tragacanthæ drach. II. croci drach. III. Cum aqua pastillos triobolares formato. Datur hæmoptoicis ex posca, Reliquis in aqua. Potio prodita à Cletio Abascanto ad tabescẽtes, quo utor abũde, Verũ ineptũ est ad sanguinis reiectationẽ. Aristolochiæ dactylitidis drach. XX. sulphuris uiui drach. XX. corticis mãdragoræ drach. XX. thuris drach. XL. gẽtianę drach. XXX. seselis drach. XXX. opij drach. XL. seminis hyoscyami albi drach. XL. myrrhæ drach. XL. croci drach. VIII. piperis albi grana C. euphorbij drach. X. baccarum lauri drach. VII. & dimidiam. costi drach. VII. & dimidã, Cardamomi drach. VII. Euphorbiũ, & myrrhã in uino tũdito, opiũ uero & hyoscyamũ in uino mulso. Reliqua priuatim tũdito, ac simul misceto ad mel coctũ. Vtere pharmaco non recenti. Recte apposuit Andromachus ad hoc pharmacũ, quod sit ad sanguinis reiectationẽ ineptũ, ob sulphur uidelicet uiuũ, & euphorbiũ, partim etiam ob lauri baccas. Catapotium ad tussim statim auxilians. Iridis obol. IIII. croci Cilicij sesquiobolum, myrrhæ obol. II. cinamomi obol. IIII. cassiæ obol. IIII. seminis hyoscyami albi obolos II. seminis papaueris nigri obolos II. seminis cicutæ obol. II. redige in pastillos obolares aut semiobolares cũ passo, & præbe in passi quarta heminæ parte. Aliud, Ad omnem tussim, & fluxionem, & abscessus internos, ut Apollonius. Sagapeni, gentianæ, myrrhæ, opopanacis, piperis albi, singulorũ drach. II. baccarum lauri mundarum drach. IIII. trita cum aqua reduc ad magnitudinem fabæ græcæ, Dato autem ischiadicis paulo plus ex uini diluti cyathis tribus.

Ad Phthisicos

Ad Phthisicos aliud, Cuius utilitatẽ expertus sum, Fabiani Cretensis. Succi hypocysthidis drach. VIII. myrrhę drach. VIII. castorij drach. VI. thuris drachmas VIII. succi Rhois drach. IX. sagapeni drach. VI. succi papaueris drach. VIII. anisi drach. IX. seminis apij drach. VIII. marrubij drach. I. corticis mandragoræ drach. X. piperis longi drach. VIII. & albi drach. V. & dimidiã. uerbenacę supinæ drach. unam. mel coctum. Catapotium album, ut Prytanis & Apollo. Myrrhæ, seminis hyoscyami albi, opij, styracis, singulorũ æquale pōdus, formato catapotia quãta deuorari possunt, his ipsis uua passa, aut passo, aut palmularum carne exceptis. Catapotiũ ex libris Perigenis. Ad tussim Seminis hyoscyami, castorij, myrrhæ, styracis, singulorũ par pōdus. Dato magnitudinem fabæ cum passo, aut aqua mulsa. Catapotia ad tussim humidam ex libris Perigenis. Styracis, galbani, ammoniaci thymiamatis, castorij, opij, singulorũ æquales partes in catapotia erui magnitudinis redigito, ex eisq; duo exhibeto.

De reiectatione sanguinis. Cap. IIII

IN reiectatione sanguinis primum periculum est, ne immoderata eius euacuatio fiat. Verũ post suppressũ sanguinẽ, Curatio eius quidem quæ ex apertione osculi alicuius uasis contigit, per obturationem fit oris dilatati. Eius uero quæ ex uasis ruptura, per eiusdẽ cōglutinationem. Quemadmodũ eius quæ ex erosione, per renutritionẽ erosorũ. Obturatur igitur osculũ dilatatũ, per adstringentia: conglutinatur autẽ ruptum, per eadẽ, & quæcunq; ipsis in cōpositione miscentur citra mordacitatẽ resiccãtia, & glutino sum quiddã habẽtia. Velut est lemnia terra sphragis appellata, & Samius aster. Renutriũtur autẽ corrosa, per cibos boni succi, & pharmacã carnẽ gignentia, sarcotica Græcis appellata, de quorũ facultate dictũ est in secũdo opere huiusmodi tractationis. Iuxta primã quidẽ igitur rationem, ex talibus pharmaca cōponuntur ad reiectationẽ sanguinis curandã cōuenientia. Iuxta secũdam uero, in his qui ex pulmone, aut thorace, aut arteria, aut summa arteriæ parte sanguinem reiectant. Miscentur enim prædictis cōgruenti mensura tum calida, tum tenuium partiũ existẽtia, quæ infestissima sunt prędictis tribus affectionibus, apertioni uidelicet orarum, rupturæ, & corrosioni. Cuius rei gratia itaq; miscentur? Distributionis nimirũ ipsorum in corpus. Etenim adstringentia & uiscosa ac tenacia sibijpsis uias præcludunt, quare opus habent facultate ipsis uiã struente ac præparante. Porrò quum ex locis circa stomachum, aut aluum, aut aliquod intestinum, sanguis educitur, huiusmodi pharmacorũ mixtura non est opus. Verũ rursus infestissimum his est hoc genus pharmacorum, quod in tantum refrigerat, ut affectio stupefiat: & tamẽ etiã hæc ammiscentur medicamentis ad hæmoptoicos conuenienter paratis, ut quæ altiorem somnum ac soporem inducãt, & commodissima sunt his qui à tussi lancinãtur, sistentia nimirũ sanguinem qui ad affectum uas defertur, atq; hoc per suam frigiditatẽ. Atq; hi quidem sunt cōponendi scopi. Copia autem materiæ pharmacorum, quæ sufficientem experientiam prioribus medicis, qui circa curatiuam artis partem diligenter uersati sunt, exhibuerunt, deinceps refereturs.

Quæ Andromacho ad sanguinis reiectationem scripta sunt.

PRimum ex his quæ sanguinem reijcientibus cōueniunt pharmacis, Andromachus sic tradidit. Ad sanguinis reiectationẽ, quo ego utor. Acacię drach. IIII. rosarum siccarum drach. VIII. balaustij drach. VIII. gummi drach. II. tragacanthæ drach. I. cum aqua pastillos facito drachmæ unius. Dato ex aqua pluuia. Aliud Apollonij. Seminis hyoscyami drach. VIII. opij drach. IIII. thuris drach. VIII. terræ Samiæ drach. IIII. amyli drach. II. rubricæ lemniæ drach. II. aut si hæc

non sit

non sit, sinopicæ drach. III. coralli drach. IIII. costi drach. IIII. floris balaustij obol. III. alij drach. II. excipe succo polygoni, ac redige in pastillos triobolares, quos ex frigida præbeto. Quidā cicutæ seminis drach. III. adijciunt. Aliud quo utor. Cytinorū drach. VI. spinæ Aegyptiæ drach. VI. succi papaueris drach. IIII. hypocysthidis drach. VI. balaustij drach. VI. acaciæ drach. VI. lycij Indici drach. IIII. myrrhę drach. II. excipe myrti baccarū decocto, & fac pastillos drachmæ unius. Ex eodē decocto præbe bibendos. Aliud sistens sanguinē. Croci Cilicij, myrrhæ, iridis, nardi Indicæ, thuris, acaciæ, singulorū unc. I. succi papaueris, costi, piperis, singulorū unciam dimidiā. rosarum siccarū trientem. melle excipito. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudo. Aliud fluxiones sistēs. Prodest fluxionibus internis, ex tonsillarū, & uuæ, & ad exulceratā arteriā gargarissatū, & ad sanguinis fluxū ex aqua frigida. Pluribus ex posca magnitudine ponticę nucis. Cōgruit etiam mingentibus sanguinem, & fluxui muliebri, potū & appositū. Myrrhæ unc. I. nardi Indicę unc. I. cinamomi unc. I. thuris unc. I. croci unciā dimidiā. piperis drach. IIII. succi acaciæ drach. IIII. costi drach. IIII. styracis drach. IIII. iridis Illyricæ sextantem. rosarum siccarum sextantem. Excipe melle cocto.
Aliud sistens fluxiones, ex libris Galli. Facit probe & ad sanguinis reiectationē. Croci, myrrhę, iridis, nardi Syriacæ, cassiæ nigræ, Rhei pōtici, singulorū drach. I. styracis, piperis albi utriusq; unc. dimidiā. rosarū siccarū quincuncē. tritis mellis Attici quod satis est affunde. Datur nucis pōticæ magnitudine ex aquæ cyathis tribus. Aliud ad hæmoptoicos, ex libris Apollonij. Succi hypocysthidis drach. XII. balaustij, acaciæ, cytinorū singulorum drach. XII. gallæ drach. XII. succi papaueris drach. VI. croci drach. VI. Redigito in pastillos triobolares.
Aliud ad hæmoptoicos. Succi papaueris obol. II. amyli obol. III. Dato ex aqua. Aliud ad sanguinis eductionem, & omnem sanguinis eruptionē, ex aqua potū. Succi papaueris drach. I. cinamomi drach. I. castorij drach. I. costi, piperis longi & rotundi, myrrhæ, singulorum, obolos III. croci sesquiobolum. corallij obolos II. balaustij drach. unā. anisi drach. II. gummi drach. I. Ex tritis pastillos formato ac utitor. Aliud ad sanguinis reiectationem. Rubricæ sinopicæ drach. IIII. thuris drach. VIII. anisi drach. I. seminis cicutæ drachmas IIII. succi papaueris drach. IIII. lapidis hæmatitę drach. IIII. seminis hyoscyami drach. VIII. terrę samię drach. III. dato pharmacū ieiunis ex aqua. Aliud. Succi hypocysthidis drach. unā. opij obol. III. balaustij drach. I. acaciæ drach. I. Ex aqua. Aliud ad sanguinis eductionem, ut Herophilus. Radicis symphyti quadrantē, terræ asteris unc. I. thuris sextantē. balaustij unc. I. hypocysthidis unc. I. croci obol. III. myrrhæ drach. II. opij drach. I. rubricæ lemniæ quadrantē, & obol. III. gūmi drach. I. Excipe succo polygoni aut plantaginis. Aliud ad hęmoptoicos, Boni præceptoris. Balaustij drach. II. acaciæ drach. II. tragacāthæ drach. IIII. succi hypocysthidis drach. IIII. florū rosarū drach. IIII. opij drach. II. thuris drach. III. myrrhę drachmas II. seminis hyoscyami obol. IIII. Excipe succo sanguinariæ quæ Græcis est polygonū. Aliud sanguinē reijcietibus, ut Acacios. Terræ Samiæ drach. IIII. corallij. drach. IIII. rubricæ sinopicæ drach. II. balaustij obol. III. opij drach. III. amyli drach. XII. thuris drach. VIII. seminis hyoscyami, drach. VIII. Cū polygoni succo pastillos triobolares formato. Dato in posca, si fluxio sit multa cū uitello oui assato & aqua plātaginis. Aliud ad hæmoptoicos & dysentericos. Floris rosarū, opij, acaciæ, gūmi, balaustij, hypocysthidis singulorū quadrātem. gallæ unc. I. seminis plantaginis eiusdemq; succi utriusq; sextantem. lycij Indici unc. I. succi rosarum unc. I. Redigito in pastillos drachmales. Quidam etiam omphacij unciæ dimidium addunt. Dysentericis etiam infunditur.

Aliud ad hæmoptoicos, Carteri robustius. Seminis cicutæ drach. II. seminis hyoscyami drach. I. amyli drach. I. nardi obol. III. rubricæ lemniæ obol. III. alij IIII. anisi obol. IIII. alij III. croci obol. III. Dato cum uitello oui assati, ex aquæ lactosæ cyathis tribus. Facit & ad destillationes. Aliud ad Hæmoptoicos, Magni Philadelphi. Corallij obol. II. asteris Samij obol. IIII. succi sanguinariæ cyathos VI. Dato hoc totum pro duabus uicibus in potu.

Vsus prædictorum Andromachi pharmacorum.

IAm ante quidem palam est, ex his quæ in principio sermonis de reiectatione sanguinis dixi, qui sit usus præscriptorum pharmacorum. Verum maioris lucis gratia, repetam etiam nunc id quod primum omniū ex acacia, rosis siccis, balaustio, gummi, tragacantho est compositum. Manifestum autem est acaciam quidem, & rosam, & balaustium, adstringentia habere, gummi uero & tragacantham uiscosa & glutinatoria. Igitur impossibile est ipsum usq; ad thoracē & pulmonem per se deferri, si non habeat quæ adstringentia & uiscosa ac tenacia deducant. Et quod his amplius accedit, neq; mellis quicquam eius compositor addidit. Sed per aquam pluuiam, quæ & ipsa adstringentem uim habet, tum compositio ipsius, tum exhibitio tradita est, ut ad sanguinis ex stomacho & uentre eductiones conuenire possit. Quin & si possibile sit ex intestino ieiuno aliquid per nauseam efferri, ad hoc etiam commodum pharmacum fiet. Contrariam autem uicissim ad præscriptum pharmacum compositionem habet quintum ex ordine scriptum, itemq; nonum. Nimirū quum cinamomum, & piper, & costus, & myrrha eis sint ammixta. Reliqua uero omnia media quodāmodo inter hæc sunt, neq; exacte adstringentia per totam sui compositionem, neq; fortiter calfacientibus permixta. Cæterū opiū, & hyoscyamus, & cicutæ semen, maxime quidem his quia tussi, aut etiam alias lancinantur, apta sunt quāquam omnibus quomodocunq; sanguinem reijcientibus cōueniant. Quare ipsa miscere licet, tum in his qui ex nutritiuis organis sanguinem sursum educunt, tum quibus ex spiritalibus organis idem contingit.

Quæ Asclepiades ad Hæmoptoicos scripsit.

AD sanguinis reiectationem. Radicis symphyti sex uncē. balaustij drach. II. aut I. aquæ sextariū I. Coquito ad tertias, & expresso liquori hæc addito. amyli drach. I. gūmi Thebaici tantūdem. Dato in potu. Aliud, Cucumerum satiuorū lib. I. in tenuia frusta dissecato, & aquæ potabilis sextariū I. affundito, ac ad tertias coquito. Expresso deinde liquori terræ samiæ sesquidrachmā inspergito, ac bibendum exhibeto. Charixenis pharmacum accommodatum. Radicis polygoni manipulum, radicis symphyti tantundem, Rhois rubri acetabulum, aquæ sextarios III. coquito ad tertias, & expressi liquoris cyathū unum dato, cum gummi tenuissime triti ac dissoluti drach. una.

Pharmacū Arrhabiani quod ponticum dicitur. Vuæ ursi libras XVI. aquæ pluuiæ sextarios XVI. Coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Aliud, Mororum rubrorum nondum maturorū libras XVI. aquæ pluuiæ sextarios XVI. Coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Aliud, Fructus corni libras XVI. aquæ pluuialis sextarios XVI. fac eodem modo. Aliud, Palmularum Thebaicarū lib. XVI. aquæ pluuiæ sextarios XVI. coquito ad tertias, & postquam expresseris liquorem, ad prius expressos liquores infundito, omnesq; probe mixtos ad tertias coquito, & in fictili uase reponito. Et inde cyathū unum ante cibum dato. Pharmacum hoc est ualde bonum, & regenerationem prohibens. Oportet autem singula suo proprio tempore præparare, & ad pharmaci confectionem reponere.

De ursi uua. Quæ ursi uua appellatur in ponto nascitur. Planta est humilis & fruticosa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum & rotundum, gustu austerum, quem ursi uuã appellant. Catapotiũ ad hæmoptoicos. Corticis thuris, terræ samiæ, amyli, singulorum drach. IIII. tusa & cribrata reponito. Vsu uero expetente, cochleariũ unum in aquæ frigidæ cyatho dato. Aliud, Balaustij, terræ samiæ, corticis thuris, gummi, singulorum æquale pondus tusa & cribrata exhibe ut prædictum est. Ad sanguinis reiectationem eclegma Amaranti, pharmacum accõmodatum. Vini falerni sextarium I. mellis Attici lib. I. in uas fictile coniecta & conquassata super prunas ponito, & ubi arteriacæ acceperint spissitudinem, ab igne ablata refrigerari sinito, eisq; cõtusa & cribrata addito, gũmi cochlearia IIII. balaustij, thuris, terræ samiæ, singulorũ drach. II. & rursus ad ignem admota & calfacta reponito. Dato ut prædictum est.

Aliud Origeniæ. Succi gẽtianæ, succi symphyti, balaustij, singulorũ drach. VIII. croci, myrrhæ, succi radicis dulcis, singulorũ drach. IIII. protropi, aut Theræi, aut Scybelitæ sextarios VI. præpara ac exhibe, ut dictum est.

Catapotia ad sanguinis reiectionem dolorem sedantia. Vsus est Charixenes. Succi hypocysthidis, balaustiorũ, opij, singulorum drach. IIII. excipe uino Myrtite, & fac catapotia. Dato ex his trioboli põdus. In alijs exẽplaribus opij drachmæ duæ habẽtur. Aliud, Succi hypocysthidis, succi acaciæ, succi Rhois Syriacæ, singulorum drach. IIII. balaustij, opij, gummi, singulorum drach. IIII. uini Myrtitæ quod satis est. Vsus ostensus est. Pastillus hæmoptoicus, pharmacum accommodatum, Inscribitur Trypherum, hoc est, Delicatum. Amyli, balaustij, terræ Samiæ, succi hypocysthidis, gummi, croci, opij, singulorũ drach. II. Excipe succo plantaginis, & exhibe drach. unam. Verum liquor ipse affectioni sit cõueniens. Alius, Amyli, terræ Samiæ, hypocysthidis singulorum drachmas II. opij, croci, balaustij, tragacanthæ, singulorum drachmam unam, excipe succo plantaginis. Pastillus ex succino. Facit hæmoptoicis, diuturnæ & recẽti tussi, Phthisicis sanguinem reijcientibus, suppuratis, cœliacis, dysentericis, & inflatis. Est etiam Auricularis bona. Psyllij mundi drach. XLV. iridis Illyricæ, mastiches, ramentorum succini, croci, singulorum drach. XXX. opij drach. XV. Psylliũ in aquam calidã cõiectum macerari sinito, atq; ubi uiscosum ac glutinosum se in aquam deposuerit, liquorẽ exprimito, & cum eo pharmacum præparato, in pastillos ipsum cogẽdo, ex quibus obol. IIII. ad somnum dato. Sint autem aquæ sextarij III. In alijs exemplaribus psyllium ad triduum madescit, deinde ter donec ebulliat coquitur, & ab igne ademptum rursus ad triduum sinitur, atque tunc liquor ad pharmaci confectionem segregatur.

Pastillus Neapolitæ. Facit hæmoptoicis, suppuratis, phthisicis, affectionibus fluidis. Seminis hyoscyami albi, succi mandragoræ, utriusq; drach. V. thuris masculi, opij hispani, styracis, coaguli hinuli, singulorum drach. X. mastiches drach. XX. ramentorũ succini, iridis Illyricæ, croci, singulorũ drach. XXX. psyllij drach. XLV. aquæ sextarios III. præpara ac utere ut prædictum est.

Pastillus ex corallio, ut Niceratus, Corallij, terræ Samiæ, utriusq; drachmas VIII. balaustiorum, amyli, terræ lemniæ, singulorum drach. IIII. seminis hyoscyami albi, opij, hypocysthidis, singulorum drach. II. Excipe succo arnoglossæ, coge pastillos ac exhibe. Aliter Dioclis Chalcedonij. Corallij drach. VIII. succi hypocysthidis, balaustij, succi acaciæ, Rhei pontici, terræ Samiæ, opij, thuris, succi symphyti, singulorum drach. II. excipe succo plantaginis.

Aphrodisiacum Clidion, pharmacum accommodatum. Facit hæmoptoicis, cœliacis, dysentericis, & qui stomachi fluxionibus laborant. Cytinorum, spinæ Aegyptiæ

Aegyptiæ, balaustiorum, succi hypocysthidis, succi acaciæ, singulorũ drach. vi lycij, Rhei pontici, opij, singulorum drach. iiii. myrrhæ drach. ii. cõtusa & cribrata diligẽter baccarũ myrti decocto excipe, & pastillos coge. Exhibe pro uiribus cum rosarũ decocto, aut baccarum myrti, aut aqua frigida. Forinsecus spongiam aceto imbutam imponito. Postquam uero fluxus constiterit, pectus & fluxione infestatos locos omphacio cum aceto dissoluto illinito. Tepefiat autem ad cinerem calidam, donec aliquantulum spissetur.

Philippi pharmacũ accommodatũ dysentericis, & hæmoptoicis. Balaustij, acaciæ, hypocysthidis succi, opij, thuris, myrrhę, croci, gallę, lycij, aloes, Rei pontici, baccarũ myrti nigrarũ, malicorij, singulorũ drach. iiii. excipe uino Italico, & redige in pastillos triobolares. Dato febrientibus ex aqua, nõ febrientibus cũ uino.

Cõfectiones dolorem sedantes, tabescentibus, & sanguinem reiectantibus cõmodæ, item & alijs quibusdã accõmodatæ, præter colicis. Cap. V

IN his equidem qui sanguinem reiectãt, nondũ tamen exacte tabe apprehensi sunt, hoc genus pharmacorũ dolorẽ sedantiũ priores medici cõposuerunt, ipsum & anodynon appellauerũt, conueniens & his qui sanguinẽ reijciunt, & qui tum hoc perpetiũtur, tum etiam iam tabescũt, item & ad alios dolores & affectus, qui circa pulmones, & arteriã, & Thoracem, atq; alias quasdã partes cõsistunt, colicis tantũ exceptis. Differũt enim hæc pharmaca ab his quę priuatim colica appellantur, aromatũ, & odoratorum ac urinam cientiũ seminũ mistura. Colicæ enim cõfectiones his uehementiores sunt, stupefactoriã uim prædominantẽ habentes ex multitudine refrigerantium pharmacorũ. Quale est, hyoscyami semen, & cicuta, & papaueris succus, & cortex radicis mãdragoræ, His nãq; in colicis uti cogimur ob magnitudinẽ doloris.

Quæ Andromachus scripsit ad prædictas affectiones.

COnfectio sedans dolorem. ad omnes internos affectus & pleuritidas, qua utor. Radicis panacis, seminis dauci, utriusque drach. iiii. castorij drach. iiii. alij drach. ii. seminis hyoscyami, opij, utriusq; drach. iiii. alij drach. ii. Mellis quod sufficit. Dantur obol. iiii. cum aquæ cyathis tribus. Alia sedans dolorem, Marcellini. Anisi drach. ii. seminis hyoscyami drach. ii. succi papaueris drach. i. seminis apij drach. ii. croci obol. iiii. rosarum siccarum drach. i. myrrhæ drach. i. amomi drach. i. Trita cum aqua in pastillos triginta duos redige. Dato in somni tempus cum aquæ cyathis duobus aut tribus. Alia sedans dolorem, Ex seminibus. Seminis apij drach. viii. opij drach. ii. ammij drach. viii. anisi drach. iiii. fœniculi drach. iiii. cassiæ nigræ drach. ii. Cum aqua fac pastillos triobolares. Dato ex passo, sexta & decima heminæ parte, aut ex aqua.

Alia Achillæ Aurigæ. Anisi drach. viii. ammij drachmas viii. seminis apij drach. iiii. opij. drach. ii. nardi Indicæ drach. ii. myrrhæ drach. ii. piperis drach. i. cassiæ nigræ drach. ii. Fac pastillos triobolares qui resiccati ponderent obol. ii. Dato ut reliquos. Alia dolorem sedans ut Xenocrates: qua utor maxime ad tormina & dysentericos. Seminis apij drach. ii. anisi drachmam unam, piperis albi drach. i. myrrhæ obolos iiii. castorij obol. iiii. opij obolos ii. gentianæ drach. ii. Fac pastillos triobolares, & uarie exhibe. Alia Sphragis dicta sedans dolorem, resiccans fluxiones, & tormina ac tusses, qua utor. Myrrhæ obol. v. alij vi. corticis mãdragoræ drach. iiii. succi papaueris drach. v. seminis hyoscyami drach. iiii. alij drach. ii. thuris drach. v. croci drach. v. Excipe uino, exhibe pro uiribus, aliquibus fabæ Aegyptiæ magnitudine, aliquibus obol. ii.

Alia, Aster appellata, sistens dolorem, Qua utor ad omnem fluxũ, dolorẽ, & omnes internos affectus & destillationes, ad uescicam, ad suffocationes, fluxũ mu-

liebrem, stomachi fluxionem, dysentericos, sanguinem reijcientes. Facit & ad paralysi resolutos. Croci obol. III. seminis hyoscyami drach. VI. seminis apij drach. VI. anisi drach. IIII. styracis drach. IIII. seminis dauci drach. IIII. castorij drach. II. opij drach. III. myrrhæ drach. II. Quidā etiā mandragorę succi drach. IIII. ut uero Xenocrates, etiā piperis albi drach. VI. cū aqua fac pastillos triobolares. Dato ex aqua. Alia sedans dolorem Lycomedis. Resiccat destillationes arteriæ, & fluxiones oculorū. Seminis hyoscyami drach. II. seminis apij drach. II. opij drach. II. anisi drach. I. croci obol. IIII. rosarū siccarū drach. II. myrrhę drach. I. alij drach. II. Cū aqua redigito in pastillos triobolares. Vtere queādmodū Trigono appellato. Alia sedās dolorē, resiccatoria. Facit & ad hęmoptoicos, cœliacos dysentericos, rupta & cōuulsa. Anisi drach. IIII. seminis apij drach. IIII. opij drach. IIII. croci drach. I. seminis hyoscyami drach. IIII. styracis drach. I. iūci odorati drach. I. balaustij obol. IIII. cū aqua formato pastillos diobolares. Dato ex uino, aut aqua, aut protropo. Alia dolorem sedans potio, Rufi, qua utor. Corticis mandragoræ drach. IIII. thuris drach. V. piperis albi drach. II. & dimidiā. croci drach. V. seminis hyoscyami drach. IIII. succi papaueris drach. V. myrrhæ drach. V. nardi obol. III. cassiæ nigræ drach. II. Trita cū passo in pastillos drachmales cogito, ac reponito ne humecti fiant. Dātur ex aquæ calidæ cyathis duobus, cholericis, hoc est, biliosa superne & inferne reddentibus, ex frigida. Alia sedans dolorem ad omnes internas affectiones, qua utor. Cassiæ nigræ, myrrhæ, opij, styracis, croci, singulorū drach. I. quidā drach. I. & obol. III. Cogito in pastillos triū aut duorū obolorū. Præbe febrientibus ex aqua, non febricitantibus in uino. Hepaticis in aqua mulsa, itidem & pleuriticis. Efficax est & ad tussim.

Alia Trigonos uocata, resiccatoria & sedans dolorem. Seminis hyoscyami drach. IIII. anisi drach. II. opij drach. II. cum aqua pastillos formato. Dantur cū frigida, mane & uesperi, unus pro uice Alia sedans dolorem, Asclepiadæ ad omnes internos affectus. Seselis, chamæpityos, herbæ saluiæ, seminis rutæ syluestris, seminis dauci singulorum drach. VI. seminis hyoscyami, opij, utriusque drach. VIII. castorij drach. XXV. Rhei pontici drach. XIIII. Excipe melle.

Alia ut Charicles. Tordilij drach. VIII. chamæpityos drach. VIII. Rhei pontici drach. VI. castorij drach. XII. & dimidiā. herbæ saluiæ drach. VIII. seminis rutæ syluestris drach. VIII. seminis dauci drach. VIII. opij drach. IIII. seminis hyoscyami drach. IIII. croci drach. V. Quidā addūt mel Atticū, reliqua ipso excipientes.

Alia dolorē sedans, iucūda appellata. Facit & ad tabescētes, & inflatos. Iridis Illyricę drach. XXX. succini, croci, masticheς chię singulorū drach. XXX. psyllij drach. XLV. aut XXX. succi papaueris drach. XV. cū aqua pluuia pastillos drach. I. & obol. III. ponderantes formato, ac exhibeto. Psylliū per diem & nocte aqua pluuiali macerato, deinde coquito & exprimito, atq; sic cum reliquis cōmittito.

Alia potio sedans dolorem, ex libris Aphrodæ. Ad omnem dolorē, in neruis, utero, coxēdicibus. Succi papaueris drach. I. opobalsami drach. I. aut carpobalsami drach. I. obolos II. myrrhæ, seminis hyoscyami, castorij, styracis, singulorum drach. I. Excipe passo, & fac pastillos oboli unius & dimidij, Dato ex aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus. Aliud sedans dolorem Catapotium. Ex libris Aphrodæ, ad omnes internos affectus, & ad quartanarios, qui interualli tempore inediam ferunt, & deinde accipiūt. Facit & ad calculosos, dysentericos, stomachicos, & iam desperatos atq; anxios. Est & oculis ualde cōmoda. Seminis hyoscyami, anisi, styracis, singulorum drach. IIII. croci, opij utriusq; drach. III. castorij drach. II. fac catapotia Aegyptiæ fabę magnitudine. Præbe ex aquæ cyathis duobus. Aliud dolorē sedans, ad omnes internos affectus, & sanguinis reiectionem

tionem undecunq; feratur, etiam si ex uulnere prodeat quibusdam prodest, facit & ad nephriticos & hepaticos. Hanc ne prius dederis quàm mercedem acceperis. Cinamomi, cassiæ utriusq; drach. II. myrrhæ drach. I. piperis albi drach. I. & longi drach. I. galbani drach. I. opij drach. II. Trita cum melle pauco in catapotia redige, partim magnitudine fabæ, partim quātitate araci. Dato pro uiribus cum aqua, aut pro iudicio tuo. Alia dolorē sedans ad omnia interna. Seminis apij drach. II. anisi drach. II. piperis longi drach. II. & nigri drach. I. castorij obolos IIII. myrrhæ, opij, utriusq; obol. IIII. panacis, gentianæ utriusq; obol. IIII. succi radicis dulcis obol. III. fac pastillos triobolares. dysentericis drachmæ unius.

Alia sedans dolorem, Crateri. ad tabescentes, & sanguinem reijcientes. Myrrhæ drach. VI. mandragoræ drach. IIII. seminis hyoscyami drach. IIII. opij drach. V. croci, thuris, utriusq; drach. V. Rhei drach. V. seminis cicutæ, styracis, utriusq; drach. V. Excipe uino mulso. Alia sedatiua doloris, Mysteriū appellata, ut Niceratus. Ad phthisicos, tussientes, cœliacos, dysentericos, destillationes. cōfestim auxiliatur. Croci, costi, castorij, asari, seminis hyoscyami, opij, styracis, singulorū drach. I. quidā hyoscyami seminis drach. dimidiā. Excipe melle ac utere.

Alia doloris sedatiua ad destillationē conueniens. Seminis hyoscyami, succi papaueris, amyli, singulorū drach. II. anisi drach. I. spicæ nardi drach. unā. croci drach. I. rubricæ sinopicæ obolos III. aut lemniæ drach. unam. formato pastillos XXX. Dato in noctem cum aqua.

Quæ ab Asclepiade scripta sunt ad easdem affectiones.

Eclegma. Farris Clusini appellati sextarij dimidiū, decocti marrhubij uiridis sextariū I. hæc in uas uitreum cōiecta per diem & noctē macerari finito. Sequenti die pharmacū mollito, quemadmodū alicam maceramus, atq; ubi penitus dissolutū fuerit, exprimito liquorem, eiq; pinguedinem aliquam addito, & igni admota assidue coquito, donec spissata mellis crassitudinem acceperint. Ex hoc mystrū datur ante cibum, & post cibū tantundem. Aliud. Foliorum marrubij tenerrimorū manipulum cum sufficienti aqua in fictili coquito, & ubi exoluta fuerint eximito ac terito, & decocto diluta rursus coquito, pollinis acetabulum inspergens, & pinguedinis arietinæ probe subactæ quadrantē addens. Et ubi coctura recte habuerit, uelut reliquæ sorbitiones præparantur, ablata ab igne, et modico sale cōspersa, sorbēda exhibe. Amplius absorptū amplius iuuat.

Aliud Nicerati. Facit suppuratis, dyspnoicis, ueteri tussi, uiscosum ac glutinosum reiectantibus, & his quæ à partu purgātur, secundas deducit. Prodest etiam infantibus alimentū non sentientibus, si nutricibus præbeatur. Succi marrubij sextarios VI. Verū probe hunc succū colligere oportet à recenti marrubio tuso expressum. Vini falerni sextar. I. mellis Attici tantundē. piperis albi. myrrhæ, thuris, singulorū drach. VIII. Vinum & succum ad tertias coquito, deinde mel addito, quibus inspissatis arida inspergito & diligēter mixta in uitreū uasculū transferto. Dato mystrū ante cibum. Aliud, Scribonij Largi. Succi marrubij sextarios VI. succi semperuiui tantundem. mellis Attici sextar. IIII. alij sextar. I. Vini Italici sextar. I. picis liquidæ brutiæ tantundē. nardi Indicæ, croci, myrrhæ, thuris, piperis albi, singulorum drach. VIII. præpara ac utere ut prædictum est.

Aliud phthisicis & ad fluxiones Thoracis. Seminis cucumeris hortēsis decorticati drach. VIII. amyli drach. IIII. seminis lini, seminis papaueris albi, utriusque drach. II. tusa & cribrata excipe tragacathę cremore, & in drachmales pastillos redige. Datur obol. III. non febrientibus ex uino & myrti cremore, febrienticus cum Rhois succo Aliud, Amyli drach. IIII. seminis cucumeris satiui tosti, seminis papaueris albi tosti, amygdalarū depurgatarū, singulorū drach. II.

tragacanthæ drach. I obol. III. croci drach. I. excipe tragacanthæ cremore, & postea etiam uino scybelite cocto. Vtere eodem modo. Aliud Scribonij Largi catapotiū, phthisicis, sanguinem reiectātibus suppuratis, educit pelliculas, repurgat sufficiēter. Verū immorari pharmaco oportet. Sagapeni, myrrhæ utriusque drach. II. opij, cardamomi, utriusq; drach. IIII. castorij drach. IIII. piperis albi obolos III. excipe passo, fac catapotia, Da ex aquæ calidæ cyathis III.

Alia cōfectio Thespesiana. Facit suppuratis, & ad abscessus occultos. Seminis apij, opij, melanthij, singulorū drach. III. castorij drach. II. seminis dauci, sinonis, iridis, singulorum drach. VI. excipe melle cocto, præbe nucis ponticæ magnitudine ex calidæ cyath. III. Alia Cosi. ad humores ægre educibiles, suppuratos, peripneumonicos. Maxime autem his qui crassa & glutinosa educunt utilis est. Mellis Attici cocti ad glutinis compagem libram I. piperis cōtusi & cribrati, myrrhæ, utriusq; unc. I. Myrrhā & piper trita melle cocto excipe, & nucis ponticæ magnitudine deuoranda præbe. In alijs exēplaribus habetur. Mellis lib. I. piperis unc. I. myrrhę, opopanacis, utriusq; drach. V I. prępara ac exhibe similiter ut prædictū est. Pastillus ex mandragora, inscribitur Sphragis. Facit ad hæmoptoicos. Resiccat omnem fluxionem. Radicis mandragoræ corticis drach. IIII. seminis hyoscyami drach. IIII. thuris masculi, succi papaueris, croci, myrrhæ, singulorum drach. V. Trita redige in pastillos obolares, & præbe conuenienter iuxta affectiones. Aliud Ptolemæi familiaris. Styracis, opij, thuris, croci, singulorum drach. V. corticis mādragoræ, seminis hyoscyami albi, dauci cretici, singulorum drach. IIII. cassiæ drach. II. excipe uino Aminæo, ac præbe obulum cum aquæ calidæ cyathis duobus. Aliud, ad easdem affectiones. Styracis drach. VI. myrrhæ, opij, seminis hyoscyami, irionis torrefacti, singulorum drach. IIII. corticis mandragoræ, opopanacis, utriusq; drach. II. piperis albi, spumæ nitri utriusq; drach. unam. excipe melle cocto. Dato magnitudine ciceris.

Alia cōfectio Panchrestus ab omnimoda commoditate dicta. Facit ad tussim antiquam, suppuratos, orthopnoicos, tabescentes. Prodest hypochondriorum, hoc est, præcordiorū distētionibus & ad omnem inflationem. Mulieribus menses, & quæ à fœtu corrupto, aut à partu relinquuntur secundas deducit. Liberat etiam ab affectionibus circa uesicam. Terebinthinæ drach. VIII. styracis drach. VI. myrrhæ drach. V. croci, iridis, galbani, singulorū drach. IIII. seminis hyoscyami, corticis mandragoræ, irionis torrefacti, opopanacis, singulorum drach. II piperis, spumæ nitri, utriusque drachmam unam. excipe passo.

Charixenis. Facit peripneumonicis, ac ueteri tussi. Myrrhæ, corticis thuris. In alio exemplari opij, mandragoræ, sagapeni, seminis hyoscyami albi, opopanacis, dictamni cretici, pilularum marrubij, singulorum drach. IIII. Subigito cum aqua & in pastillos cogito, Dato ex his obol. III. ex aquæ mulsæ cyathis tribus.

Alia Asclepiadæ qui Philophysicus, à naturaliū rerum studio, appellatus est, pharmacū accommodatum. Corticis mādragoræ, seminis apij, utriusq; drach. IIII. myrrhę, croci, anisi, seminis dauci, succi rhois rubri, seminis hyoscyami, piperis albi, castorij, sagapeni, opopanacis, singulorum drach. II. excipe melle cocto. Dato pro uiribus. Liquor uero ex quo exhibetur sit conueniens affectioni.

Antidotus Thespesiana phthisicis, sanguinem reiectātibus, suppuratis. Facit & ad alias internas affectiones, & præ omnibus cibi appetentiam excitat. Seminis apij drach. XII. myrrhæ, anisi, opij, singulorū drach. VI. piperis albi drach. V. petroselini, nardi, piperis longi, singulorū drach. IIII. castorij, floris iunci odorati, croci, singulorū drach. III. cinamomi drach. II. cassię aromaticę drach. IIII. excipe melle cocto. Dato nucis pōticæ magnitudine ad noctē, cū aquæ cyathis tribus.

Antidotus Aristarchi. Compositio admiranda hanc Paulinam appellamus. Facit hæmoptoicis,tussientibus,phthisicis,suppuratis,peripneumonicis.ad conuulsa rupta,ad stomachi subuersionē,& bilem uomentes ac fecernentes,cœliacos,dysentericos.Facit ad affectiones circa uesicā,suffocationes uteri,febres per circuitū repetentes,una hora ante exacerbationem exhibita:facit in malum habitum delapsis,cibū non sentientibus,& ad lethalia pharmaca,ac plagas uenenum iaculantiū bestiarū. Cinamomi, costi,galbani,castorij,succi papaueris, piperis nigri & longi,styracis, singulorū unc.I.mellis sextariū I.Arida tunduntur & cribrantur per angustissimū cribrum.Galbanū coquitur cum melle,& ubi dissolutum fuerit,mel excolatur, ipsiq; reliqua addūtur & tunduntur. Deinde in pyxidem uitreā aut argenteā reponuntur. Vsus est ad prędictas affectiones.Datur fabæ Aegyptiacæ magnitudine,cum aquæ mulsæ cyathis duobus, irroratis de digito guttis aceti nouem. Alia Antonij Musæ Panacea. Vsus est ea Diotas Iatraliptes. Facit ad eos qui per circuitum à rigore infestantur, delet febres antiquas,ac reliquos morbos. Facit ad tussim ueterem, phthisicos, sanguinem reiectantes, suppuratos, dyspnoicos, conuulsa, rupta, inueteratas inflammationes, splenicos, hydropicos inueteratos, cœliacos. Extrahit lapides è renibus. Probe cit urinam. Prodest omniū reptilium plagæ, & ad lethalia uenena, & ad omnem materiā uenenosam ac corruptoriā uim habentē. Piperis albi aut longi drach. VIII. seminis hyoscyami albi, cardamomi,myrrhæ,thuris, singulorū drach. XII. opij,croci,utriusque drach. X.sulphuris uiui drach. VI.costi,aristolochiæ longæ, corticis mādragorę aut ipsorū malorū,euphorbij,singulorū drach.III.Mellis Attici cocti quod satis est. Datur his qui per circuitū infestātur magnitudine nucis pōticæ,reliquis pro uiribus. Alia Cerusiana, Data est à Philippo Trallianis.Huius usu phthisicos & suppuratos liberabat. Piperis albi,succi cyrenaici, syriaci, succi papaueris, singulorum quadrātem. myrrhæ, croci,sulphuris uiui, seminis hyoscyami albi,singulorū unciā dimidiā. malorū mandragoræ drach.II. cardamomi unc.I.mellis Attici librā I.Datur pro uiribus ut dictum est. Porrò alterū exemplar sic scriptū habebat. Piperis quadrantē.succi cyrenaici unc.I.succi papaueris unc.dimidiā.succi Syriaci unc.dimidiā.seminis hyoscyami albi, malorū mandragoræ utriusq; drach.II.cardamomi unc.I. Mellis Attici lib.I. Datur pro uiribus,ut dictum est.

De Orthopnœa. Cap. VI



Vi citra febrē dense respirāt,qualiter faciūt qui uelociter cucurrerūt, ab accessione hac Medicis Grecis asthmatici,Latinis anhelosi appellantur. Eosdē etiā ab alia accessione orthopnoicos uocant,propterea quod thoracis corpus penitus rectū habere cogūtur, ob timorē suffocationis.Quin et stratū circa supernas partes ad quas thorax reclinatur,sibijpsis erectius faciūt,ne dormiētes strangulentur. Minus est enim quod inspirāt, quàm pro usu respirationis, quāuis thorax plurimū ipsis dilatetur. Ex quo manifestū sit, intrinsecus ipsis coarctatione locorū factam esse præter naturā, quam etiam ægri ipsi non obscuro sensu perceptant. Fit equidē & suppuratis locorū coarctatio,ob coaceruatū inter thoracē & pulmonē humorē.Fit etiā peripneumonicis, ob pulmonis inflammationē.Restant aūt adhuc duæ affectiones,quæ locorū coarctationem efficiūt in uijs,per quas aer inspiratur,Quū sane aut humorū crassorum ac uiscosorum multitudo pulmonis bronchijs fuerit infarcta,aut tumor abscessui similis in ipso cōstiterit. Cæterum curatio ambarū affectionum aliquid cōmune habet,aliquid priuatū & alteri tantū proprium. Cōmune quidē utrisq; est, ut redundantia humoris affectiones generantis expendatur & consumatur.

Proprium autem affectioni uiscosorũ ac crassorũ humorum, ut per attenuantia & extergentia pharmaca consumantur. ei uero quæ propter tumorem abscessui similem cõtingit, ut per attenuantia & resiccãtia eadem consumptio fiat. quæ cu ratio rursus omnibus in profundo corporis abscessibus communis existit. Vini itaq; potus ambabus conuenit tenuis substantia. Omnis autẽ potus modicus sit in his qui alicubi abscessum habent. Multus cõtra, in his quibus bronchia uiscosis ac crassis humoribus sunt obturata. Etenim pharmaca quæ eiusmodi humores repurgant, necessariò quidem tusses mouent, non uero facile per sputum reijcitur quod expurgatũ est, ob crassitudinem uidelicet. Quapropter humectatione multa opus habent, quo facile efferatur. Porrò quemadmodum in alijs pharmacis plurimi medici, sic etiã in his quæ ad ambas has affectiones cõmoda sunt, delinquunt, indiscriminatim ipsa tradentes, quum tamen cõposita sint quædam pharmaca alteri affectioni commoda, quædam rursus alteri, quædam uero sic ut ad ambas quidem moderate conueniant, uerum nihil operæpretium efficiant. Quare recensendo pharmaca alicuius pretij à prioribus medicis prodita, indicabo iuxta singula quali facultate prædita sunt, Initio ab his quæ Asclepiades scripsit in II. internorum, facto.

Asclepiadę pharmaca ad dyspnoicos conscripta.

Eclegma ad dyspnoicos, Antonij Musæ. Asellorum sub hydrijs nascẽtium sextariũ I. in uas fictile conijcito, & ad prunas torreto, inalbatos autem terito, ac melle cocto excipito, & ante cibum mystrum delingendum dato.

Aliud, Scillæ crudæ succũ exprimito, eiq; parẽ mellis Attici mensuram addito, & ad prunas admota coquito. Dato inde ante & post cibũ mystri mensurã. Aliud Charixenis. Origani drach. VIII. comæ thymi, iridis Illyricæ, calaminthæ siccæ, piperis albi, anisi torrefacti, singulorum tantundẽ. tundito & per angustissimum cribrum concernito, ac melle cocto excipito. Dato nucis ponticæ magnitudinem. Aliud. Piperis albi lib. I. rutæ trientem. calaminthæ siccæ, anisi tosti, pulegij semen nõ gerentis, singulorũ quadrãtem. seminis apij, comæ thymi, utriusq; unciam unam. excipe melle, & præ parato utere ut prædictum est.

Potio ad dyspnoicos, Chariclis. pharmacũ accõmodatũ, auxiliatur cõfestim. Vuæ passæ Rhodiæ exacinatæ acetabulum. fœni græci loti tantundẽ. aquæ pluuiæ sextariũ I. Coquito donec dissoluãtur, & liquorẽ excolatũ reponito. Ex hoc præbeto assidue & iuxta singulas irritationes, cyathi mesuram calefactam.

Alia potio. Abrotoni partes II. uuæ passæ pinguis tantũdem, summitatum rutæ partẽ I. aquæ pluuialis sextarios III. Coquito ad tertias, & exprimito liquorem, eiq; mellis unc. I. addito, rursusq; coquito ac dato ut prædictum est.

Catapotium dyspnoicis, asthmaticis. Abrotoni, uirgultorũ rutæ, comæ absinthij, singulorũ drach. IIII. tusa & cribrata aceto subigito, & catapotia XII. formato. Dato ex aceto mulso. Aliud Nicerati. Castorij, ammoniaci thymiamatis, abrotoni, singulorũ sextantem. absinthij, cumini Aethiopici, utriusq; drach. I. aceto subigito, ac catapotia formato, ac dato ad ciceris magnitudinem.

Pharmacum ex sulphure uiuo dispnoicis. Anisi, sulphuris uiui, utriusque quadrantẽ. ammoniaci thymiamatis, castorij, melanthij singulorum drach. IIII. Aqua diluta in catapotia cogito, unumq; in aceti mulsi cyath. III. dato.

Aliud, Seminis rutæ syluestris drach. IIII. aristolochiæ, abrotoni, absinthij, ammoniaci thymiamatis, sulphuris uiui, singulorum tantũdem. Aceto subigito & catapotia cicernæ magnitudinis formato, ex quibus duo cum aceti mulsi cali di cyathis tribus exhibeto. Hæc omnia pharmaca ab Asclepiade conscripta, his qui proprie dyspnoici, hoc est, ægre spirantes appellantur, conueniunt.

Vocant autem sic eos quibus bronchia pulmonis crassis & uiscosis humoribus sunt obfarcta, in quibus uelut dixi, ultra hoc quod crassitudinem & uiscositatem humorum necessario secamus atque attenuamus, humiditatem quandã cum pharmacis, tum uictui adesse oportet. At uero abscessus qui attenuantibus & resiccantibus opus habẽt, maxime gaudent aromatũ facultatibus, quas omnes ostendimus tenuiũ partium esse, & resiccatorias, unà cum hoc quod calfaciant. quare his qui proprie orthopnoici & asthmatici appellantur, pharmaca cõuenient secantia citra calfactionẽ. & ob id maxime eos iuuat acetum scillíticum appellatũ, atque ipsa adeo scilla, & acetum mulsum ex eiusmodi aceto confectum. Ceterum asellorum sub hydrijs nascentium meminit inter ea, ut qui attenuatoriam & discussoriam uim habeant. Verum quo consilio ad usum ipsorum peruenerit, non habeo quod dicam. Quemadmodum autem in hac affectione uehemẽter cauendum est ne calfaciamus, propterea quod uiscosi & crassi humores non solum nihil ab his auxilij sentiunt, sed etiam offenduntur: Eodem modo etiam quæ ualde refrigerant uitanda sunt. Omnia enim crassefaciunt, & cogunt, ac coagmentant humores, eosque ægre eluibiles reddunt: & ob hanc rem sane recte fecerunt, qui eiusmodi pharmaca composuerunt, quod neque papaueris succum, neque mandragoræ succum, aut radicis corticem, aut hyoscyami semen, aut cicutæ, aut psyllij, aut semen lini ammiscuerunt. Et multo magis quod neque ex adstringentibus quippiã pharmacis addiderunt. Maxime enim contraria sunt eiusmodi affectionibus, ut palàm uidetis.

Quæ pharmaca Andromachus ad huiuscemodi affectiones conscripsit.

AD dyspnœam. Sulphuris uiui drach. I. seminis rutæ syluestris drach. I. aristolochiæ, absinthij, ammoniaci thymiamatis, abrotoni, singulorũ drach. IIII. Trita cum aceto ad catapotia magnitudine fabæ redige. Dato mane tria & uesperi totidem. Aliud ad dyspnœam, ut Alcimius. Colocynthidis carnis oholos III. panacis obol. III. anisi obolum I. fac cum aqua catapotia IIII. & resiccatorũ obol. I. præbeto. Præcedente aũt die æger simplici euacuatorio euacuetur.

Aliud. Colocynthidis sesquidrachmam. iridis Illyricæ drach. II. radicis opopanacis drach. II. abrotoni drach. I. nitri drach. I. alij obol. III. excipe aqua & redige ad fabæ magnitudinem. Dantur catapotia IIII. & post semihoræ spatiũ, datur aquæ mulsæ hemina dimidia. Aliud. Sinapis drach. I. salis cõmunis obol. III. elaterij obol. III. alij obol. I. & dimidiũ. Terito cũ aqua, fac pastillos VIII. Dato alternis diebus cũ hydromelite. Aliud. Ammoniaci thymiamatis drach. I. abrotoni drach. II. sulphuris uiui drach. I. formato cũ aqua pastillos, & cũ aquæ mulsæ cyathis tribus præbeto. Aliud ad orthopnoicos. Elaterij obol. dimidiũ, asellos ex sterquilinijs III. terito simul, & dimidiũ ex aquæ cyatho uno dato. Aliud ut Philinus ad anhelos & dyspnœã. Cardamomi drach. III. iridis sesquidrach. panacis sesquidrach. cassiæ sesquidrachmam. struthij sesquidrach. styracis drach. II. thymi drach. VIII. seminis rutę syluestris drach. VIII. abrotoni drach. VIII. aristolochiæ clematitidis, sulphuris uiui, ammoniaci thymiamatis singulorum drach. VIII. cum acri aceto ad cerati crassitudinem redige, præbe fabæ Aegyptiæ magnitudine ex aquæ cyath. III. Ad orthopnœas, ut Apollonius. Scyllę partem unam. sulphuris uiui, bituminis, singulorum partem unã. Dantur oboli tres in aceto mulso. Ad orthopnœam, Socratis. Opopanacis drach. I. myrrhæ drach. I. piperis grana XL. rutæ fasciculum quantus duobus digitis apprehẽdi potest, ex tritis catapotia XX. formato. dato mane itemque uesperi unum, febricitantibus in aquæ cyathis duobus, alijs ex uino.

Ad orthopnœam, Andronici. Sulphuris uiui obol. III. ammoniaci thymiamatis drach. I. anisi, myrrhæ, castorij, singulorũ drach. I. cumini Aethiopici drach. I. cum aqua pastillos cogito, scrupulorum trium aut quatuor. Dato ad noctem ex aquæ cyathis duobus. Ad orthopnoicos, tussientes, peripneumonicos, tabescentes, ægre spirantes, hepaticos, Vt Eugenius. Croci, drach. VIII. misios drach. IIII. baccarũ lauri drach. II. piperis albi & lõgi utriusq; drach. I. opij drach. III. costi obol. III. terebinthinæ obol. V. galbani obol. III. succi radicis dulcis obol. II. gũmi obol. I. mellis lib. dimidiã. Dato cochleariũ I. cũ aquæ cyath. duobus aut tribus. Si res urgeat ante & post cibũ. Ad orthopnoicos, Valentis. Opopanacis drach. II. carnis colocynthidis drach. I. Tantum datur ad summum. Aliud Onetri. Castorij drach. I. ammoniaci thymiamatis drach. II. Deẽ dimidiũ ex aqua mulsa. Ad dyspnœã, Podanithæ. Sinapis drach. I. salis drach. I. nitri obol. III. Redigito in catapotia VIII. Dato ex his duo ad noctẽ alternis diebus.

Finis septimi libri.

CAPITA OCTAVI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM locos Liber VIII. Iano Cornario Medico interprete.

De pharmacis stomacho congruis. Cap. I



VOD semper dico, etiam nunc proloquar, Nimirũ persuasum me habere, quod difficillimum sit ad ueritatem reuocare eos qui secte alicuius seruituti se addixerunt. Verum qui prudentes sunt, simulq; ueritatẽ sincere amãt, eos spero custodituros esse ea quæ ueluti iudicandi instrumenta nobis à natura data sunt, ad actionũ uitæ cognitionem, Experientiam dico, & rationem, quæ quidẽ utraq; ex æquo quibusdam cõferunt ad artem, quibusdam uero alterũ altero amplius: & tamen tanquã semper ad perfectionẽ alterũ altero opus habeat. Sic sane ad residuũ sermonis & doctrinæ huius absoluendũ progrediar. Falsæ etenim opiniones animas hominum præoccupantes, non solum surdos, sed & cæcos faciunt, ita ut uidere nequeant quæ alijs cõspicue apparent. Quod ipsum uel maxime circa affectiones oris uentris uidere cõtingit, præsertim quum fuerit inflam-

matū. Eius enim itemq; iocineris inflammationes, adstringētium cōplexu opus habent. Si namq; per laxatoriū medicationis ductum, citra ammixtionem facultatis robur addentis, curentur, periculum incurrunt de ipsa uita. atq; hoc ipsum quum omnes Empirici medici per experientiā edocti sint, & omnes dogmatici in artis operibus obseruent, Non pauci tamen huius temporis Methodici: neq; enim de omnibus dico, innumeros quidē stomachicos ipsi in animi deliquiū inducunt, omnes uero hepaticos occidunt: nullum enim ego uidi seruatum ex his qui in eiusmodi medicum inciderunt. Quidam tamen ex ipsis quanquā pauci, oleo eos fouent in quo absinthij coma est feruefacta, & lanam nardino ungento imbutam obligant. Quidam uero etiam mastichen chiam, aut aloen ammiscēt. aut etiam pro nardino melinū adhibent. In diuitibus uero mulierculis foliatum & spicatū ab eisdem appellata ungenta admouent, atq; quum hæc faciunt, laxatoriū ductū se seruare putant. Tantū scilicet habent experimenti facultatis pharmacorum. Malim autem ego omnes sic indoctos esse, quàm quod adstringētia quæ sint sciant, usum tamen ipsorum uitent. Quæcunq; igitur adstringentia in fomenta & cataplasmata misceantur, in hepatis aut oris uētris, quod sanè & stomachum uocant, affectionibus, non est præsentis sermonis explicare. Quæcūq; uero in emplastra & ceratiformia medicamēta, quæ forinsecus imponūtur, commoda sunt, & quæcūq; utiliter deuorantur, hæc ipsa indicabo, ea quæ inflammatis prosunt primū tradendo quandoquidē etiā in ipsis ægri maxime periclitantur.

Ceratum igitur quo assidue utor, ex aloe, & mastiche, & cera pontica amara, atq; ungento nardino cōstat. Cōponitur autem hyeme, ad VIII. drachmas ceræ, uncia una mensurali Romana ungenti nardini cōiecta: Aestate autem ad VII. eadem ungēti proportione. Optimū autem ungentū esse oportet, quale antea quidem in sola Laodicea Asiæ præparabatur. Nunc uero etiam in alijs multis Asianis urbibus cōponitur. Cera si nō pontica amara tibi in promptu sit, aliam ponticam conijce, & neq; illa præsente, eam quæ Tyrrhenica appellatur. Si uero neque hæc adsit, aliam aliquā odoratā & pinguem. si neq; talem habeas, eam quam habere potes lotam adde. Liquefiat autē in duplici uase, atq; ita refrigeratum & erasum ceratum, cum tritis reliquis probe permisce, cum aloe uidelicet & mastiche. Sit autem utriusq; drach. I. & quandoq; plus, nō tamen ut sesquidrachmam transgrediaris. Quod si ampliori opus sit adstrictione, nimirum debilitate tanta existēte, ut cibū retinere non possint, omphaciū pari pondere addatur, ut trium singulorum drachma sit una, aloes una, mastiches una, & tertia omphacij. Cæterum in cerati præparatione. primum omphaciū misceatur, deinde etiam alia his uniantur. At uero quemadmodū omphaciū, sic etiam absinthij succū ammisceo, quādoq; etiam ambo, & tertiū insuper hypocysthidis, & quartū œnanthes. Sic autem appello uitium syluestriū germen unà cum floribus, ex quo succedētibus diebus uua fit. Quin & Rhois succū non raro ammiscui. Sed & cerati nardini copiam augere oportet, iuxta proportionē numeri reliquorū pharmacorū, ita ut si quatuor drachmæ aliarū rerū accumulētur, triens sit nardini cerati, sextās quidē ceræ, sextās itē nardini ungenti, hoc est utriusq; drachmæ XVI. Porro si inueterata fuerit inflāmatio & iam obdurata, magis uaria pharmaca adhibere oportet, & quæ ex aromaticis quippiam habeant, ac mollientibus, & discussorijs. Quale est quod fit ex meliloto. Est autē cōpositio ipsius multiformis, propterea quod omnibus iuxta præcordia inflāmatis conuenit, non magnis adeo differētijs euariens, Ita ut aliqua ipsius præparatio inflāmato hepati sit cōmodior, alia stomacho, aut aluo, aut spleni, aut quibusdam istius loci musculis, quæ omnes cōmuni descriptione cōprehensæ sunt in malagmatum compositionibus. Verū in præsenti

senti loco ea quæ prioribus medicis ad omnes stomachi affectiones scripta sunt, & non solum forinsecus imposita, sed etiam in potu accepta auxiliantur, omnia conscribentur. Quædã uero ex ipsis communia sunt etiam affectionibus uetris.

Sæpenumero iam dictum est, quod medici in more habent os uentris, ueluti cardian, hoc est, cor: sic etiam stomachum appellare. Verum quondam frequentior cardiæ appellatio erat, Nũc autem ab ea adhuc restant, cardiossin, & cardialgia, quibus uocibus nõ cordis, sed oris uentris dolores significantur. Particulam autem ipsam stomachũ uocant æquiuoce cum illa particula quæ cibum ex ore in ipsam defert. Scripserunt igitur priores medici pharmaca ad affectiones in ipso, cum alias, tum subuersiones ab ipsis appellatas. Videntur autem sic uocare tum appetitus perditionẽ, tum nauseosas dispositiones, in quibus aliquando quidem uomitus contingunt. Fiunt autẽ & morsus quidam in ipso, quemadmodum etiam magnæ famis & anxiosę affectiones. In quibus omnibus communis quidam adstringentium pharmacorum usus inuetus est. Ammixta autem sunt plerisq; ipsorum calfacientia & resiccantia. Fiunt & aliæ affectiones rariores, humectantibus, aut refrigerantibus aut utrisq; simul opus habentes. Cæterum qui ab experientia citra rationalem methodum, auxilia inueniunt, meritò ea quæ sæpe iuuerunt in memoriam reuocãt, & in usum conuertunt. Eorum enim quæ sæpe eodem modo facere uisa sunt, obseruationem & memoriam, suam ipsorũ experientiã esse aiunt. Quemadmodũ autem in ore uẽtris, sic etiam circa ipsum totum, singulaq; intestina, & ut comprehensim dicam, circa omnem corporis particulam, eædem intemperaturæ obortæ, actiones similariũ partiũ offendunt, quas si quis nõ esse morbos ipsarum credet, nihil circa cognitionem efficiet, qua ignorata neq; curationem inueniet. Habent autem non modicam coniecturam cognitiones ipsæ affectuũ in profundo corporis consistentium, & ob id utilissima medicæ artis pars est quæ cognitionem doceteiusmodi affectionum, quas neq; quod primæ & maximæ sunt, plerīq; ex uulgo medici sciunt. Quare meritò neq; cognitionem ipsarum, neq; curationem inuestigarunt. Coguntur igitur etiam si dogmatici sint in rationalibus methodis, ad solam experientiam peruenire: ut iuste miremur quod quũ absq; febre & inflammatione, abscessuq; & ulceratione, quispiam debiliter concoquat, aut penitus non concoquat, promissione facta se inuenturos curationem, quærant an contritione ciborum concoctio fiat: & deinde ubi hoc ut maximum inuenerint, edulia quæ facile cõterantur exhibent, neq; quod promptissimum est intelligentes, quod etiam quispiam rei medicæ rudis, alias autem prudens uir me interrogauit, Quomodò prodest scire per contritionem ciborum fieri cõcoctionem, ad hoc ut quis affectionem uentris sanet, in quã debilitatur ad cõcoctionem ciborum, quum nõ per exhibitionem alimentorum quæ facile conterantur curatio fiat, sed læsio tantũ euitetur, uelut etiam per paucum alimentũ ac inediam. Quemadmodũ enim qui inediam perfert, in cõcoctionis quidem debilitatẽ non incurrit, non tamen ab affectione hoc modo curatur: Sic neq; qui in cibo accipit ea quæ in totum nulla cõtritione opus habet, Quale est lac, ptisanæ succus, & sorbitiones ex alica. Hæc quidem igitur in libris de curandi methodo sufficienter tradita sunt. & non obscurum est præsentem doctrinam utilem esse his qui se in illis præexercuerunt. Quemadmodũ autem in alijs quæ prius tradidi, reuocatis in memoriã singulis de illis mihi præmonstratis capitibus, ad pharmacorũ compositionem progressus sum, Sic etiam nũc faciam.

Quum octo sint in singulis partibus corporis intemperaturæ, atq; hæ omnes aut circa solas nudas qualitates, aut cũ alicuius humoris cõplexu fiant, Intemperiem quidem siccam humectare oportet, Humidam autem siccare, sic & calidam

refrigerare

refrigerare, frigidam calfacere. Similiter uero etiam compositas intemperaturas, aut calfacere & siccare, aut humectare & calfacere, aut refrigerare & humectare, aut siccare & refrigerare oportet. Quando uero ueluti dixi, plurimæ intemperaturæ hominibus ex redundantia humorum, magis quàm ex inopia fiunt, pharmaca resiccantia plerosq; magis iuuant. At uero quũ resiccantia partim quidem adstringant, cogendo ac adstringendo substantiam eorum quæ contingunt, partim uero discutiant & in hoc substantiam ipsorum dissoluant, ob hoc ipsum sanè plures sunt qui adstringentibus indigent. Verum si humida intemperies cum frigiditate fiat, læduntur qui per sola adstringentia curantur quæ frigidæ facultatis existunt. Quapropter meritò plurima pharmaca per experientiam inuenta, ex mixta materia cōponuntur, adstringente uidelicet & calfaciente. Verũ ipsorum differẽtiam cognosces, si simplicium pharmacorũ facultatem memoria tenueris. Dictum enim mihi iam sæpe est, Neminem posse rationabiliter & secundũ methodum uti his quæ in hoc opere conscripta sunt, si non memoria teneat quæ in duobus operibus ante hoc opus editis prodita sunt, de simpliciũ pharmacorum facultate, & curandi methodo dico. Quidam enim absq; discrimine pharmaca ad eiusmodi affectiones stomachi & uentris conscripserũt. Quidam uero aliqua discrimina attigerunt ab accessionibus omnibus apparẽtibus. Quo igitur & uos cognoscere sciatis facultates uniuscuiusq; pharmaci per experientiam approbati, etiam si non inueneritis differentias affectionum in quibus conueniunt adscriptas; primum quidem ea quæ Andromachus prodidit adscribam. Deinde quæ Asclepiades, & post hæc si ita uidebitur etiam alia quædam.

Confectiones Stomachicæ Andromachi. Cap. II.



Andromachus postq; præscripsit, Stomachicæ, post hanc præscriptionem, sic auspicatur. Ad Stomachicos hiera qua utor, & deinceps totam eius compositionẽ adscribit in hunc modum. Floris iunci odorati, xylobalsami, mastiches, croci, nardi Indicæ, asari, cinamomi, singulorũ drach. VI. aloes lotę drach. C. simul trita repone, præbe ieiunis cochlearia duo, alij uinum præbent cum aquæ frigidę cyathis. IIII. Hæc quidẽ Andromachus scripsit, neq; quos stomachicos nominet ostendens ac declarans, neq; an omnibus ipsis hoc pharmacũ conueniat, an pluribus. Itaq; mihi necessarium est dicere, quum ex his qui stomachici dicuntur aliqui quidẽ statim magnopere ex prædictæ hieræ usu iuuantur: aliqui uero lædãtur. Plerįq; equidem uulgo homines eos qui appetentiã perdiderunt ita uocant, & quibus post acceptũ cibum uentris os grauatur, & quandã ægre tolerabilem anxietatẽ habet. Appellant eodem modo etiam illos quibus nausea cõtingit, & maxime si ad uomitum impellat, & adhuc magis si simul cibi corrũpantur, quandoq; acidi, quãdoq; nidorosi facti, quandoq; etiam aliam uitiatã qualitatẽ adepti. Et prę his omnibus adhuc magis illos stomachicos nominãt, quibus ructus eiusmodi, cũ molestia quadã, & anxietate ac subuersione contingunt, sæpe quum nondũ cibum acceperunt. Quin etiã si per plurimum tempus cibi in ore uentris morentur, grauantes & uix descendentes, hos itidẽ stomachicos appellant. Alios item appetitũ caninũ appellatũ habẽtes, ut & plurima edant, & maxime grauati paulò post reuomant, similiter uocant. Alios rursus qui fortiter exoluũtur, ubi diutius inediã pertulerint, & si nõ citius cibum accipiant, in ore uentris morsus percipiunt, eodẽ modo stomachicos uocant. Horum ipsorum uero aliqui facile nauseosi fiũt, si citius potum ac cibum acceperint. Itaq; qui secundũ rationalem methodũ auxilia inuestigat, ad affectionis inquisitionem procedit, qua inuenta, abundaturũ se speret proprijs ipsi auxilijs. Qui uero per solam experientiam auxilia accumulat, ipse suam fortuitam occasionem

expectat,& à prioribus tradita relegit. Quũ uero plurima ab ipsis indiscriminatim prodita sint,& in plerisq; etiam inter se differant ac dissentiant, meritò etiam ipse alias aliud sentit, maxime ubi ab ipsis auxilijs aliquando quidem iuuari stomachicos uidet,aliquando uero lædi, Quemadmodum in proposita hiera cõtingere solet. Quam equidem omnes qui nunc Romæ medicantur,picram,hoc est amaram nominant,quandoquidem hieræ appellatio, pharmaco ex colocynthide rite ab ipsis indita esse uidetur. Verũ qui ante nos Romæ medicinã exercuerunt, ambo ea pharmaca hieras appellarunt, & distinctionis gratia alteri ex colocynthide,alteri ex aloe,appositione addiderũt,Sic scribentes. Hiera ex colocynthide. Hiera ex aloe.

Hiera itaq; ex aloê dupliciter præparatur, ab aliquibus uelut Andromachus describit, ad cẽtum aloes drachmas, singulorũ aliorum drachmis sex ammixtis, ab aliquibus uero nõ sex sed octo. Quidam uero in LXXX. aloes drachmas, sex aliorũ addũt. Plurimi aũt ad pharmaca quæ aloe miscentur, & sex numero sunt, etiam florem iunci odorati apponunt. At uero ipsam aloen Andromachus quidem lotam, Alij uero ex alijs etiam sic,aliqui uero illotam adijciũt. Verum nosse operæpretium est,ad uẽtris subductionem illotam aloen aptiorem esse. multum uero de medicamentaria ui deponere lotam, quam etiã febricitantibus dare aliquis audeat, si non uehemens, sed ualde debilis sit febris. Quidam uero & ex illota aloe pharmacum multis sic febricitantibus exhibuerunt, deindeq; quũ nihil manifeste læsissent,in alijs rursus magnam experti sunt cladẽ. Infestissima est enim aloe, etiam lota, his qui citra uitiatos humores ex intemperie calida & sicca affliguntur. Proximam ab his cladem percipiunt,qui siccam intemperiem habent frigiditate implicatam. Et in uniuersum qui ex sola qualitate particulam aliquam affectã ac læsam habent. Etenim in humoribus intemperaturæ, pharmacis ipsas euacuãtibus egent, Quæ uero absq; his cõsistunt, penitus in tabem deueniunt ex pharmaci huius ex aloe constantis usu. Itaq; ubi humiditas uitiata tunicas uentris perrigat,Hiera ex aloe utilis est,expurgans humiditatem. Omnino autem sic affectis accessio nauseæ plus aut minus adest. Euacuatio igitur affligentis humoris per solam aloen contingit, quæ purgatoriam uim non fortem habet,sed ut ea quæ circa aluum sunt,quæ etiam contingit,purgare possit. Et si aliquando ampliori pondere exhibeatur,usque ad locos circa hepar conscendit. Non tamen totius corporis purgatoria aloe existit. Cæterum ex his quæ ei ammiscentur, Mastiche ut stomacho commoda & odora, & quæ medicamẽtariam aloes uim frangere queat,ammiscetur. Cinamomum uero eadem gratia,& præterea quod tenuissimarũ partiũ est,ut aperire uentris meatus possit, extergereq; ac attenuare si quid uiscosum aut crassum in humoribus ferat. Crassos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem,aloe trahere nõ potest. Quapropter biliosarum uẽtris affectionum optimum pharmacum est,adeò ut in uno die sæpe multos stomachicos creditos persanet. Iuuat autem & hos & alios omnes affectus ex uitiatis humoribus ortos cinamomum ammixtum , utpote quod alterantem habet facultatem uitiosarum qualitatum in id quod secundũ naturam habet. Quare scire oportet affectiones in humoribus uitiatis circa uentrẽ & stomachum,maxime per medicamenta ex aloe iuuari,in maximum uero detrimentum peruenire ex adstringentiũ eduliorũ,potuum,ac pharmacorũ usu. Quemadmodũ uice uersa, in quibus humiditas multa , & uelut mador quispiam est circa affectam partem,citra uitiatos humores, qui ipse sola quãtitate & copia affligat, & uelut irriguum uentris os reddat, Vtilissimus adstringentium eduliorum,potuum ac pharmacorum usus existit, languida nimirum & exoluta tunc reddita

affecta

affecta particula ad modum laxatorũ articulorum. In quibus ipsis etiam adstringentium usus corrigit affectionem. Cæterum picra confectio (de hac enim nobis sermo est) uelut cinamomũ, sic etiam alia partim ut stomacho commoda, partim ut tenuium partium & extergentia assumit, quæ robore quidem multum à cinamomo deficiunt, idem uero facultatis genus habent.

Secundam à præscripta compositione Andromachus sic ad uerbum tradidit, ut Lampon Pelusiota. Cinamomi, calami aromatici, cassię nigrę, xylobalsami, floris iunci odorati, palmæ elates, singulorum quadrantem, alij unc. I. Omnia in crassas partes tusa in ollam nouam conijce, & aquæ pluuiæ sextarijs tribus infusis, donec dimidium supersit coque, & excola, & accepta aloes Indicæ libra una, aquam pluuiam sufficientem superfundito, & sub caniculæ æstus donec resiccetur terito. atq; ubi primũ per hanc aquã aloen ipsam edulcaris, postea eam quæ ab aromatis excolata est aquam affundito, & in sole donec resiccetur terito, indeq; trita hæc quæ sequũtur ammisceto. Croci, myrrhæ, mastiches, singulorum quadrantem, alij unc. I. Conterito simul omnia & sicca reponito, atq; in potionibus ad conuulsa, rupta, plagas internarũ partium, incipientes laterũ dolores utitor. Item ad inflatos, dolentes stomachum, tarde concoquentes, reiectantes sanguinem, & ischiadicos. Datur ad summũ obolus unus, aut duo, ex aquæ cyatho uno. Reliquis pro uiribus præbeto. In uulneribus & inflammationibus dilutum aceto mulso imponitur. In oculorum inflammationibus succo mentæ, aut calaminthæ, aut solani, aut alicuius cõsimilis. In podicis inflammationibus cum rosaceo aut uino Aminæo. Vtere etiam in unguiũ abscessibus, paronychias Græci uocant, sicco, superne linamento cum rosaceo imposito. Et ad sanguinis eruptiones siccum cum aceto, & ad crustas in ore ex passo, gargarissandum dato. Hoc pharmacum quod Pelusiotæ Lamponis esse ait, ad multas affectiones commodũ est, polychresta ob id talia Græci appellant, de quibus etiam ante aliquid dictum est, quod uidelicet deficiant ab his quæ unum quoddam optime faciunt, ob multitudinem eorum quæ promittunt. Apparantur autem quum unum habere uiginti affectionibus congruum malumus, quàm tot numero alia, quùm tamen ad singulas affectiones unum aliquod destinatum, eo quod ad plures paratum est, melius existat. Facultas autem ipsius per quam in prædictis efficax est, tenuium partium existit & calfactoria, secans, extergens & aperiens, & ob id discussoria redundantium in quibusdam partibus serosorum succorũ ac humorũ. Et propterea etiam prædictis in sermone affectibus conuenit, discutiens ut dixi, uitiosos & serosos succos ac humores affectarũ partiũ. Quare etiam prædictas alui affectiones, in quibus picra cõfectio moderatam purgationem operatur, curauerit per modicam resiccationem, non per coaceruatam euacuationem. Præstantior igitur est ad huiusmodi affectus picra compositio prima descripta.

Tertium post prædicta pharmacum Andromachus sic descripsit. Ad stomachicos & cœliacos pastillus amarus, mollit aluum. Facit ad somnũ. Est autem ex libris Aphrodæ. Facit & ad uesicã, et coli affectus. Seminis apij drach. VI. anisi drach. VI. piperis albi sesquidrachmam. castorij drach. II. myrrhæ sesquidrachmam. nardi celticæ floris sesquidrachmam, opij sesquidrachmam. cinamomi sesquidrachmã. comæ absinthij drach. III. aloes obol. III. mastiches drach. I. cũ aqua pastillos formato trioboláres aut drachmales & dato cum aquæ cyathis tribus. Neq; in hoc pharmaco adscripsit Andromachus, quos nam stomachicos dicat, & quid patiantur. Verum ex eo quod compositioni additum est opium, manifestum fit compositorem huius pharmaci intentionẽ suam eò direxisse, ut refrigeratorium simul & doloris sedatoriũ pharmacũ efficeret, somnumq; aliquem in-

duceret, non tamen contentiose cōtra unam aliquam ex prædictis affectionibus instando, quo uidelicet breui ipsam excinderet. Quartum deinde pharma cum Andromachus scripsit, neq; ad unam aliquam affectionem cōtentiose com positum, neq; ad multas moderate. Habet descriptio hoc modo. Ad stoma chicos hiera Antipatri. Aloes bonæ drach. IIII. masti ches drach. II. asari drach. IIII. rosarū siccarum, iunci odorati, Mei, phu, cassiæ, singulorū semiunciam. Vte re arido trito quemadmodū alijs. Quintum post hæc pharmacū, quod ex plantaginis succo præparatur, & ipsum Apollonij esse ait, tale est. Succi plantaginis aridi drach. III. mastiches drach. II. myrrhæ drach. I. mētæ drach. I. zingi beris drach. I. Videtur mihi Apollonius hanc cōpositionem experimento co gnouisse, in stomacho calidiorem affectionem habente, atq; ita ipsam indiscrimi natim extulisse non potentem frigidis affectionibus conuenire. Refrigeratorius enim est plantaginis succus. Porrò quę sequitur uidetur mihi composita esse ab eodem autore, in prioris usu successum nō sentiente. & recognoscēte pharmacū refrigeratorium se effecisse, & ob id castorij modicū, & aloes quippiam apponen te quæ euacuare potest, & mastichen ut stomacho cōmodam, ac crocum & myr rham, ut quæ concoquere queant. Quapropter neq; hoc, neq; præcedens phar macum adhibuerim in stomachica affectione, quū nullam probe curare possint, præterq; satis multum calidā. Scripsit de ea hoc modo. Succi plantaginis sicci drach. X. aloes Indicæ drach. I. mastiches drach. I. croci obolos II. opij obolos III. castorij obolos III. myrrhæ drach. I. formato ad magnitudinem ciceris.

Similiter autem neq; consequenter scriptū citra discrimen, recte quis adhibuerit in alia affectione, quàm quæ moderata siccatione & adstrictione opus habeat, in humoribus quidem modicis, qualitate uero uitiatis. Componitur enim ex succino & mastiche, sic ipso Andromacho prodente. Succini, mastiches chiæ. Succini plus conijce. Dato cochlearium unum ex aqua tritum. Cæterū quod sequitur pharmacū, hac descriptione, Stomachica Galli, affectioni quæ calfieri & sica ri postulat, utilis existit, ex fœniculo, aceto, & melle cōstans, quod ipsum Andro machus his uerbis tradidit. Stomachica Galli. Corticis radicis fœniculi, libræ dimidium. aceti acris sextarium unum, eiusq; dimidium. aloes quadrantē. mellis Attici lib. I. Radices lotas ad triduum aceto macerato, deinde coquito, atq; ubi coctæ fuerint expressas proijcito, & affuso ad acetum melle simul coquito, dein de aloen inspergito, & cochlearia tria cum aqua dato. Alcetius sophista ad hanc descriptionem addidit rutæ, & apij, semina geretium, utriusq; manipulum, iubens cum radicibus macerari ac coqui, Verum aceti sextarios VI. & mellis lib. II. conijcit, atq; hanc laudat. Post præscripta pharmaca, Andromachus sic ait. Stomachica ut Nicostratus. Succini, mastiches chiæ puræ, iridis Illyricæ, singulorum trientem. floris rosarū sextantem. Dato aridi triti cochlearia II. cum aqua lactosa. Statim enim dolorem leuat. Reponatur in corneo uase. Et hoc pharmacum palàm est adstringentius quodāmodo esse, optatq; affectione hu midiorem in humoribus non multis, neque ualde mordacibus. In quibus sane experimentum pharmaci fecisse eius autorem opinor, aut certe assiduò eius usu ægrum à dolore leuasse, atq; inde uniuersalem pronunciationem ipsi apposuis se, quod uidelicet statim ægrum dolore leuet, quum non possit id in multis præ stare. Postremum deinceps pharmacum ab Andromacho scriptum hoc modo est. Ad stomachicos. Corticis radicis fœniculi drach. II. uini cyath. III. coquito ad tertias, ut unus cyathus supersit, ac totum præbeto. Et hoc ex cal facientibus est, opusq; habet affectione quæ calfieri exoptat.

Stomachica pharmaca ab Asclepiade in primo internorum conscripta. Cap III



Asclepiades porrò de stomachicis scripturus, de ipsis sic ordit. Ad Stomachi subuersiones. Quas uero subuersiones dicat non manifeste indicauit. Potest enim et appetitus perditionẽ ita appellare, potest etiam nauseosas affectiones ab accepto cibo fientes. Aliquando enim hoc unum solum symptoma accedit accepto cibo, ut si paulo fortiori motu moueantur, statim uomãt. Appellant igitur aliqui etiã tales stomachicos, & stomachum ipsis supinum reddi aiunt. Sequitur autẽ hæc accessio quandoq; ad solã oris uentris debilitatẽ, quod cibos amplecti eisq; obuolui non potest, uelut tota uentris amplitudo solet. Quandoq; uero & cum uitiatæ alicuius, modicæ tamen humiditatis complexu. Etenim multa quemadmodũ etiam ualde uitiata, etiam citra cibum, nauseã efficit. Cæterũ quæ à multis uulgo Supinitas stomachi appellatur, contingit quidem iuxta intemperiem quãcunq; tandẽ citra uitiatos humores. Fit etiam per humiditatẽ, multam quidem, non tamen malignæ qualitatis. Irriguus enim stomachus per largam humectationẽ, similiter ut ligamenta neruorũ laxatur. Facilime itaq; curabilis est hæc affectio ex omnibus fere alijs, pharmacis indigens, quæ siccare humiditatẽ, & coagmentare & constringere laxatum corpus ualent. Vbi igitur per profundũ fuerit extenta humiditas, crassaq; sit & uiscosa, opus est mixtura pharmaci attenuatorij, & si ita dicere libeat, perrosiui quale est acetum, & acetũ mulsum. Si uero neq; talis sit humiditas, neq; in altũ extensa, adstringẽtia sola suffecerint ad curationẽ. Propositũ igitur in sermone pharmacũ, non moderatarũ supinitatũ, sed fortiorũ est curatiuũ; esset autẽ & moderatarum sanatiuũ, si adstringentia sola quis misceret, aut etiam ex calfaciẽtibus quippiam, si frigidã esse affectionẽ sentiret. Sufficiens autẽ signum est frigidæ affectionis, Si æger se non sitire percipiat. Vbi enim neq; siticulosus fuerit, neq; ardorem senserit in ore uentris, palam est affectionẽ non calidam esse. Idonea itaq; sunt ad huiusmodi uentris affectus, quatuor pharmaca ab Asclepiade cõscripta, quæ etiam ego nunc scribam, ipsius Asclepiadæ & uerbis & ordine seruatis.

Ad stomachi subuersiones. Nucleorũ mali punici tusorum succi sextarios. III. succi mentæ sexta. I. mellis Attici sextariũ. I. in uas fictile conijcito, ac coquito assidue agitando, & ubi densata fuerint, ab igne ablata reponito. Tempore usus dato mystrum I. aut. II. ante cibum. Aliud, facit ad dysentericos, & uomentes cibum. Radicis mali cotoneæ libram. I. uini myrtei sextarios. III. coquito ad tertias, deinde exprimito liquorem, & mellis Attici sesquilibram addito rursusq; coquito, assidue mouendo. Dato ex reposito uelut dictum est. Confectio ex fructibus. Facit ad stomachi subuersionem, cœliacos & dysentericos. Mala cotonea numero. X. sorba numero quinquaginta, mespila quinquaginta, Rhois rubri sextariũ. I. aquæ congios. VII. Fructus tusos & in aquam coniectos diligenter coquito, & ubi dissoluti fuerint, liquorem exprimito ac rursus coquito, eiecto eo quod ex fructibus instar palearũ exsuccum reliquũ est. quum uero tertia pars liquoris superfuerit, mellis Attici libras. IIII. addito, & ad prunas assidue agitando coquito, ac spissata reponito. Vsus ostensus est. Aliud pharmacum, Sorborum maturorũ sextarium. I. baccarum myrti nigrarum sextar. I. Rhois syriaci sextarium. I. prunorum sylnestriũ sexta. I. mespilorũ sexta. I. phœnicobalanorum Thebaicorũ lib. II. mala cotonea. X. mala punica integra unà cum nucleis. X. Musti aminæi sextar. XLVIII. præpara pro consuetudine, & expressum liquorem rursus diligenter coque donec spissetur. Vtere ut dictum est.

Porro post præscriptas confectiones, Quintã scripsit Asclepiades hoc modo.

Catapotia ad stomachi subuersiones, Origenis, bona & ualde probata. Florũ rosarũ drach. VIII. baccarũ myrti nigræ exacinatarũ acetabulũ. seminis hyoscyami acetabuli dimidiũ. Terito simul diligẽter, sufficiẽte protropo paulatim instillato, deinde bis palmularũ passarũ, patetos Græci uocãt, decẽ numero carnẽ addito, & ex cõtritis catapotia ciceris magnitudine formato, & III. aut IIII. cũ aquę mulsæ ueteris dilutæ cyath. II. exhibeto. Et hoc pharmacũ in ijsdem affectionibus cõmodum est, in quibus quatuor præscripta. Voluit aũt autor huius pharmaci per seminis hyoscyami mixturã, doloris sedationẽ & somnũ inducere, unà cum resiccatione. Manifestum est autẽ refrigeratoriũ quippiam hyoscyami semen habere, uelut etiam papaueris semen habet, quare ad calidos affectus facit.

Simile præscripto pharmacũ deinceps proditum ab ipso est, his uerbis. Rosarũ recentiũ desectis unguibus drach. VIII. seminis papaueris albi drach. IIII. seminis hyoscyami drach. II. aloes obol. III. asari obol. III. Cum aqua diluta in pilulas redigito, & ciceris magnitudinem præbeto.

Septimum post prædicta pharmacũ Asclepiades scripsit apposito discrimine ab accessione palàm apparente. Ait enim ardori stomachi ipsum conuenire, & propterea sitim extinguere testatur, unde etiam adipson Græci appellant, cõpositionem ipsius sic tradens. Ad ardorem stomachi Adipson catapotium sitim extinguẽs. Seminis cucumeris satiui drach. VIII. seminis portulacæ drach. VIII. tragacanthæ drach. IIII. Tragacantham ouorũ crudorum recentiũ candido dissolue, & probe tritis alijs adde, et ex mixtis catapotia forma, eaq; in umbra resicca, atq; unũ sub lingua tenendũ præbe, ac liquorẽ inde solutũ deuorare iube. Quin & quod postea sequitur refrigerat ac corroborat stomachũ madore prægnantem, & qui humidã ac calidam affectionẽ habet. Scribit autẽ de ipso Asclepiades hæc uerba. Aliud facit ad stomachi subuersionem, maxime commodum est ardorem multum perferẽtibus, & qui stomacho exuruntur. Foliorum rosarũ uiridiũ drach. VI. glycyrhizæ drach. IIII. nardi Indicæ drach. IIII. Excipe uino dulci aut protropo, & redige in catapotia, ex quibus unũ sub lingua tenendum præbe, aut ciceris magnitudinẽ cũ frigida aqua dissolue, & in potu exhibe.

Nonum deinceps pharmacũ Asclepiades scripsit, hoc modo. Ad singultũ & stomachi debilitatem & cibi reiectionẽ. Reiectio itaq; hoc est uomitus, ex genere est Supinitatum. Quãdo enim os uentris fortiter afficitur, hoc autem uelut dixi, ob uitiosos humores, quos uẽter abrumpere conatus, propter debilitatem nauseæ accessionem perpetitur, atq; hanc etiam tum ante acceptionem cibi, tum post ingestũ cibum, ob extremam debilitatẽ perfert. Supinitates igitur ex uitiatis humoribus obortas, picra cõfectio quàm celerrime curat, nempe uitiatos humores expurgans. Vomitus uero ob imbecillitatẽ grauati stomachi oborti, curantur per intemperaturæ correctionẽ. Non parum sæpe contingit etiã, non solum stomachũ, sed & uentrem ob debilitatem ferre nõ posse ciborum onus, atq; ideo reijcere aliquando quidẽ ad infernã partẽ, ubi illis robustior sit stomachus, aliquãdo uero sursum, ob stomachi imbecillitatẽ, quãdo sanè hic debilior fuerit infernis partibus. Hoc itaq; uomitus symptoma unũ quidẽ est, sequitur autẽ ad affectiones diuersam medelam exigẽtes. Similiter & singultus, stomacho interdum ob frigiditatẽ aut repletionem accedit, interdũ ob mordacitatem humorũ acrium, & medicamentaria qualitate præditorũ. Impossibile itaq; est pharmacũ inuenire omnibus dictis affectionibus aptũ. Cæterũ quæ deinceps scripsit Asclepiades duo pharmaca, ostensa sunt substantiam habere multũ ab humana natura diuersam, quæ ipsa maximè omniũ inter reliquas corporis partes stomachus non fert, ob excellentiã sensus qua præditus existit. Magnopere igitur affligitur

gitur stomachus etiã ubi ex stomaticis pharmacis quippiã in ipsum fuerit præterlapsum, maxime quę atramentũ sutoriũ, aut tale quid in se habet, Quod enim ex fructibus constat, ex comestili materia cõpositum est. Verum atramentũ sutorium contrariæ penitus homini naturæ est. Quemadmodũ etiam mandragoras. Fugienda itaq; sunt hæc duo pharmaca ex chrysobalano & radicis mandragoræ cortice cõposita. Apponam tamen etiam ipsorum cõpositionem. Et prioris quidem descriptio hæc est. Chrysobalani lib. i. mastichis chiæ libræ dimidium, corticis radicis mandragorę quadrantem. Tusa & cribrata excipe mentæ succo, & redige in catapotia. Da inde obol. iii. cum aqua frigidæ cyathis tribus.

Posterioris aũt descriptio hæc est. Mastiches chiæ lib. i. corticis radicis mandragoræ sextantem, tusa & cribrata reponito. Vsu exigente dato cochleariũ inspersum aquæ frigidæ cyatho uni. Post præscriptas confectiones, Asclepiades sic scripsit. Ad ululosas stomachi subuersiones. Cõiectarit quispiã ipsum ululosas appellare fortes. queadmodũ enim in ululis subuersiones fiunt cũ magna cõtentione & uiolẽtia, adeo ut stercus etiã reuomant. Sic etiã alios uomitus concitatos, quis appellare ululosos possit. Sequuntur autem huiusmodi uomitus, ubi affectæ partes à medicatis serosis humoribus magnopere fuerint afflictæ. si uero etiam imbecilliores fuerint, duplicatur malũ. Erit itaq; ob id curationis scopus, ut simul ad affectas partes odoratas qualitates imponamus, quales aromatũ sunt, & quorundam seminũ in ciborũ usum uenientiũ, uelut est anisum, apium, daucus, cuminũ & seseli. Iuxta hanc itaq; rationem Hippocrates in pleuriticis purgatiuũ exhibẽs medicamentũ, misceri aliquid ex his iussit, sic scribens. Si uero sub septo transuerso sit dolor, & ad clauiculam non se extendat, mollire uentrem oportet ueratro nigro, aut peplio, ad ueratrũ quidẽ dauco, aut seselide, aut cumino, aut aniso, aut alio quopiã odorato addito. Apparet enim quod in his miscẽdis maxime odorẽ ipsorũ respiciat, quo medicamentariã uim, quæ hominis naturę cõtraria est, infringet & obtũdat. Queadmodũ enim graueolentia omnia stomachũ subuertere solent, sic odorata corroborare. Si uero ultra hoc etiam in ciborum usum ueniat, multipliciter auxiliantur stomacho ob uitiatos serosos humores subuerso. Atq; iuxta hanc ratiocinationem autor propositi pharmaci anisum & apiũ ammiscuit. absinthiũ uero propterea quod à natura uim habet extergendi, ac repurgandi, & subducẽdi uitiatos stomachi humores, amplius'q; densat & constringit ac robur addit parti affectæ. Cinamomũ autem addidit, ut quod omnibus fœtidis & putredinosis serosis humoribus se opponat, iuxta utramq; facultatem suam, alteratiuam & discussoriã. Nõ paruam enim ex odore suo exhibet utilitatem omnibus malis affectionibus. Opij uero parum pharmaco immiscuit, sensum stomachi hebetare uolens, qua ratione etiã cœliacis ipsum damus, ut quod profundũ quẽdam soporẽ inducere possit. Quo uero uehementẽ opij frigiditatẽ cõpositor ipse corrigeret, castoriũ ipsi adiecit oppositum ferme ipsi in facultate. Eadẽ ratione etiam piper ammixtũ est. De myrrha uero operæpretium est scire quod in quantũ facultas ipsius est concoctoria humorum præter naturam & uitiosorũ, in tantum conuenienter ammiscetur. In quantum autem medicamentaria est, non conuenienter. Verum paucitas eius ad concoctionem quippiam confert, qualitatis autem peregrinitas nõ apparet, utpote uicta ab odoratis. Ego itaq; hoc pharmacũ etiam sine myrrha præparare consueui, ad securitatem perducere semper tentans usum omnium pharmacorum, præsertim ubi in acuta febri tale quid exhibetur. Quum igitur cinamomum habeat hoc pharmacũ, & semina calida urinam cientia, ac piper, & præterea castorium ac apium, merito multis affectionibus commodum est, quandoq; cum uino sto-

Myrrha

macho grato datum, quale protropum est, quandoq; cum myrti baccarum decocto, uelut in dysentericis, aut cum aceto mulso, uelut in splenicis. In cholera uero & bilis uomitu ac effluxu, cum frigida, uelut Asclepiades scripsit, sed addito discrimine, si siticulosior est nūc quàm antea, aut nauseæ calidę sensus circa os uentris ipsi contingat, aut frigidam bibere sanus cōsueuit. Ego sanè hoc medicamentum ad securiorem usum perduxi, myrrhamq; dimisi, & piperis quantitatem auxi. Quum uero plurimum cinamomum accipiat, necessarium nobis est ubi cinamomo caremus, cassiam optimam conijciamus, aut plus quàm duplo cinamomi pondere, aut omnino non minus. Cæterum cōmensuratio ac apponderatio pharmacorum quæ ipsum constituunt, ab Asclepiade his uerbis proditur.

Ad uoluulosas stomachi subuersiones pastillus Amazonū. Facit ad inflatos, ardorē stomachi, & uomentes cibum. Facit & ad internas affectiones. Seminis apij drach. VI. anisi drach. VI. absinthij drach. IIII. piperis drach. II. myrrhæ drach. II. cinamomi drach. VI. opij drach. II. castorij drach. II. Cū aqua pastillos formato, & summū drach. I. dato, stomachicis cū protropi diluti cyathis tribus. cholericis & uomentibus cibum cum frigida. Cœliacis & dysentericis cum baccarū myrti decocto. spleniticis cum aceti mulsi cyath. III. Aliud pharmacū deinceps scripsit Asclepiades, nō solum ad uoluulosas stomachi subuersiones ipsum conuenire promittens, sed & ad intensos singultus, & stomachicos qui ardorē, hoc est, multā caliditatē percipiunt. Dictū autem iam sæpe à me est, Impossibile esse inuenire pharmacū ad multas affectiones optimū, Inuenitur enim in unaquaq; ipsarū id quod proprie ipsis destinatū est præstantius esse. Verum his qui unum pharmacū ad multos affectus habere uolunt, etiam horū præparatio ac compositio utilis existit. Cōtinetur tamen ambiguitas quædam in huiusmodi pharmacorū promissionibus, qualem Asclepiades nūc de proposito pharmaco fecit. Putabunt enim fortassis aliqui ex ignaris, tum singulorū trium symptomatū curationē promitti, tum duorū simul coincidentiū, aut omniū simul. Velut quū lanciatur uehemēter nauseās æger, & singultit, & multæ anxiosæ caliditatis sensum circa stomachū percipit. Et de tali sane affectiōe primo dicā in qua tria hæc mala simul hominē infestāt, nimirū ardoris sensus, & singultus, & affectio uoluulosa.

Hippocrates quidē igitur cōuulsionem fieri dixit ex repletione & euacuatione, & additū est ad aphorismū fermè in omnibus exemplaribus, Sic autē & singultus. Ego uero in conuulsione tertiam aliquā causam supra euacuationē & repletionē nondū reperi. Singultū etiam sine his fieri uideo, acribus humoribus, aut serosis & medicatis stomachū mordentibus, quos ubi uomitu reiecerint statim singultu liberantur. Quin & multi deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus cōstante, si statim uinū insuper bibant, omnino singultiūt, ex quorū numero etiā ego sum. Amplius autē & cibo in mordacē qualitatem corrupto, aliqui singultiūt, & quod à uomitu statim liberantur, omnibus notum est. Quidam etiam ex rigore oris uentris singultiūt. Verū pueros maxime frequenter singultire cōtingit, tum ob corruptionem alimenti in uentre, tum ob partis frigiditatē. An uero & ob nimiam euacuationē fiat singultus, ueluti etiā cōuulsio, dignum consideratione est. Verū si in præsens hac cōsideratione relicta, eos qui ob frigiditatem, aut ciborū copiam, aut mordacē acredinem grauantur, intueamur, uomitum reperiemus sufficientem medelam eorū qui ob copiam aut morsum singultiunt, caliditatem uero eorū qui ob frigiditatem. Alio autem modo reperiemus etiam sensus stupefactionem per refrigeratīa, & permutationem ac discussionem mordacitatis per attenuantia & resiccantia. Cōponitur autem ex huiusmodi ipsum pharmacum. Opium enim & rosæ, & psyllij succus, ex refrigerantibus

sunt, Spica nardi uero & chrysobalanos ex discutientibus & corroborantibus. Asarum autem per urinam deducit uitiosos humores. Aloe uero uitiatos humores expurgat & inferne per uentrē euacuat. Crocus autē cōcoquit & roborat partes, per temperamentū quidē caliditatis cōcoctionem efficiens, per adstringendi uero uim, quæ ipsi adest, robur addens. Costus autem sufficiēter calfacit, moderate uero adstringit, quod & ex gustu eius percipitur. Ex his porro cōpositum pharmacū aptum est singultientibus, aptum est & qui ad uomendum lancinantur, & qui circa præcedens pharmacū dicti sunt, uerum non similiter ut illud, aliquid ex odoratis habet, aut cinamomū. Refrigeranū autem in ipso mixtura stupefacere sensum potens, mitigando molestiā ex mordacitate serosorum & aliorum etiam humorum obortam, uere aptum pharmacū efficit, ad nauseosæ affectionis imminutionem. Quandoquidem uero etiam ad stomachi ardorem cōuenire pharmacū dixit, Repugnet autem huic sermoni Costus, operæpretium fuerit & de eo dicere. Quemadmodū in antidotis colicis appellatis, & à quibusdam, dolorū sedatorijs, qualis est Philonis antidotus, Seopus cōponendi pharmacum est stupefacere sensum dolentiū. Quo uero non cum magno detrimento id fiat, & ut per altum dolentium corporū frigiditas penetret, calfacientia miscentur, quæ refrigerantium stupefactionem deducere possunt, quum illa ipsa per se tardi transitus existant. Hæc igitur ubi quis inaudiuerit, quantitatem consideret simplicium pharmacorum quæ in compositiones miscentur. Ex hac enim sciet num magis, an minus efficere possit compositum pharmacum ea que promittit. Si namque refrigerantia plura apparuerint, sensum affectorum magis obtūdit, & quantum caloris in ipsa particula fuerit etiam hunc extinguit. Vbi uero calfacientia fuerint aucta, minus quidem hæc efficiet ipsum pharmacum, innocētius autem reddetur. Nosse enim oportet, corpora niuentium mortificationi simile quippiam perpeti, ab omniū ex opio, & hyoscyamo, & mandragora compositorum pharmacorum usu, nimirum caussis dolorem infligentibus insensibilibus factis. & multi sanè qui assidue talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. Quemadmodum autem in refrigerantium & calfacientium oppositione, utrorumque quantitas ostendit prędominantem pharmaci actionem, Eodem modo etiam in alijs cōsiderationem facere oportet: uelut densantibus & rarefacientibus, coagmētantibus & diffundentibus, odoratis & grauolentibus, humectantibus & siccantibus, discutientibus & cohibentibus. Itaque ubi subscripsero his mixtorum in compositione quantitatem, ad cohærentia transibo. Scripsit autē ipsam Asclepiades in hæc uerba. Stomachicis, ardorem sentiētibus, & ad intensos singultus, & ululosas stomachi affectiones. Costi drach. III. spicę nardi drach. IIII. chrysobalanorum drach. IIII. rosarum uiridium drach. IIII. mastiches drach. IIII. aloes drach. II. asari drach. II. opij drach. I. excipe succo psyllij, & reduc ad pastillorum formam, exhibe obolos III. Liquor sit affectioni conueniens. Post præscripta pharmaca, Antidotum Hieram iam antea in Andromachi pharmacis conscriptam, ex aloe & cinamomo compositam, etiam ipse tradidit non iuxta eandem commensurationem & symmetriam. Habent autem uerba eius in hunc modum.

Antidotus Hiera, hoc est, Sacra, Themisonis. Ad stomachi subuersiones. Facit & ad sentientes ardorem, & omnem inflationem, tardam concoctionem & affectiones uteri. Probe cit urinam, & omnino admiranda confectio est hydropicis, hepaticis & nephriticis. Deducit & fœminis menses. Aloes drach. C. mastiches unc. unam. croci unc. unam. nardi Indicæ unc. unam. cinamomi unc. unam. carpobalsami unc. unam. asari unc. unam. tundito & angustissimo cribro

excernito, atq; aridū ut ne transpiret seruato. Vsus eius est ad tarde concoquentes, atq; ita sanos drach. I. cum frigidæ cyath. IIII. Vomētibus bilem, aut alias fluxione laborantibus drachmæ dimidium. Ad inflammationes internas conuenit cum aqua mulsa. Verū quibus urinam ciere uolumus, aut mēses deducere, pharmacum cum uino damus. Est autem medicamentum inspersile in pulueris ac farinæ formam redactum. Hæc quidem scripsit Asclepiades de prædicto pharmaco, Videamus autem primū in his de quantitate pharmacorum ipsum constituentium quatenus consensit, & dissensit cum Andromacho. Deinde cōsequenter de promissione & usu. Equidem in mixtura pharmacorum consenserunt inter se Andromachus & Asclepiades, in hoc quod aloes drach. C. coniiciunt. Dissentiunt autem in eo quod Asclepiades simpliciter aloes scripsit, Andromachus autem lotæ apposuit, & quod Asclepiades reliquorum singulorum singulas uncias ammi scripsit, hoc est drachmas argenteas VIII. aut septem & dimidiam. Andromachus uero sex. Amplius etiam in eo quod Asclepiades carpobalsamū, Andromachus xylobalsamū iniicit. & præterea quod Asclepiades florē iunci odorati penitus reliquit. Cæterum circa promissionem operum Andromachus nihil amplius scripsit, quàm quibusdam unum cochlearium, quibusdam duo, cum aquæ frigidæ aut calidæ cyath. III. exhibere. Verum Asclepiades plura de usu propositæ antidoti prodidit. Ad tardas enim concoctiones sanorum drachmam unam dari iubet, cum aqua frigidæ cyath. IIII. Opinor autē ipsum dicere drachmam argenteam, etenim sic ferè omnes recentiores medici appellare in more habent: neq; ipsa rei natura aliud nos intelligere cogit. Manifestū est autem quod drachmam dicimus nunc in huiusmodi omnes, quod Romani Denarium appellant. Verum non omnibus tarde concoquentibus expedit præbere hoc pharmacum, sed his solum quibus ob uitiosos humores tarda cōcoctio contingit, & maxime quum tenues fuerint & biliosi. fecerit & quietem in his quibus citra uitiatos humores, humida intemperies intantū affectam partem perrigauit, ut exoluatur & laxetur ad modum ligamētorum neruorum circa laxatos articulos. At uero qui bilē in uentre habent, quæ præsertim ipsis in tunicis in alto continetur, præstantius pharmacum non repererint. Verum haud scio qua ratione parū de ipso exhibeat Asclepiades, quū moderata exhibitio ipsius ad drachmas VI. progrediatur. Porrò ad inflammationem habentes non simpliciter in omni inflammationis tempore dandum est, sed ubi concocta fuerit & declinarit. Concocta enim medicanda recta censet Hippocrates, non cruda, neq; in principijs, nisi sua sponte concitata id expetant, hoc est, nisi motus ad excretionē nos adducat, qui nondū firmā aliquam inclinationē ac stationem ad unā partē habeat. Recte aūt hoc pharmacū tarde cōcoquentibus, aut bilē uomentibus, aut alias stomachi fluxione laborantibus, aquæ cyathis IIII. inspergens præbet, nimirū subuersionem stomacho ex melle oborientem formidās. Ad declinationē autem internarū inflammationum cum aqua mulsa tempestiue quis exhibuerit. Quemadmodum etiam urinam ciere uolens, aut menses euacuare, Asclepiades quidem ex uino dandum ait: præstiterit autem, ut ego sentio, cum uino mulso pharmacum præberi. Ita enim simul & quæ circa distributionem & delationem ex uentre in urinam, & quæ circa uterum instant, secat ac dissoluit, & robur partibus addit per quas transitum facit. Ampliusq; & locorum per quos fertur caliditatem auget, quæ & ipsa non parum confert ad instantes humores fundendos ac euacuādos.

Post præscriptam sacram Themisonis Antidotum, Asclepiades sic scripsit.

Alia ex Mantiæ cōpositionibus Attalica. Facit ad stomachicos & reiicientes cibum, cholericos, cœliacos, dysentericos. Cōpositio sic habet. Croci drach. II. nardi

nardi drach.II.ſeminis hyoſcyami drach.I.aloes unc.I.balauſtij unc.I.tragacāthæ unc.I.piperis albi unc.I.acaciæ unc.I.Rhei pontici unc.I.Rhois ſyriaci culinarij unc.I.Excipe ſucco roſarū in uino auſtero coctarum, & redige in paſtillos drach mæ unius. Tragacantham uero ſucco præmaceratam unito. Hoc pharmacum nihil priori ſimile habet. Illud enim purgatorium eſt, hoc adſtringens, his qui ſto machum aut totum uentrem ob multam humiditatē exolutum ac laxum habēt conueniens: quemadmodū etiam in articulis eiuſmodi laxitates cōtingunt, ligamentis ipſorū multa humiditate perrigatis, quæ plurimi Medici neruos ligatorios appellare ſolent. Multæ enim eiuſmodi affectiones tum in uētre, tum in ſtomacho, fiunt his qui multo potu ſe explent, aut fructus humectātes, aut etiā edulia talis temperamenti ingerūt. Quū itaq; multi ſint qui tali uictu utantur, rationabiliter etiā prædictæ facultatis pharmaca ſæpe ſucceſſu clara euadunt, ut quæ prædominātem adſtringendi uim habeant. Vbi uero aut uitiatos humores euacuare, aut affectā particulam calfacere oportet, non ſolum nihil iuuat ita adſtringentium pharmacorum uſus, ſed etiam nocet. Poſt præſcriptū medicamentum, aliorum duorū Aſclepiades meminit, quæ & ipſa ambo bona ſunt, & ex multis compoſita, ac propterea multi ad uarios affectus uſus, & præſertim poſterius. Quod uero tale ſit quale ipſum eſſe dicit, etiā nobis ipſis facile erit iudicare, ubi in memoriam reuocarimus ſimplicia in ipſo pharmaca, qualia ſingula ſint, amplius'q; methodum compoſitionis eius audiuerimus.

Aſter ſtomachicus. Facit ad eos quibus cibus in uētre aceſcit, ad tormina, deſtillationes, dolorē capitis, ſpuentes ſanguinem, tabeſcentes, affectiones circa ueſicam & uterum. Præparatur ſic. Succi mandragoræ drach.IIII. myrrhæ drach. IIII. balauſtij drach.IIII. caſtorij drach.IIII. croci drach.IIII. opij drachmas VI. aniſi drach.VIII. ſeminis apij drach.VIII. ſtyracis drach.VIII. hyſſopi cretici drach.XII. ſeminis hyoſcyami albi drach.XII. Cōponito pro more & digerito in paſtillos. Dato pro uiribus. Liquor ſit affectioni conueniens.

Aſter inexuperabilis. pharmacum accōmodatum, ſedans dolorem, inducens ſomnum, multi uſus ad uarios affectus. Nam & ſtomachi morbos mirabiliter ſanat, à ructibus acidis, ægris concoctionibus, torminibus, uoluulis, inflationibus. Facit & ad capitis dolores potatū, & foris illitum fronti aceto dilutū. Facit & ad oculorū dolorem paſtillus perdicij ſucco dilutus. Facit & ad dentiū dolorem cauerne inditus, tritus ac galbano exceptus, aut fici ſucco. Prodeſt ad influxus oculorum, & tonſillarū inflāmationes, uino dulci dilutus. Ita ut ad oculos lanam eo imbutam imponamus. In tonſillis uero affectis tepefactum colluamus. Facit ad omnem ſanguinis fluxū uino myrtite diſſolutus. & ad ueteres ac recentes tuſſes & deſtillationes dilutus uino Theræo, aut protropo, aut ſcybelite. Facit phthiſicis, ſuppuratis, marrubij ſucco diſſolutus. Hæmoptoicis, dyſentericis, cholericis, ſanguinariæ ſucco dilutus, & ad omnis reptilis plagā cū rutæ decocto potatus. Soluit irritationes per circuitum repentes, duabus ante eius inuaſionem horis, ex uini diluti cyathis III. acceptus. Menſes etiam fœminarum ducit artemiſiæ decocto dilutus. Facit & ad ueſicæ affectiones uino mulſo diſſolutus. Similiter etiam his quæ ab utero ſuffocantur auxiliatur. Facit arthriticis, podagricis, gentianæ decocto dilutus. Et de his quidem quæ efficit hactenus. Compoſitio uero hoc modo habet. Myrrhæ drachmas IIII. ſtyracis drach. IIII. nardi Indicæ drach. IIII. caſiæ fiſtulæ drach. IIII. terræ lemniæ quæ ſphragis, hoc eſt, ſigillū appellatur drachmas IIII. corticis mandragoræ drachmas IIII. In alio exemplari etiam piperis drach.IIII. croci drach.VI. ſucci papaueris drachmas VI. ſeminis dauci cretici drachmas VIII. aniſi drach.VIII. ſeſelis maſſilienſis drachmas VIII.

seminis apij drach. VIII. Myrrha & styrax, atq; opium uino dissoluuntur odorato & teruntur. Arida uero tunduntur & cribrantur, ac deinde simul miscentur, subiguntur, ac in pastillos coguntur ponderis drachmæ dimidiæ, & in umbra resiccantur. Vsus ostensus est. In alijs exemplaribus pastillorum pondus drachmale proditur.

Quæ Archigenes in primo pharmacorum secundum genus prodidit, De affectionibus circa stomachum. Cap. IIII



Vum multæ & uariæ sint circa stomachũ affectiones, atq; hæ omnes ferè in totum ex cruditate oboriantur, omne ipsius robur considerandum est, & si quidem per aquarum aut aeris malignitatem lædantur: quod maxime possibile est fieri, ea uariando ac permutando hominē liberabimus. Si uero per insuetos cibos læsio fiat, eis interdicemus. Si uero ob copiam, cibos cõtrahemus. Et in uniuersum ex quacunq; causa suspicati fuerimus fieri læsionem, eam prohibebimus. Quod si quis sibi ab omnibus his bono ordine caueat, & iuxta ipsum stomachũ tamen cõcoctio impediatur, unctionibus & exercitijs, uociferationibusq; & alijs huiusmodi per expertũ artificem adhibitis stomachus corroboretur. Verum ructu acido affectis coriandrum cochlearij mensura ante reliquum cibum edendum dato, & merum insuper bibendum. Quod si quãdoq; moderata cruditas & quæ contemni possit oboriatur, longiore tempore in lecto decumbendũ est, & si negotia id non permittãt, quantũ possibile est, omni distentione, ac labore, ampliusq; æstu ac ira uitatis. Serius etiam quàm pro consueto tempore ex feruida aqua lauandũ est, & in priore balnei domo aqua tepida hausta, omnia in stomachum coaceruata pituitosa reuomenda, & modico cibo itemq; potu prima die utendum. Si uero fortis ciborum corruptio fiat, stomachiq; morsum sentiant, ac ipsos eructent, ampliusq; nausea afficiantur, aqua tepida exhibita uomere cogito, donec omne corruptũ expurgetur, deinde caput pinguibus linteolis ad ignem calfactis irrigato, aut huiusmodi aliquo non inani ductu locos circa stomachũ foueto, & præcordia mitigato, summas item partes pingui frictione aut etiam constrictione lenito, atq; ita in lectulo quiescere sinito, ac inedia per totam sequentem diem perferre. At si non absurdum quid inde consequatur, & satis firmi sint, lauando eos, ut prædictum est, curato. Infirmiores uero moderate ad diem unum refectos, in sequentem lauato, moderatis cibis ac potibus ad triduum uti iussos. Et cruditatis quidem talis quædam (ut rudi quadam forma expressi) curatio existit. Verum de his quæ ex ipsa proueniunt, uelut profluuio uentris, aut bilis per uomitum ac secessum reiectione, aut alijs eiusmodi, in proprio loco dicetur. Cæterum in alijs stomachi molestijs, his quidem qui stomacho exurũtur, cum exolutione aut animi deliquio, aut appetentia perdita, ex qualicunq; tandem causa, præter febrem, cyathos III. aut IIII. aquæ frigidæ absorbendos dato, bis aut ter per interualla; & si quidē inde mitius habeant, ipsos reuocatos tum cibo, tum etiam alijs refocillare tentabis: si uero permaneat malum, ligatis & cõstrictis extremitatibus, eiusmodi quendã cremorem assidue absorbendũ dato, uelut palmularũ, malorũ cotoneorum, pirorũ, mespilorũ, baccarũ iuniperi, pampinorũ uitis, rosarũ, Mali item punici nucleum non habētis succũ, aut nuces pineas XX. & seminis cucumeris grana XXV. baccas myrti XX. croci obolum dimidiũ & rosarũ duarũ folia, ex aqua bibenda exhibeto. Aut aquam frigidã cum omphacij succo præbeto. Aut florem rosarũ cum nardo & aqua frigida, aut etiã portulacæ semen ammisceto, aut atriplicis semen, aut malorũ cotoneorũ decoctũ. Aut cucumerũ satiuorũ semina quinquaginta trita, ex frigida præbe. Aut oryzã coctã cũ butyro edendam exhibe

exhibe. Aut tragoriganum tritam & exsuccatam cum aqua edendam præbe. Aut fabas Aegyptias x. & nardi celticæ obol. II. utraq; tosta & trita bibenda exhibe, cum mali punici acidi ac dulcis succo & aqua, pari utriusq; mensura. Aut mentæ ramulum cōtritum bibendū dato. Aut œnanthen similiter tritam cum nardo Indica bibendam dato. Aut lentes coctos tritos ex aqua præbeto. Aut phœnicobalanos cum rosis. Aut marrubij succum cum melle, & ubi paululum quieuerint uinū cum polenta exhibeto. Aut cardamomi drach. I. cum aceti mulsi cyathis tribus potandā dato ac quiescere sinito. Porrò his qui saliuā multam in stomacho aggregarunt aridam conyzam manducādam dato. Forinsecus uero stomacho imponantur uitis folia uiridia trita, aut mala cotonea, aut palmulæ, aut mespila cum cerato, aut myrti folia tenera uel rubi, uel lentisci, trita cū polentæ flore frigida subacto, aut portulaca uiridis similiter præparata, aut caseus recens mollis cum polenta & apij folijs, aut seridis folia cum aceto & polenta ac apij folijs. Si uero multum sint æstuosi, uesicā aqua expletam imponito. Aut niuem superdato, aut cucurbitarū ramenta imponito, & omnino omnia quibus in cardiacis utimur. Dolores autē stomachi lenit, & maxime his quibus tristitia aut desperatio accedūt, lac asininū, aut muliebre, aut bubulū, silicibus incoctis potatū. Aut ungentū nardinum uel aliquod pretiosum dato ex aqua. Aut decoctū floris iunci odorati, rosarū flore simul inspersō. Aut portulacæ succum quandoq; per se, quādoq; cum nardo. Aut oui uitellum tostū & in farinā comminutum, cum polenta bibendum dato. Aut amaras nuces cum cucumeris semine & nuce pinea. Aut rumicis syluestris seminis obolos III. bibendos præbeto. Omnes uero circa stomachum dolores & displicentias ac molestias sedari aiunt, cochlea aphricana cruda integra uorata. Exoluto aūt folum & nauseabundo facto stomacho, lactucæ albæ semen modicum, ex aquæ cyathis quatuor aut uno bibendum dato. Aut passerū stercus aridū uelut polentam, siue aquam biberint, siue uinū, inspergito. Aut mastiches chiæ cochleariū ex aqua frigida dato. Aut glaciem ieiunis quotidie exhibeto, ut ea assidue manducata saliuam expuant. Aut conyzam aridam mādu cent. Si uero unà cum humectatione etiam inflammatio aliqua adsit, œnanthen cum meliloto, aut rosam siccam cum cerato rosaceo parum resinæ ustæ habente impone. Aut acaciæ & aluminis melij pares partes dupla cerati proportione excipe, & ut malagma impone. Cæterū quibus bilem atram generātibus stomachus inflatur, spongias aceto acerrimo calido imbutas ad stomachum imponito, atq; hoc maxime tempore distentionum, & si postea etiamnum perseuerarint, alumen liquidum cum atramento sutorio trito melle exceptum imponito. Aut hæc & aloen pari portione mista & cerato myrteo excepta imponito. Aut hederæ folijs uino coctis pro cataplasmate utitor. Aut plantaginis cum sale tritis. Aut armentariæ bouis stercus aridum uino coctum, aut marrubiū cum pane & rosaceo subactū, aut bulbos rufos & alumen pari portione imponito. Post hæc antidotus apyretos appellata, aut hiera, aut alia quæpiā, quæ cuiq; per experientiā cognita est, in potu exhibēda est. In cibo stomachicis cōueniunt, beta, lens, tragus, oryza, alica, malis cotoneis, aut palmulis, aut mespilis, aut mali punici nucleo carētis granis, aut melapijs simul incoctis, aut teneris lentisci, aut myrti, aut rubi ramulis ammistis. Panis sit summe tantū fermētatus, aut penitus absq; fermēto, pparatus. Ex olerib. cōueniūt cruda, cichoriū, meconides lactucæ, eryngiū, intubus, gingidiū, seris, lactucę. Cocta maxime cōmoda est brassica & sisarū. Ex reliquis aūt coctis cōueniūt cochleæ & bulbi. Ex carnib. uēter, rostra, pedes, turdi, pdices, attagenæ, turtures, palūbes, anates, lepores, dorcades. Ex piscib. squillæ, gammari

gammari, natatrices siue colymbænæ, locustæ, loligines, sepiæ. ex his qui duras carnes habent nulli. Ex testaceis maxime buccina, purpuræ, pectines, glauci, cerri, glandes, siue balani. Verum Sisarum à reliquis omnibus acceptum, ut stomacho gratum, & refectioni commodum, ad pleraſq; omnes stomachi accessiones conueniens est. In potu prodest uinum quod unusquisque libenter bibit. At uero his qui inflantur & stomacho distenduntur, polij fasciculum coquito & bibendum dato. aut calaminthæ decoctum per noctem sub dio expositum, modico melle, & piperis drach. I. ammixtis, bibendum præbeto. aut spongiam acerrimo aceto imbutam pedibus ac brachijs imponito usq; quo bullæ excitetur, maxime si cibos reiecient. Aut fœni græci farinā aceto subactam, aut sinapi tritum cum aceto, usq; quo rubefiat locus. Aut psyllium aceto & aqua maceratū & in mortario tusum, pari portione carniū cochlearū ammixta, in malagmatis forma imponito. Quæ stomachicis dolorē eximant. Cuminū tostum & apium, utrūq; modica portione cum aqua bibendū præbe. Aut aloes obol. II. cum uino mulso, aut uino, aut aqua bibēdos dato. Aut abrotoni & thymi utriusq; obol. III. ex uino præbe bibendos. Ligaturas insuper extremarum partium fortiter adhibe, & circa ipsum stomachum cucurbitulis & fomentis uarijs utere. Quod si uehementer ualida sit distentio, etiam uenæ sectio efficax auxiliū erit, & alui solutio per supposititiam glandem. Deinceps post præscripta Archigenes de fame ingēti, bulimo Græcis appellata, itemq; de singultu prodit quæ sequuntur. Porrò eos qui ex ingenti fame in uijs animo linquūtur, reuocabimus odoramētis aceti, aut pulegij, aut quæ forte obtingit terra aceto macerata, aut malis, aut piris, aut alijs similibus fructibus, qui ad manum sunt. Panem insuper odorandum dabimus, & ingerere cogemus. Ad hæc enim singula cōfestim excitantur, & præterea ad suillam carnem assatam ac coctam, & in uniuersum ad omne quod multum alit, & præsertim ea quæ odorem nidorosum ac probe conditū habent. Per huiusmodi enim odores ut plurimum tales reuocantur. Nihilo minus tamen etiam extremæ partes ipsorum constringendæ sunt, ipsiq; excitandi tum maxillarum punctura, tum capillorum ac aurium distentione. Refocillabis porrò ab exolutione & deliquio animi, panem in uino diluto, aut etiam aliud quippiam ex his quæ aceruatim reficere uires possunt, exhibendo: uelut sunt oua sorbilia, bulbi, cochleæ. Etenim singula hæc stomachi humiditatem eximunt, & in modica mole multā uim complexa cumulatim corroborant. Singultientibus autem rutam cum uino dato, aut nitrum in aqua mulsa, aut opium, aut castoriū, aut abrotonum, aut aristolochiam, aut daucum creticum, aut cuminum, aut anisum, aut zingiberis radicem, aut scillam cum aceto & oleo, aut tordilion, aut dictamnum, aut calaminthen, aut acorum, asarum item & nardum celticum, & pulegium, singula tum per se, tum simul mixta.

Pharmacum nostrum ex succo malorum cotoneorum constans.

Magnæ equidem oris uentris affectiones à prædictis pharmacis curantur. Moderatas uero omnes fermè, præter eas quę ex uehementi ardore fiūt, subscriptū medicamentū iuuat. Succi malorum cotoneorum sextarios II. mellis Attici sextarios II. aceti sesquisextariū. Si uero multum acre fuerit sextarium unum. Zingiberis quadrātem. piperis albi unc. I. Arida insperges, ubi malorum succus cum melle & aceto coctus ad lentum ignem, Attici mellis crassitudinem acceperit. Aliud ex malorum cotoneorum carne constans. Malorum cotoneorum carnis libras III. mellis libras III. aceti albi lib. III. piperis quadrantem. zingiberis quadrantem. petroselini Macedonici unciam unam.

De pharmacis

De pharmacis quæ forinsecus ori uentris imponuntur. Cap. V

Vocant quidem plurimi medici haud scio quare, uelut Asclepiades & Andromachus, omnia pharmaca quæ forinsecus imponuntur, siue adstringendo condensent, siue indurent, Malagmata, quæ uox emollitionis significationem habet. Verum nos permittemus ipsis etiam si non proprie appellent. Quæ autẽ conscripserũt ad stomachi affectiones commoda pharmaca, per experientiam non illorum solum, sed etiam nostram approbata, ea nunc adscribemus, ab his quæ Asclepiades prodidit initio facto.

Quæ pharmaca Asclepiades ad stomachi affectiones in quarto externorum tradidit, quæ Marcellæ inscribit.

EVoni ad stomachi subuersiones, doloresq́; facit partim etiam ad inflammationes. Oenanthes drach. VIII. croci drach. II. rosarum siccarum drach. IIII. meliloti drach. IIII. masticheѕ drach. IIII. ramentorũ succini drach. IIII. carnis phœnicobalanorum quadrantem. Vini myrtei quod satis est. Arida tundito & per angustissimum cribrum concernito, & cum uino myrteo diluito, ut cerati spissioris crassitudinem accipiant, his carnem phœnicobalanorum addito, & conquassata cerato ex rosaceo apparato excipito, & linteolo infarta ori uentris imponito. Facit & ad oculos inflammatos. Aliud Oenanthes drach. VI. croci drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. floris rosarũ drach. IIII. meliloti, mastiches, utriusq; drach. IIII. aloes drach. IIII. corticis mandragoræ drach. IIII. Carnis palmularum quadrantem. Excipe cerato ex rosaceo apparato.

Asclepiadæ qui philophysicus dictus est, hoc est naturæ studiosus, ad stomachi subuersiones. facit & cœliacis & dysentericis. Seminis hyoscyami drach. IIII. seminis apij drach. IIII. floris rosarũ drach. II. seminis anisi drach. II. succi hypocysthidis drach. II. myrrhæ drach. II. croci sesquidrachmã. opij sesquidrachmã. Arida tundito & per angustissimũ cribrũ excernito. Hypocystidẽ uero & myrrhã, & papaueris succũ, uino myrteo dissoluta aridis adijcito, & pastillos formato, eosq́; in umbra resiccato. Vsus tempore quantũ opus est tusum, melle cocto excipito, & deinde linteolo infarta locis affectis imponito. Si fortis fuerit fluxio, succi hypocysthidis aliam adhuc drachmã addito, & floris rosarum tantundem.

Aliud Galli Marci Asclepiadei, ad easdem affectiones. Seminis hyoscyami drach. III. florũ rosarũ drach. II. anisi drach. II. seminis apij drach. IIII. opij drach. I. succi hypocysthidis drach. II. myrrhæ troglitidis drach. II. croci sesquidrachmã. uini myrtei quod satis est. mellis cocti quod sufficit, præpara ac utere ut dictum est. Eiusmodi pharmaca etiã bibuntur, & ualde auxiliantur. Cohibito autem fluxu & sequente dolore, tantũ pondus cerati rosacei ad pharmaci confectionem addere oportet. Si uero multa fluxio contingit, ad pharmacum succi hypocysthidis drach. III. conijcio, & flores rosarum altã drachmam. Vigilijs infestantibus, etiam succi papaueris aliam drachmam addo. Aliud Nicerati, cœliacis, dysentericis ualde generosum. Oenanthes drach. II. rosarum siccarũ unc. I. mastiches unc. I. aloes unc. I. gallarum omphacitidum unc. I. aluminis rotundi unc. I. acaciæ unc. I. ceræ lib. I. picis brutiæ quadrantem, olei myrtei libram I. arida cum liquidis committito. Aliud ualde præclarum. Onanthes unc. I. omphacij unc. I. gallæ omphacitidis unc. I. aluminis scissi unc. I. acaciæ unc. I. cytinorũ mali punici, balaustij, mastiches, singulorũ unc. I. uini myrtitæ quantum satis est his subigendis, carnis phœnicobalanorum sexuncem, excipe cerato lentiscino, præpara ac utere ut dictum est. Hæc quidem igitur præscripta pharmaca facultatis sunt adstringentioris. Quæ uero deinceps ab Asclepiade prodita sunt, mixtã facultatem habent, adeo ut etiam induratas inflammationes curent, & propte-

rea etiam hepaticis utilia sunt. Opus enim habent etiam illi adstringentium ad laxantia mixtura, non tamen æque ut stomachici. In stomachicis enim medicamentis qualitas adstrictoria prædominatur. Malagma Nilo inscriptum. Facit ad præcordiorũ dolores, dissoluit omnẽ duritiẽ. facit & ad exarticulatã & luxata post declinationem inflammationũ impositum. facit spleneticis & hepaticis. Ceræ libram unam, ammoniaci thymiamatis lib. I. olei cyprini lib. I. croci semunciam, aceti quod satis est. Ammoniacum dissoluito, deinde sic arida adijcito. Aliud ex libris Arij Asclepiadei. Ammoniaci thymiamatis lib. II. diligenter tritas in uas fictile conijce, eiq; floris salis lib. I. adde, & olei cyprini sesquilibram. Coque ad lentum ignem assidue agitando, atque ubi emplastri formam acceperint, adijce ceræ lib. II. qua eliquata & pharmaco amplius non inquinante, eximito ipsum & in mortarium transferto, conquassatumq; diligenter reponito ac utitor. Malagma Nilei crocerum, pharmacum accommodatum ad prædictas affectiones, facit & ad erysipelata. Hoc usus est Licinius Atticus. Ammoniaci thymiamatis lib. I. ceræ lib. I. rosacei lib. I. croci unc. I. aceti quantum sufficit, præparato pro more. Aliud Melinum inscriptum aromaticum, hepaticis, stomachicis, & ad præcordia distenta, & omnem neruorum per consensum affectionem. Ammoniaci thymiamatis drach. C. ceræ ponticæ drachmas C. meliloto rum drach. XII. croci, myrrhæ, bdellij, singulorum drach. VIII. olei cyprini lib. I. Aliud facit stomachicis, hepaticis, ad præcordia inflammata, & omnem neruorum per consensum affectionem. Ceræ drach. C. croci drach. XII. ammoniaci thymiamatis drach. C. myrrhę drach. XII. bdellij drach. VIII. confectionis hedychroi quadrantem, uini dulcis quantum sufficit, olei cyprini lib. I. præpara pro more. Aliud Neapolitæ Aromaticum inscriptum, pharmacum accommodatum ad internas affectiones. Ammoniaci thymiamatis lib. III. ceræ lib. III. rosacei lib. III. confectionis hedychroi libræ dimidium, nardi celticæ librę dimidium, floris iunci odorati libræ dimidiũ. Vini dulcis quod satis est. Arida cum liquidis subacta cõmittito.

Malagmata bona inflammationum citra debilitatem inueteratarum, quæ ad hepatis inflãmationes similiter cõueniũt. Malagma Asclepiadę ex meliloto, Hieraticon, hoc est pontificiũ inscriptũ. Stomachicis, hepaticis, & ad uiscerũ dolores. Nardi celticæ drach. X. cyperi drach. X. myrrhæ drach. X. cardamomi drach. VIII. meliloti drach. XL. croci drach. VIII. amomi drach. VIII. cypheos hieratici hoc est, sacrificulorum drach. XVI. ammoniaci thymiamatis drach. XL. resinæ terebinthinæ drach. LXXX. ceræ minam unam, olei cyprini drach. CXX. Vini odorati Italici heminam unam. Præpara ut dictum est ac utere. Aliud Basilicum, hoc est, Regiũ inscriptum, faciens ad prædictas affectionem, omnemq; per consensum neruorum affectionem, ceræ minas III. ammoniaci thymiamatis minas II. resinæ frictæ minam unam, meliloti minæ dimidium, propolis drachmas XXV. myrrhæ drach. XXV. nardi celticæ drach. XXV. styracis drach. XXV. cyperi drach. XXV. iridis illyricæ drach. XXV. cardamomi, panacis, utriusque drach. XXV. croci, cassiæ, mastiches, opobalsami, amomi, floris iunci odorati singulorum drach. XVI. Vini Italici odorati quantum sufficit. Arida cum nardini Asiani aromatici libris quatuor subacta pro more præparato.

Malagma polyarchion. Facit peripneumonicis, stomachicis, splenicis, hydropicis, facit ad affectiones circa uesicam aut uterum, ad omnem neruorũ per consensum affectionem. Ceræ minam I. terebinthinæ minam I. bdellij minã I. ammoniaci thymiamatis, cardamomi, cyperi, singulorum minã unã, meliloti, amomi, nardi indicæ, croci, myrrhę, thuris, xylocinamomi, singulorum drach. XXV. olei

olei cyprini heminã I. Vini Italici quod satis est, prępara pro more ac utere quandoq; immixto, quandoq; dissoluto cum cerato cyprino. Polyarchi pharmacũ accommodatum. facit ad prædictas affectiones, & omnem neruorum per consensum affectionem. Facit etiam ad assiduas cruditates, & corrumpentes cibum, & uomentes bilem, ac omnes inueteratas affectiones. Vsus est eo Iulius Agrippa, compositio hoc modo habet. Castorij, amomi, utriusq; sescunciam, piperis albi sescunciam & longi sescunciam, myrrhæ quadrantem, confectionis hedychroi quadrantem. carpobalsami quadrantem, croci quadrantem, foliorũ malobathri, cassię rosas referentis, panacis, opobalsami, nardi indicę, singulorũ quadrantem. floris iunci odorati, cinamomi, utriusq; trientem. pyrethri, croci, cardamomi, singulorum trientem, cyperi semissem, iridis illyricæ, aristolochiæ longæ & rotundæ, singulorum semissem. ceræ lib. IIII. terebinthinæ lib. II. resinæ laricis quadrantem. In alio exemplari, etiam bdellij trientem. ammoniaci thymiamatis trientem. Vngenti nardini Asiani lib. III. Vini falerni quod satis est, præpara pro more. Ego autem adijcio masticheś, cinamomi, ammoniaci thymiamatis, styracis, aloes, opobalsami singulorum quadrantem. Malagma Andromachi ex meliloto. Nardi celticæ drachmas VIII. cyperi drach. VIII. iridis illyricæ drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. croci drach. IIII. meliloti drach. XXV. ammoniaci thymiamatis drach. L. terebinthinæ drach. L. ceræ drach. C. cyprini heminę dimidium, aceti quod satis est. Quidam ammoniaci drach. C. conijciunt. facit ad omnia interna. Malagma polyarchi ex epistola ad omnia interna. cyperi minam unam, cardamomi minam I. mannæ tantundem, ceræ tantundem, terebinthinæ frictæ sesquiminam, aut liquidæ minas III. cyprini quantum sufficit. Ego etiam bdellij appono minam unam. Aliud, altera descriptio. Cyperi, cardamomi, amomi, bdellij, thuris, balsami, singulorum minam I. ceræ sesquiminam, resinæ frictæ minas IIII. cyprini heminæ dimidium. Vini odorati sesquiheminam. Præpara ut moris est, ac utere uelut præscriptis. Vt ego componere soleo. Cyperi, cardamomi, amomi, bdellij, thuris, singulorum minam unam, ceræ minæ dimidium, resinæ frictæ aut terebinthinæ minas IIII. cyprini heminam I. cassiæ minæ quartam partem, ammoniaci thymiamatis minæ quartam partem, nardi indicæ, croci, myrrhæ, singulorum minæ quartam partem. Vinum odoratum.

De Hepate & eius affectionibus. Cap. VI



Vum hæc tractatio postrema omnium à me conscribatur, omnibus sane manifestum esse opinor, quod ex duobus his alterum uerum sit. Aut alias omnes inutiles esse & superuacaneas, si quis ex hac sola sufficiens sit omnes affectiones curare, quæ medelam per pharmaca requirant. Aut si quidem illæ utiles existant, primum ipsas legendas esse, & in memoriam reuocandas ab his qui hinc aliquid commodi auferre uelint. Ipsas etenim methodos curandi prædictas affectiones, in XIIII. libris de curandi methodo inscriptis prodidi: nunc uero tanquam his ipsis cognitis, citra prædictas demonstrationes in memoriam reuoco, ostendens omnino quomodo nos pharmaca componamus, & quæ à prioribus scripta sunt iudicemus, indeq; in usum agere ac assumere cõfidamus. & sane utilis hæc speculatio existit. Nam empirici qui suã artem rationis expertem esse uolũt, omnia quidem legenda esse censent, quæ à probatis medicis sunt conscripta, non autem statim in usum assumenda esse, sed prius iudicanda, an singula ex ipsis ea quæ promittunt opere etiam demonstrare possint. Nos autem experientiam in omni arte magnum quid posse persuasi, speculationes tum per rationalem methodum, tum per rationalem indi

cationem inuentas, ad ea quæ ab ipsis de iudicationis historia tradita sunt, apposuimus; demonstrantes qualem facultatem ad ambulandum utrunq; crus exhibet, talem in medicina experientiam & rationem habere. Itaq; in tractatione de simplicibus pharmacis per undecim libros conscripta, singulorum sponte naturæ productorum pharmacorum facultatem qua methodo quis inueniat recensuimus, atq; etiam ad particularem ipsorum materiam progressi, utilissimam ad artis opera facultatem omnem secundum species prodidimus. Consequenter autem ab illo opere, etiã curatiuã tractationem, quomodo quis optime non solum simplicibus, sed etiam compositis utatur, exposuimus: simulq; uias compositionis ipsorum omnes indicauimus. Cæterum in proposito iam opere, quomodo uarietas compositorum medicamentorum inducta sit ostendimus, ac certos iuxta speciem scopos tum compositionem, tum usum ipsorum deducentes, ampliusq; iudicationem eorum quæ iam ante scripta sunt docentes. Quum igitur consequenter post prędicta, ad affectionum hepatis doctrinã progredi uelimus, affectus circa ipsum consistentes non nuda doctrina, sed ratione exquisitos referemus, & ab uniuersalibus scopis curationis ipsorum: quos in curandi methodo tradidimus: ad compositorum doctrinam perueniemus. Primũ igitur omnium discernendum est. Num debilitas quædam uisceris adsit, quemadmodum etiam de uentre diximus, aut etiam alia quædam affectio ipsum apprehenderit, aut citra debilitatem affectum sit, inflammatione aut induratione, aut abscessu laborans, aut obturatione. Quemadmodum etiam an erysipelatosam habeat affectionem, aut ulcus, aut aliquam putrefactionem. Nam & in hoc hepaticam affectionem dicunt, quemadmodum etiam ore uentris affectio pleriq; medici ac idiotæ stomachicã affectionẽ uocant, in multis symptomatibus, non tamen omnibus circa unam affectionem accedentibus contingentem, sed circa multas, una quadam generali communitate comprehensas, & tamen inter se in tantum differentes, ut aliquæ ipsarũ maxime cõtrariæ existant. Quomodo eñ non maxime contrariam quis dixerit frigidam intemperaturam calidę, humidam siccæ: quanquã secundum genus eædem sint: fermè autem omnia cõtraria eadem genere si quis dixerit, non peccabit. Contrariorum enim notio contingit, ubi plurimum inter se distarint. Plurimum autem distant à medijs in quocunq; genere, ea quæ extrema sunt, adeo ut contraria sæpe quidem eadem uideantur iuxta communis generis fines, sæpe uero generalioribus contrarijs supra ipsa ascendentibus, ab illis comprehendantur. Illa ipsa uero ob id omnino contraria sunt, quod quũ unius generis sint, plurimum inter se distent, adeo ut quæ his subiacent primum & supremum genus cõmune habeant. Atq; hoc quidem hoc loco semel à nobis obiter & accessionis loco dictũ, semper in memoria teneatur, ne uidelicet cuipiam uideri possit à seipso dissentire, qui aliquando unam affectionem in duobus hominibus eandem esse dixerit, aliquando non unam, neq; eandem, sed duas contrarias. Intemperiem enim unam quandam affectionem generaliter appellãt, sed quæ in contrarias differentias secetur. Licet enim secundum hoc quod diximus, duo & tria & plura, iuxta particulares differentias inter se contrarijssima esse, & secundum hoc debilitatis hepatis affectionẽ unam esse: quam intemperiem uocant: præfatus, non male rursus dixero, non unam, sed octo affectiones esse, propterea quod tot differentiæ intemperierum existant. Etenim rursus iuxta aliam sectionem, duæ intemperierũ differentię fiunt, & rursus iuxta aliam tres, hæ quidem in qualitatibus solis, affectis partibus alteratis, hæ uero cũ humoribus quibusdam, aut in spacijs affectarum partium contentis, aut in ipsis corporibus irriguis ab illis factis. Circa uentrem igitur & intestina, una in singulis est cauitas,

quæ uitiatam humiditatẽ suscipere potest. Verum circa hepar tot numero sunt, quot sunt arteriæ & uenæ. Quum uero hæ omnes angusta oscula habeant, qua parte sima huius uisceris cum gibbis coeunt ac committuntur, obturatio & oppilatio uitiosorum humorum aliquando contingunt, ad quas putrefactio consequitur, breui in frigidis intemperaturis, in calidis uero nõ cito, sed temporis progressu accedens. Fit autem intemperatura iuxta propriam hepatis substantiam, quam Erasistratus putat præterfusionem quandam: parenchyma Græce appellat, & non principalissimam uisceris partem esse. Fit etiam intemperatura circa contentas in ipso uenas & arterias, & iuxta materias in spacijs ipsarũ contentas. Quum autẽ habeat hoc uiscus non unã sed plures facultates actionũ, quas uitæ tempore operatur, easq; tot numero, quot sunt actionũ species, Contingit sæpe unam ipsarũ præcipue lædi, sæpe duas & tres, atq; omnes quatuor simul. Actio nanq; ipsius una quidem attrahere cibum & alimentũ in sese. Altera uero obuoluere & continere, donec permutans ipsum suipsius faciat partem. Est igitur hæc ipsius facultas principalissima & fere prima, concoquere uidelicet & permutare ac alterare atq; assimilare sibijpsi alimentũ, quam alteratiuã uocamus: quæ uero iuxta hanc alterationẽ remanent recrementa, ea per aliam facultatem, quam excretiuam & expulsoriam nominamus, expelluntur. Ostensum autem est quod hæ facultates omnes in omnibus sunt partibus per omne uitæ tempus. Omnes enim familiare sibi attrahunt, & alienum excernunt, attractumq; temporis progressu alterant, quo tempore etiam retinent & constringunt. Vocatur autem alteratio ipsa usq; quo in similitudinem partis quæ nutritur transmutatur, coctio. Vbi uero iam parti apponitur, nutritio. Quum igitur hepar præ imbecillitate ex uentre & intestinis alimentum trahere non potest, liquida & nondum iusto modo exsuccata, per sedem excernuntur, & si quidem uenter simul cum hoc uiscere fuerit imbecillis ac non probe concoquens, cruda. Si uero ualidus fuerit, concocta quidem; sed liquida, propterea quod nulla, aut omnino modica digestio ac distributio ad hepar est facta. Si uerò traxerit quidẽ hepar in seipsum ex uentre & intestinis alimentum, sanguificare autem ipsum præ debilitate nequit, quemadmodum in uentre multiformis corruptio contingit eorum quæ cruda remanent, sic etiam circa hepar. Dico autem nunc cruditatem solam, non comprehendens hoc sermone tardam concoctionem. quod si uelis alimentum crudum permanens, & alterationẽ quæ fit à particula iuxta naturam nõ assumens, itidem crudum appellare, neq; ego fugio appellationem, si mihi saltem differentia rerum conseruetur. Peior enim est transmutatio in peregrinam qualitatem iuxta cruditatẽ facta, moderatior uero ea est in qua alimentum suam naturã quàm diutissime seruat, nulla alteratione ex particula quæ ad ipsum cõcoquẽdum à natura destinata est, suscepta. Atqui & tertia præter has, species est frustratæ concoctionis, quũ semicoctũ fit alimentũ. Et circa ipsam sane exactã concoctionem frustratam, hepaticis sanguinolentus humor per aluũ excernitur, talis cõsistentiæ ueluti si quis sanguinem cum aqua confudisset, & pleriq; sane medici imaginem eius depingentes scripserunt talem eius compagem esse, uelut si quis uictimæ recens mactatæ carnes aqua lauasset. Et plurimæ hepaticæ affectiones ab eiusmodi excretionibus initium capiunt, nondum magnam debilitatem hepate habente, sed adhuc concoquere, & alimentum alterare uelut in formã sanguinis potente: aucta autem affectione, nihil amplius tale excernitur, sed multiformes aliæ qualitates & compages, uelut à uentre ex cruditate laborante. Verũ in uentre ciborum ipsorum corruptiones manifeste apparent, circa hepar uero distributum alimentum ad sanguinem prius in uiscere existentẽ ammiscetur, corrumpiturq;

piturque temporis progressu etiam hic, unà cum alimento circa ipsum non concoctо. Calida igitur intemperie circa uiscus existente colliquationes fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis, & euacuatur per uentrē bilis crassa, graueolens, & abunde colorata, quemadmodum in pestilentibus febribus contingit. Frigida uero intemperie existente, neque assiduæ excretiones, neque multæ fiunt, Durat tamen affectus diutius, & per aliquos dies profluet ipsis uenter maiori copia, cuius neque foetor similis est his quæ ex calore sunt liquefacta, neque color similis, aut compages, uerū minus graueolentia ab his excernuntur speciem putrefacti sanguinis, nō colliquatæ carnis habentia. aliquando uero id quod excernitur uelut sanguis niger apparebit, Verum diligenter consideranti neque sanguis niger est, neque grumus, sed uelut limus quidam sanguinis crassi, qui prope ad atrā bilem accedat, & plures ac ægre iudicabiles colores circa eiusmodi affectionem in egestionibus apparent. In utraque autem intemperie tum calida, tum frigida, quando intemperatura humida & sicca fuerint ammixtæ, liquidiora in humiditatis cōplexu, sicciora uero ex siccitatis copula, fient recremēta. Scopus igitur curationis in eiusmodi affectionibus sit communis quidem, iuxta intemperiei contrarietatem, peculiaris autem unicuique per cuiusque contrarietatem. Affectio igitur Hepatica peculiariter appellata, ueluti etiam cœliaca & stomachica, citra tumores præter naturam circa ipsas partes contingit. Inflammatum enim esse hepar, aut abscessu laborare, aut induratum esse, medici dicunt, aut aliud quippiam tale, Non tamen hepaticum uocant hominem ipsum, cui tale quippiam accidit: Verum quando citra manifestum aliquod in uiscere malum, in proprijs actionibus debilitatur, tunc ægrum hepaticum appellant. Videamus igitur primum ea quæ scripserunt hi qui ante nos de pharmacis optime & studiosissime tradere satagerunt, initio ab his quæ Andromachus prodit facto. Hic enim uir in libro internarum affectionum curationes continente multas hepaticas confectiones conscripsit, quarum omnium faciam mentionem hoc loco, ipsius uerbis in medium adductis, & primum sanè Antidotos adscribam.

Quæ pharmaca ad Hepaticos ab Andromacho sunt conscripta. Cap. VII



Ndromachi antidotus Cyphoides ad hepaticos, & omnia thoracis uitia. Vuæ passæ carnis drach. XXV. alij drach. C. croci drachmā I. alij obol. III. calami drach. II. & dimidiam. bdellij drachmas duas & dimidiam. cassiæ sesquidrachmam, cinamomi obolos III. spicænardi drach. III. floris iunci odorati drach. II. & dimidiam. myrrhæ drach. IIII terebinthinæ drach. IIII. alij drach. XVI. ramentorū aspalathi drach. II. mellis drach. XVI. uini quod satis est. Hæc quidem est Antidoti descriptio: Appellauit autem hanc cyphoide, hoc est, cypheoformem, ob similitudinem. Nam & odore & gustu similis est cyphi ab Aegyptijs appellato, qui sanè primi hoc pharmacum compofuerunt, & utuntur eo quotidie ad uaporem edendum accenso in deorum honorem. Plurima autem eorum quæ in illo thymiamate & suffumigio scripta sunt, eadem sunt cum his quæ in hoc pharmaco habentur, quin & suffumigari hoc ipsum similiter ut cyphi potest. Compositum est autem ex moderate adstringentibus, & resiccantibus ac discutientibus uiciosos serosos humores, & corrigentibus humorum maliciam, & contrariam uim habentibus aduersum putrefactiones, quorum plurima ex aromatum sylua existunt. Habet itaque pharmacum hoc cinamomū omnes putredinosas & uenenosas facultates corrigens,

non solum serosorum et aliorum humorum, sed etiam lethalium pharmacorum. Quemadmodum & feris uirus eiaculantibus contrarium existit. Consequenter autem post cinamomum, cassia eandem uim habet, optima uidelicet & cognata ipsi cinamomo, & post hanc omne aromatum genus uelut hic est nardus, & iuncus odoratus, calamusque & myrrha. Hæc enim ad propositum pharmacum iniecta sunt, iuxta iam dictam ratiocinationem & modum. Quemadmodum etiam ex his quæ apud nos gignuntur, aspalathus & crocus, adstringens & concoctorium pharmacum, & quod corrigit putrefactiones. Cæterum uua passa contemptilis uideri possit, ob familiarem eius usum, at uero hoc ipsum eam facit utiliorem, nam quum familiaris nobis sit, in tantum adstringens est, quantum opus habet uiscus affectum. Habet autem & uim concoctoriam crudorum humorum, & uim coercendi maligna, sitque ipsa haud facile putredini obnoxia, & ultra hæc secundum totam substantiam uisceri ipsi familiaris est & propria. Didicimus enim quod alimenta secundum totam suam substantiam proprietatem ac familiaritatem habent ad ea quæ aluntur, quod maximum est in huiusmodi affectionibus curandis quæ iuxta intemperiem fiunt. Optime enim in ipsis faciunt quę una cum hoc quod intemperiem curant, etiam alere possunt, & ob id etiam uinum conuenientissimum est, citra inflammationem, aut erysipelas, autem abscessum, aut calidam intemperaturam, ægrotantibus. Nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit, & si intemperies ex humiditate facta sit & frigiditate, eam citra omnem molestiam ac secure persanat. Eadem est & mellis facultas præterquam quod non condensat substantiam corporum quæ contingit, sed pro hoc uim extergendi, & aperiendi, ac puros reddendi meatus, & urinam ciendi, non parua sane auxilia possidet. Porrò ammixtum est à compositore pharmaci bdelliū, sufficienter emolliens & concoquens, uelut didicimus, ampliusque moderate discutiens. Consimilē fermè uim terebinthina resina habet, supra hoc quod angustos meatus extergit & expurgat, quibus auxilijs uiscus curandum opus habet, quo osculorum uenarum in ipso commissuræ laxæ & ab obturatione liberæ permaneant. Didicimus nanque quomodo obturatio efficiat putrefactiones. Aliqui tamen huiusmodi confectionum compositores, quemadmodum etiam prius in stomachicis dictum est, opium aut hyoscyamum, aut quippiam aliud ex refrigerantibus miscendo, ad calidas intemperies utile pharmacum effecerunt. Et ob id etiam Philonis Antidotus mirifice semel tantum exhibita, hepaticam intemperiem sanauit, id quod & compositor eius testatum reliquit. Verum ex pharmacis hepaticis ab Andromacho conscriptis nullum est huiusmodi. Et sane uehementer refrigerans nullum esse debet, sed qualia tum ab alijs, tum ab Asclepiade sunt scripta. Nunc igitur hepaticas antidotos consequenter ab Andromacho proditas subscribam, modo memoria nos teneamus, nullam ipsarum calidis intemperaturis conuenire, sed aut humidis aut frigidis, aut ex utrisque compositis, aut certe humidis quidem fortiter, calidis uero moderate. Conscribentur autem omnes iuxta ipsius Andromachi dictionē. Alia Cyphoides ad hepaticos, ex libris Galli, ad tusses item & reiectariones. Croci drach. I. myrrhę drach. I. bdellij drachmas IIII. aspalathi obol. IIII. iunci odorati drach. III. calami drach. II. cassiæ drach. I. nardi indicæ drach. I. terebinthinæ drach. VI. carnis passarū uuarum drach. CLX. mellis heminam dimidiam. Vini chij quod satis est ad macerandam uuam passam, bdelliumque ac myrrham. Resinam uero melle liquefacito, & deinde omnia mixta ac trita reponito. Alia ad Hepaticos & Ictericos. Amygdalarum amararum drach. II. anisi drach. I. absinthij, cumini, seminis apij, singulorū

drach. I. cornu ceruí obol. III. trita cum aqua in pastillos triobolares redigito, ex eisq; unũ mane ac uesperi, cũ uino mulso dato. Nectarea Antidotus ad hepaticos & arquato laborantes. helenij sesquilibrã. crocomagmatis lib. II. aristolochiæ unc. I. petroselini unc. I. piperis nigri unciã dimidiã. myrrhę unc. I. mel q̃d satis est.

Antidotus hepatica Athanasia appellata. Facit & ad nephriticos & ictericos. multum mouet sudorẽ. Croci drach. II. cinamomi drach. I. nardi drach. II. cassiæ, myrrhæ, iunci odorati, singulorum drach. I. melle Attico excipe. Datur fabę grę cæ magnitudine, febricitantibus ex aqua mulsa.

Hepatica admirãda, qua Pharnaces herbarius ægrotus usus est. Croci drach. II. mei, asari, phupontici, dauci, petroselini, myrrhæ, singulorum drach. IIII. nardi Indicæ & celticæ utriusq; drach. VI. costi, cassiæ, iunci odorati, singulorum obol. III. carpobalsami drach. III. & dimidiam, rubiæ drach. VIII. succi radicis dulcis drach. III. hemionitidis herbæ drach. III. polij drach. III. succi balsami drach. VI. confectionis hedychroi drach. V. mellis quod satis est. Vtere, ad omnia uitia efficax est, nucis ponticæ magnitudine, cum uino mulso.

Antidotus Hepatica à Nearcho laudata. Radicis panacis, rubiæ, eryngij, eupatorij, helenij radicis, polij, costi, aristolochiæ, piperis, scolopendrij herbæ, seminis cucumeris, chamæpityos, radicis gentianæ, milti siue rubricæ sinopidis, fellis ursini, spicænardi, baccarum iuniperi, seminis brassicæ, seminis erucæ, singulorum par pondus, melle Attico cocto excipe ac utere. Antidotus Hepatica Dioscori. Cinamomi, cassiæ, utriusque drach. IIII. croci, nardi, costi, seminis balsami, hyperici, glycyrhizæ, singulorum drach. VIII. Excipe melle Attico, ac exhibe nucis ponticæ magnitudine.

Alia ad Hepaticos, & reliquos internos affectus, ut Aristocles. Piperis grana XL. myrrhæ drach. VIII. croci, costi, mei, acori, nardi, dauci seminis, petroselini, scordij, singulorum drach. IIII. cinamomi drach. XII. cassiæ drach. XII. Mellis quod sufficit. Datur nucis ponticæ magnitudine. Potio ad spleniticos, nephriticos, hydropicos, auxiliatur & stomachicis, & molestijs ex partu, & conuulsis. Prodest conualescentibus & se reficientibus ex infirmitate, facit ad uitiosos humores, ictericos & tusses, ac pleuriticos. Est etiam antidotus ad letalia pharmaca, & ad ferarũ plagas. Nardi indicæ drach. II. costi drach. II. cassiæ drach. I. croci drach. I. piperis albi obol. V. alij drach. II. seminis apij drach. I. obol. III. iridis illyricæ tantundem. acori drach. I. obol. I. opobalsami drach. I. succi arimasculi drach. III. Vuæ passæ exacinatæ drach. VI. Terito cum passo, aut melle excipito. & drach. I. cum uino dulci diluto dato, aut cum aquæ mulsæ cyathis. IIII. aut ut conueniens fuerit. Hæ quidem sunt Hepaticæ confectiones ab Andromacho proditæ. Transibo autem iam inde ad eas quas Asclepiades tradidit in tertio internorum, Quæ Mnasoni inscribit.

Confectiones Hepaticæ ab Asclepiade conscriptæ. Cap. VIII.



Rimam equidem confectionem Asclepiades Antonij Musæ esse dicit, hoc modo compositam. Succi cichorij cyathum unum cum aquæ calidæ cyathis III. dato, mellis Attici cochleario addito. Aut filicis uel anethi succi cyathum unum cum aquæ mulsæ cyathis III. dato. Aut picridis recentis, aut seridis recentis succi cyathum unum cum aquæ mulsæ calidæ cyathis tribus. Hæc prima est descriptio trium pharmacorum in Asclepiadæ libro. Cichoria itaque & seris cibarij generis existunt, Apud nos namque rurales ambo hæc edunt & cruda & cocta. Vtitur eis etiam Erasistratus ab unde in affectionũ circa aluũ cura. Facultas horũ olerũ subfrigida est & subamara ac moderate adstringens, & propter has qualitates, optima pharmaca calidis

intemperaturis ipsius hepatis existunt. Vltra hoc enim quod moderate refrigerant, amplius & robur uisceri addunt per adstrictoriã facultatẽ. Insuperq; cõmissuras osculorum uenarum in sima uisceris parte ad eas quæ in gibba sunt, extergent. Neq; uero frigidas intemperies magnopere lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatẽ absq; adstrictione aut amaritudine possident, facere solent. Iuuate etiã uiscus taliũ olerum substantia potest, etiã si citra serosorum aut aliorum humorũ uitiationẽ intemperies fiat per se, & cũ humiditatis cuiuscunq; cõplexu. ex mixtura enim mellis, humiditatẽ per urinã educũt. Quapropter etiã si siccata tusa quis potioni inspergat, itidem iuuant. Quin & decoctorũ decoctum potatum multum commodi affert. Si uero nõ calida aliqua intemperies infestet, aut si obtutatio quædam sit circa uiscus, magnopere auxiliantur ex uino albo tenui potata, cum his quæ urinam ciunt. Vtilis autem non solum succus ipsorũ est tum recens, tum exsiccatus, sed & ipsa olera exsiccata tusaq; ac trita potui inspersa, & eorum decoctũ in potu acceptum, auxiliantur. Cæterũ ad uisceris expurgationem & meatuũ apertionem, citra manifestã calfactionem aut refrigerationem, optimum pharmacũ filix est, prædominantẽ habens amarã qualitatem. Anethum uero nihil forte habet ad huiusmodi affectiones, sed modice refrigerati ac condensati uisceris curatiuum existit. At uero catapotium ex chamæpity, cuius itidem meminit, eiusdem cum prædictis facultatis est. Amarum enim & hoc pharmacum est. Nihil igitur mirum est, ipsam chamæpityn tum per se, tum cum cichorio potatã, hepaticas intemperaturas iuuare. Quemadmodum Asclepiades scripsit in hæc uerba.

Catapotion hepaticis. Radicis chamæpityos drach. VIII. radicis cichorij drach. IIII. contunde & excipe melle cocto, ac præbe nucis ponticæ magnitudinem, & aquæ calidæ cyathos tres insuper bibendos. Hæc Asclepiades scripsit. Iuuant autem prædictę herbæ hepaticos, non solum radicibus ipsarum acceptis & præparatis uelut Asclepiades prodidit, sed & succo, & decocto, & arida coma una cum semine tusa ac trita, assumptis. Quin & Sphendamni, id est, aceris radix tusa trita, nam & huius meminit, eiusdem est cũ prædictis facultatis. Exhibet aũt ex ea drach. I. cũ uini mulsi diluti cyathis tribus. Insuper & ex nardo celtica pharmacũ: cuius item meminit: his cõsimile est. Scripsit autem ipsum sic. Nardi celticę partes tres, absinthij partem unam, tusa & cribrata melle cocto excipito, & myrtum delingendum dato. Et quod post hoc scriptum est consimile ipsi existens in reliquis, plus habet de ui expurgãdi ipsum uiscus per urinas. Scripsit autem sic Asclepiades de ipso. Pastillus hepaticus. Anisi, seminis apij, asari, amygdalarum amararum mundatarum, absinthij, singulorũ drach. IIII. præpara cũ aqua & reduc in pastillos, ac exhibe drach. I. cũ uini diluti cyathis. III. febrientibus cum aqua mulsa. Hoc pharmacum leniter quodammodo est calidum, propter urinam cientium mixturam. Reliqua uero omnia superiora, aut prędominantẽ habent frigiditatem, aut omnino neque hanc, neq; caliditatem. Verum uim extergendi, & uias digestionis ab obturatione uindicandi, omnia habent.

Alia insuper medicamenta Asclepiadę scripta sunt, partim extergendi ac aperiendi & secandi uim habentia, partim uero calidiora paululũ quàm sunt media. media aũt dico quę neq; calfaciunt, neq; refrigerant manifeste. Vnum uero inter ipsa calfactorium est, ubi ait, costi triti cochlearium præbe cum aquæ mulsæ calidæ cyath. III. Reliqua uero quæ prope ad medium temperamentum accedunt, ad caliditatem uergunt, hæc sunt. Helenij drachmas XII. crocomagmatis drachmas VIII. excipe cichorij succo & fac catapotia, eaq; pro uiribus exhibe. datur ad summum drachma ex uini mulsi diluti calidi cyathis tribus.

Hoc

Hoc pharmacum poterat absque helenio etiam calidis intemperaturis conuenire. Quando uero helenium extergentibus ammixtũ est, ad caliditatem uergit, nisi quis omnino modicum de eo cum multa frigida permisceat. Quin & id quod ex fœniculo constat calfactorium est, sic habens. fœniculi drach. I. petroselini drach. II. anisi, amygdalarum amararum, absinthij, singulorum drach. I. croci, myrrhæ, utriusq; obol. III. excipe aqua ac redige in pastillos, & dato drach. I. ut supra prædictum est. Etenim hoc loco fœniculum quidem & petroselinum, multum calfaciunt. reliqua uero moderate, amygdalæ uero attenuatoriæ sunt facultatis, & præsertim si fuerint amaræ. Medium autem quodam modo inter calfacientia & refrigerantia est hoc pharmacum, quod Asclepiades scripsit hoc modo. Eclegma hepaticũ Paulini, auxiliatur confestim. chamæpityos siccæ lib. I. myrrhæ unc. I. passi protropi sextarios III. Chamæpityn & uinum dulce coquito, & ubi superfuerit tertia pars, liquorem exprimito, eiq; mellis Attici libram dimidiam adijcito ac rursus coquito. Postea uero myrrham addito assidue agitando, atque ubi dissoluta fuerit, ab igne ablata reponito, & ante cibũ mystrum exhibeto. Scripsit & ex cochleis pharmacum hepaticum Asclepiades huiusmodi. Cochlearum trium carnem ualde probe terito, & affusis uini nigri cyathis tribus calfacito, ac bibendum dato. Videntur autem hæc iuxta totam substantiam efficacia esse, nõ secundum unam aut alterã qualitatem. Quale est & Lupinũ hepar, cuius abunde experimentum habemus. Vsus autem ipsius consimilis cochleis est, teritur enim exacte hepar lupinum, & datur drach. I. cum uino aliquo dulci, qualia sunt theræum creticum, & scybelites, ac dulce protropum. Benigna enim hæc sunt uisceri, ipsum nutrire potentia, & media iuxta calidi & frigidi oppositionem, & ob id talia pharmaca omnibus intemperaturis conuenire uidentur, ut quæ ex substantiæ proprietate commoditatem de se exhibent, & neque calidas, neque frigidas intemperies lædant. Atqui in febricitantibus manifesta febri, aut non obscure, uelut solet aliquibus hepaticis accedere, melius est ex aqua calida pharmacum præbere, aut ex aliquo prædictorum succorum, uelut est seridis succus.

Ad induratas hepatis affectiones. Et ad has Asclepiades quatuor pharmaca his uerbis scripsit. Confectio ciens urinam, facit ad induratas hepatis affectiones, ad splenicos, & ægre se à morbo recolligentes, ac hydropicos, & in uniuersum bonum colorem inducit. Croci, nardi, cassiæ, singulorum drach. II. costi, floris iunci odorati, cinamomi, myrrhæ stactæ, singulorum drach. I. mellis cocti drach. XXV. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudine cum uini mulsi cyath. IIII.

Alia qua usus est Pasicrates. Vrinam multam ducit. Seminis dauci sesquidrachmam, radicis rhei ponticæ, floris iunci odorati, seminis balsami, cedridum, anisi, nardi indicæ, croci, cinamomi, cassiæ, phu, asari, petroselini, chamæpityos, singulorum drach. I. mentæ siccæ obol. III. nucleorum pinearum nucum repurgatarum numero L. Excipe melle cocto & dato nucis ponticæ magnitudinem, cum uini mulsi diluti cyathis III.

Alia antidotus ex felle ursino, pharmacum accommodatum ad induratas hepatis affectiones. Chamæpityos, marrubij, seminis petroselini, gentianæ, seminis uiticis, fellis ursi, sinapis, seminis cucumeris, scolopendrij, panacis, rubricæ lemniæ, rubiæ, seminis brassicæ, aristolochiæ, piperis, nardi indicæ, costi, seminis apij, seminis erucæ, eryngij, polij, echij, eupatorij, baccarum iuniperi, singulorum drachmam unã. tusa, cribrata, melle excipe. Datur nucis auellanæ magnitudo in uini mulsi cyathis duobus. Alia accommodata. facit & ad alias internas affectiões citra tussim, Radicis gentianæ, chamæpityos, marrubij, seminis

feminis petroselini, fellis ursi, sinapis, feminis cucumeris scolopendrij, panacis, rubricæ sinopicæ, rubię, feminis brassicę, aristolochiæ longæ, piperis albi, spicæ nardi, costi, feminis erucæ, eryngij, baccarũ iuniperi, feminis fraxini, chamædryos, dictamni cretici, feminis cestri, feminis dauci, singulorũ unciam unam, mellis Attici quod satis est. Datur nucis ponticæ magnitudo, liquor sit passi cretici cyathi duo. Hoc pharmacum usu & experimento approbatum est. In alio exemplari etiam pelecini tantundem habetur. Circa prædicta quatuor pharmaca recte fecit Asclepiades quod non simpliciter adscripsit, uelut in alijs, quod ad hepaticos ipsis sit utendum, sed cum appositione, ad induratas uidelicet affectiones. Humidæ etenim uisceris affectiones, exolutum & imbecille ipsum facere solent, ueluti sunt articuli laxati: siue autem cum frigiditate, siue cum caliditate, siue sine his, laxitas ipsius sola constiterit, penitus adstringentibus pharmacis opus habent: uerum hoc aut cum calfacientium mixtura, si frigida qualitas prædominetur, aut cum refrigerantium, si calida. Quæ uero ob frigidos & crassos ac uiscosos humores in solidis corporibus imbibitos indurantur: ex necessitate frigidam habent affectionem. Quare & calfacientibus simulq; tenuium partium pharmacis opus habent. Hæc enim sufficientia sunt, & ad uiscositatem humorum induratis partibus infarctorum extergendam, & ad secandam crassitudinem, & discutiendos ita extenuatos. Verum in quinto de simplicium pharmacorum facultate, ubi de eiusmodi affectionibus sermo mihi habitus est, emollientium medicamentorum mixturam laudaui, nimirum ut præparantem indurata corpora, & prædictis pharmacis idonea facientem: citra uero præmollitionem, diffunduntur quodammodo ea ipsa corpora, & euestigio manifestam imminutionem habent, sed in immedicabiles reliquias terminatur res ubi fuerint superresiccata. Hæc eadem & in XIIII. methodi curatorij nobis sunt dicta. Igitur & circa hepar cõiectare oportet emollientiũ mixturam. nam quũ compagis humectæ sit hepatis corpus, ualde moderatis opus habet emollientibus: prædominatur itaque in ipso, præter aliarum partium induratarum morem, calfacientium & attenuantium mixtura. Merito itaque ex præscriptis quatuor pharmacis Asclepiades postremum maxime laudat, ut quod multã de se experientiam præbuit: ex aromatis enim componitur attenuare ac discutere ualentibus: aliaq; pharmaca adsumpsit, acria secantiaq; ac discussoria: mitigatoria autem his ammista sunt, cucumeris semen ac iuniperi baccæ. Deinde uero mel & eryngium, uelut urinam cientia his addita sunt, quo externæ uisceris affectionis per urinas deductio fiat.

Quæ Archigenes ad Hepaticos in secundo pharmacorum secundum genus scripsit. Cap. IX

IN hepaticis conueniente prægresso ductu per alimenta, unctiones, communia cataplasmata, uenæ sectionem, cucurbitas, sinapismos, dropaces, & consimilem diætam, amplius conscribendis compositis potionibus & malagmatis optime ipsis conuenientibus utaris. Et potionibus quidem his. Senecionis decoctum ut ualde commodum exhibeto. Nascitur aut huius caulis maxime in tegulis. Aut ungenti nardini cochlearia IIII. quotidie bibenda dato, & maxime in induratis. Aut aristolochiæ obolos III. propinato febrientibus ex aqua, febre carẽtibus ex uino, ualde benefacit. Aut trifolium acidum in aqua coquito ad tertias, & per triduum bibendum dato pro uice cyathũ unũ. Aut fel ursinũ in uase leniter feruefacito, & in sole resiccato, atq; ex eo hepaticis cochleariũ unũ dato. Aut radicis rubi corticis minã unam,

cum aquæ congio uno, in nouo uasculo ad residuum quartæ partis coquito, & ad succum per noctem sub die expositū mellis cyathos VI. ammisceto, & ieiunis ad triduum bibendum dato. Aut pseudobunij obolum unum dato cum melle ieiunis. Aut dauci & fœniculi radicis utriusque minam dimidiam cum aceto mulso ad tertias coquito, & ieiunis cyathum unum exhibeto. Aut glycyrrhizæ succi obolum unum aut duos ieiunis dato, & aluum subducit, & urinam mouet. In magna duricia abrotoni succū quàm crassissimum præbe bibendum. Aut acori obolum I. panacis tantundem, cum aqua propinato. Aut spicæ nardi decoctum assidue exhibeto.

De Cataplasmatis. Cataplasma porrò Hepaticum fit, malis cotoneis cum farina ordeacea & fœno græco coctis. Aut semine lini trito cum polenta in uino cocta. Aut semine lini trito cum melle subacto. Aut capparis radice in aceto mulso cocta. Aut farina ordeacea cum ficubus. Aut oleæ radice in uino cocta. Aut myrobalano tusa cū uino. Aut cerato ex phœnicobalanis facto. Summe enim ad hepatis inflammationes facit, maxime in quibus etiam stomachus affectus est, & costæ distentæ sunt. Aut palmulam reiecto interno nucleo diligenter tundito, & cum æquali parte cerati rosacei in mortario probe unito, rosaceum adstillando atque ita imponito. Aut myrrham amineo uino macerato, & palmulis ammisceto, & linteolo infarta imponito. Cæterum malagmata quibus quis uti possit in inflammatione hepatis citra manifestam caussam, post irrigationes & cataplasmata, iam ante scripta sunt in sermone de oris uentris inflammatione, nimirum communia illi & hepati existentia, in quibus sunt etiam quæ ex meliloto præparantur, & polyarchium. Verum etiam nunc apponentur quædam ex ipso Andromacho. Malagma Andromachi ad hepaticos. Ammoniaci Thymiamatis, drach. CXLIIII. alij drach. centum habent: bdellij drach. XXIIII. alij centum. aceti heminas. IIII. cyprini heminam unam, ego uero heminę dimidium. Malagma Apollophanis. Ceræ drachmas LXXX. ammoniaci thymiamatis drach. LXXX. terebinthinæ drach. XL. mannæ thuris drach. XL. cum irino contundito.

Malagmata à Damocrate conscripta ad hepar & præcordia. Quædam ex eis etiam ad totum uentrem, & splenem. Cap. X.

Affecta si quis per stomachum præcordia,
Et per iecur, intestina per, dein per colum,
Per uentriculum, aut uiscus aliud sic proprie
Dictum, u olet inquam læsa quis præcordia
Malagmate integere bono & percommodo.
Primum paratum habebit hoc longe antea,
Infirmum enim atq; inualidum est factum recens.
Ceræ capit quod ponticæ libras duas,
Ammoniaci Thymiamatis solam libram,
Terebinthinæ frictæ pariter solam libram,
Vstæq; resinæ piceæ simul libram,
Et post trientem cardamomi seminis,
Aridæ cyperi tantundem, item myrrhæ bonæ,
Pondusq; par uni horum iridis mox candidæ,
Sextantem & inde celticæ spicæ integræ,
His unciam unam & dimidiam croci boni
Et sex meliloti, item duas, bessem puto,
Verum melilotum præstiterit hic Atticum,

Recentis

Recentis & cyprini libras olei duas.
Oleum cyprinum tu cum reliquis liquoribus
Et decoque lenta flammula,& deradito.
Dein tusa cribrata & reliqua,uino bono
Rigata,per noctem integram & totam diem,
Vinum omne donec combibant seponito.
Vnctisq; post cyprino manibus,hæc pharmaca
Mortario amplo uni,& simul committito,
Molliq; pelle tecta sic reponito.

Aliud Malagma eiusdem.

Aliud ualens ætas itidem si accesserit.
Verum hoc mage affectus uitiantes mox habitum,
Quicunq; non cum flatibus,feruentibus
Et phlegmonis lædunt diutioribus,
Et uiscera irritant grauibus doloribus,
Iuuat:solubiles male & iam duritias
Dissoluit,exoluta earum compage.
Paratur hoc modo,ut bonæ terebinthinæ
Libram mediam,tantumq; ceræ ponticæ,
Fœniq; græci unam capias puri libram,
Et de nitro,& de panace unicam libram,
Rursus anisi seminis unicam libram,
Pinguedinis puræ uituli simul libram,
Pondusq; par contusæ & albidæ iridis,
Parum de aceto,tres cyathos sine dimidio,
Mellis duas libras recentis Attici,
Ammoniaci thymiamatis solam libram
Quidam addidere,uerum alij libras duas.
Sic tusa,cribrata,& cataplasmatis modo
Cum melle mixta,& pauca aceti stillula,
Donec fuerint mollita tactui coquito.
Atq; hinc liquatam ad cerulam,& pinguedinem,
Terebinthinam & calentem adhuc adijcito.
Et uasculo maiore derasa excipito,
Manibus subacta dein simul committito.
Nec utere mox,inualidum est factum recens.

Aliud Damocratis malagma.

Odorum & hoc,tollensq; mox uitia hepatis,
Affectiones renibus,colo & graues.
Stomacho simul & uuluæ diutiusculas.
Idemq; iam corrupto habitu super datur,
Morboq; longo pallidis,hydropicis,
Et qui male concoquunt cibum,& fastidiunt.
Habet hoc amomi Scythici,xylobalsami,
Et cardamomi,bdelliiq; lucidi,
Aridæ Cyperi,thuris boni,omnium parem
Modum,libram.post cassiæ daphnitidis,
Myrrhæ bonæ,pariter croci,de singulis
Libræ trientem,aut amplius quid paululum.

Nardi bonæ post Syriacæ uncias duas,
Terebinthinæ puræ bonæ libras duas,
Albæq; ceræ perpolitæ unam libram,
Recentis ungenti cyprini libram unicam,
Vini falerni hinc optimi sextarium.
Contusa alia cribro tenui concernito.
Thus, bdellium, in mortarium conijcito.
Myrrham bonam, simul crocumq; his addito,
Fractisq; uinum cum cyprino confundito,
Dein tundito, mellisq; crassitudinem
Formato, & his aromata mox trita addito.
Et quod superest uinum addito, committito,
Totam diem noctem simul quo combibant.
Terebinthinam uero, cyprinum, ceram & simul
Igni liquata lentulo, his affundito.
Vnctisq; post manibus per unguen quodpiam,
Subacta sic committito, & reponito.
Nec mox parato uti uelis tu pharmaco,
Sed tempore interiecto, & hoc ceratulo
Partim polito, ut mollius sit, addito,
Quanquam potes solo uti etiam, raro tamen.

Aliud Democratis malagma.

Aliud malagma ad iam relatas commodum
Affectiones, si fuerint diutinæ.
Confert lienosis uel omnium optime,
Si palluerint, & si febricitauerint,
Aquamq; habeant præcordia his si pauculam,
Multam nequeunt curare enim malagmata.
Ficus cape pingues sicciores, sed nouas.
Et semine eiecto, simul umbiliculo,
Appende drachmas quinq; denas insuper,
Albæq; ceræ ponticæ parem modum,
Myrobalani pinguis libram post integram,
Nitri marini sed libram modo dimidiam,
Aluminis scissi duas supra & decem
Drachmas, superq; dimidiam, triobolon.
Et mox onychis, quod sic uocatur, bdellij
Addes parem tu aluminis dictum modum,
Nitro parem florem lapidis sed Asij,
Ammoniaci tantumq; thymiamatis.
Et seminis post siliculæ, & nasturtij,
Et cardamomi, quàm optimiq; origani,
De singulis sextarij quartam modo.
Viniq; post, irini unguinis, quod sufficit.
Paratur at tandem malagma in hunc modum,
Vino rigatum suaueolenti bdellium
Mortario emollito, & hinc adijcito
Ficus, simul rursusq; rite tundito,
Quo trita uini stillulis fiant probe,

Mixtura

Mixtura mox addatur inde inspersilis.
At post rigatam feruida ceram ex aqua
Mollem manibus factam & latam adijcito,
Et usa mox ligni radio compingito,
Guttis & unguinis frequens madefacito.
Vsus malagmatum omnium, quæ uentriculo
Induntur, & stomacho, simul interaneis,
Est tempus, in quo qui cibus congestus est,
Non amplius residet, sed aluum iam subijt.

Finis octaui libri.

CAPITA NONI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM locos Liber IX. Iano Cornario Medico interprete.

De Ictericis. Cap. I.



FIVNT quidē Icterici ratione bonę iudicationis in febribus, proruente nimirum ad cutem bilioso humore, & facile sane hi curantur balneis aquarum potabilium, & olei discussorij affrictu, omniumq́ rarefacientium cutem. Quale est anethinum oleum, & chamæmelinum ac cicinum. Post hæc etiam ungenta faciunt, gleucinum, crocinum, deinde irinū & amaracinum. Verum alias confectiones priuatim Ictericas appellatas suis autoribus, ne putes ad huiusmodi ictericos cōuenire, neque enim hoc illi ipsi de his prodiderunt, sed ad eos ictericos qui uasorum circa hepar obturationē habent. Imò etiam eos qui ex inflāmatione icterici fiunt. Itaq; qui icterum seu Regium morbum ex obturatione incurrunt, sine febre permanent, Qui uero ex inflammatione, omnino febricitant. Quicunq; igitur in pharmacis ictericis adscripserunt, in quibus ea ipsa conuenire dicant, hi recte fecerunt. Qui uero indiscriminatim & simpliciter protulerunt, non parū peccauerunt. Etenim quæ multū medicamentaria sunt, itidemq; facultate calida, magnopere febricitantes lædunt. Talia sunt gentiana, struthion, hebenum, costus, aristolochia, polium, centaurea. Conueniunt autem ictericis ex inflammato hepate, quæcunq; inflammationes sanant. Quemadmodum etiam his qui ex obtu-

ratione,omnia quæcunq; strennue extergẽt,etiamsi medicamentariam substantiam habeant, & calidæ sint facultatis. Si uero coincidant simul obturatio & inflammatio,laxantibus simulq; extergẽtibus opus erit. Fugienda autem quęcunque medicamentariæ substantiæ,& calidæ facultatis existunt. Quũ igitur & plęriq; ante me Ictérica pharmaca indiscriminatim cõscripserint, ego propria discrimina singulis ipsorũ adijciã,quo sciatis quibus nam,in febribus citra periculum uti queatis, & quibus maius ex acerbatione febris & inflammationis detrimentum subsequatur,quàm ex extersione emolumentum resultet.

De pharmacis Ictericis ab Andromacho scriptis.

ANdromachus quatuor pharmaca ad Ictericos indiscriminatim tradidit, minime quidem periculosi usus in his qui non febricitant, uerum nõ securi in febricitãtibus,& maxime si cum uino aut uino mulso ea exhibeat,quemadmodum aliquando damus in febribus moderatis, & uisceris obturatione. Quare ex aceto mulso nõ ualde acido securius tũc ea quatuor pharmaca propinanẽ, quæ iuxta illius dictionẽ sic habent. Ad Ictericos. In colocynthidis calicem uinũ fundito,calfacito,ac bibendũ dato.subducit aluum.Idem & thus facit.

Aliud ad Ictericos. Adianti obol.III.nardi obol.II.absinthij drach.I.myrrhæ obol.III.Excipe passo,ac dato nucis auellanæ magnitudine, ex aquæ cyathis.II.

Aliud ad Ictericos quo utor. Struthion cum croco coloratum,nucis pontice magnitudine ex aqua aut aqua mulsa dato.Datur & Anchusa cochlearij mensura. Aliud ad Ictericos,ut Apollonius. Erui drach.XXIIII.cornu cerui usti drach.VIII.thuris drach.III.nardi Celticæ drach.II.nardi Syriacæ drach.I. piperis sesquidrachmã.floris iunci odorati drach.I. myrrhæ obol.II. cassiæ obol.I. cinamomi obol.I.Vtere sicco cum uini mulsi cyathis tribus.

De pharmacis Ictericis ab Asclepiade scriptis,in tertio internorum.

EX his quæ antea dixi cognobile fit,etiam si citra discrimen pharmaca prodantur,quæ fugienda sint febricitantibus. Cõsueuit autem Asclepiades aliquãdo distinguere apponendo, febrientibus hoc modo exhibere oportere medicamẽtum,Non febrientibus hoc modo:ubi uero omnino nihil apponit,his in non febrientibus magis est utendum, quemadmodum fanè etiam,quando ex uino solo,aut uino mulso usum fieri debere censemus. Talia enim nõ febrientibus conueniunt.Verum scripta ab ipso pharmaca hæc sunt. Potio ad Ictericos. Cichorij succi cyath.VI.febrientibus per se dato. Non febrientibus autem cum uini cyath.III. Aliud, Solani succi cyath.I.Vini mulsi diluti dimidium.

Aliud insperſile. Anchusæ tenuissime tritæ cochlearia II.cum aqua potabili exhibe. Aliud, Struthij cochlearium I.dato cum mellis diluti cyathis III.

Aliud Nicerati ciens urinam. Cicerum siccorum sextarium I. rosmarini manipulum,aquæ sextar.VI. fœniculi manipulum. asparagorum palustrium radicum manipulum,præparato ac dato,ut dictum est,coctum ac excolatũ liquorem, febriẽtibus simpliciter & assidue bibendũ.Nõ febrientibus cũ uino diluto.

Aliud, Cicerum sextar.I.adianti manipulum,aquæ sextar.VI.asparagorum palustrium radicum manipulum.præparato & exhibeto uelut dictum est.

Pastillus ad Ictericos,facit & Hepaticis. Amygdalarum amararum mundatarũ drach.IIII.anisi,absinthij,utriusq; drach.I. nardi Indicæ, asari utriusq; drach. unam.tusa & cribrata aqua subigito,ac formatis pastillis drachmam unam cum uini mulsi cyathis tribus non febrientibus dato. Aliud quo usus est Charixenes. Asari,absinthij,utriusq; drach.VIII.seminis anisi,fœniculi, apij,amygdalarum amararum repurgatarum, singulorum drachmas IIII. Aqua subige ac forma pastillos,& exhibe ut dictum est.

Nicerati errhinum Medicamentum quod naribus attractũ, morbum regium expurgat. Quando reliquum corpus iuxta naturam habuerit, oculi uero pallidi permãserint. aceti acerrimi cochleariũ unum in balneo naribus attrahẽdum exhibe, detrahit multæ bilis fluxionem. Eiusdem aliud. Nasturtij uiridis folia tenera, aut rosmarini uiridis folia tenerrima terito, & expresso inde liquore ut prędictum est utitor. Aliud eiusdem. Elaterium cum lacte muliebri tritum naribus infundito, & attrahere iubeto.

Quæ pharmaca Archigenes ad Ictericos conscripsit, in secundo pharmacorum secundum genus.

AD Ictericos conuenienti diæta & ductu per frequentes deambulationes, & multam ungẽtorum frictionem utaris, ampliusq; fomentis siccis & subscriptis medicamentis. Aiunt eos qui in febribus morbum regium incidunt, rubi canini fuluo fructu comesto, statim probe iuuari, Auxiliatur & chelidomię herbæ succus cũ uino aut aqua mulsa pôtatus. Aut adianti uel rubiæ radicis obol. III, cum aqua mulsa exhibe. Aut struthion cũ melle delingant. Aut fellis ursini cyathum bibẽdum dato. Aut hyperici drachmam unam ex uino mulso propinato, uel aquæ mulsæ cyatho uno. Aut helxinæ decoctum ad dies quinq; uel sex cum uino mulso. Aut stercoris canini albi sextantem, cum mellis quadrante ad triduum bibendum dato. Aut lichenas in petris nascentes cum aqua mulsa propina. Aut lichenis in tegulis uel lapidibus nascentis drach. I. ex meraco propina. Aut nasturtium cum olei cyatho uno bibendum præbeto. radicem uero eius in nares indito. Aut absinthij cochlearia. IIII. anisi cochlearia. III. exhibeto ex aceto mulso. Aut oxylapathi siue lapathi radicis tritæ acetabulũ, dato. ex aqua mulsa; si nõ febriat cũ uino aut uino mulso. Aut adianti & mẽtæ & rubiæ parem mensuram in aqua feruefacito, & heminam inde bibendã exhibeto diutius ad solem insolato, ac sitienti & anheloso, quo post acceptum potum exudet. Statim transmutat colorem. Aut adianti & myrrhæ eius dimidium, ieiuno à balneo exhibeto in uini hemina dimidia. Aut leporis coagulum cum meraco ad dies. V. uel. VI. præbeto. Aut Scolopendrij drach. IIII. ieiunis ex uino ad dies. V. uel. VI. dato. Aut mentæ & rubiæ ac adianti æquas portiones cum aquę cyathis duobus propinato. Aut betæ foliorum crudorum drach. VI. myrrhæ obol. II. cum aqua mulsa ieiunis exhibeto, aut prælotis ac ieiunis cum uini hemina dimidia dato. Aut adianti drach. I. myrrhæ drach. II. mentę drach. I. in aquæ heminis duabus coquito donec medietas supersit, deinde ubi plurimum deambulauerit probe fricato, & spiritu adhuc sublimiore existente bibẽdam dato. Hoc ad biduũ facito. Aut cicer eruinum in aqua sub dio per noctem exponito, aquamq; bibendam dato, & cicer insuper comedendum mane ac uesperi. Inde uero per triduũ absinthium ex aqua mulsa bibant. Aut cum cyclamini succo purgatis naribus lauato. Aut herbam Orontium appellatam coquito, & cum decocto lauato, & decoctum cõfestim uiride reddes. Aut uenam sub lingua secato. Quod si ad nullum horum auxiliorum malum cedat, expurgatione per scammoniã & exquisita diæta utantur, atq; ita ad exercitia progrediantur.

De splenis affectionibus. Cap. II



Vod omnes corporis particulæ familiarem sibijpsis ex uenis trahant humorẽ, in cõmentarijs de naturalibus facultatibus edocti, in ijsdẽq; etiam quòd uelut fecem sanguinis, ex qua atra gignitur bilis, hoc uiscus alimentum habet instituti, & ultera hæc memoria tenẽtes ea quę in curandi methodo de Splene sunt dicta, facile assequemini ea quę nunc referentur. Quorum primum & principalissimum hoc est, Quod hoc uiscus à natura ce

lerrime indurari soleat, sanguine nimirum in uenis ipsius obturato, & ob crassitudinem neque excerni, neque discuti facile potente. Attenuantibus igitur opus habet pharmacis citra manifestam caliditatem, ut ne uehementius incrassescat succus crassus in ipso obturatus. Quo uero actiones ipsius conseruentur, ex austeris aliquid his ammisceatur, quale est etiam adstringentiū genus. Didicistis enim in naturalium facultatum cōmentarijs, Quòd quum omnes particulæ suæ conseruationis gratia habeant facultates, tum familiarium attractoriam, tum alienorum expulsoriam, itemque assimilatricem sibijpsis eorum quæ attraxerint, Aliquibus ipsarum insuper inest, per accidens magnopere iuuare totum corpus. Ex horum genere est & lien, qui ex hepate in seipsum uelut fecē sanguinis trahit, quemadmodū uesica in hepate bilem, & renes urinam. Si igitur præ imbecillitate eiusmodi sanguinem ad sese trahere nō potest, uitiosus humor uniuerso corpori affricatur. Ob id itaque naturalem ipsius firmitatem custodire oportet, quo conueniens ipsi alimentum attrahat, per quam actionem uniuerso corpori ad humorum bonitatem cōfert, & generata in ipso recrementa in uentrem demittere potest, unà cum ciborū recrementis excernenda. Ea gratia igitur ualde amara medicamenta ipsi offerimus, quædamque ipsis ex austeris miscemus. Quædam uero ad materiam commoda, ad ceratorum uidelicet & malagmatū præparationem, apponimus, quale pharmacum est cera, & resina, & pix, & bitumen, & quæcunque alia huiuscemodi. Iuxta primā autē rationē acetū, & acetū mulsum, uisceri commoda sunt, utpote secare & attenuare crassos humores potentia, citra calfactionem. Quemadmodum igitur in alijs particulis ea quæ per cataplasmata, aut liquida pharmaca imposita, aut affusa fotu auxiliātur, in alio opere relata sunt: Ita & nunc relictis his quæ inflammato spleni cōmodant, eorum solum mentionem faciam quæ indurato uisceri opitulantur, quod ipsum etiam in medicamentarijs libris fecerūt qui ante me scripserunt, propriè eos splenicos appellantes, qui induratam splenis affectionem habent.

Pharmaca potabilia ab Andromacho ad splenicos conscripta.

POtio ad splenicos Antipatri, ut Nilus. Carnis myrobalani drach. III. hemionitidis herbæ, quam quidam asplenum, quidam scolopendram dicunt drach. VI. corticis radicis capparis drach. IIII. costi drach. IIII. chamedryos drach. VI. polij drach. III. radicis cotyledonis drach. II. corymborum hederæ nigræ grana XXV. ammoniaci thymiamatis drach. IIII. seminis hyperici drach. II. galbani drach. II. seminis periclymeni drach. I. aut radicis drach. III. nasturtij nigri sesquidrachmam. succi fructus scillæ drach. XVI. Dantur oboli duo in aceto mulso.

Aliud splenicis potabile. Glandis ungentariæ drach. IIII. hederæ albæ grana XXIIII. costi drach. II. seminis periclymeni drach. II. hyperici drach. unam. alij drach. IIII. galbani drach. I. obol. II. nasturtij drach. IIII. Excipe succo scillæ cocto. Dato fabā græcā in aceto mulso. Aliud, Carnis myrobalani drach. III. hyperici drach. VI. seminis periclymeni drach. VI. radicis dauci drach. VI. rubiæ, acori, phu pontici, croci, singulorū drach. VI. iunci odorati drach. III. Mei drach. VI. nasturtij, chamæpityos, radicis capparis, singulorū drach. VI. polij drach. VI. alij drach. III. ammoniaci thymiamatis drach. III. cū aceto mulso pastillos duorū obolorum ponderis formato, & unum in aceto mulso dato. Facit & ad hepaticos, & hydropicos. Aliud facit ad splenicos. Trixaginis drach. IIII. polij drach. V. chamæpityos drachmas IIII. rubiæ drach. V. ammoniaci thymiamatis drach. III. artemisiæ drachmas III. myrobalani drach. IIII. corticis radicis capparis drachmas III. aristolochiæ drachmas VI. tragacanthæ drach. II. cum aqua in pastillos triobolares redigito, ac dato ex aceto mulso.

Aliud

Aliud Stomacho commodum. Vtere etiam ad omnem affectionem splenis. facit & ad conuulsa, inflata, & uitia muliebria. Myrrhæ drach. IIII. nardi Indicæ drach. IIII. corticis radicis capparis drachmas IIII. costi drach. V. radicis panacis drach. IIII. radicis peucedani drach. IIII. dictamni drach. IIII. polij drach. II. corticis radicis periclymeni drach. IIII. rubiæ drach. III. & dimidiã. ammoniaci thymiamatis drach. IIII. & dimidiam. aliqui etiam iridis drach. IIII. & dimidiam. Excipe aceto mulso. præbe obolos II. in aceto mulso. Aliud Splenicis, orthopnoicis. Struthij, scillæ assatæ, panacis, radicis capparis, singulorum drach. V. crocomagmatis drach. II. & dimidiam. excipe aceto & præbe in aceto scillitico.

Aliud. Struthij, corticis radicis capparis, trixaginis, panacis, singulorũ drach. X. fructus myricæ drachmas III. Excipe aceto scillitico, & drachmã unam ex aceto scillitico exhibeto.

Pharmaca potabilia ab Asclepiade, ad Splenem conscripta.

CYnoglossi manipulũ cum uini cyathis. III. terito, & expressum liquorem ante cibum bibendum dato. facit & succus per se. Colligere autem oportet herbam sinistra manu ante solis exortum. Aliud. Trixaginis manipulum cum uini sextario uno coquito, & expressum liquorem reponito, atq; ex eo cyathos. II. ante cibum dato. Pharmacum insperfile Splenicis. Myricæ fructum tusum & cribratum reponito. Vsus uero tempore cochlearia. II. cum aceti mulsi diluti cyathis. III. dato. Aut herbam pelargitin appellatam tusam ac cribratam dato ut prædictum est. Aliud. Asini aut equi syluestrium lienem siccatum tundito ac reponito, & cochlearia. II. cum uini diluti cyathis. III. exhibeto.

Catapotium Splenicis. Corymborũ hederæ albæ grana. III. deuoranda præbe, & aceti mulsi cyathos. III. insuper bibendos.

Catapotium Andreæ pæonium dictum. Myricæ fructũ tusum & cribratum galbano excipe, & in catapotia redige, eaq; pro uiribus exhibe.

Pastillus splenicus tumorem eliquat. Fructus ericæ drach. IIII. piperis albi, nardi Syriacæ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. II. Arida tunduntur & cribrantur, ammoniacum aceto scillitico dissoluitur, & aridis additum in pastillos cogitur, fiunt autẽ pastilli drachmæ pondere, daturq; drach. I. ex aceti mulsi cyathis. III. Qui pharmacum hoc tradidit, dixit porcellum ad triduũ hoc bibisse, & postea refectum, sine liene inuentum esse. Alius splenem tumentem eliquans & consumens. Ammoniaci thymiamatis, foliorum rubi tenerrimorum, utrorumq; drach. VIII. corticis capparis drach. IIII. myricæ fructus, herbæ aspleni quæ & scolopendriũ & hemionitis dicitur, utriusq; drach. II. nuclei scillæ assatæ & purgatæ, piperis albi, utriusq; drach. II. Excipe aqua & redige in pastillos, atq; exhibe drach. I. cum aceti mulsi cyathis. III.

Chrysermi pastillus, splenicis, hydropicis, Cit urinam, mollit aluum. Scillam magnam luto oblitam assato, & corticem detrahito ac quod ad fundũ est durum, ex nucleo uero libras. II. accipito, seminis dauci drach. VIII. hoc est unciam unam, anisi, seselis, radicis panacis, iridis, singulorum tantundem, seminis urticæ, baccarum cedri, utrorumq; drach. XII. myrrhæ drach. IIII. erui moliti chœnicem. Vini odorati quod satis est. Subacta in pastillos redigito. Datur drach. I. cum aceti mulsi cyathis. III. Alius Eugerasiæ. Scillæ assatæ depuratæ minas. II. radicis bryoniæ minas. VIII. piperis albi tantundem, petroselini tantundem, seminis dauci cretici tantundem, erui moliti tantũdem, cedridum, hoc est, cedri baccarum sextarios. VI. aceti bessem; iridis, radicis panacis, myrrhę, singulorum quadrantem. Vini falerni quantum satis est his in pastillos cogendis, formatos autem pastillos in umbra reficca, & unciam. I. cum uini diluti cyathis tribus exhibe.

Epithemata & emplastra eiusdem Asclepiadæ ad recentes splenis inflammationes.

FOliorum tenerrimorum arboris sambuci lib. III. aloes lib. I. cum aceto subigito, & linteolo infarcta imponito. Aliud, Ericæ fructus semissem, galbani lib. I. alij semissem. fructum tundito ac cribrato, atq; ita galbanum addito, ac diligenter misceto, atq; in linteolum impacta imponito.

Pharmacum Idiotæ accõmodatum. Visci quercini lib. I. calcis uiuę lib. unã, uiscum in uas fictile coniectum ac prunis appositum dissoluito, & dissoluto calcem uiuam inspergito, misceto, & calidum albę pelli infarctum imponito. Oportet autẽ cum adhærente adhuc pharmaco lauari, atq; ita sinere donec sua sponte cadat. Curam item habere oportet ut disparatæ splenij partes resecentur.

Aliud, Visci quercini lib. I. calcis unc. I. floris lapidis Asij trientem. cedriæ unc. I. præparato pro more, ac utere quotidie auferens pharmacum, & spongijs calidis fouens locos, rursusq; imponens. Hoc pharmacum urinam mouet.

Malagma auri colorem referens, ualde cõmodum. Ceræ, resinę pinus & frictæ singulorum libras II. arsenici, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorum sextantem. aceti, olei, utriusq; cyathos VIII. Apparato pro more.

Aliud ualde generosum, quo usus est Andromachus. Cerę, resinæ pinus, picis Brutię aridæ, singulorũ lib. II. arsenici, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorum sextantẽ. acethi cyath. VIII. prępara pro cõsuetudine. Facit ad splenicos, hydropicos, & ad præcordia distenta. Facit & ad Ischiadicos, arthriticos. Nos ad pharmacum hoc apposuimus myrrhæ sextantem & unciam dimidiã, uisci trientem.

Ad induratas splenis affectiones, Vsus est Tryphon Gortyniates.

FOeni gręci moliti, sinapis mannæ thuris, singulorum sextarium unum, retrimentorum à myrobalano expressa reliquorum sextarium dimidium. spumę nitri quadrantẽ, tenuissime trita ac mixta, cedria cocta excipe, ut emplastri liquidi habeant spissitudinem. Vsus eius est per interualla, pharmacum autem impositum fasciolis complecte & obliga. Tempus imponendi est ante balneũ, quantum possibile est ægrum ferre, postea uero obligatum adhuc in balneum inducito, & pro reliqui corporis curatione in solium demittito. atq; ita in aqua fasciam resoluito. Aliud ad splenicos per unam diem sanans. Verum supra pharmaci impositionem per tres dies certo uiuendi modo utimur. Myrrhæ, mãnæ thuris, utriusq; quadrantem: sinapis Alexandrini, nasturtij, utriusq; sextantem. aceti scillitici quod satis est. Sinapi & nasturtium tundito ac cribrato, mannã uero & myrrham dissoluito, eisq; arida addito, & simul aceto subacta ad malagmatis formã reducito, & à secũda hora usq; ad nonam imponito. Postea uero duabus fascijs obligatum in balneum inducimus, atq; ubi laxatæ fuerint in calidę solium demittimus. In solio uero longiori temporis spacio moretur, cruribus extra aquam emotis. Ne uero in animi deliquium delabatur, acetum & pulegium odoret, & fascias paulatim resoluat. Egresso porrò è balneo salsamẽtum citra panem exhibendum est, & uinum mari mixtum. Sequenti die eadẽ offerenda sunt. Tertia uero gymnasijs utendum quæ spiritum acutum reddere ualent.

Aliud Arij Tarsensis. Vsus est per interualla. Ficuum pinguissimarum, sinapis, radicis capparis corticis, singulorum lib. I. aceti quantum satis est.

Aliud Diodori. Sinapis, nasturtij, fœni græci, seminis lini, retrimentorum ab expressa myrobalano reliquorum, singulorum drach. VIII. Excipe cedria cocta aceto scillitico ammixto. Vsus est antè balneum. pharmacum bonum est, & post usum sanguinem mingunt.

Pharmaca

Pharmaca ab Asclepiade in quarto externorum conscripta, ad splenicos, & hydropicos. Quæ iuxta dictionem eius sic habent.

Epithema splenicis, tumorem eliquat. Foliorum tenerorũ sambuci lib. III. aloes pinguis lib. unam. terito cum aceto, & linteolo excepta imponito. Aliud, Fructus ericæ lib. unam. galbani lib. I. fructum tundito & cribrato ac galbano excipito, rursusq; tundito ungenti Irini fece admota, quo ad malagmatis formam redigãtur, deinde linteolo infarcta imponito. Malagma ad splenicos. Myrobalani corticum tusorum cribratorũ minam dimidiam, & retrimentorum ab expresso succo eiusdem residuorum tantundem. ceræ drach. VI. resinæ terebinthinæ drach. XXXII. galbani drach. X. irini parum. Arida cum liquidis committito. Aliud ualde præclarum. Farinæ myrobalani quadrantem, nitri unc. unã. alij uncias III. ceræ semissem. terebinthinæ bessem, aceti quod sufficit, splenem eliquat. Malagma ex Cedria splenicis, hydropicis, medicamentum accommodatum. Vrinam ciet multam, & splenem eliquat. Oportet autem unà cum pharmaco lauari, & quod ab eo disparatum est, à splenio uidelicet de corporis cuticula, desecare. Sinendum enim est adhærescẽs pharmacum, donec sua sponte dilabatur. Compositio hæc est. Visci quercini lib. I. calcis uiuæ semissem. floris lapidis Asij trientem. cedriæ quadrantem. Viscum ærea patina coquito, & postquam fuluum factum fuerit, cedriam adijcito, assidueq; moueto ac arida trita inspergito. Deinde ab igne ablata aliqualiter frigefieri finito, atq; in pellem albam à spina appellatam infarcta affectis locis imponito, & unà cum pharmaco lauare iubeto, donec splenium sua sponte dilabatur. Oportet tamen ut prædictum est disparatas splenij partes desecare.

Aliud ualde præclarum. Floris lapidis Asij sextantem. lapidis gagatæ unc. I. calcis uiuæ bessem. uisci quercini lib. I. Præpara ac utere ut dictum est.

Malagma Anthiochidis. ad splenicos, hydropicos Ischiadicos, arthriticos, præparatum est Fabullæ. Ceræ lib. III. resinæ terebinthinæ libras III. retrimentorum ab expressa myrobalano reliquorum lib. unam, spumæ nitri lib. I. floris lapidis Asij lib. unam. ammoniaci thymiamatis libr. unam. olei cyprini lib. III. Acetum ad ammoniacum dissoluendum. Aliud Fabullæ compositum ualde præclarum, ad easdem affectiones. Myrrhæ stactæ lib. II. opopanacis lib. unã. galbani lib. unam. mastiches lib. unam. floris lapidis Asij lib. unam. styracis lib. I. succi sycomororũ lib. unam. canchryos lib. unam. piperis albi semissem. ceræ lib. V. terebinthinæ lib. V. pharmacum est tussile, id est, quod cõtunditur. Oportet autem tundentes ungenti Irini fecem admouere, donec quàm mollissimum pharmacum reddatur. Repositum enim mollissimum euadit.

Malagma quod aurei coloris appellamus. Auripigmenti unc. I. aluminis scissi sextantem, calcis uiuæ sextantem. Arida tundimus ac cribramus, & in mortarium conijcimus, hisq; aceti cyathos VIII. superfundimus, & probe trita liquidis excipimus. Sunt autem liquida hæc. Ceræ lib. unam. resinæ frictæ lib. II. pinus lib. II. hæc frigefieri post eliquationem sinimus, & sic erasa tritis adijcimus. Nos ad pharmaci præparationem etiam myrrhæ sextantem apposuimus.

Aliud, hoc est usus Andromachus. Facit splenicis, hydropicis, & ad præcordia distenta. Facit item Ischiadicis, Arthriticis, & ad inueteratas affectiones. Ceræ lib. unam. picis brutiæ lib. unam. pro resina fricta, picem addimus. olei cyath. VIII. auripigmenti auricoloris sextantem. aluminis scissi sextantem. calcis uiuæ sextantem. præpara ut dictum est. Nos ad pharmacum etiam myrrhæ sextantẽ, & uisci quercini trientem apposuimus.

Ad inueteratas induratas splenis affectiones, Authemeron ab eo quod per

unam diem curat appellatū. Oportet autem cum pharmaci impositione ægrum ad triduum conuenienti diæta uti. Myrrhæ, mannæ thuris, utriusq; quadrantem. sinapis Alexādrini sextantem. nasturtij sextantem. aceti scillitici quod satis est. Arida tundito & cribrato, & cum aceto ad malagmatis formam subigito, & linteolo excepta ab hora secūda usq; ad nonā imponito, ita ut cōplectaris & contineas incūbens malagma fasciola obligata. Deinde, uero ita obligatū in balneū mittito, & ubi probe laxata fuerit, in solium desidere facito; & pedes extra soliū extēdere iubeto, ac longiori tempore in ipso immorari. Cęterū ad reuocādos in animi deliquium collapsos acetum cum pulegio naribus admouemus, & paulatim resoluere fascias tentamus. Sint autem duæ fasciæ malagmati incumbentes. quum enim fasciæ tolluntur, auferimus etiam incumbens malagma, & post affectos locos sufficienter fouemus. Egresso de balneo salsamentum citra panē exhibemus, & uinum mari mixtum. Idem etiam sequenti die facimus. Et tertia similiter, insuperq; gymnasijs utimur quæ spiritum acutum reddere possunt.

Aliud Tryphonis Gortyniatæ Cretensis pharmacum accommodatum.

FOeni græci moliti sextarium unum, retrimentorum ab expressa myrobalano reliquorum sextarium dimidium. spumæ nitri quadrantem. Omnia tria cedria excipe. Verum hanc prius cēdriam condensare oportet ad cerati spissitudinem. Vsus est ante balneum, quantū æger ferre potest. A balneo cerotarium imponimus. Aliud Authemeron inscriptum, liberat ab affectione. Pyrethri drach. XX. myrobalani bessem, nasturtij bessem, seminis urticæ bessem, sinapis sextariū dimidium. omnia trita & aceto subacta per interualla imponito ad horas tres si æger tolerare possit. Deinde ablato pharmaco lauari iube. In balneo uero cerato utendum est ex rosaceo apparato. Aliud tumorem liquefacit. Floris lapidis Asij, nitri rubri, retrimentorum expressæ myrobalani, ammoniaci thymiamatis, singulorū drach. XXIIII. corticis radicis capparis drach. VIII. seminis raphani drach. X. aut succi cyathū unum, aceti acerrimi quod satis est, uisci quercini drach. XL. ammoniacum sambuci succo, aut myricæ, aut trifolij dissolue, Arida uero tunde & angustissimo cribro excute, ac aceto subige, indeq; ammixto uisco omnia simul contunde, & utere.

Pharmaca ad splenicos ab Archigene in primo medicamentorum secundum genus conscripta.

IN splenicis porrò præcedente similiter tota diæta, ex describendis compositionibus his utitor. Potus quidem sit aqua in qua ignitū ferrum sæpe sit extinctum, non febrientibus cum uino. Febricitantibus uero aqua sola. Aut ana gallidis ceruleum florem habentis obulum unum exhibeto cum aceto mulso. Aut serpillum cum aceto Aut panacis radicem uiridem cum aqua mulsa. Aut semen similiter. Aquam mulsam uero per noctem sub dio exponito. Aut corticis radicis periclymeni & seminis eius quātum tribus digitis apprehendi potest, in uino albo meraco calido ieiunis bibendum ad dies XL. exhibeto. Aut uulpis hepar siccum cum aceto mulso exhibe bibendum. Aut cuminum Aethiopicum similiter ut hepar ex aceto mulso. Aut radicis ari corticis drachmam dimidiam cum aceti mulsi cyathis III. Aut polium similiter cum aceto mulso. Aut hederæ albæ grana tria cum aceti mulsi cyathis III. Aut arida trita capparis folia propinato. Cataplasmata autem eadem impones splenicis quæ hepaticis, Amplius q; cinerē ex ferraria officina cum aceto. Aut capparim maceratam aceto ac tritam cerato cyprino exceptam. Aut nasturtiū & fœnum græcum, ac calcem uiuam, & nitrum, cum melle mollita imponito. Aut fœnum græcum, & calcem, ac nitrū, item cum melle imponito. Aut lepidij folia imponito,

Quum

Quum uero iam morsum perceperint in balneum inducito, & ablato pharmaco in feruidæ soliũ demittito ac detineto, Aegre enim ferunt nimiam mordacitatẽ, uerum sani exeunt. Idem etiã in Ischiadicis facit. Aut myrobalani expressæ re/trimentũ aceto maceratũ, rosaceo cerato excipe ac impone. Aut fœni græci & nasturtij par pondus, mannæ duplum, calcis uiuæ parũ, cum melle splenia uelut emplastra facito ac imponito. Aut fecẽ acris aceti imponito. Aut capparis radicem cum aceto. Aut spongiam acerrimo aceto imbutam. Egregiè faciunt my/robalani cortices, & nitri tertia ipsorũ pars, trita aceto subigito, & resinam ac ceram cum modico oleo liquefacta affundito, & mollitis utitor. Perseuerante malo cucurbitas cum scarificatione affigito. Amuleta autem, & per cõtrarietatem quandam naturalem ad hepar & splenem facere credita, hæc sunt. Venam retro sinistram aurem secato, & detracto sanguine affectum splenem confricato.

De hydrope siue aqua inter cutem. Cap. III



Ydropicorũ medicamenta, & alia cõmunia ad splenicos ipsos, itẽq; quędã multiplicis usus, ad uarias affectiones, tũ iam prædictas, tum duricias & ubi quid discutere oportet, etiã si iam purulenta sit cõpages, dicere aggrediar, initio ab his quę Asclepiades tradidit sumpto.

Pharmaca ab Asclepiade conscripta ad prædictas affectiones in quarto externorum, quæ Marcellæ inscribit.

Epithema hydropicis ualde cõmodum, quod adiacentem humorẽ absorbet. Farris, quod zeam uocant, moliti sextar. II. floris lapidis Asij sextar. I. mannæ lib. I. Probe trita adipe suillo ueteri probe subacto, & uino per integrã noctẽ macerato, excipito. Sit autem tanta adipis copia quanta ad molle faciendũ pharmacum satis est. Aliud, Besasa: est autem semen rutæ syluestris quod in Syria nascitur, & uernacula lingua Harmala ab illis appellatur: huius tusi sextarium I. mannæ sextariũ dimidium, adipis suilli ueteris quantum sufficit, præparato ut dictum est. Aliud, Ficuum pinguissimarum lib. III. origani lib. I. Quidam cumini lib. I. sulphuris uiui quadrãtem. cochlearum Affricanarũ lib. I. Arida tundito & cribrato, & tusis ficubus unà cum carne cochlearum excepta, ac in linteolum infarcta imponito, melle cocto sufficienti addito.

Aliud ex Critone. Fœni græci moliti ac cribrati sextarios II. sulphuris uiui lib. II. & dimidiã. Arida tenuissimè trita melle cocto excipito, Indeq; linteolo in/farcta per noctem imponito. In die utere & gestatione, & cõfectione subscripta.

Malagma Ipoteriũ inscriptum. Resorbet humiditates ex alto, & durícias dis/soluit. Ceræ, picis aridæ, utriusq; lib. II, aluminis liquidi, sulphuris uiui, mannæ, nitri rubri, singulorum lib. I. resinæ frictæ lib. IIII. olei ueteris heminam I. aceti quantum satis est ad arida dissoluenda. Præpara ac utere ut probato.

Aliud præclarũ Ipoterium pharmacum accõmodatum. Facit hydropicis, splenicis, & ad inueteratas affectiones. Resinæ frictæ lib. IIII. ceræ lib. II. sulphuris uiui lib. I. picis liquidæ lib. II. aluminis liquidi lib. unam. nitri rubri lib. unam. Aristolochiæ quadrantem, bdellij quadrantem, amomi racemi quadrantem, radicis cucumeris syluestris quadrantem, aloes semissem, pyrethri quadrantem, ammoniaci thymiamatis quadrantem, uisci quercini quadrantem, succi sycomororum quadrantem, aceti sesquisextarium. Aut pro aceto uini Italici tantundem, olei heminas III. præparato pro more.

Malagma ex baccis lauri, ad splenicos, hydropicos. Dissoluit omnẽ duritiam, absorbet abscessus in profundo. Ceræ lib. I. resinę pinus lib. I. picis Brutiæ lib. I. baccarum lauri siccarum lib. unam. nitri rubri lib. unã. ammoniaci thymiamatis lib. I. adipis uitulini subacti lib. I. arida tundito & cribrato per angustissimum cribrum

brum. Liquescibilia liquantur & frigefacta aridis adijciuntur, atque ita contusis simul ac repositis utimur. Aliud. Baccarũ lauri lib. I. picis lib. I. mãnæ lib. I. adipis taurini lib. I. ammoniaci thymiamatis lib. I. ceræ lib. I. præparato ut prædictum est. Emplastrũ tonsoris appellatione, ad splenicos, et hydropicos. Hoc tonsor quidam uir Bithyniensis usus, ischiadicos à coxendicum morbo penitus liberauit. Picis aridæ lib. IIII. ceræ lib. II. resinæ pinus lib. II. ammoniaci thymiamatis lib. II. nitri rubri lib. II. adipis taurini lib. I. In alio exẽplari etiam iridis lib. II. habentur. cãchryos unciæ XVIII. farinæ fœni græci sextarius I. pollinis sextar. I. radicis chamæleonis nigræ tenuissime tusæ sextar. I. cumini tenuissime triti sesquisextarius, passi sextar. I. In alio exemplari anisi triti sextarius dimidius habetur, & pollen deest. Aliud Bithynum appellatum, pharmacum accommodatum ad prædictas affectiones. Picis Brutiæ lib. IIII. resinæ pinus, ceræ, ammoniaci thymiamatis, singulorũ lib. II. medullæ ceruinæ lib. I. adipis taurini subacti lib. I. succi sycomororũ lib. I. floris lapidis Asij semissem, radicis chameleonis contusæ semissem, baccarum lauri siccarũ libram dimidiam, farinæ loliaceæ lib. dimidiam, seminis dauci Cretici contusi trientem. petroselini trientem. cumini Aethiopici trientem, anisi trientem, salis hispani sexuncem, aphronitri sexuncẽ, cyprini sexuncẽ. Vini falerni q̃d satis est. Arida cũ liquidis pro more apparato.

Malagma ex seminibus, pharmacũ accõmodatũ ad prædictas affectiones, hoc usus est Olympius. Ceræ drach. C. terebinthinæ drach. C. ammoniaci thymiamatis drach. C. adipis taurini drach. C. anisi drach. C. fœni græci drach. C. petroselini drach. C. ammij, iridis Illyricæ, utriusque drach. L. panacis drach. C. nitri drach. L. glycyrhizæ drach. L. cyperi drach. XXV. sabinæ drach. XXV. samsuchi drach. XXV. meliloti drach. XXV. cardamomi drach. XII. & dimidiam. cassiæ fistulæ drach. XII. & dimidiam, nardi Celticæ, radicis dauci Cretici, utriusque drach. XII. & dimidiam. Mellis heminam & dimidiam. Vini odorati quod sufficit. Prepara pro consueto more. Aliud, Ceræ minam I. ammoniaci thymiamatis minam I. terebinthinæ minã I. samsuchi minam dimidiam. iridis Illyricæ minæ quartam partem, hoc est drachmas XXV. seminis lini tosti minæ quartã partem, adipis taurini minæ quartã partem, radicis cucumeris syluestris, anisi, seminis apij, ammij, cumini, fœniculi, nitri, singulorum minæ quartam partem, piperis drach. XII. & dimidiam, mellis heminam, uini sesquiheminam, cyprini sesquiheminã, aceti sesquiheminam. Componito ac utitor.

Ex Andromacho ad hydropicos & inflationes.

Picis liquidę lib. II. ceræ lib. I. nitri drach. VI. sulphuris uiui sexuncem. aluminis sexuncem. Ad hydropicos Cleophanti. Ceræ, resinæ, spumæ nitri, singulorum drach. C. galbani drach. XII. & dimidiam, propolis drach. XII. & dimidiam, ammoniaci thymiamatis drach. XII. & dimidiam, cyprini cyathos II. aceti cyathos duos.

Ex Archigenis secundo libro pharmacorum secundum genus.

Hydropicis diætam ac uiuendi modum conuenientem constitue. Pro cataplasmate autem stercus bouis armentariæ impone. Resicca autem ipsum stercus diligenter, & tritum in posca uelut crudam ordeaceã farinam coque, inspersa sulphuris uiui quarta parte. Cataplasma uero per omnem uentris amplitudinẽ impone. Musa uero cataplasma ad ipsos præparauit ex elaterio, staphide syluestri, hyssopo, felle tauri, æqualibus partibus ipsorum ficubus contusis exceptis. Aut radicis cucumeris syluestris minam unam in uino coquito: & ficuum minam dimidiam similiter coquito, atque hæc simul terito affuso eorum decocto, donec malagmatis forma euadat. Indeque altheæ radicis tritæ tantũdem ammisceto

ammisceto, simulq; coquito ac terito, atq; ita imponito. Aut caprinū stercus in urina pueri impubis ueneris expertis, uel ipsius capræ urina coctū, ad strigmenticiam spissitudinem redigito, ac imponito. Egregie ipsum per aluum purgat. Aut ueratrum nigrum, fel taurinū, nitrum, piper, æquis partibus cum melle aluo per dimidiæ horę spatium imponito. Porro per omne curationis tempus unam aliquam ex his potionibus ipsis propinato. Cotyledonis drach. I. scyllæ aridæ mundæ drach. I. in uino mulso diluto quotidie exhibe. Aut cotticis radicis Ari drach. I. Aut cneori, quā aliqui chamelæan adpellant, teneras eminentias ad ca lamorū radices nascētes exsuccato, ac succi cyathos III. prędictis ammixtis quotidie exhibeto. Optime facit & hoc. Cancri fluuialis sicci triti, pedibus ac eminentijs omnibus amputatis, drach. I. asari drach. I. misceto aqua ex ipso flumine unde cancri extracti sunt accepta, & propinato. Aliquādo uero pro asaro, opobalsami par pondus additur. Aut coralli drach. I. aluminis scissi drach. I. obol. II. cum calaminthæ cremore terito, & in pastillos duorū obolorum ponderis redigito, & obolum inde ex calaminthæ aqua bibēdum dato. Summe facit & ad nephriticos. Aut radicē calaminthæ coctam propina. Aut sion quod lauer Latini dicunt itidem coctum propina, idemq; etiam edendum exhibe. Aut tribuli folia siue radicē cum uino dato. Aut in balneo cum sale & oleo diligenter, usq; quo exudent, illitos educito, & solis testibus exudantibus ablutis, primū linteis, deinde etiā reliquis amiculis cōtectos curato, ac panē furnaceū cū sufficiētibus caricis edendū dato: uinū uero nigrū Italicum aut Spicatū recēs, in quo ficuum triens in uini sextarijs VI. incoctus est, donec tertia pars superfuit, bibendum exhibeto purgat per urinā. Aut urinæ capræ cochlearium unū cum nardi drach. una calfactū bibendum dato. Aut cucumim syluestrem uino nardino uel amineo macerato, & ex cremore ter cyathum unum bibendum præbeto, & paulatim usq; ad cyathos tres progreditor. Aut seseli in potu uel cibo exhibe. Aut daphnoides tritum lupini magnitudine inspergens bibendum dato. Ducit urinam multam. Aut corticem radicis Ari ex uino. Aut squamæ æris drach. I. panis medulla excipito, & catapotia facito ac exhibeto. Fortiter aquā ducūt. Aut æris usti drach. I. rutæ ramulos tres, stercoris colūbæ drach. I. salis cōmunis parū, cum uino Ephesio & aqua, ita ut tota mixtura heminæ dimidiæ sit, præbeto. Summe faciunt & Theriacæ omnes urinam cientes. Insuperq; potiones aquam ducētes, quæ unicuiq; per experientiam cognitæ sunt minime periculosæ. Similiter & catapotia. Cæterū hydropicos diutius ad solem, contecto capite, inungito ex oleo multo sale ammixto, & multa salsugine calida perfundito. Inflatos uero maxime locos, uesicis magnis probe inflatis quotidie continenter pulsato, Inde enim arctantur ac contrahuntur. Scarificatis item ipsorum talis & uulnusculis impactis, ipsos in ferculo aut lectica gestato ac circūuehito, Multus enim humor hoc modo ipsis profluere solet.

Ad easdem affectiones Cōfectio Biennij. Croci, opij, opopanacis, myrrhæ, iridis, acori, mandragoræ, asari, costi, nardi Indicæ, dauci cretici, mei, singulorū drach. VIII. piperis albi & longi, gentianæ, stœchadis, cassiæ, phu ponticæ, singulotum drach. VIII. excipe melle.

De pharmacis dolorem sedantibus, anodynis & colicis appellatis. Cap. IIII



Huiusmodi pharmacis magni doloris, aut uigiliarum gratia, aut ne per uiolentam tussim lancinemur, uelut in sanguinis reiectatione & grauibus distillationibus aliquādo contingit, uti solemus. In moderatioribus tamen prędictis affectionibus, cōfectiones ex seminibus

priuatim tussiculares appellatæ sufficiunt, quæ & ipsæ omnino aliquid ex sopori feris seminibus habent: uerum modicum inter multa adeò semina, quæ odorata & tenuiũ partium ac urinam cientia existũt. Appellant autem hæc Medici sæpe citra appellationis seminis appositionẽ, Cuminum dicentes & daucum, & seseli, apiumq; & anisum. Eiusmodi igitur pharmacorũ compositiones inter tussiculares appellatas confectiones sunt relatæ, Vetũ dolorẽ sedãtes anodynæq; & coliçæ dictæ, quæ eiusdẽ quidẽ generis cum illis sunt: multo autem facultatibus illas exuperant, in hoc sermone ostendentur. Prima itaq; ex ipsis priscis tẽporibus, ut apparet, celebris fuit quam Philo prodidit, & de qua ipse hanc Elegiam fecit.

Philonis Antidotus.

En me Tarsensis Medici prægrande Philonis
 Inuentum, mala quod multa dolore leuo.
Siue colum doleas, seu tu iecur, auxiliabor.
 Seu lapis infestet, difficile aut lotium.
Et medeor spleni hinc, orthopnœæq; molestæ,
 Conuulsa atq; tabem protinus exupero,
Pleuritimq; malam, & sputum uomitumq; cruoris
 Euinco, mortis terror & hostis ego.
Viscera tentantes omnes ego sedo dolores,
 Interna & quicquid membra dolore quatit,
Tussim, Singultum, destillantesq; fluores
 Sisto, etiamsi quid strangulet excipio.
Me dedit ille autor sapienti munera magna
 Discipulo, stupidos nil ego curo uiros.
Odorum fuluumq; pilum pueri cape, cuius
 Fulget adbuc campis Mercurij ille cruor.
Pondus ad humanos sensus perpendito prudens,
 Dein drachmæ pondo Nauplion Euboicum.
Inde Menœtiadæ occisoris ponito drachmam,
 Qui pecoris densis uentribus excipitur.
Viginti & drachmas candentis conijce flammæ,
 Et totidem fabæ post suis Arcadicæ.
Et drachmam dictæ falsò radicis, ab ipsa
 Terra, pisſæo quæ Ioue clara manet.
Quumq; pion scribes, uoci caput amplius addes,
 Masculum Achiuorum nominis articulum.
Indeq; post dracbmas expensæ sumito lancis
 Quinq; bis, atq; isthæc prouidus excipito
Nararum tauri textura Cecropidarum.
 Sic mecum Triccæ progeniesq; facit.

In his uersibus Philo iubet croci drach. v. conijci, pyrethri unã, Euphorbij unam, spicæ nardi unam, piperis autem albi & hyoscyami par pondus, utriusq; drach. xx. opij uero drach. x. Primi quidem igitur duo uersus crocum indicant, ut qui fuluus colore sit, & tenuis ad formam pilorum. Cruorem autem croci fulgere ad huc in campis Mercurij dicit. Adolescens enim crocus appellatus cum Mercurio disco ludens, & incuriosius cõsistens, illapso in caput ipsius disco, statim mortuus est: ex sanguine autem ipsius in terram acto, crocus natus est: fulgere uero cruorem dixit, hoc est sanguinem iam occisi, propter coloris croci splendorem. Scribitur autem non solũ campis, sed & herbis in uersu, hoc modo, fulget adhuc herbis

herbis Mercurij ille cruor. Cæterum pondus croci drach. v. esse uult, quum ad humanos sensus perpēdere iussit, qui quinq; numero existūt. Quod uero drachmas quinq; esse uelit, et neq; obolos, neq; libras, neq; aliud quicquam tale, per sequentia commonstrat, primum quidem quum ait, Dein drachmæ pondo Nauplion Euboicum. Deinde uero & consequenter quum alijs idem drachmæ nomen apponit. Nauplion itaq; Euboicum, pyrethrū uocat. Proprerea quod Nauplius magnis pyris incensis, ut aiunt, circa Euboiæ portum, multos Græcorū decepit, ut perirent tanquam ad regionem portus bonos habentem applicantes. Id ipsum uero ob Palamedis necem ipsum fecisse tradūt. At uero & Euphorbium similiter his ænigmatice uocauit, quum ait, Inde Menœtiadæ occisoris ponito drachmam, Quandoquidem poeta Patroclum sic loquentem facit.

Sed me parca ferox, Latonæ & filius aufert,
Atq; uir Euphorbus.

Pecoris autem hoc est ouium uentribus excipi & adseruari Euphorbium ait, propterea quod hos solos non corrumpit, & ob hoc in his reponi pharmacum potest. Est porrò Euphorbium plantæ cuiusdam spinosæ in Maurusiorum terra nascentis succus, facultate calidissimus, & de ipso libellus paruus scriptus est Iubæ regi Maurusiorum. Consequenter uero Philo ait, Viginti & drachmas cādentis conijce flammæ, piper album per hoc significās. Est autem stomacho commodius & acrius quàm nigrum. Viginti insuper drachmas seminis hyoscyami iniјcere iubet, quod fabam suis Arcadicę appellat, Quādoquidem aprum Erymanthium Hercules occidisse fertur, qui in Arcadum terra fuit connutritus. Quin & nardi ipsius drach. I. conijciendam censet, quam radicem falso dictam appellat, quandoquidem spicanardi uere nominatur, Vult autem eam Creticā esse, quum ait, ab ipsa Terra pissæo quæ Ioue clara manet, Quandoquidem fabularum scriptores Iouem in dictæo Cretæ monte educatum aiunt, occultatū ibidem à matre Rhea, ne & ipse à patre Saturno deuoraretur. Apposuit autē Ioui epitheton pissæi, quemadmodum multi etiam extra poeticam, in communi sermone dicere solent, per Aesculapium Pergamæū, per Dianam Ephesiam, per Delphicū Apollinem, per Vestam Eleusiniam. Quidam uero non Creticam terram, sed Indicam indicatam esse aiunt, ex qua ebur affertur, ex hoc enim statuam Iouis in Pissa factam ac formatam esse. His omnibus & papaueris succum ammisceri iubet, qui recepto à medicis more priuatim opium appellatur, quum nullus aliorum succorum quantumuis multi sint in neutro genere: opium uidelicet nominetur, Quando igitur ipsum nomē opion, ex uoce. ὀ. &. πίον. componitur, ob id sanè inquit,

Quumq; pion scribes, uoci caput amplius addes,
Masculum Achiuorum nominis articulum.
Indeq; post drachmas expensæ sumito lancis
Quinq; bis, &c.

Hoc est iniјce & opij drach. x. Superest postremum quo omnia hæc trita excipiūtur, ipsum Mel, itidem coniecturaliter ab ipso appellatum, Natarum tauri textura, quandoquidē ex putrescētibus tauris apes generari tradunt. Quod autem Atticum ipsum Mel esse uelit, ea gratia addidit, Cecropidarum, hoc est, Atheniensium. Cæterum per extremum uersum ostendit etiam Asclepiadas hoc pharmacū sic præparare, Ex Tricca enim generis sui originem ducūt, ex quorum ordine & poeta est. Hæc fermè prima antidotorum dolores sedantium celebris facta est. Iuxta hanc autem alijs partim ad ipsam appositis, partim detractis, aut apponderationibus permutatis, posteri magnum antidotorum dolores sedātium numerum fecerunt, quas etiam colicas uocant, denominatione ab affectione quæ maximos dolores habet deducta. Ego uero primū

quidem generales cõponendi ipsas modos referam, deinde uel ut consueui, etiam particulariũ materierum seriem quantũ latissime se expandit subscribã. Opium itaq; fortissimum est ex his quę sensum stupefaciunt ac somnum soporiferum inducunt. Operatur autem hæc etiam solum sapa dilutum, deinde tomento exceptum ac sedi inditum, itemq; fronti ac naribus illitum. Si uero cum alio quopiam uim ipsius moderãte misceatur, moderatius hæc facit. Verum quæ ammiscentur ipsi, aut concoquere, aut mitigare dolorosam affectionem oportet, aut humores affectionem efficientes discutere, aut secare, aut attenuare, aut iuxta totã substantiam alterare. At uero neq; ignorare nos puto optimum esse compositionis scopum, qui trium cõiectationi sit intẽtus, Nimirũ ut & sensus stupefiat, & nullum in posterum inde circa particulam detrimẽtum permaneat, ampliusq; ut affectio ipsa maxime inde iuuetur. Ad hæc igitur respiciens Philo mihi uidetur hoc pharmacum de quo iam proposuimus dicere, cõposuisse, Ex opij quidem & hyoscyami mixtura somnum soporiferum, & sensitiuæ facultatis stuporem inducere uolens. Quo uero citius distribuerentur, & to torum affectorum corporum profundum penetrarent, calfacientia ammiscuit, pyrethrum, & euphorbium, & piper, quæ nocentes humores discutere possunt, & extergere uiscosos, ac secare crassos, & uentosos flatus attenuare ac euacuare. Est autem non modica concoctoria uis omnium frigidarum affectionum in nardo sita, Verum Creticã nardum inijcere non oportet, neq; omnino eam quæ apud nos nascitur, quam montanã & herbam Narditen magis quàm nardum appellãt. Est igitur Celtica nardus optimum pharmacum, efficiens quæcunq; etiam Indica nardus solet, Verũ ab ipsa uiribus deficit, uelut etiã à Celtica, Montana. Queãdmodũ aũt ex aromaticis appellatis medicamẽtis Philo solam nardum iniecit, Sic posteri alius aliud apposuit, aliqui autẽ plura. Quæ uero apponũtur sunt, flos iunci odorati, & cassia, cinamomum, amomum, & costus. Quemadmodum autem rursus crocum addidit, crudorum humorum concoctoriũ, itemq; affectionum medicatarum, Sic alij myrrhã & castorium ammiscuerunt. Plurimi autem ex ipsis, neq; male in hoc facientes, & hæc familiaria semina, De quibus etiam antea in confectionibus ex seminibus constantibus dictum est, addiderunt: quo uidelicet amarorum medicamentorum iniucũditatem mitigent, & totum pharmacum ad distributionem & urinę propulsionem instigent. Si uero & humorum crassitudo attenuari expetat, etiam hoc ipsum faciunt, Dico autem apij semẽ, cumini, dauci, petroselini, anisi, & quæcunque eiusmodi existunt. Apponam igitur iam & copiam ac seriem particularum materierum à prioribus medicis usu ac experientia cognitarum.

De colicis pharmacis ab Andromacho conscriptis.

PRima itaq; ipsarum in hæc uerba scripta est. Colica Cassij. Anisi drach. VI. seminis apij drach. XII. nardi drach. IIII. alij drach. VI. castorij drach. III. petroselini drach. IIII. alij drach. III. piperis albi drach. V. & longi drach. V. myrrhæ drach. VI. iunci odorati drach. III. succi papaueris drach. VI. croci drach. III. Excipe melle cocto. Quidã etiam cinamomi drach. I. aut cassiæ drach. II. Datur ad summum nucis regiæ paruæ magnitudo ex aquæ calidæ cyathis. III. minimum nucis ponticæ magnitudo.

Colica secunda ab Andromacho scripta hæc est. Colicã Cassij, ut Crispus. Facit & foris imposita. Anisi drach. XII. seminis apij drach. XXIIII. nardi Indicæ tantundem. castorij drach. VI. seminis petroselini drach. XVI. myrrhæ drach. XII. piperis albi drach. XII. & longi drach. X. iunci odorati drach. VI. opij, croci, cassiæ singulorum drach. XII. costi, acori utriusq; drach. VI. Excipe melle cocto. Præbe nucis ponticæ magnitudine ex aquæ calidæ cyathis. III. Hæ igitur præscriptæ

scriptæ duæ confectiones ex medicamentis de quibus paulò ante dixi compositæ sunt. Quæ uero deinceps sequitur, qua se usum esse ipse ait, habet etiam alia quædam præter priora, eiusdem generis cum opiô & hyoscyami semine existentia, uelut malorū mādragoræ succū, aut qui ex radice ipsius expressus est, & succum cicutæ, Habet item phu ponticū, quod partim nardo celticæ, partim petroselino & urinā cientibus seminibus simile existit. At uero syluestris brassicæ semen ex maxime attenuatorijs est, & quæ multū siccare ac discutere possunt. Ex urinam cientibus est & Meon, & asarum. Illyris uero quam neq; nominauit iridem Illyricam, concoctorium est & attenuatoriū pharmacum. Stœchas autem à putrefactione uindicat & attenuat. Ipsum pharmacum autem sic describitur,

Colica Tullij qua utor. Succi malorum mandragorę drach. VIII. aut succi radicis eiusdem drach. X. phu pontici drach. VIII. seminis brassicæ syluestris drach. VIII. succi cicutæ drach. XVI. costi, piperis albi, & longi, myrrhæ, opij, singulorū drach. VIII. opopanacis drach. VI. stœchadis, seminis dauci, Mei, asari, singulorum drach. XII. cinamomi, illyridis, acori, singulorū drach. VIII. Sequitur post præscriptas Colica Abascanti, quam apud me cōsonam reperi. Anisi drach. X. seminis seselis, drach. XX. petroselini, nardi Indicæ, piperis albi & longi, singulorum drach. III. & obolos IIII. opij drach. X. myrrhæ drach. X. cumini Aethiopici, castorij, utriusq; drach. V. iunci odorati, croci, utriusq; drach. V. Excipe ac præpara cū melle cocto. Colica admirabilis qua utor. & ad uoluulosos & qui stercus sursum euomunt in magnis doloribus, datur magnitudine fabæ in aquæ frigidæ cyathis III. aut IIII. Piperis albi, seminis hyoscyami, utriusq; drach. XL. opij drach. XX. croci drach. X. spicæ nardi, euphorbij, pyrethri, singulorum drach. II. excipe melle cocto. Alia non inefficax adiaptotos ob id dicta, ad omnem etiam inflationē. Sisonis, seminis hyoscyami, piperis albi singulorū drach. XL. succi papaueris drach. XX. croci drach. VI. opobalsami drach. III. excipe melle.

Colica Terētij Valentis. Sisonis, piperis albi, seminis hyoscyami, singulorū drach. XL. succi papaueris drach. XX. croci. drach. VIII. alij drach. VI. corticis radicis mādragoræ drach. III. mellis quod satis est. Quidā etiā opobalsami drach. III.

Colica Apollonij. Nardi. drach. II. castorij, fœniculi, succi mandragoræ, costi, singulorum drach. I. asari, spicæ, utriusq; drach. III. opopanacis drach. I. dauci Cretici drach. III. cinamomi drach. V. piperis albi & longi, iridis, myrrhæ, singulorum drach. II. lemniæ sphragidis. drach. X. absinthij drach. II. excipe melle. Datur drach. I. ex aqua. Colica ut Nicostratus, Isotheos appellata, empta talentis duobus. Facit ad stomachicos, oculorum dolores, & uexationes, uuluæ labores, ex aqua mulsa incocta ruta. Croci sesquidrachmam. nardi drach. II. myrrhæ drach. VIII. costi, piperis albi & lōgi, galbani, singulorū drach. I. opobalsami drach. IIII. cinamomi, succi mandragoræ, castorij, singulorū drach. II. seminis dauci drach. IIII. & dimidiā. sagapeni drach. III. cassię drach. IIII. excipe melle Attico.

Colica ut Scribonius. Cineris cornu cerui teneri usti heminam, piperis albi, myrrhæ, utriusq; drach. II. ex tritis cochlearium unum exhibeto. Et cochleam unam crudam tritam cum uini cyathis duobus & aqua calida. Colica qua assidue utebatur, perfecte liberans & malum extirpans. Zingiberis drach. III. salicis drach. III. rutæ ramulos tres aut quatuor, phœnicobalanorum drach. III. aquæ cyathos VI. conijcito in uasculū nouū, & coquito donec tertia pars supersit. & bibendū dato ad triduū post irritationē, & facto interstitio idem facito, ad plures dies pharmacū in potu exhibendo. Colica Tullij bona, qua & ipsa utor. Seminis brassicæ syluestris, phu pontici, utriusq; semissem, piperis albi & longi, seminis dauci, singulorum drach. IX. castorij, costi, opij, corticis mandra-

gorę, nardi Indicæ, asari, Illyridis, singulorum drach. VI. stœchadis drach. IX. cinamomi drach. I. cassiæ daphnitidis drach. XVIII. excipe melle cocto. Da fabæ Aegyptiæ magnitudine. Colica quam admiratus est Ariston, ut Diophantus Lycius. Succi centaureæ, castorij, scillæ assatæ, piperis albi & longi, myrrhæ, rutæ hortensis, hyssopi, abrotoni, iridis Illyricæ, singulorum drach. II. croci, ammoniaci thymiamatis, radicis acori, phu pontici, zingiberis, ueratri albi, singulorum drach. I. excipe aceto mulso. Datur etiam drachma una ex aceto mulso.

Colica ut Publius in Putiolio & Apollonio. Polij drach. VI. scordij drach. XII. gentianæ drach. V. feminis rutæ syluestris drach. IIII. succi cyrenaici drach. III. rubricæ lemnię drach. V. myrrhę drach. VII. opobalsami drach. VIII. piperis albi drach. II. & dimidiam. cachryos, drach. IIII. uerbenacæ herbæ drach. II. pentaphylli drach. V. excipe melle Attico. Da magnitudinem nucis.

Quæ Asclepiades ad coli affectus prodidit.

PHarmacũ insperfile ad coli inflationes, Antonij pharmacopolæ, huius usus sanus erat. Chrysobalani drach. II. feselis, astragali, utriusq; sextantem. illyricæ, tragacanthi, utriusq; unciam I. Hæc simul tusa & cribrata, cochlearij unius plus minus mensura, ex aquæ calidæ cyathis quatuor ante cibum exhibeto.

Aliud, Gallinarum interanea omnia exempta & in uas fictile coniecta assato, ac trita reponito. usus uero tẽpore cochleariũ unũ & dimidiũ, & feminis dauci cretici tusi & cribrati tantũdem, ex aquæ mulsæ calidæ cyathis III. exhibeto.

Ad coli inflationes Chariclis. Cumini Aethiopici drach. VI. feminis apij, drach. V. feminis dauci Cretici drach. II. piperis albi drach. I. tusa & cribrata reponito. Dantur ex eo cochlearia duo, cum aquæ mulsæ cyathis tribus. Aliud, Seminis rutæ syluestris aridi, feselis massilici, utriusq; drachmas VIII. petroselini drach. IIII. sinonis Syriaci drach. IIII. piperis albi drach. II. tusa & cribrata exhibe ut dictum est. Eclegma colicis Nectareum. Facit & pleuriticis, & dyspnoicis. Deducit mulieribus menses. Est & concoctorium. Cumini hispani unc. I. piperis albi, zingiberis, utriusq; tantũdem, uini dulcis aut Scybelitæ, aut protropi sextarios II. uini falerni sextarium unum. Mellis Attici librã unam. Arida tunduntur & cribrantur crassiore cribro, Deinde cum uino coquũtur donec tertia pars supersit, deinde affunditur uinum dulce ac rursus coquitur. Mouere autem oportet ramulis rutæ uirga salicis exceptis, & salicis cortice obligatis. Habenda est ad manum etiam altera uirga similiter rutæ ramulos recẽtiores complectens, quo prioribus exsiccatis recentioribus moueas. Postquam autem liquor semel atq; iterum ebullierit, iniice mel ac rursus coque, & excolatum per saccum liquorem repone. Vsu expetente mystra tria ante & post cibum præbe.

Alia Scribonij Largi ex salice. Liberat à tota affectione. Corticis salicis drach. IIII. zingiberis aridæ drach. III. phœnicobalanos VI. numero, aquæ sextarium unum & dimidium. Cõquito omnia rutæ ramulis mouens, & ubi tertia pars liquoris restiterit, tum excolato, & cyathos duos quotidie bibẽdos dato. Hoc uero per triduũ facere oportet, & post triginta dierum interstitium rursus repetere, quo per annum potiones XXXVI. fiant. Bibitur enim hoc pharmacum per annum totum. In alijs exemplaribus hoc modo habetur. Corticis salicis uiridis drach. V. zingiberis sicci drach. IIII. piperis albi drach. IIII. palmularũ passarum maximarum, quas Græci patetos appellant, numero duas aut tres, rutæ uiridis ramulos V. aquæ pluuiæ sextarios III. coquito ad tertias, & dato ut prædictum est. Alia Paccij Antiochi, à tota affectione liberas. Cornu cerui recens enati mollissimi usti ad albedinem cochlearia III. maioris magnitudinis. piperis albi grana X. aut IX. myrrhæ parum odoris gratia, omnia teruntur, & cochlea

chlea Africana uarij coloris unà cũ testa itidem teritur, uino falerno per saccum non excolato affuso. Sit autem uini mensura cyathorum trium. Hæc omnia in fi ctili uase permixta ad prunas calfacimus, diligenter mouentes, ne quid ex pharmaco subsidat. Calfactum uero in ipsis irritationibus bibendum dato, itemq; sequentibus duobus diebus. Oportet autem diem unam ante, cibũ differre, & reliquis diebus prandio solo uti, in eoq; assumere cibum qui facile confici potest.

Alia confectio. Succi fœniculi sextar. IIII. mellis Attici sextar. II. croci drach. IIII. crocũ in linteolum purum ligato, Succũ uero & mel mixta in uase fictili coquito, & fasciculo croci moueto. Vbi uero densata fuerit ad arteriacæ spissitudinem, Crocum quidem expressum rejcito, pharmacũ uero reponito. Vsus tempore mystrum unum aut duo ante cibum dato.

Colica Sigonis, qua usus est Valens. Facit in summis doloribus data nucis ponticæ magnitudine, ex aquæ calidæ cyathis tribus, & confestim minuit dolores, & maxime si pruritus per totum corpus fiat. Facit & ad inueteratos splenicos, & ad uoluulosas affectiones. Facit hepaticis & ad febres per circuitum repetentes, ac uuluæ strangulatus, & uesicæ affectus. Est & arteriaca bona. Sinonis syriaci aut hispani drach. LX. piperis albi drachmas XL. seminis hyoscyami albi drach. XL. opij, corticis mandragoræ, utriusq; drach. X. croci drach. VI. mellis co cti quod satis est his excipiendis. Quantitas exhibitionis ostensa est. Alia exemplaria sic habent. Sinonis hispani drach. LX. piperis albi, seminis hyoscyami, utriusq; drach. XL. cornu cerui usti, opij, utriusq; drach. XX. corticis mandragoræ drach. X. croci drach. VI. mellis quod sufficit.

Cõfectio Lingonis colica, data ex frigida statim soluit dolores. Seminis hyoscyami albi drach. XX. opij, seminis dauci cretici, utriusque drach. X. petroselini drach. VI. croci, spicæ nardi, pyrethri, singulorum drach. IIII. euphorbij, opobalsami, cinamomi, singulorũ drach. II. Excipe melle cocto, & exhibe fabæ Aegyptiæ magnitudine cum aqua tepidæ aut frigidæ cyath. III. in irritationibus.

Colica sedãs dolorẽ, qua usus est Cassius. Facit & ad internorũ affectiones, pharmacum est ualde bonum. Anisi, nardi Syriacæ, myrrhæ, singulorũ drach. VIII. piperis albi & longi, utriusque drach. XII. seminis seselis drach. VI. opij tantundem, croci, castorij, petroselini, iunci odorati, singulorũ drach. IIII. mellis Attici cocti quod satis est, Datur ponticæ nucis magnitudine.

Colica sedans dolorẽ Lucij, cõfestim eximit dolores, inscribitur Sicula. Myrrhæ, succi hyoscyami, opij, singulorum drach. VIII. radicis mandragoræ, piperis albi, croci, thuris, singulorũ drach. X. Excipe melle & præbe fabæ Aegyptiæ magnitudinem ex aquæ calidæ cyathis tribus ad noctem.

Colica sedans dolorẽ Euschemo Spadoni inscripta. Bibitur in dies triginta. Seminis brassicæ syluestris, phu, cinamomi, iridis Illyricæ, acori, asari, opopanacis, myrrhæ, nardi Indicæ, opij, costi, succi mãdragoræ, castorij, singulorũ drach. VI. trium piperis generũ, mei, seminis dauci cretici decorticati, singulorũ drach. XII. excipe melle cocto ac præbe fabæ Aegyptiæ magnitudinem, febre carentibus cum uini mulsi diluti cyath. IIII. febrientibus cum aqua mulsa. Hac etiam in infusis utebatur nucis ponticæ magnitudine, cum fœni græci decoctio cyathorum IIII. & oleo cui ruta incocta est item cyathorum quatuor.

Ad easdem affectiones confectio Breniti. Croci, opij, opopanacis, myrrhe, iridis, acori, mandragoræ, asari, costi, nardi Indicæ, dauci Cretici, Mei, singulorũ drach. VI. piperis albi & longi, gentianæ, stœchadis, cassiæ, phu pontici, singulorum drach. VIII. excipe melle.

De dysentericis. Cap. V

DE dysentericis equidem quæ in uniuersum nosse oportet, iam ante dictũ est, tum in curādi methodi libris, tum etiā nūc in sermone de hepaticis habito. Reliquũ est igitur de uere dysentericis agere, in quibus neq; hepar affectũ est, neq; alia aliqua affectio est, præter intestinorum ulcerationem, aut nudam, aut cum putrefactione aliqua oborta, quam Medici cõsueto uocabulo Nomen appellant. Quæcũq; igitur ad tales affectiones com moda sunt, & iam frequenti experimento cognita, ea in principio subscribentur.

Quæ ab Andromacho ad dysenteriam scripta sunt.

POtio ad dysentericos & hæmoptoicos. Floris rosarum, opij, acaciæ, gummi, singulorum drach. III. balaustij tantundem. succi hypocisthidis tantundem. gallarum drach. II. seminis plantaginis tantundē, & succi eius tantūdem. lycij Indici drach. I. succi rosarũ drach. I. Fac pastillos drachmæ unius. Vtere uarie.

Ad dysentericos & cœliacos, confectio ex fructibus. Mala punica integra XX. mala cotonea XX. erui sextar. I. prunorum syluestrium sextar. II. Sorborum Ephesinorũ sextar. II. Rhois Syriaci sextar. III. pira Terentiana XX. mala Cestiana XXX. siliquas XL. baccarum myrti nigrarum sextar. III. musti aminei ad tertias decocti sextarios XLVIII. Coquito simul ad mellis spissitudinem & in figlino reponito. Alia ex fructibus ad eadem. Stomachum subuersum restituit, Imponitur etiam forinsecus. Mala punica X. cotonea XX. mala orbiculata XV. sorborum sextar. II. mespilorum sextar. I. glandium sextar. unum. Rhois Syriaci sextar. I. rubi fasciculum manipularem, baccarum myrti nigrarum sextarium unum. palmas passas, patetos Græci dicunt XXX. acinorum aridorum sextarium dimidium, prunorum syluestrium sextar. I. siliquas magnas X. œnanthes sexuncem, cornorum sextarium unum mala citria V. passi Cretici sextarios XVI. Coquito simul & reponito in uitro, utere ut priore.

Ad dysentericos qua utor. Gallæ, fructus ericæ, opij, singulorum drach. IIII. cum aqua redigito in pastillos duorum obolorum. Dato ex aqua aut uino.

Ad dysentericos Clidion. Nardi, croci, utriusq; drach. VIII. aloes drach. IIII. ego drach. II. thuris drach. II. acaciæ drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. succi hypocisthidis drach. IIII. alij drach. VI. rosarũ siccarum drach. IIII. lycij Indici drach. IIII. tragacanthæ drach. IIII. opij drach. IIII. alij drach. I. obolos II. piperis drach. II. alij etiam iridis drach. II. Excipe aqua. Quidā etiam cinamomi drach. II. & dimidiā. gallæ drach. II. fac pastillos obolorũ duorũ ponderis. Exhibe cum uino myrteo.

Ad dysentericos & cœliacos pastillus Beritij. Nardi, croci, utriusq; drach. II. myrrhæ, succi hypocisthidis, aloes, opij, tragacanthæ, lycij Indici, gallæ, anisi, acaciæ, piperis, rhei pontici, singulorum drach. I. tragacantham in uino macerato, & reliqua trita commisceto, pastillosq; drachmæ unius formato, atque ipsos ex uino dato. Clidion ad dysentericos. Acaciæ drachmas XXV. seminis hyoscyami drach. LVI. baccarum myrti tusarum drach. CLX. rhois Syriaci drach. LXX. & succi eius drach. II. & dimidiam. thuris drach. LXXV. Omnia torrefacta terito & uino nigro excipito. Datur summum drach. I. Ad dysentericos & cœliacos, Vini falerni sextar. VI. mellis Attici lib. VI. coquito simul ad multam spissitudinem, utere pleno cochleario ad delingendum dato.

Ad dysentericos & omnia interna uitia, pastillus ab Eudemo seniore.

CRoci, cassiæ fistulæ, utriusq; drach. II. nardi drach. I. myrrhæ, aluminis, succi papaueris, singulorum drach. II. cum aqua pastillos formato, & dysentericis ex uini cyathis duobus dato, febrientibus ex aqua, hepaticis & peripneumonicis ex aqua mulsa. Ita etiam pleureticis & tussientibus.

Aliud

Aliud, ad dysentericos. Seminis fœniculi, anisi, apij, malicorij, singulorum drach. IIII. opij drach. II. cum aqua redige in pastillos duorum obolorum. Dato unum ex aqua. Ad dysentericos & cœliacos ex libris Antipatri. Piperis nigri drach. IIII. gallæ drach. IIII. myrrhæ drach. II. croci drach. II. nardi drach. I. lycij drach. I. succi hypocisthidis, acaciæ, ramentorũ loti, gũmi, singulorũ drach. II. opij, aloes, anisi, singulorũ drach. I. Rhois obsoniorũ, drach. II. Excipe succo rubi & utere. Ad dysentericos, cœliacos, & hæmoptoicos, è Cornelio medico. Myrrhæ, thuris, aloes, croci, opij, rhois Syriacæ & coriariæ, lycij indici, acaciæ, malicorij, succi hypocisthidis, gallę, balaustiorũ, singulorũ par põdus in pastillis cogito, & ad noctem febre carentibus ex uino, febricitantibus ex frigida dato.

Aliud ad dysentericos Valentis. Myricæ fructus, rhois Syriaci, opij, petroselini, singulorũ par pondus torreto ac terito, & cum aqua in pastillos reducito magnitudine fabę, Da in noctem febricitantibus ex aqua calida, nõ febrientibus ex uino. Ad dysentericos ex scriptis Lucij. Styracis drach. II. opij, croci, acacię, gallæ, fructus myricæ singulorũ drach. I. cum aqua pastillos facito ac dato fabæ Aegyptię magnitudinẽ cum uino. Ad dysentericos & hæmoptoicos, statim à prima potione cohibet fluxum. Cochlearũ ustarum drach. XII. cornu cerui usti drach. XX. obol. II. baccarũ myrti nigrarum drach. XV. opij torrefacti drach. V. obol. II. gallæ tostę drach. V. obolos II. œnanthes drach. VI. succi hypocisthidis drach. V. obolos II. radicis mandragorę drach. XII. succi rhois, terrę asteris, utriusq; drach. XII. rhois culinarij drach. IIII. malicorij tosti drach. VII. thuris drach. VIII. corticis pinus torrefacti drach. VI. seminis apij drach. XIIII. hyoscyami tosti drach. X. rhois coriarij sextar. II. acaciæ tostę drach. V. obol. II. Vini nigri, quo rhus coquatur ut crassissimus succus fiat. Coquito itaq; cum uino, atq; colato, & cum succo reliqua subacta in pastillos drachmales, & triobolares, ac diobolares cogito, & pro habitu exhibeto. febricitantibus cum aquæ calidę cyathis III. Nõ febrientibus cum uini cyathis II. In alijs exemplaribus cornu cerui drachmæ VI. oboli II. habentur, & gallæ drach. VII. & acaciæ tantundem.

Ad dysentericos Flauij Pycta, id est, pugilis. Baccarum myrti aridarum tusarum sextarium unum. rosarum siccarum tusarum, sextariũ dimidium. fecis malabathrini drach. II. baccarũ iuniperi drach. XXX. pirorum aridorum tusorum sextar. I. corticis pinus drach. XII. myrrhæ drach. I. gallas V. siliquarum tusarum sextarium unum. Dantur ad summum drach. VIII. Dato aridum cum uino diluto. Quæ uero crassiora sunt palmulis pinguibus excepta exhibeto.

Ad cœliacos. Sistit fluorem confestim. Fructus myricę drach. IIII. rhois cibarij drach. IIII. baccarum myrti nigrarum drach. IIII. acaciæ drach. II. succi papaueris drach. I. excipe malorum spissamento & fac pastillos drachmæ ponderis, ac utere cum oui assati uitello. Vbi uero bibendum dare uolueris, radicem rubi, aut myrtum, aut mala cotonea coquito, atq; decoctum horum frigidum cyathorum III. mensura cum pharmaco dato. Facit & lientericis.

Potio ad internos fluores, forinsecus etiam cum melle cocto impositũ facit. Anisi drach. II. succi hypocisthidis sesquidrachmam seminis rosarũ sesquidrachmam. succi papaueris drach. unã, myrrhæ drach. unam. crocomagmatis drach. I. Dantur cum aqua oboli. III. & duo, & unus item. Potio ad omnem fluxionem & inflationem, Lucij Tarsensis. Anisi, seminis apij, utriusq; drach. II. seminis anethi, dauci, tordylij, singulorũ drach. IIII. opij, seminis hyoscyami, utriusq; sesquidrach. Excipe aqua atque ita utere. Potio ad fluxũ muliebrem sistendum, ut Apollonius. Coralli obol. III. balaustij obolos III. gũmi obolum unum. excipe oui crudi candido, & dimidium totius cum aquæ cyath. IIII. præbe.

Infusa Dysentericis commoda.

INfusum ad dysentericos, Isidori, ad exulcerationes factas in intestino recto. Cineris chartę drach. x. aluminis scissi drach. IIII. auripigmenti drach. IIII. sandarachæ drach. III. squamæ æris, omphacij, utriusq; drach. III. croci, succi papaueris, utriusq; drach. II. calcis uiuæ drach. v. Trita misce & excipe uino dulci, ac forma pastillos drachmarum trium, & duarum ac unius ponderis. Vsus tempore uino austero diluitur ad strigmentitiam crassitudinem, miscentur q; succi ptisanæ cyathi duo. Infundito hæc simul ægroto ita ut tum de prisanæ succo, tum de pharmaco pro uiribus ipsius sumas.

Infusum Faustianum. Auripigmenti drach. XII. chartæ ustæ drach. XXX. sandarachæ drach. VI. calcis uiuæ drach. X. alij XII. cogito in pastillos. quatuor drachmarum, & cum plantaginis succo, in quo spissamenta incocta sunt, infundito. aut uini diluti cyathos III.

Infusum quo utor Athenæi. Concordat Harpocrę, Magno Philadelpho, Aristolao. Omphacij drach. VI. aluminis scissi drach. VI. calcis uiuæ, squamæ æris, utriusq; drachmas VI. auripigmenti drachmas VIII. sandarachæ drach. III. chartæ ustæ drach. XV. Cum uino mytteo pastillos drachmarum IIII. aut III. formato. Infunde cum uini diluti cyathis IIII. & aquæ tepidæ cyathis duobus. Quandoq; etiam cum aqua pluuiali.

Infusum quo utor. Chartæ ustæ drach. XXX. auripigmenti drach. XII. gallæ drach. IX. calcis uiuæ drach. XVI. bituminis drach. XVI. sulphuris uiui drach. XVI. sandarachæ drachmas XVI.

Infusum aliud ut Idius. Aeris usti drach. XXIIII. calcis uiuæ, aluminis scissi, utriusq; tantundem. chartæ ustæ drach. XXX. aurigmenti drach. XII. sandarachæ drach. XII. Excipe uino myrteo, aut rosarum decocto, quæ cum uino austero ad dimidias coctæ sunt & expressæ, forma pastillos, eosq; infunde cum aqua.

Infusum ab Eubulo. Squamæ æris drach. XX. chartæ ustæ drach. XVI. calcis uiuæ drach. VI. auripigmenti drach. VIII. sandarachæ drach. XV. omphacij drach. III. fecis uini ustæ drach. I. excipe uino myrteo, & infunde cum uino diluto calido. Infusum Heræ. Chartæ ustæ unc. I. calcis uiuæ unciam dimidiam, cadmiæ unc. I. auripigmẽti unc. unã. Ex hoc arido cochlearia duo cum decocto baccarum myrti, aut uino myrteo cyathorum IIII. mensura infunde. Calcem uero cum succo plantaginis extingue.

Infusum aliud eiusdem. Sandarachæ, auripigmenti, utriusque drach. VIII. acaciæ drach. IIII. calcis uiuæ drach. IIII. excipe uino austero, & coge pastillos drachmarum trium. In debilibus uero minus cum uino diluto infunde.

Aliud, Sandarachæ drach. VIII. calcis uiuæ recentis drach. X. chartæ ustæ drach. VIII. alij drach. XXX. malicorij, gallarũ, acaciæ, singulorũ drach. V. mænarum aceto conditarũ ad dies uiginti unũ, ac ustarũ drach. III. auripigmẽti drach. XVI. Vtuntur mænæ in olla cruda, Et aliqui arido medicamento utũtur, aliqui in pastillos cum myrti baccarũ decocto cogunt. Si uero non moretur pharmacũ retentum, ante eius usum polygoni succum aut muriam infundito.

Infusum quo utor Aphtha appellatũ, Rois Syriaci, gallarũ ustarũ, utriusq; drach. XV. chartæ ustæ tantundẽ. suberis usti drach. XV. panis Alexãdrini sicci usti drach. XV. auripigmẽti drach. VIII. sandaracħe drach. X. acaciẽ drach. V. cerussę drach. VIII. calcis uiuæ drach. X. spumæ argẽti drach. III. Excipe uino ueteri & forma pastillos, alios duarũ, alios triũ, alios quatuor drachmarũ pődere. In principio quidẽ per plantaginis aut sanguinariæ, aut helxines succũ infundito, qui si nõ adsint, aquam, Si uero uigor sit, & morbus fortis cum dolore, cũ fœni græci

aut feminis lini decocto infunde. In declinatione aūt cū decocto myrti & rubi ui no coctorū. In pueris cyathorū duorū copia. In fœminis trium, in uiris quatuor.

Infusum quo utor Gemelli. Auripigmenti drach. VIII. sandarachæ drach. IIII. calcis uiuæ drach. VIII. squamæ æris. drach. VI. aluminis scissi tantundē, omphacij drach. VIII. lycij Indici tantundē. succi papaueris drach. IIII. succi hypocisthidis tantundē. croci drach. II. ego aūt drach. IIII. chartæ ustæ drach. VIII. Infunde cum uino diluto. Infusum Agathij. Auripigmēti drach. II. sandarachę drach. V. calcis uiuæ drach. III. chartæ ustæ drach. IIII. Ex hoc pharmaco drach. III. cum sale trito infundito in aquæ frigidæ cyathis VI. Infusum Nicostrati ad dysentericos, quo Menāder usus est. Calcis uiuæ drach. I. gypsi drach. VIII. acaciæ drach. II. omphacij drach. I. stibij drach. III. thuris drach. I. gallæ drach. IIII. tragacanthæ drach. II. cum uino myrteo cogito in pastillos. Reponūtur reliquijs ab expresso uuarum succo restantibus stipati, ne transpirent.

Infusum ad dysentericos Thamyræ. Auripigmenti drach. II. aluminis scissi drach. II. cadmiæ tantundem. calcis uiuæ nouæ drach. I. chartę ustæ drach. II. suberis ex dolio uini falerni usti drach. VII. & dimidiam. Cum sapa aut passo hispano apud te recocto, pastillos cogito. Cæterū pastillis rursus tritis cochlearia II. infundito. Reliquis pro uiribus cum lenticulæ decocto. Si lenticula non adsit, rubū cum rosis aridis decoquito, & seorsim myrti baccas cum uino austero coquito, & utriusq; cyathum unum misceto. Quandoq; uero uini cyathos IIII. & rubi decocti cyathos II. Facit item in potu acceptum pro uiribus ad cochlearij plus minus mensuram ex frigida aqua.

Infusum ut Deletius Epagathus. Auripigmēti drach. XII. succi hypocisthidis drach. III. sandarachæ drach. III. chartæ ustæ drach. XXX. calcis uiuæ drach. XXIIII. balaustij drach. XLVIII. Balaustium in uino ueteri austero coquitur. Deinde cum decocto reliqua teruntur, formanturq; pastilli drachmarum quatuor, quidam unciæ ponderis faciunt. Infunduntur autem in myrti baccarum & lenticulæ decocto.

Quæ ab Asclepiade ad dysentericos scripta sunt, Quorum aliqua etiam cœliacis conueniunt.

Vini myrtitæ sextarios III. Rhois rubri heminam I. mellis Attici cocti lib. I. Rhoēm & uinum coquito rubi ramulis mouendo, & ubi tertia pars restiterit, liquorē exprimito, eiq; mel adijcito ac rursus coquito donec spissetur. Datur mystrum ante cibū. Aliud, Rhois Syriaci, farinæ polentæ, uuæ passæ nō exacinatę, singulorū drach. II. malicorij tusi & cribrati drach. I. excipe melle cocto, dato mystrum ante cibum.

Pastillus cœliacis & dysentericis. Ouum crudum recens perforato & in uasculum euacuato, & cum testa subscripta mensurato, olei omphacini testam oui unam, piperis albi tenuissime triti tantūdem. gallarū omphacitidū tantundem. farinæ tritici tantūdem. Omnia subacta & mollita in pastillos redigito, & in sartagine fricta ante cibum dato. Aliud. hoc scimus multos usos à morbo liberatos esse. Gallarum subtilissime tritarum cochlearium. piperis albi, rhois rubri, malicorij tenuissime triti, singulorū tantundem. Omnia mollita oui luteo excipe, & in uacuam mali punici testam conijce, atque obturato cum farina osculo ipsius, ad prunas torre, deinde depurgata mali punici testa, cochleariū unum comedendum exhibe. Catapotia, cœliacis, dysentericis. Gallarum omphacitidum nō perforatarū drach. IIII. opij hispani drach. II. petroselini drach. I. excipe aqua, fac catapotia, & da magnitudine ciceris: uirium tamen ratione circa mensuram habita.

Aliud

Aliud Aſpaſiȷ̃,pharmacũ generoſum. Petroſelini,fructus ericæ,rhois Syriaci,opiȷ̃,ſingulorũ drach.II.cum myrti decocto in catapotia redigito,ac dato ut dictum eſt. Paſtillus ſedans dolorẽ, cœliacis & dyſentericis. Et bibitur & infunditur. Quandoq; etiã ipſo pro cataplaſmate utimur excipientes melle cocto. Seminis hyoſcyami drach.IIII.ſeminis apiȷ̃ tantũdem,aniſi, florũ roſarũ, utriuſq; drach.II.hypociſthidis,opiȷ̃,utriuſq; drach.I. Cũ aqua trita in paſtillos reducito; & obol.III.exhibeto.Febrẽ nõ habẽtibus cũ uini diluti cyathis tribus, febricitantibus cũ aqua. Aliud cœliacis,dyſentericis pharmacũ accõmodatum,& bibitur & infunditur, & forinſecus impoſitum auxiliatur. Seminis apiȷ̃,ſeminis hyoſcyami,aniſi,fœniculi,ſingulorum drach.IIII.opiȷ̃,Rhois Syriaci,utriuſque drach.II. ſucci hypociſthidis,balauſtiȷ̃,ſingulorum drach.I. excipe aqua & coge paſtillos,dato ut prædictum eſt. Paſtillus aromaticus,cœliacis,dyſentericis,Berytiȷ̃ appellatus.pharmacũ accõmodatum.Siſtit confeſtim. Croci drach.IIII.nardi Indicæ,aniſi, utriuſq; tantundem.myrrhæ drach.II.aloes Indicæ,ſucci hypociſthidis,ſucci papaueris, gallarũ omphacitidũ, tragacanthæ, piperis albi, ſingulorum tantundem.Excipe uino & forma paſtillos,dato obolos.III.

Paſtillus Philippi,ad dyſentericos inueteratos,ſedãs dolorẽ, Bibitur & infunditur. Balauſtiȷ̃,acaciæ,ſucci hypociſthidis,Rhois,opiȷ̃,thuris,myrrhæ,baccarum myrti nigrarũ,croci, gallarũ,lyciȷ̃,aloes, Rhei põtici,malicoriȷ̃,ſingulorum drach.IIII.Excipe uino Italico,& coge paſtillos pondere obolorũ III. da non febrientibus cum uino.Febrientibus cum aqua mulſa. Paſtillus ſedans dolorem,præclare inducens ſomnum. Ad inueteratos dyſentericos. Chartæ uſtæ drach.X.ſandarachæ,auripigmenti,ſquamæ æris, aluminis ſciſſi, omphaciȷ̃,calcis uiuæ,ſingulorũ drach.V.croci, opiȷ̃,utriuſq; drach.II. Singula diligenter trita in paſtillos drachmales cum uino myrtite coagmentato,ac utitor. Infunduntur ad ſummum ex eo drachmæ III. Mediũ duæ,minimũ una. In cõficiendo autem omphaciũ cum opio tibi ſit in uino myrtite maceratum.Crocus ſeorſum teratur. deinde ſimul mixta probe terito, & additis aridis unito,animaduerſione habita ne pharmacũ à calce uiua exuratur.Si tamen tale quid cõſequatur,de myrtite ſufficiẽter affunde ut omnia diſſoluantur. Oportet autẽ calente adhuc pharmaco paſtillos formare. Vſus iuxta appõderationis uariationem,fit ſecundũ quod ægri ſubtili aut hebete ſenſu prędíti,id tolerare poſſunt,& ſecundum magnitudinem affectionis. Infundito autẽ diligenter in nõ febricitantibus cũ uini auſteri diluti cyathis VI.in febrientibus cũ aqua,aut decocto palmulãrũ,aut roſarũ,aut myrti. Ante infuſionẽ detur panis nõ febrientibus cũ uino diluto. febriẽtibus ex aqua.

Alius dyſentericis non febrientibus, facit cõfeſtim. Chartæ uſtæ drach.X. ſandarachæ,auripigmẽti,ſquamæ æris,aluminis ſciſſi,omphaciȷ̃,lyciȷ̃ Indici,acaciæ, ſucci hypociſthidis, calcis uiuæ, ſingulorum drach. V.croci, opiȷ̃,utriuſque drach.II.excipe uino myrteo, & forma paſtillos magnitudine differentes.Infunduntur ad ſummũ drachmæ IIII. Infundere autem oportet quantitate pharmaci ad magnitudinem affectionis apponderata. Sitq; liquor paſſum creticũ dilutũ, & ex eo ad ſummum cyathi VI.infundantur.

Epithemata cœliacis,dyſentericis. Seminis hyoſcyami albi, apiȷ̃,utriuſque trientem,aniſi,floris roſarum,ſucci hypociſthidis,balauſtiȷ̃,Rhois Syriaci,ſingulorum ſextantẽ.ſucci papaueris unc.I.Hæc ſingula cũ uino myrteo terito,deinde miſta in paſtillos cogito, eosq; in umbra ſiccato. Inde uero quantum ſufficit tundens & cribrãs palmis paſſis excipito,deinde linteolo infarcta uentri imponito.

Aliud. Succi acaciæ,malicoriȷ̃,ſeminis hyoſcyami,opiȷ̃,gallarum,omphaciȷ̃, Rhois Syriaci culinariȷ̃, ſingulorum quadrantem,baccarum myrti nigrarum heminam

minam unam, tundito, cribrato, & uino austero subacta in pastillos coagmentato, eosq; in umbra siccato. Vsus iam ostensus est.

De affectionibus & uitijs sedis. Cap. VI

Sedis uitia & affectus ob multas causas difficilem curã accipiunt. Multo enim sensu particula hæc prædita est, dictum autẽ sæpe est eiusmodi particulas facile per acriora & austera pharmaca irritari. At uero & ipse retrimẽtorum alimenti transitus per se mordax est, & hoc magis ubi eruperit ipsa bilis, & serosi quidam aliquando humores. Quibus accedit & hoc, quod neq; statum tempus habeant medici ad imponẽda pharmaca, sed plerumq; tempore minime conuenienti ægri ad excernẽdum concitantur. Quin & humiditas ac caliditas ipsius loci, siccantibus simulq; frigefacientibus opus habens, non parum confert ad hoc ut ægre curabilis ani affectio existat: si quidem mordent adstringentia. Verum locus subtili sensu præditus, acrimoniam ferre non potest. Ob id igitur aptissima ipsis pharmaca sunt, quæ citra asperitudinem adstringunt. Qualia maxime sunt ex metallicis, quæ neq; acria, neq; acerba penitus existunt. Hæc enim lota citra mordacitatem id quod oportet operantur. Horum itaq; in summa dictorum memores, deinceps materiæ syluam experimento cognitam subscriptam habebitis.

Medicamenta Sedis seu ani ab Andromacho conscripta.

Medicamentũ sedis quo utor. Cerussæ, spumæ argenti, utriusq; drach. V. thuris, aluminis scissi, utriusq; drach. III. croci obolos III. Vini & rosacei quod satis est. Aliud ad sedem, ut Apollonius, quo utor. Lycij Indici, sextantẽ. œsypi unc. I. ceræ Tyrrhenicæ trientẽ. alij sextantẽ. Rosacei quod satis est. Aliud. Butyri sescunciam. ceræ sescunciã. medullæ ceruinæ unc. unã. œsypi, unc. I. thuris unc. I. aluminis scissi quadrantẽ. lycij sextantẽ. Vini & rosacei quod satis est. Aliud ut Nicostratus. Ceræ Tyrrhenicæ unc. I. lycij Indici sextantem. balaustij unciam dimidiã. œsypi unc. I. acaciæ unc. dimidiã. rosacei trientem.

Aliud ut Herophilus. Rosarum siccarũ aut uiridium drach. II. cerussę drach. II. pompholygis drach. II. croci drach. II. spumæ argenti lotæ drach. II. meliloti drach. II. iũci odorati drach. I. succi papaueris drach. I. œsypi drach. I. oui assati uitellum unum. Rosacei quod sufficit, succi plantaginis cyathos duos.

Aliud faciens & ad pruritus. Spumæ argenti libram dimidiam. thuris, terræ samiæ, utriusq; unc. unã. œsypi sextantẽ, rosacei sextantem. melini libram dimidiam. Arida in umbra cum uino falerno terito, œsypumq; infarcito, & affusis duobus ungentis terito ac commisceto. Aliud ad sedem quo utor, ad condylomata, inflammationes ani ac rimas. Ammoniaci thymiamatis, lapidis hæmatitę, thuris, aluminis rotundi, singulorum drach. II. gallæ, croci, utriusq; drach. I. terebinthinæ drach. I. ceræ tyrrhenicæ drach. XII. rosacei heminas IIII. excipe pessõ cum Syriaco, in reliquis cum rosaceo.

Medicamentum sedis ex cerebellis. Adipis anserini curati, ceræ, thuris, medullę cerui, florum rosarum, pompholygis, cadmię, plumbi loti, singulorũ drach. IIII. cerussæ drach. VIII. cerebri gruis drach. II. succi papaueris sesquidrachmam. œsypi drach. V. succi seridis heminam unam, rosacei heminam dimidiam.

Medicamentum sedis à Rustico, quo utor. Rosarum uiridium drach. VIII. lactis muliebris heminam unam, spumæ argenti drach. XL. succi papaueris drach. XL. oua cruda integra duo, butyri drach. XVI. œsypi drach. XVI. malicorij drach. XVI. mellis drach. C. in alio exẽplari heminã dimidiã. ceræ drach. XL. rosacei aut myrtei heminã dimidiã. Verũ Heras pro œsypo adipem anserinũ pari pondere coniecit, & spumæ argenti drach. X. lactis heminas IIII. & oui uitellum assatum.

Aliud à Tyranno. Spumę argenti sextantē. cerussæ sextantē & unc. dimidiā thuris unc. I. myrrhæ unc. I. cadmiæ sescunciā. aluminis scissi trientem. ceræ trientem. Vinum & rosaceum. Aliud Samithræ ad multa commodum. Spumæ argēti drach. XII. cerussæ drach. II. chalcitidis drach. II. misyos assati drach. I. terebinthinę drach. VI. olei & aquæ heminas IIII. Pinguis cōpositio ad Achoras & psoras. Spumæ argenti, cerussæ utriusq; drach. XXXII. atramēti sutorij drach. XVI. sulphuris uiui drach. VIII. olei myrtei & aceti quod sufficit.

Alia pinguis Galli. Spumæ argenti drach. XXIIII. cerussæ drach. XXIIII. myrrhæ drach. VIII. thuris drach. X. olei myrtei drach. XIIII. Vini austeri tantundem. Alia pinguis qua utor, Cleophanti. Olei myrtei, lentiscini, rosacei, singulorum drach. XVI. cerussæ libram unam. spumæ argenti lotæ sexuncem. Vini ueteris Italici sextar. dimidium. ceræ trientem. Alia ex nouem medicamentis constans, Enneapharmacos dicta. Mellis partem unam. ceræ albæ partem I. medullæ ceruinæ, myrrhæ, utriusq; partem unam. butyri partem unā. adipis anserini, adipis uitulini, utriusq; partem unam. terebinthinæ partem unam. olei partem unam, aliqui & ricinini partem unā. Alia Xanitæ multi usis. Ceræ drach. XVI. butyri drach. X. œsypi drach. X. adipis anserini drach. VIII. terebinthinæ drach. VIII. medullæ ceruinæ drach. IIII. Rosacei parum.

Alia ex ruta. Spumæ argenti minam unam. rutæ minam dimidiam, alij minam unam. aceti drach. IIII. olei quod satis est. Alia ad obturationes & alia sedis uitia. Plumbi usti & loti drachmas X. cerussæ drach. IIII. ceræ drach. XII. adipis porcini uel anserini drachmas IIII. olei quantum sufficit.

Ad obturationes & uitia sedis compositio Icodoti, qua Astainus curatus est. Oesypi drach. unam. obolos III. adipis anserini per hyemem curati drach. VI. per æstatem drach. IIII. medullæ cerui aut cameli drach. II. ceræ Tyrrhenicæ drach. VIII. plumbi usti & loti drach. IIII. ladani drach. II. adipis uitulini drach. IIII. terebinthinæ drach. IIII. cerussæ drach. II. spumæ argenti drach. unam. rosacei heminæ quartam partem, hoc est sesquicyathum, hoc est sextantem & unciam dimidiam. Arida cum liquidis committito. Quando uero temporis progressu fuerit induratū, dissoluito rosaceo, & adipe anserino, facit & ad contractos articulos.

Ad condylomata quo melius nullum reperitur. Aluminis scissi drachmas III. ceræ drach. VIII. croci drach. IIII. opobalsami drach. unam. œsypi drachmas VIII. thuris drach. IIII. aloes drachmas IIII. liquescibilia liquefacito ac cum aridis tritis committito.

Ad prolabentem podicem. Asclepiadę pharmaca ex V. externorum.

AD prolabentes podices ut Archelaus. Recrementi plumbi drach. VIII. Rhois Syriaci drach. VIII. floris rosarum drachmas IIII. myrrhæ Minnææ drach. II. admoue siccum, ubi prælaueris uino austero aut lentisci decocto.

Aliud, Gallæ omphacinæ, malicorij sicci, rhois coriariæ, singulorū drach. II. plumbi usti drach. IIII. Spumæ argenti drachmas VIII. trita inspergito.

Aliud, Balaustij drach. unam. malicorij drach. II. seminis hyoscyami drach. II. cerussæ drach. VIII. myrrhæ drach. II. plumbi loti drach. II. tritis utitor.

Aliud, Corticis pinus, spumæ argenti, mannæ, singulorum drach. II. pilularum cupressi aridarum drach. II. plumbaginis drach. II. trita insperge, ubi prælaueris uino acerbo.

Pharmacum nostrum ad procidentem sedem. Fructus ericæ, gallarum, acaciæ, cerussæ, succi hypocysthidis, corticis pinus, thuris, myrrhæ Minnææ, singulorum drach. IIII. arida trita insperge, uino austero prælotis locis.

De hæmor-

De Hæmorrhoidibus. Cap. VII



QVæ Asclepiades in quinto externorū de hæmorrhoidibus scripsit, in subscripto sermone continentur. Quando quidē uero plurimæ hæmorrhoides opus habent extractione ad facilem pharmacorū impositionem, necesse est etiam huiusmodi compositiones subscribere.

Extractorium hæmorrhoidū Magni Tarsensis. pharmacū accōmodatum. Piperis, nitri, utriusq; drach. I. terito & admoueto ante reliquorum pharmacorum impositionem. Aliud, Spumæ nitri, fellis tauri, staphidis syluestris, singulorum drach. I. trita adhibe, modico addito melle. Aliud, Succi absinthij drach. I. fellis tauri, staphidis syluestris, utriusq; drach. I. Aliud ut Diogenes. Succi cyclamini, mellis, utriusq; parem mensurā coquito in uase æreo, ad cerati liquidi spissitudinem. Aliud ex scriptis Largi, quod uix pronuētes extrahit hemorrhoidas. Succi cētaureę drach. II. aluminis liquidi drach. II. misyos drach. I. staphidis syluestris drach. I. excipe melle & anum obline, aut lanā ex eo madefactam in sedē inde. Postq; uero hoc pharmacū promptitudinē induxerit ad egerendum, & tumor hæmorrhoidarū prociderit, pharmaca ad hemorrhoidas conscripta adhibeto. Quando uero aliquod huiusmodi pharmacū illitū sedem ac anum ipsam extrahit, necessario tales confectiones adhibemus, qualis est & Nicodemi Romæ medicantis, quæ Euaphion à lenitudine appellatur. Cerussæ unc. I. spumæ argenti quincuncē. cadmiæ bessem. aut pompholygis unc. I. olei myrtei bessem. Vini boni bessem. butyri unc. I. Ad sedem inflammatā ac prolapsam. Gallam flauā coctam ac tritā imponito, cum uino si fortiore uti uelis, aut cū aqua si mitiore. Succus item Echini facit ad inflammationes & prolapsam sedem.

Aliud, Corticis pinus drach. VIII. pilularū cupressi aridarū drach. II. prælotis uino austero inspergito. Cæterū ad ardentes sedis dolores, oui assati uitellum ul no albo terito, & cerato myrteo exceptū illinito. Verū ad pruritus cimoliam tritam cerato myrreo excipito. Ad rimas uero tum sedis, tum pudendi, rasuram linteolorum urito, eiusq; cinerem cum pari amylo tritum succo foliorum oleæ ammixto, illinito. Pastillus ad eminentias. Aloes, croci, utriusq; drach. II. & dimidiam. aluminis scissi unciam unam. terito uino Aminæo ac utitor.

Ad pudendorum affectiones. Cap. VIII



EXulcerati pudēdi cognitio ex manifesto circa ipsum dolore cōtingit, una cum hoc quod & circa mictiones excernitur quid ex corpusculis ulceri ipsi insidentibus. Discernuntur autem hæc ab eis quæ ex uesica feruntur, quod statim circa primū exitum illa appareant, uerū ex uesica delata ipsis urinis ammixta sunt. Cæterū ulcera pudendorū & circa sedem citra inflammationē cōsistentia, resiccātibus ualde indigēt pharmacis, qualia sunt, quod ex charta usta constar, & anethū ustum siccū, & cucurbita usta. Verum siccis & recentibus ulceribus, etiam aloe bonum est pharmacū, si eius aridæ puluillus inspergatur. Omniū autē maxime dolorem sedat, neq; ullo minus efficax est pompholyx, Si uero humectiora sint ulcera, pinus cortex per se, & lapis hæmatites, uerū si profunda etiā sint ulcera, manna prædictis addatur. Porrò quæ circa uterum aut uesicam sunt ulcerationes, ijsdem pharmacis indigent, sed instrumentis insuper opus habent, quæ ipsa intromittant, quæ metrenchytæ & Catheteres Græcis appellantur. Aptiora itaq; sunt arida qualis est crocus, & pompholyx, & aloe, quæ facile plantaginis aut alteri tali succo miscentur.

Ad Scroti & pudendi dolores. Butyro & resina pari mensura utere. Aut semen lini cum aqua coquito, & ammixta myrrhæ fermè decima parte, & resinæ tantundem imponito. Ad pudendum intumescens. Foliorum uitis tenerorum

rorum drach. I. cerussæ drach. V. trita cataplasmatis uice impone. Vtere etiã maris aquæ frigidæ perfusione, & quiete, & colis religatione. Aliud. Lenticulam in aqua coquito, & cum mali punici cortice tritã imponito. Si uero à sudoribus ulcera in scroto fiant, gallã tritam cum alumine inspergito. Ad tubercula uero in pudendis nascentia piri semen inspergito, & fel hircinũ oblinito. Cæterum fissuras ac rimas pudendorũ iuuat resina fricta cũ rosaceo trita ad strigmentitiam crassitudinẽ, ammixto etiã oui assati uitello. Aut rosacei, & amyli, ac thuris, singulorũ uncia una. Aut foliorũ hederæ aridorũ ustorum cinis cum oleo in mortario plumbeo tritus. Ad inflãmationes aũt pudendorũ, uuam passam exacinatam, & cuminũ, trita imponito. Aut farinã ordeaceã aqua mulsa coquito, & uitis folia tenera cum polenta terito, omniaq; simul imponito. Aut cuminum tritũ, cum butyri & resinæ æqualibus partibus eliquatis cõmittito. Testiculos porro ulcere aphthæ non absimili apprehensos, ex terra cimolia cum aqua oblinito, & exsiccati finito, Indeq; aqua calida ablutos myrto arida trita & modico smyrnio item trito conspergito. Excrescentẽ uero testium carnẽ cinis sarmentitius cum nitro & aqua subactus sanat cataplasmatis uice impositus.

De priapismo. Cap. IX



Riapismus est auctio pudẽdi stabilis in longitudinẽ ac orbem tumefacti, citra rei Venereæ appetentiã. Est autem flatus uentosus uidelicet qui membrũ ipsum tumefacit, ex humoribus uiscosis ac crassis generatus per moderatã caliditatem. Palam est igitur non oportere membra ipsa calfacere, sed refrigerare leniter per ceratũ rosaceũ in aqua conquassatũ, itemq; per chamæmelinũ ceratũ tum pudendo, tum lumbis impositũ. Victus & pharmaca exhibeantur attenuatoriæ facultatis citra manifestã calfactionẽ. Adhibenda sunt etiam naturali efficacia prædita per experientiã inuenta, nymphæaq; in potu danda ac uiticis semen, Ruta etiã uiridis obsonijs ammisceatur. Verum hoc à principio ne fiat, multũ enim calfacit, sed posterius post aliorũ extenuantium usum. Quod si euacuatione uti libeat, per uomitũ id fiat. Quæ enim per inferiorẽ uentrẽ fiunt euacuationes, sæpenumero uicinas partes fluxione infestant.

Ad eos qui se in somno permingũt. Vesicã caprinã aut ouillã ustam ex posca bibendã præbeto. Et ad uesperã siticulosos somnũ petere iubeto. facit & leporis testiculus in uino odorato feruefactus, atq; ita potatus. Aliud. Calaminthã & myrrham in uino ante cœnam bibenda dato. Oblinat autem & pudendum cimolia terra cum perdicij succo.

Ad uteri affectus. Cap. X



N uteri suffocatione contingit sensus ac motus priuatio, & pulsus obscurus ac paruus, & penitus interceptus. In aliquibus uero tũ sensus, tum motus adest, itemq; ratio, uerũ uix respirant. Aliquibus etiã uox intercipitur. Alijs contrahuntur artus. Fiunt igitur & sensus & motus & spirationis interceptiones ob frigiditatẽ, quum ipsæ sola perspiratione totius corporis per arterias contingẽre contentæ sint, & respirationem per os nõ expetant, atq; hoc ut dictum est ob frigiditatem, Quando sanè in priori tempore probe purgatæ, & concipientes, ac uiris coeuntes, his ipsis priuatæ fuerint, ut palam sit humidum & frigidum in ipsis semen totum corpus perfrigerare. Ad uulue igitur strangulatus conuenit agarici drach. I. in potu accepta ex uino, Plantaginis semen & succus cum uino. Onyx detractus ex conchylio potatus. Acetum scilliticum absorptũ. Cæterũ olfactu excitant strangulatas, bitumen, castorium, galbanum, pix liquida, cedria, pili usti, ruta, allium, cepa. Eandem in rem & cornu ceruisuffitur. Et ruta cum melle lana excepta, in anum inditur.

Finis Noni libri.

CAPITA DECIMI LIBRI.

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM locos Liber X. Iano Cornario Medico interprete.

De Nephriticis. Cap. I



VOD Nephriticas antidotos & compositiones appellent quæ renibus affectis cōmodant, ex ipsa appellatione manifestū est, Nephriticæ enim nihil aliud quàm renales sonāt. Est autem differentia ipsarum generalissima duplex, Quædam enim calculosos renes iuuant, Quædā uero inflammatos & ulceratos, quę etiam ad uesicā similiter affectam conueniunt. Maxime uero cōtrariæ inter se sunt prædictorum pharmacorū facultates. Quæ enim ad inflammatas & ulceratas affectiones componuntur, mitigatorijs medicamētis opus habent. Quū uero impossibile sit hæc cito ad regiones renū peruenire, ob id ipsis pharmaca urinam ciētia miscemus. Quæ uero calculosis auxiliantur, unica facultate indigent, quæ secare & extergere cū manifesta caliditate potest. Sunt autē talia ferè omnia amara. Quemadmodū igitur in alijs, sic etiam in his materiā experimento cognitam deinceps subscribam, initium ab his quæ ad ulceratas & inflāmatas affectiones conueniūt facturus, à quibus etiam Andromachus & Asclepiades orsi, inde ad compositiones calculos frangentes transierunt.

Cōfectiones renales ab Andromacho ad renū & uesicę affectiones cōscriptę.

Potio. Seminis lini, seminis papaueris albi, seminis cucumeris, tragacanthæ, singulorū drach. II. amyli drach. IIII. cum aqua in pastillos redigito, & ad uesicam ulceratam ac urinæ emittēdæ difficultatem exhibeto. Alia, Nuces pineas. XXX. amygdalas. XX. palmas quindecim, tragacanthæ drach. IIII. succi radicis dulcis drach. II. croci obolū. I. myrrhæ obolum. I. uino protropo diluito ac utitor ut accommodaro. Alia. Ad uesicæ affectus & ulcerationes pastillus quo utor. Seminis cucumeris drach. XII. seminis hyoscyami drach. VI. seminis cicutæ, opij, fœniculi, croci, singulorū drach. III. cassię drach. IIII. amygdala. X. nuces ponticas. X. seminis apij drach. VI seminis maluæ syluestris drach. III. Excipe passo cretico & præbe obolos. III. nō febrientibus ex passo. Quidā cicutæ drach. VI. habent. Alia, ad eadem & uesicæ dolores. Croci, seminis besasæ, hoc est, rutæ syluestris, seminis maluæ syluestris, singulorū drach. VI. seminis hyoscyami drach. XII. opij drach. VI. seminis apij drach. XII. nuces auellanas. VIII. amygdalas. XX. seminis cucumeris drach. XII. Mellis Attici quod satis est. Datur magnitudo nucis ponticæ cum uini mulsi cyathis. III. Alia, ad profluuia sanguinis ex uesica. Aluminis drach. I. tragacanthæ drach. II. gummi obulum unum. Dato ex passo quandoq; obolū unum, quandoq; duos. Alia, ad uesicæ affectiones urinam ciens à Macedone profecta, facit & ad hepaticos, hydropicos, ictericos, nephriticos, ac omnia uesicæ symptomata, frangit etiam lapides. Acori drach. L. phu drach. XXV. nardi celticæ drachmas XXIIII. seminis dauci drach. XXII. cinamomi drach. XXXII. mei drach. XVI. asari drach. XXIIII. petroselini drach. XVI. opobalsami drachmas XVI. & carpobalsami tantūdem. croci drach.

XXIIII. myrrhæ drach. XX. radicis dulcis drach. XVI. nardi Indicæ drach. XVI. cassiæ drach. XII. amomi drach. XVI. uuæ passæ drach. VIII. tragacanthæ drach. IX. Arida melle excipito, & tragacanthum uino amineo macerato. Dato nucis ponticæ magnitudinem cum uini cyath. IIII. febricitantibus cum aqua mulsa.

Alia ad uesicæ ulcera & inflammationes. Nuces pineas. XX. seminis cucumeris syluestris grana. XL. amyli obol. III. nardi drach. I. seminis apij cyath. II. Nardus & apium in aquæ sextario uno coquütur, deinde ex decocto duo cyathi præscriptis ammiscentur. Alia ad calculosos, qua Bassa uxor Marij curata est. Frangit ita ut neq; rursus gignantur. Cassiæ drach. II. seminis apij drach. III. myrrhe minnęę drach. IIII. piperis albi drach. II. thuris drach. III. lapidis syriaci masculi drach. I. aut fœminæ drach. I. seminis pastinacæ, anisi, utriusq; drach. II. styracis drach. III. iridis Illyricæ drach. III. seminis papaueris albi drach. II. spicæ nardi tantundem. amygdalarũ amararum mundarum, asari, utriusq; drach. III. seminis smyrnij, cyperi, utriusq; drach. II. mellis Attici quod satis est. Dato quotidie.

Alia ad calculosos frangens & paulatim expellens, donec mundã uesicam reddat, deinde æger pellucida lotia reddet, & quod maximũ est, curat ut nõ amplius renascantur. Seminis dauci, anisi, seminis cucumeris, petroselini, myrrhæ, singulorum drach. VI. cassiæ daphnitidis, cinamomi, nardi celticæ, singulorum drach. IIII. Terito & cum aqua ad parui lupini quantitatẽ coagmentato, & ieiunis quotidie per dies. XXX. ex aquæ cyathis tribus præbeto. Hoc uero pharmacũ quẽadmodum accepimus, cum quadam religione præparatur. Ligneo enim mortario ac pistillo tunditur, oportetq; eum qui tundit neq; anulum habere ferreũ, neq; calciamenta clauis ferreis transfixa. Hoc à rustico ut Mysterium accepimus.

Alia ad nephriticos & omnem fluxionem, ut Apollonius. Corticis mandragoræ tosti sesquidrachmam, anisi tosti sesquidrachmã. tragacanthi, carnis palmarum, utriusq; drach. III. dato cum melle.

Nephriticæ compositiones ab Asclepiade conscriptæ.

ANtonij Musæ. Fructuum pini, qui pityides uocantur, tusorum & cribratorum drach. XX. seminis papaueris albi, tragacanthæ, utriusq; drach. II. Nardi celticæ, croci, anisi decorticati, radicis dauci Cretici, singulorũ drach. I. costi obol. III. præpara cum protropo, & repone in pyxide, da nucis ponticæ magnitudinem cum protropi cyatho I. & aquæ calidæ cyathis duobus.

Alia, Seminis cucumeris satiui tosti drach. III. seminis maluæ drach. V. nucum pinearũ drach. VI. seminis apij, drach. VII. seminis lini drach. I. amygdalarum amararum mundatarum drach. IX. excipe passo, & exhibe ut prædictum est.

Alia ad Nephriticos Onesidemi. Amygdalarũ amararum drach. XVI. seminis dauci cretici, seminis maluæ, utriusq; drach. VI. radicis iridis syluestris drach. VIII. cornu ceruini usti, tragacanthæ, nardi celticæ, seminis cucumeris satiui, singulorum drach. VI. passi quãtum sufficit. præpara ut dictum est. Aliud pharmacum accommodatum. hoc scimus multos Nephriticos usos esse, & à tota affectione penitus liberatos. Oportet per multos dies in pharmaci huius usu perseuerare. Datur & calculosis, & colicis medetur, ac uesicæ affectibus. Componitur hoc modo. Nucum ponticarũ purgatarum, amygdalarũ amararum mundatarum, seminis cucumeris repurgati, singulorũ drach. III. seminis cicutæ, croci, seminis maluæ, opij, singulorũ drach. VI. seminis hyoscyami albi, seminis apij, utriusq; drach. XII. Cogito in pastillos cum melle, ac dato obol. III. cum aquæ mulsæ cyathis. III. In alio exemplari & besasa, hoc est, seminis rutæ syluestris drach VI.

Ad callosas in renibus concretiones, Onesidemi. Symphytũ, & sion, & Artemonium cum uino coquito, et expressi liquoris cyathos. II. cum pari aqua dato

Aliud, Maluæ syluestris radicem, & rutæ syluestris radicem, & apij montani radicem

radicem coquito, & eo qui dictus est modo exhibeto. Aliud ad calculosos insperfile. Seminis balsami partem unam, lapidis qui in spongijs reperitur tantundem, pulegij aridi, seminis maluæ syluestris, ocymi aridi, singulorum tantundem, Tusa & cribrata reponito, & dato cochleariũ cũ uini diluti cyathis duobus.

Aliud, Struthij radicis partem unam, iridis syluestris siccæ tantundẽ, oxallidis siccæ tantundẽ, fremij luteum florem habentis sicci tantundẽ. Tusis cribratis ut dictum est utere. Catapotia Heraclidæ Tarentini. Dissoluunt uesicæ tofos, commodant & ad uesicæ stillicidiũ. Piperis, galbani, utriusq; drach. I. succi lybici drach. II. myrrhæ drach. IIII. protropi quod satis est. Forma catapotia ciceris magnitudine, & III. deuoranda dato, & passi cyathos. II. insuper bibendos.

Aliud, Ammoniaci Thymiamatis, piperis, spumæ nitri, singulorum drach. I. carpobalsami drach. II. myrrhæ drach. IIII. excipe protropo, & forma catapotia ciceris magnitudine ac tria deuorãda dato, ita ut uini dulcis quadrantem insuper propines. Hoc ad dies quadraginta octo, ægro præloto facies. Pastillus ciẽs urinam. Detrahit lapillos & tofosas concretiones. Asari, petroselini, phu, Mei, singulorũ drach. IIII. acori, seminis anisi, seminis dauci, apij montani, carpobalsami, tragacanthæ singulorũ drach. II. Tragacantham passo dissolutã aridis adjicito, & pastillos formato, Indeq; obol. III. cum passi diluti cyathis. II. exhibeto.

Alius pastillus Chariclis. Educit arenosas subsidẽtias. Facit ad affectiões ulceratas. Seminis apij, petroselini, anisi, singulorũ drach. XVI. floris iunci odorati, croci, tragacãthe, singulorũ drach. VI. seminis dauci Cretici, piperis albi, utriusq; drach. IIII. præpara ut dictũ est; & da drach. I. cũ protropi diluti cyathis tribus.

Antidotus ex lapidibus, ut Mithridates. Facit Nephriticis & ad uesicæ affectus, attent calculos, & tofos dissoluit. Seminis smyrnij, cyperi, spicæ nardi, seminis papaueris albi, cinamomi, cassiæ fistulæ, piperis albi, seminis pastinacæ, singulorum unc. I. Thuris non secti, seminis apij, croci, styracis iridis, amygdalarũ amararum, acori, singulorũ sesquunciã. lapidis Syriaci fœminæ aut masculi, utriusq; semunciã, myrrhæ Minneæ sextantẽ. Excipe melle. Datur nucis ponticæ magnitudine. Alia Antidotus Bienitæ, pharmacũ accõmodatum, sedans dolorẽ, utile & Nephriticis, hoc est, renalibus affectionibus, & ad uesicæ ulcerationes. Frangit lapides, & tofos per urinã expellit. Iridis drach. IIII. mei, seselis, chamædryos, hyperici, cneori, canchryos, singulorũ tantundem, amomi drach. VIII. cinamomi drach. XII. rosmarini montani, nardi Indicæ, croci cilicij, petroselini, polij, seminis rutæ syluestris, dictamni cretici, singulorũ tantundẽ, glycyrrhizæ, lapidis Syriaci masculi, utriusq; drach. XVI. thlaspeos drach. XXIIII. seminis uiticis, myrrhæ, sphondylij, singulorũ tantũdem. Cardamomi drach. XLVIII. excipe melle cocto, & præbe nucis ponticæ magnitudinẽ cum uini mulsi diluti cyathis quatuor.

Quæ Archigenes ad Renum affectiones scripsit in secundo pharmacorum secundum genus.

EX renibus laborantes Nephriticos appellatos, conuenienti diæta adseruo. Et Ceratũ quidẽ Rosaceũ cum styrace ad malagmatis formã redactũ impono. Cæterũ Antiochus apud phricen Linophobum, ualde iuxta naturalem conriarietatẽ auxilio fuisse ait, ad mali euersionẽ, Prototomi caulis decocti cyathos duos ieiuno ad dies nouem exhibitos. Inspergito autem salem modicum & magis proficies. Alia potio. Foliorum rosarum, amygdalarum decorticatarum, thuris, æquales partes, capitum papaueris duplum. Excipe protropo, & in uas fictile repone in loco non humecto, & obolos duos cum protropo exhibe. Quidam pro amygdalis, amylũ conijciunt, & pro protropo aqua excipiũt, uerũ cum protropo bibendum exhibent.

De Ischiade coxendicum morbo, podagra, & morbo articulari siue arthritide. Cap. II



X genere Arthritidis est tũ Ischias, tũ podagra, Quod enim in omnibus articulis Arthritis est, hoc in uno iuxta coxendicem quidẽ Ischiada, hoc est, coxendicum morbum appellant, Iuxta pedem autem podagram. Incipit igitur plerumq; podagræ generatio ex uno articulo, & progreditur in omnes, temporis diuturnitate accedẽte. Communem habent hi tres affectus humoris redundantiam, quę affectam occupat coarticulationem, qua expleta in omnem partem circumsitæ neruosæ particulæ tenduntur, & ex his dolor oritur. Aliquando quidem igitur irruens humor sanguineus est, ut plurimum uero pituitosus, aut ex pituitoso & biliosο mixtus, aut etiam sanguine cum ipsis permixto. Quod si quis exactius interpretari rem uelit, nõ pituitosum humorem, sed qui proprie crudus appellatur, ut plurimum circa arthritidas prædominari dixerit. Est autem hic crassus ad similitudinem puris crassioris. Vbi uero in ipsis articulis diutius moram traxerit, nõ solum crassior sed & uiscosior redditur. Qui igitur tosi seu calli appellantur, horum generatio ex his est, & postq; fuerint producti, ne sperауeris ad pristinam constitutionem exacte redire articulum posse. Cæterum differentiæ affligentium humorum facile deprehendi possunt, tum coloribus, tum symptomatis coincidentibus, Itemq; per experientiam pharmacorũ quę adhibentur. Cognitio igitur ipsorum ex colore omnibus exposita est, ex symptomatis uero & accessionibus coincidentibus, tametsi nõ omnibus, neq; ex procinctu manifesta sit, tamen non adeò difficilis cognitu existit. Biliosus enim sanguis multæ caliditatis sensum ægroto exhibet, & calfacientibus impositis exacerbatur, quemadmodum rursus à frigidis relaxatur. Verum ad humoris noxij cognitionem conferet tibi etiam prægressa diæta, siue per exercitia, siue per otium transmissa, & per balnea post, aut ante acceptum cibum. Quemadmodum cõferet etiam horũ gymnasiorum & eduliorũ tum quantitas, tum qualitas, Item anni hora, & Regionis ac aeris constitutio, Insuperq; et ætas, & habitus corporis, quorum omnium facultates sæpe in plerisq; locis enarraui. Porrò principium curationis sit tibi euacuatio humoris affligere reperti. Si quidem humoribus ex æquo redũdarit corpus, Venæ sectione primum omnium assumpta, deinde purgatione, quibus accedat pharmacorum dicendorum conueniens, & tempore, & ordine usus, Ita ut in manibus & pedibus pharmacis fluxionem repellentibus utamur, circa coxendicum uero iuncturam id facere uitemus. Quum enim in profundo ea sita sit, sanguis ex uicinis & ambientibus uasis ac musculis ad illam concipitur. Mitigatorijs igitur in principio medicamentis opus est in dolore circa coxendicem hærente, quæ neque refrigerent multum, neq; fortiter calfaciant, qualibus sanè postea opus habet. Exacerbantur enim per ipsa fluxiones, caliditate nimirum plus attrahente ipsas quàm impediente, Quandoquidem uero præsentis operis institutum est neq; de cataplasmatis, neq; de irrigationibus quicquam dicere, sed de methodo compositorum pharmacorum, ad hanc solam progrediar, initio ab Ischiade sumpto. Raro equidem fit Ischias siue coxendicum dolor ex sanguinis multitudine, & citissime curatur, uenis circa poplitem aut talos sectis, Quemadmodum autem sæpe sola sanguinis euacuatio sufficiens auxilium existit, Sic contra in omni coxendicum dolore, & præsertim eo qui ex humorum copia exortus est, si quis ante euacuationẽ totius corporis, acribus pharmacis circa partem affectam utatur, ægre curabilem reddet affectionem, copia nimirum indissolubiliter ibidem condensata. Præter alia enim, & crassa & uiscosa fit, ob calorem & siccitatem acrium pharmacorum non dissimile quippiam as-

fationi perpetiens. Tanquam igitur maximam uim ad affectionis curationẽ habeat totius corporis euacuatio, ab ipsa incipiendum est, non solum à cruribus, sed & à cubito primum sanguinis detractione facta. Auxiliantur etiam uomitus ipsis Ischiadicis, magis utiq; quàm euacuationes inferne per uentrem, ut qui reuellant deorsum repentem humorem. faciendi itaq; sunt uomitus in principio ab accepto cibo, postea uero etiam per uomitoria medicamenta, initio à mediocribus facto. In quibus aũt uehemens humorum densatio, quæ ægre dissolui potest, à medicis intempestiue acribus pharmacis utentibus facta est, his cucurbita affixa maxime auxiliatur, & purgatio per efficaciora infusa, quale est & quod ex colocynthide constat. Si igitur ea quæ nunc dicta sunt pre oculis habueritis, medicamentis sanè à prioribus medicis traditis iuxta Methodum utemini. Verum in ipsis recensendis auspicabor ab his quæ ab Andromacho scripta sunt, in illa parte libri de externis pharmacis conscripti, in qua præscriptis malagmatis proprie appellatis, inde etiã alia omnia prodit, iuxta quẽcunq; tandẽ modũ inueteratas affectiones iuuantia, in quibus est etiã Ischiadicorũ appellatorũ cura.

Compositiones ab Andromacho conscriptæ ad Ischiadicos.

Seminis rutæ syluestris drach. IIII. silphij drach. IIII. spumæ nitri drach. IIII. baccarum lauri drach. IIII. abrotoni, colocynthidis medullæ, cardamomi, ammij singulorum drach. IIII. rutæ uiridis minæ octauã partem. Quidam horum singulorum drach. XX. accipiunt, & picis, terebinthinæ, myrtei, ceræ, singulorũ tantundem. adipis taurini, tantundem. galbani drach. VI. ammoniaci thymiamatis drach. VI. opopanacis drach. IIII. sulphuris uiui drach. IIII. Quòd hoc pharmacũ fortiter calfactoriũ sit, si memoria tenuerimus ea quæ in libris de simpliciũ pharmacorũ facultate scripta sunt, nihil opus recentiore assertione. Est enim uehementissimũ & calidissimũ medicamentũ syluestris rutæ semen, & cum eo silphium, & baccæ lauri, deinde spuma nitri. Post hæc abrotonum, indeq; colocynthis, & cardamomũ, & ammium. Ruta etiam uiridis minus quidem his, non tamen contemnendam habet caliditatem, quemadmodum neq; sulphur uiuũ. Ex profundo itaq; attrahere omnia hæc possunt humores articulum & iuncturam coxendicis uexantes. Quo uero Emplastrum ex ipsis fieret, picem & terebinthinam, ac myrteum, & ceram, ac adipem ammiscuit is qui pharmacũ composuit. Verum Ammoniacum thymiama, & galbanũ, ultra hoc quod conferunt ad emplastri compositionẽ, etiã emolliendi ac mitigandi uim quandam habent. Opopanax uero eiusdem cum ipsis est generis, sed fortiori facultate præditus. Alterã porrò compositionem ad eandem affectionẽ Andromachus sic scripsit.

Aliud Malagma ad Ischiadicos, & alia multa. Ceræ drach. LXXII. terebinthinæ drach. XLVIII. ammoniaci thymiamatis drach. XXXIII. propolis drach. XLIII. galbani drach. XXXVI. bdellij drach. XXV. croci drach. V. opopanacis drach. XII. spumæ nitri, drach. XXX. ungento irino admoto tundito.

Aliud Protæ pelusiotæ, ad Coxendicũ & capitis dolorẽ, & ad omnes diuturnos dolores. Ceræ drach. XXIIII. ammoniaci thymiamatis drach. VII. terebinthinæ drach. VII. succi thapsiæ drach. VIII. olei cyathum unum. Quin & aliã compositionẽ inter malagmata Andromachus retulit hoc modo.

Ad Ischiadicos ab Hera Cappadoce. Picis liquidæ heminas. III. aut duas & dimidiã. ceræ li. I. resinæ pini li. I. nitri sesquilibrã. sulfuris uiui lib. I. staphidis syluestris sexta. I. pyrethri lib. dimidiã. fecis uini ustæ lib. II. cardamomi sextar. I. galbani lib. dimidiã. arida cum liquidis cõmittito. Hoc pharmacum etiã ipse Heras in proprio libro prope finẽ scripsit, sed non appositum est ad picem, aut duas & dimidiam, sed simpliciter scriptum est heminas tres. Præscripsit autem hæc uerba.

Ceratum ad Ischiadicos, quod eruit etiã ualde inueteratas affectiones; hoc usus sum in Frontino. Scripsit autẽ & alias duas Ischiadicas cõpositiones Heras, quarum altera hoc modo habet. Ad Ischiadicos ualde mitigatoria. Picis partes duas, sulphuris uiui partem I. utraq; trita mixta dolenti loco imponito, uerũ prælauare ægrum oportet, & superne chartã superponere, ac sinere donec sua sponte dilabatur. Licet etiã lauare charta suprapostia adhuc incumbente. In quibusdã exemplaribus, picis pars una habetur, & licet etiã sic præparare, modo sciamus nos efficacius esse ambo pari mensura misceri, debilius uero pharmacum, in quo duplum picis ad simplum sulphuris cõijcitur. Porrò quæ restat adhuc tertia compositionum Ischiadicarum, hoc modo ab Hera prodita est. Alia Ischiadica, hac usus sum in Frontino, statim in exacerbationibus. Ceræ drach. C. uisci querci ni drach. XVI. myrrhæ drach. VI. terebinthinæ drach. XXV. galbani drach. VI. iridis Illyricæ drach. VI. cedriæ heminã dimidiã. cyprini heminã dimidiam. Ceram & cedriam cum cyprino liquefacito, deinde resinã & galbanum, atq; ubi iam ab igne auferre uoles iridem inspergito, itemq; uiscũ indito. Ablata aũt iam olla, in promptu sit tibi myrrha trita, ad quã liquefacta diffundes, & mixtis simul omnibus uteris. Quidam supra hæc omnia etiam Nitri drach. V. addiderunt.

Quæ pharmaca Asclepiades in quarto externorum prodidit, Quæ Marcellæ inscribit.

NOminat equidem & hic omnia huiusmodi malagmata, apponit autẽ alijs quod ad Ischiada, alijs quod ad splenẽ, alijs ad latus, aut aliam aliquã partẽ conducãt. Quædã etiã uarij usus esse ait. Quemadmodũ etiã hoc scriptũ ab ipso in hæc uerba. Malagma Antiochidis, splenicis, hydropicis, Ischiadicis, arthriticis. Præparatũ est Fabullæ Libycæ. Ceræ libras III. uisci quercini lib. III. resinæ terebinthinæ lib. III. retrimenti ab expressa myrobalano reliqui lib. I. spumæ nitri lib. I. floris lapidis Asij li. I. ammoniaci thymiamatis li. I. olei cyprini lib. III. Acetũ ad ammoniacum dissoluendum. Post hoc scribit rursus aliud sic. Aliud Fabullæ compositũ ualde præclarũ, ad easdem affectiones. myrrhæ stactæ lib. II. bdellij onychis lib. II. medullæ ceruinæ lib. II. ammoniaci thymiamatis lib. II. iridis illyricæ lib. II. opopanacis lib. I. galbani, styracis, utriusq; lib. I. mastiches lib. I. floris lapidis Asij lib. I. succi sycomororum lib. I. canchryos lib. I. piperis albi lib. I. ceræ terebinthinæ, utriusq; lib. V. tundendum est pharmacum, ita ut qui tundit fecem ungenti irini adhibeat, quo mollius pharmacum fiat. Aliud deinceps Asclepiades scripsit hoc modo. Malagma quod & aurei coloris appellamus. Auripigmenti auricoloris, calcis uiuę utriusq; sextantem. aluminis liquidi & scissi utriusque sextantem. Arida tundimus & cribramus, & in pilam coniectis, aceti cyathos VIII. affundimus, & probe trita liquefactis excipimus. Sunt autem hæc. Ceræ, resinæ frictæ, & pinus, singulorum lib. II. olei cõmunis cyath. VIII. hæc liquefacta frigefieri sinimus, & erasa tritis ammiscemus. Nos ad pharmaci preparationem etiã myrrhæ sextantem addimus. Alij etiã sandarachæ sextantem apponũt, aluminis liquidi sextante sublato. Nos aũt coniectis omnibus præscriptis conficimus, & fit efficacius. Post præscriptũ aliud subdidit hoc modo. Hoc usus est Andromachus: facit splenicis, hydropicis, & ad præcordia distenta. facit Ischiadicis, arthriticis, & ad inueteratos affectus. Ceræ, picis bruriæ, utriusq; lib. II. Nos, pice resinam frictã indimus, resinæ pinus lib. I. olei cyath. VIII. auripigmenti auricoloris, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorũ sextantẽ. Præpara ut dictũ est. Nos apposuimus ad pharmacũ myrrhæ sextantẽ, uisci quercini trientem. Post relata alia quædam ad hydropicos & splenicos recenset, & inde rursus multi usus compositionem tradit, quam etiam Ischiadicis conuenire ait, hoc modo.

Andreæ

Andreæ Malagma. Cōpositio admiranda ad ea quę uelis perforare, dissolue re, expurgare, & uelut excolare, educit ossa corrupta, aculeos, & infixa. Descriptum est etiā à Serapione Empirico. Facit & ad Ischiadicos, cōmodum est suppuratis, facit & ad induratas uiscerū affectiones. Est & acopon bonū diutinis resolutionibus, & distortis corporis particulis. Facit etiam ad corrosa ac corrupta, educit em̄ aliena, & ulcus ad cicatricē pducit. Grani Cnidij purgati, nitri rubri, salis ammoniaci, aristolochiæ creticæ, radicis cucumeris syluestris, terebinthinę, singulorum drach. XX. piperis rotundi & longi, ammoniaci Thymiamatis, & ut quidā uolunt, amomi & xylobalsami, singulorū drach. X. thuris masculi, myrrhę, resinæ siccæ, uisci subacti, singulorū drach. X. succi mororū drach. X. ceræ drach. XXX. adipis caprini drach. XV. fecis ungenti Irini quantū satis excipiendis erit. Arida tunduntur & angustissimo cribro excernuntur, Liquescibilia uero singulatim diligenter tunduntur, deinde omnia simul miscētur, ac rursus tundūtur admota Irini fece. Deinde ubi probe fuerint unita emollita reponimus. Quod si ue lis acopo uti, accipe pharmaci quadrantē, adipis anserini quadrantē, olei cyprini quadrantem, ac mixtis utitor. Postea uero consequenter sic scripsit.

Aliud ad easdem affectiones. Pyrethri drach. XX. grani cnidij, spumæ nitri, utriusq; drach. XX. salis ammoniaci, aristolochiæ creticæ tenuis corticis, radicis cucumeris syluestris, terebinthinę, singulorū drach. XX. piperis rotundi & longi, ammoniaci thymiamatis, bdellij, xylobalsami, thuris, myrrhæ, cardamomi, amomi, adipis caprini, resinæ siccæ singulorum drach. X. ceræ drach. XXX. Visci probe subacti drach. VIII. succi mororū drach. VIII. fecis ungenti Irini quod sufficit his excipiendis. Vini Italici quod satis est. Maceratis his quæ dissoluere oportet, pro more apparato. In alio exemplari neq; xylobalsamum neq; Cardamomum, neq; Amomū reperi. Post hæc alia pharmaca prodidit, & deinde rursus Ischiadicorū meminit sic scribens. Aliud eiusdem Epithema. Ischiadicis & arthriticis auxiliatur confestim. Fœnum græcum in uas fictile conjicito, & ad ipsum poscam sufficientē affundito, & prunis impositum donec dissoluatur coquito. Ad dissolutū uero mellis quod satis est inijce, ac rursus coque, deinde exempta diligenter tere, & in linteolum infarcta locis affectis impone, fasciaq; obligatos sine. Hoc autē ad biduum & triduū facimus. Cæterum si in terendo pharmacum induretur, ex liquore quantum sufficit addimus, liquor autem tantus sit, ut tractile cataplasma reddatur. Aliud quod cōtinenter ad prædicta sequitur, hoc modo. Symphyti sesquilibram rasam, & minutim concisam, ac in mortariū testaceum coniectam, diligenter terito, & ad tritam mannæ quadrantem addito, atq; ouorū crudorū recentium trium numero candidum unà cum luteo, & rursus terito, & ubi unita fuerint, his adipis suilli ueteris lib. I. adijcito, & conquassata diligenter atq; in linteolum infarcta imponito. Mitigat confestim. post præscriptum, aliud deinceps scripsit hoc modo. Aliud eiusdem Malagma, Ischiadicis statim in irritationibus imponitur, appellatur Didymæa, facit ad attrita, & omnem neruorū per consensum affectum. Dissoluit omnem duritiem. facit etiā ad alias inflāmationes. Delet malignas cicatrices, facit ad luxata & collisa. facit & ad mamillarum affectiones malignas. Ceræ, uisci quercini, terebinthinæ, iridis siccæ, myrrhæ, galbani, singulorū drach. XLVIII. olei cyprini aut ungenti Aegyptiaci quod satis est. Galbanū in oleum cyprinū, aut ungentum Aegyptiū conie ctum, ad ignē dissoluimus, & cerā mollimus, ac reliquis mixtā probe tundimus, atq; his galbanū liquefactū cū cyprino inijcimus, ac rursus tundimus, malagma lenissimū tactui reddēdo, quo utimur. Cōsequēter etiā hoc Asclepiades subdidit

Aliud eiusdem ex Ario. Facit ad colicos supra quàm dici potest, in ipsis uexationibus impositū, & psoras curat citra exulcerationē. Ceræ, picis liquidæ, utriusque

usq; lib.I.sulphuris uiui,aluminis scissi,nitri rubri,singulorũ lib.dimidiam.liquescibilia liquefacito,arida uero tundito & per angustissimũ cribrũ concernito, & ad liquefacta adijcito paulatim ea inspergẽdo ac assidue mouendo,indeq; in pilã translata ac tusa reponito, & utitor. Deinceps rursum aliud ꝓdidit hoc modo.

Aliud eiusdem Malagma ex Silphio, Ischiadicis ualde commodum. Ammij drach. XII. silphij, seminis rutæ syluestris, baccarum lauri purgatarũ, singulorũ drach. XIIII. medullæ colocynthidis drach. II. nitri drach. IIII. abrotoni thebaici drach. IIII. cardamomi drach. IIII. ceræ ponticæ minæ octauam partem, picis, resinæ, ammoniaci thymiamatis, singulorũ minæ octauã partem. Liquida cum aridis committito. Consequenter & hoc ab Asclepiade scriptum est ita.

Aliud eiusdem,quo usus est Antipater. Silphij, rutæ syluestris siccæ, baccarũ lauri siccarũ, spumæ nitri, medullæ colocynthidis, abrotoni thebaici, ammij, cardamomi, singulorum drach. IIII. rutæ satiuæ uiridis, picis siccæ, resinę terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, adipis uitulini, singulorũ minæ octauã partem, galbani drach. XVI. opopanacis drach. IIII. sulphuris uiui drach. IIII. olei cyprini heminas. IIII. Vsus tempore oportet prius coriandrũ aridũ ustum cyprino excipere, & ex eo coxendicẽ illinere, atq; post huius usum malagma ipsum imponere. Post hoc rursus aliud scripsit hoc modo. Aliud eiusdẽ Malagma, in Ischiadicis humores ex alto euocat ac transfert, liberatq; à tota affectione. Facit & dissolutis, & trementibus, & affectionibus inueteratis. Picis liquidæ Brutiæ lib. III. fecis aridæ ustæ lib. II. nitri rubri sesquilibram. resinæ pini lib. I. ceræ lib. I. staphidis syluestris lib. I. sulphuris uiui lib. I. pyrethri librã dimidiam. cardamomi sextariũ I. picem, ceram, resinã coquito, arida tundito & cribrato, ac cum liquefactis cõmittito, & utitor. Post præscriptum adhuc aliud pharmacum subdidit ita habens.

Aliud eiusdem quo usus est Philocalus. Sinapis, fœni græci moliti, utriusque sextarium dimidium, pyrethri, staphidis syluestris, nitri rubri, singulorũ drach. IIII. opopanacis drach. II. galbani drach. II. resinæ terebinthinæ lib. I. ceræ lib. I. olei cyprini lib. I. arida cum liquidis committito & utitor.

Ischiadicorum cura à Damocrate conscripta, ex Iberide.

Damocratis extat libellus Clinicus inscriptus, in quo uersibus Iambicis: quemadmodum solet: de tribus differit medicamentis. Ac primo quidem eo quod ex herba, quam ipse Iberidem appellat, constat. Secundo ex semine dolores sedante composito. Tertio uero purgatorio, & ab ipso Hiera appellato. De primo igitur in Ischiadicorum curatione in eo libello hæc scripsit. In Iberide inquit: medicũ quendam amicum suum per hanc herbam curatũ esse. quam herbam ut dixi, ipse Damocrates Iberidem appellat, ut qui ipse uisu herbam cognouerit, nomen autem eius nullum audierit, quum etiã id ipsum ignorarit is qui eum usum eius docuit. Verum ex signis quæ scribit uidetur Iberidem appellare, quæ à Græcis lepidium nominatur, à regione in qua amicus eius curatus est appellatione ducta. Describit autem ipsius signa per hos Iambos.

Herba hæc ubiq; multaq; frequens nascitur,
Monumenta iuxta antiqua, muros & ueteres,
Tritasq; quondam publice pedibus uias,
Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola,
Semper uirescens, folijs nasturtij
Florentibus uere, attamen maioribus.
Caulem cubitalis longitudinis gerit
Paulò minorem aut rursus ampliorem, ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat hæc ad imaginem, &

Delecta

Defecta & exiccata depereant gelu,
Adnata radici tamen cernes alia.
Aestate florem fert colore lacteo
Multum tenuem uariumq; ualde cauliculus.
Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
Visum fere ut fallens, oculos quoq; effugiat.
Odorem habet radix at inde acerrimum,
Vero similem quàm maxime nasturtio.
Per hos quidem uersus figuram herbæ indicauit. Consequenter autem usum (ipsius per huiusmodi.
Hanc erutam larga satis cape copia
Aestate, nam tunc optima & fortissima est
Adhuc recens, siccata fit sed debilior.
Tusam hinc probe, (Nam difficulter tunditur)
Pauca subactamq; excipies axungia,
Cruriq; toti & maxime coxendici
Adhibebis, & ligabis, & sines duas
Horas mulieribus, uiris sed quatuor.
Hinc balneo inductos, nec ullo ex unguine,
Nec smegmate ullo pinguiore collines,
Sudore sed modico exiliente, in solium
Merges, iubens perferre, nam mordacitas
Ingens, caloris sensus atq; exoritur.
Verum hinc rigatos leniter producito.
Illati enim quamuis manibus sint plurium,
Exibit attamen suis pedibus ualens
Quicunq; consilium hoc bonum susceperit.
Ad multum oleum miscebis hinc uinum modicum,
Et concuties, & illines lotos eo.
Ac mox madore terso & pinguitudine,
Totum teges crus mollibus tu uelleribus,
Iubens obire assueta uitæ munia,
Quæcunq; uult, & non grauatim suscipit.
Hoc auxilium certum atque constans integre est,
Et nullo alio adiiciendo et simul indigum.
Quare dolore ablato adora radiculam,
Cuius beneficio tibi sanitas data est.
Quod si tamen inde affectionis uestigium
Quoddam supersit, post repetes hoc præsidium,
Diebus ut multum decem bis præteritis.

Hoc sane utendi modo & inueteratos capitis dolores, & alias omnes quacunque corporis parte inueteratas & ægre solubiles affectiões ac resolutiones se curasse ait, & omnino uitia in quibus alij sinapismo appellato, & auxilio ex thapsia conflato utuntur, se per hanc herbã persanasse dicit. Porrò de hac iberide etiam Archigenes scribit in secundo pharmacorũ secundũ genus, lepidium ipsam appellans. Dicit autem & splenicis & Ischiadicis ipsam conuenire.

Ad Ischiadas & perfrigerationes, Hygieni Hipparchi. Herbã Iberidem quã aliqui lepidium uocant, aut agriocardamũ, id est, nasturtium syluestre colligito, & radicem eius tusam ac adipe porcino commollitam emplastri uice imponito ad dolentem locum ad horas tres, indeq; in balneum mittito. Idem præsidium et ueteres

ueteres capitis dolores depellit, in consimili usu adhibitum, quem Damocrates medicus per uersus prodidit.

De podagricis & arthriticis affectionibus. Cap. III

Dictum antea est in sermone de Ischiade ex fluxionibus generari eiusmodi affectiones, irruentibus in locos iuncturarũ, quare etiã curatio ipsarum iuxta eundem fit modum, nimirum ut irruentes fluxiones euacuentur. Influentibus igitur adhuc ipsis, scopum afferendorum auxiliorum communi rationi influentium humorum subijcere oportet, ita ut repellamus ac restringamus. Vbi uero amplius non influant, ut discutiamus iam illapsos. Cæterum materia pharmacorũ per quę hæc fiũt multiformis est, quemadmodum etiam in alijs affectionibus, excogitantibus uidelicet à principio prudentioribus uiris iuxta quãdã artificialẽ coniecturã modo hoc, modo aliud, eorũ quę optima per experiẽtiã sunt iudicata. Quapropter uelut in alijs affectiõibus, sic etiã in his, optima ex eis quę priores medici experiẽtia cognouerũt adscribã.

Pharmaca ab Asclepiade ad prædictas affectiones in quarto externorum prodita. Quæ Marcellæ inscribit.

Epithema podagricis, Arthriticis sedans dolorẽ. Vsus est in ipsis uexationibus. Succi papaueris drach. IIII. croci drach. I. cũ lacte bubulo aut caprino terito, & adiecto pane interno diligenter leuigato, ut molle cataplasma fiat, & rosaceo admoto mollito, ac utitor leni cataplasmate, forinsecus betæ aut lactucæ folijs, custodiendi eius gratia, impositis. Quandoq; opium & crocum cum lacte trita cerato rosaceo excipimus, & linteolo infarcta imponimus.

Aliud. Styracis drach. II. opij drach. I. confice ac utere ut dictum est.

Aliud. Confestim à dolore liberat, uerũ ante pharmaci impositionẽ ægrum lauare oportet, & tũc detersis locis imponere. Succi absinthij pontici, croci, opij, singulorum drach. I. ceræ ponticæ drach. IIII. ungenti Irini drach. VI. uini cretici quantum sufficit. Opium, absinthiũ, crocũ dissolue, & dissoluta liquidis excipe, & linteolo infarta impone. Aliud. Seminis cicutæ expressi, drach. VI. croci drach. I. opij drach. I. passi cretici quod satis est. Trita excipe rosaceo cerato.

Epithema podagricorum arthriticorum, facit ad maximas affectiones. Vsus est eo Erasistratus sicyonius. Radicis capparis tusæ & cribratæ chœnicem unã. seminis hyoscyami chœnicem dimidiam. radicis chamæleonis nigri chœnicis quartã partẽ. seminis cicutæ chœnicis quartã partem: radicis mandragoræ chœnicem I. radicis solani aut ut alij dorycnij chœnicis quartã partem. Omnia tusa & cribrata mixta in uasculũ figulinũ reponito, & probe obturata seruato. Vsus uero tempore chœnicis quartã partem inde accipito, & passo tritam in uas fictile non picatum conijcito, & addita fecis uini aridæ quarta heminæ parte, ad primas posita diligenter mouendo coquito, donec bis aut ter efferueant, deinde ab igne ablata quàm calidissima imponito, aut quomodo perferre ægri possunt. Verum ante huius cataplasmatis usum, pedes multa aqua frigida perfundere oportet, & spongijs detergere, atque ita pharmacũ imponere. Supra uero cataplasma linteola tenuissima aceto imbuta imponantur, & fascia circundata ad horas duas pharmacum incumbere sinatur. Postea uero eo ablato excitatas bullas acubus perforare oportet. Ab his enim humor mucosus multus ac glutinosus profluet post cuius excretionem multa aqua frigida pedes proluantur, & rursus pharmacum ut dictum est imponatur, ita tamen ut pro aceto aqua potabili utamur, & ex ea rigatum linteolum pharmaco superindemus.

Aliud eiusdem. Hoc pro cucurbitis & hirudinibus utimur. Nam serosos sanguinis humores exugit, facit & ad tofos ac duritias, ut inde dissoluantur. Farinæ

foeni

fœni græci sextarium unum. floris lapidis Asij sexta. I. lomenti fabæ nigræ molitæ, farinæ lupinorum, utriusque sexta. I. Omnia mixta & aqua calida subacta, calida imponito, & fascia constringito. Oportet autem prius affectos locos perfundere, aut etiam in solio lauare. Quum uero fasciæ circundatæ madidæ ac cruentæ factę fuerint, pharmacum tollimus, & sotis locis pastillo ex amygdalis amaris utimur, & malagmate quod crocũ, iridem, & aristolochiam habet. Hoc ipsum uero inter malagmata ad podagram descripta habetur.

Pastillus podagricis, Arthriticis. Vsus eius est in ipsis irritationibus. Aloes lib. I. succi centaurij sexuncem, thuris non secti trientem, myrrhæ trientem. floris lapidis Asij sextantem, opij sextantẽ, succi mandragoræ sextantẽ, aluminis scissi sextantem. Excipe passo, & fac pastillos. Vsu expetente lacte dissolutos cũ pennis illine, & supra illitionem linteolum passo imbutum impone. Alius pastillus Iupiter appellatus. Aloes drach. XII. opij drach. VIII. succi papaueris dra. VI. succi hyoscyami drach. VI. aconiti drach. IIII. hypocisthidis drach. VI. glaucij drach. VIII. croci drach. XII. gummi drach. XXIIII. malorũ mandragoræ drach. XX. aceti heminas duas. Mala cum aceto coquito, & expressa prædictis ammiscето, & ex dilutis ac probe leuigatis pastillos formato, eosq; in umbra siccato. Vsus ostensus est. Malagma arthriticis, podagricis, ex cicuta & agarico accõmodatum. Seminis cicutę sextar. I. agarici sextar. I. fœni græci sexta. I. nitri unc. I. ceræ lib. I. resinæ frictę lib. I. olei ueteris lib. I. medullæ ceruinę trientem. illyricæ trientẽ. Arida tusa per angustissimũ cribrũ cõcernito, liquescibilia uero eliquato, et frigefieri sinito, et sic erasa aridis cõmittito, et cõtusis ac repositis utitor.

Aliud eiusdem. Ceræ lib. I. olei ueteris aut sabini sexta. I. fœni græci sexta. I. cicutæ sextarij dimidium. resinæ frictę lib. I. nitri rubri dodrantem. floris lapidis Asij semissem. medullæ ceruinæ trientẽ. Illyricæ trientem. Prępara ut dictũ est.

Aliud Malagma eiusdẽ ex tedis, Titi Cæsaris. facit podagricis & arthriticis. Emollit omnem duritiam. Visci quercini sesquilibrã. thuris lib. I. ceræ lib. I. tedarum pinguium lib. I. resinæ pinus lib. I. Liquescibilia coquito ac pinguibus tedis moueto. Postquam uero omnis pinguitudo ab ipsis effluxerit, ab igne ablatũ liquorem excolato, atq; huic thus tenuissime tritum inspergito, assidueq; moueto donec ad compagem manus non inquinantẽ redigatur, & in mortarium translata reponito ac utitor. Aliud. Tedarũ pinguissimarũ lib. I. thuris masculi lib. I. resinæ pinus lib. I. uisci quercini libram dimidiam. præpara ut prædictum est.

Malagma ex lapide Asio. podagricis, Arthriticis ualde præclarum. Liberat à tota affectione. Vsus est in cessationibus. Visci quercini, terebinthinæ, utriusq; lib. I. spumę nitri, floris lapidis Asij, thuris, singulorum librã dimidiã, olei cyprini lib. I. adipis quantũ satis est. Arida tunduntur & cribrantur, ac cum aqua teruntur, ad cerati spissitudinem. Liquescibilia uero eliquantur, & tritis adijciuntur, quibus simul conquassatis ac repositis utimur. Aliud. Visci lib. I. terebinthinæ lib. I. lapidis Asij, nitri, utriusq; trientem, mannę quadrantẽ. cyprini sextantem. aquę lixiuij figulini quod satis est. Aliud, ad Arthriticos ualde præclarũ, auxiliatur cõfestim, humores in alto absorbens. uisci lib. I. terebinthinæ lib. I. adipis taurini, floris lapidis Asij, utriusq; quadrantẽ. calcis uiuæ quadrantem. mannę quadrantẽ. cyprini lib. I. prępara ut dictũ est. Aliud Diodori. Adipis taurini drach. VIII. spumæ nitri drach. IIII. floris lapidis Asij drach. II. In alio exemplari drach. IIII. olei cyathos II. arida cum liquidis committito. Hoc pharmacum ualde cõmodum est. Resorbet etiam collectiones circa articulos consistentes, & à doloribus liberat.

FINIS.


FRO
BEN

IANI CORNARII ME DICI PHYSICI COMMENTARIORVM MEDICORVM IN DECEM LIBROS GALENI DE COMPO/ ſitione medicamentorum ſecundum locos conſcriptorum, Libri decem.

In quibus omnes corrupti illorum librorum loci reſtituũtur,& omnes diffi/ ciles exponuntur, ampliusq́ʒ aliquot milia rerum ac locorum in Græcis ac Latinis medicis obiter explicantur, emendantur,ac reſtituuntur.



BASILEAE ANNO M. D. XXXVII.

ILLVSTRIS AC POTENTIS PRINCIPI AC DOMINO, D. PHILIPPO HESSORVM LANTgrauio, Cattorum, Dicensium ac Nidensiũ principi ac comiti, &c. Ianus Cornarius Medicus Physicus. S. D.



QVVM primum Galeni medici haud dubiè omniũ post unicum Hippocratẽ præstantissimi libros decẽ quos de cõpositione medicamentorũ localium inscripsit, in manus cõuertendi latinis gratia sumerẽ, uidebatur quidem mox à ꝑincipio opus magnũ, uariũ, plenum bonæ frugis, & ut ipse Galenus aliquoties ait, postremæ lectionis, & ob id etiam maioris quàm prima fronte apparet difficultatis. Verũ in operis iam inchoati progressu, quũ alia omnia, tũ in primis difficultas ita mihi increbẽscere uisa est, ut omnẽ etiam optime conuersi operis gratiã leuem apud rerũ medicarũ studiosos futurã putarẽ, si non & difficiles locos, quantumuis clare à me redditos explicarẽ & uitiatos emendarem, corruptosq́ restituerem, atq; hoc non simpliciter, sed indicata consilij ac facti mei ratione. quod ipsum ubi iam etiam operæ precium esse mihi persuasissem, rettaxit tamen operis futuri apud me æstimata magnitudo, ut pluriũ dierũ deliberationẽ mihi ipsi impetatem, quando sanè pro una conuertendi difficultate, non geminatã solum mihi ex conuerso pariter ac græco opere interpretando oboritutam perspicerem, sed certe non minus quàm decuplam, si tot loci obscuri, tot partim annorũ, partim typographorum iniuria, aut potius correctioni præfectorũ negligentia & aliquando temeritate corrupti, explicandi & ad plenũ restituendi essent. Hoc eñ in cõfesso est, quũ omnia Galeni scripta nobis extẽt corruptissima hos libros nullis minus hac mendarũ labe cõtaminatos esse. Ad hanc itaq; rem integre præstandam uidebã mihi in primis opus esse emendatioribus exemplaribus, ex quorũ collatione non desperãbã auxilium uel certissimũ nobis accessurũ, & propterea collationis laborẽ, ut longe leuiorẽ libentius omnino pertulissemus, quàm quod alicubi omni exemplariũ ope destituti, mera diuinatione uti coacti fuimus, cuius difficultatẽ uel inde æstimare licet, quod à diuis tanquã supra hominũ captum sit, appellationẽ est sortita. Quare in paucissimis omnino hac usi, maiorẽ confidentiam in optimis quibusq́, tũ græcis, tũ latinis medicis autoribus locauimus, atq; ex ipsorũ collatione plerosq́ omnes locos & conuertimus, & exposuimus, simul in integrum ex eorũdẽ fide restituimus. Cuius rei difficultas ab his tantũ expediri potest, qui aliquando simile quid attentarunt. Nos certe ut nõ libenter iactamus operã nostram, tum ne uanitatis suspitionẽ incurramus, tũ ut ne beneficium nostrũ studiosis exprobare uideamur, Ita sane uisum fuit nullum ex omnibus Galeni operibus maiore periculo corruptum haberi ac legi, q̃ hoc ipsum de pharmacorũ cõpositione, præsertim si his pharmacis tuto ac feliciter uti uelimus. quod ut ego mihi faciendum esse penitus decreui, circa ægros qui se in posterũ nostræ curæ concredent, Sic uelim etiã reliquos ue

tæ

ræ ueteris ac sinceræ medicinæ græcæ studiosos à me persuasos, ut idē præstare conarentur, quo aliquādo & uitiosissimis & ineptiss. pariterq; lectu tediosissimis Arabū ac Barbarorū medicorū scriptis relictis, aut ad coruos relegatis, ex græcorū medicorū exactissime cōscriptis medicamētis, circa ægros adhibendis, certiorē salutis successum experimento ipso cognoscere tentarent, certissime cogniturum unū aliquod medicamentū ex eorū numero quæ Galenus ex priorū medicorū præscripto expendit, ita ut singulorum ipsum constituentiū uires ac facultates rimetur, maiori successu usurpari q̃ totā myropoliorū hodiernorū congeriē, de quorū tamē efficacia uel in primis iudicium ex his Galeni libris cōtingere potest. Et propterea ego iam in quartū supra decimū annum per multo maximā Europæ partē peregrinatus, medicinamq; professus, atq; in præclaris multis urbibus medicatus, & non pauca etiā ex laudatiss. hodie officinarū pharmacis frustra expertus, non duxi aliquid utilius me facere posse, quàm ut rerū medicatū studiosos hac parte iuuarem, quo hos Galeni libros integre, tum græce, tum latine haberent. quod spero doctos medicos de horū nostrorū cōmentariorū libris pronunciaturos, ut qui idipsum si nō exactissime, & ut cuiusq; iudicio satisfiat (quis enim hoc se præstiturū sperare audeat?) certe tamen diligentissime conati sunt, ut tam eximiū opus integrū extet, neq; id solū, sed ut aliquot milia locorū obscurorū, itemq; corruptorum, tum in græcorū, tum in latinorum medicorum libris quisq; intelligere ac emendare possit, quum non sit peior possesio, quàm malus & corruptus liber, ex quo & animorū & corporū pernicies accidere potest. Hoc ipsum porrò opus quū iam inuulgare destinassem & orbi communicare, non aliud nomen occurrebat mihi quod splendidius ac potentius uideret, siue nostra obscuritas esset illustranda, siue tenuitas defendenda ac protegenda, quàm celsitudinis tuæ Illustrissime princeps PHILIPPE. Nā quū & pacis & belli gloria clariss. sis, fore confido ut hi cōmentariorum nostrorū libri sub nominis tui præsidio publicati, & rerū medicarū studiosos magis inuitent, & uitiligatores amplius deterreāt à tam utili ut ego iudico, conatu nostro impetēdo. Quanquā quod hoc opus felici nominis tui auspicio prodire uoluerim, præter iam dictas rationes, & cōmunem illum ab antiquo iam receptū morem, quē & græci & latini scriptores usurparunt, sua uidelicet scripta magnis regibus ac principibus inscribendi, illa planè Heroica magnificētia tua me induxit ac impulit, quòd unus tu omniū Germaniæ principū, in his difficilimis tēporibus, quibus literæ & omnia bona studia ruinā grauissimā minabantur, his ipsis auxiliarem manum porrigere es dignatus: & quū reliquæ Germaniæ Academiæ frigeant ac torpeāt penitus, & magna ex parte sint desolatæ, partim fatis ita uolentibus, partim ob principū illiberalitatē, Tu in regno tuo de integro nouam Academiā erexisti, eandemq; doctissimis uiris accersitis illustrasti, & sumptibus ac præmijs magnificentissime locupletasti. Quo beneficio

ficio tuo ne dubites magnanime princeps, quin ipsas musas tibi obstrinxeris, certè studiosos omnes ita deuinxisti, ut temere literas uel philosophiæ studiū iactet, qui non cels. Tuæ clementem magnificentiā exosculetur, mi/retur ac laudibus uehat, atq; utinam ego uel leuiter saltem declarare C. T. possem, quàm sim erga Heroicū illud pectus tuum affectus, pro eo quod studiosi nomen obtinere me posse cōfido. Illud autē oro celsitudinem tuā ut interim dum luculentius quiddam aliquando præstare potuero, hinc aliquam saltem animi grati significationem intelligere uelit. Cæterū quod studiosorum iudicijs informandis adijciendum putauimus, hoc est, Ne putēt nobis in his cōmentarijs quicquam cōmune esse cum quorundā huius seculi Onomasticis medicis, Pandectis medicis, thesauris medicis, scholijs etiā atq; epistolis medicis, alijsq; eiusmodi cētonibus, speciosis titulis inscriptis. His enī permittimus ut undecūq; & alba & nigra, numeroq; modoq; sine omni, tum lecta, tū audita, intellectaq; & non intellecta, omnia in unū chaos coaceruent ac confundant, iamq; nihili homines, sui tamen q̄ simillimos ad astra laudibus uehant, & mox non paulò præstantiores mordicus proscindant, & quod in alijs reprehendunt in sese longe grauius admittāt. Concedimus etiā ut scripta nostra hinc inde expilent, ex integris orationū ac præfationū nostrarum periodis, sibi præliminares epistolas concinnent, & si adeo placet, totum filū retextū sibi pro nouo syrmate induāt, interim mei nusquā mentionē facientes: neq; enim sic legi laboro: modo sciant studiosi ueræ & synceræ ueteris medicinæ, talia onomastica nihil aliud quàm inanes bullas, & nomenclaturas maxima parte falsas esse, tales pandectas per antiphrasin accipiēdas esse, scholia & epistolas uere ociosas nugas esse, & quales podagricū molestū uidelicet ociū decent. Thesauros carbones, aut potius carbonū esse fauillas. Nobis cōtra in his cōmentarijs nihil uulgare ac protritū annotare uisum fuit, sed obscurissimos quosq; locos tū horū librorū quos enarrandos suscepimus, tū etiā reliquorū græcorū ac latinorum scriptorū medicorū, aliquando etiā aliorū per occasionē oblatos, pro uiribus explicare annisi sumus. ideoq; omnia ut certa, aut ex ualidissima suspitione pro certis agnita proposuimus, moxq; nō uulgariū quorumlibet, sed ueterū approbatorū autorū testimonijs & autoritate confirmauimus, aut certe opinionē nostrā firmissimis rationibus, aut omnino probabilibus persuasionibus approbauimus, ut certū sit nō leuē cognitionē, & in primis iudicandi de rebus medicis nim hinc ad omnes, & præsertim eos qui postea græcos medicos, aut legendos, aut conuertendos in manus sument, profecturā, & ad illustriss. Celsitud. tuam pro hoc beneficio non exiguā gratiā, quando neq; per meū sinistrū studiū, neq; per nominis C. T. usurpationē & prætextum, cuiquam fucus fiat. Viuat ac ualeat Illustriss. Celsitudo tua. Northusæ x. Martij. Anno Christi M. D. XXXV.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM IN DEcem libros Galeni de cōpositione medicamentorū secundum locos conscriptorū, Liber Primus.



ALENI præstantiss. medici de compositione medicamentorum secundum locos libros, quos in Latinam liguā nuper conuerti, ea potissimū gratia cōmentarijs enarrare ac dilucidare operæpretiū duxi, ut interpretationi nostræ maior fides apud te, quisquis tandem es ueræ ueteris medicinæ studiosus, habeat. neq; enim dissimulare uolo, paucissima esse, & ferè nulla medica opera, quæ superiori ante nos seculo, atq; etiā hoc nostro, ex græcis latina facta sunt, quibus per omnia tuto credere possis, adeo hinc inde quædam in ipsis reperire est, quæ uel ōb difficultatem, uel ob interpretū supinitatē, atq; aliquando rei medicæ ignorantiā, quandoq; etiā: quod negare nō possumus, & quę unica est excusandi uia: ob uitiata per ætatē exemplaria, perperā sunt reddita, ut præstaret ea in totū non esse, aut saltem nos cōmonitos ea uitare, aut certe caute uersare, atq; si ea seculi felicitas esset, à græcis, ab ipsis uidelicet fontibus petere. Cuius rei ex his quę Hippocratis & Galeni nomine latina circūferuntur, doctissimū quemq; medicum iudicem esse cupio. Omnia enim istorum scripta quæ latina habemus ubiq; pessime uersa sunt, tribus aut quatuor ad summū libellis exceptis, qui utcunq; tolerari possunt, minime uero eam laudem merentur, quam plerique magni nominis uiri: quæ fucatissima omniū est impostura: epistolis præfixis sunt testati. De Dioscoride porrò silere melius puto, cū nunquā magis bonū interprete desyderarit. Ammiratus uero semper sum mecū, quid tandem Ruelliū moraretur, quod laudem quā in Dioscoride uertendo primus occupauit, eundem sub incudem reuocando, solidam sibi parare non satagat. At uero si præter hos quædam adhuc ex alijs græcis medicis latina leguntur, ea talia sunt ut ne nominari quidē primorum autorū suorum nominibus debeant, quū adeo nihil illorū nobis referant, & latina etiam non nisi characterū ipsarum literarum latinarum beneficio existant. atq; hæc sanè nulla calumnia refero, rem ipsam testem, & doctos medicos statuo, qui sciunt quàm hæc non fingam. Quare ex re & necessarium omnino fore mihi uisum est, ut cōmentarijs adiectis translationem nostram declaremus, atq; id ita facimus, ut & uerba, & sententiæ, atque ipsa etiā constructio, non nostra solum, sed & græca ipsius autoris αὐτοῖς ὀνόμασιν ubi opus fuerit adducta, dilucida fiant. hæc enim tria Hermogenes in bono expositore requirit. Neq; uero prætermittemus, si quando res ita tulerit, etiam alios quosdam aliorū græcorum ac latinorum medicorum locos obiter explanare, atq; id uestri cōmodi gratia, quicunq; ueterem ac sinceram medicinam: græcā puto: amatis. reliquos nihil moror, neq; adeo spero aut uolo lectores, qui nondū Chaoniā pingui glandem mutauerunt arista. Verū hoc unū uos lecturos præmoneo, ex omnibus Galeni scriptis hos decē libros longe difficilimos esse, & postremæ omnino lectionis, & præter cæteros necessario prælectos habere oportet eiusdem undecim de simplicibus pharmacis libros, & XIIII. de curandi Methodo. quod si quis non fecerit, frustra ad horum librorum lectionem progredietur, quos iam inde, ipsis Galeni uerbis enarrationem expetentibus, iuxta nostram interpretationē semper productis & præpositis, enarrare aggrediar.

Quod non solum affectus qui curatur curationem ipsam indicet, &c.] Quod iam

iam dixi.Methodi lectionem necessariam esse ad horum librorum lectionẽ pro- gressuro,idipsum mox in ipsa præfatione Galenus palàm facit, ostendens quæ in ipsa tradiderit de indicationibus curationis,atq; his potissimis tribus. Prima enim omnium futuræ curationis indicatio ab ipso affectu, qui curandus est sumi tur,Altera ab ægri temperamento, tertia ab ipsius partis affectæ natura. secun- dum hæc enim remedia ad morbi curationem adhibemus, quanquã sint & alia non pauca quæ remediorum adhibendorum indicationem faciant, sed non ita principaliter ut iam dicta, ueluti quæ quarto loco ab ipso Galeno recensentur, Aegri uires, & quinto Aer nos ambiens, sexto Anni tempus, septimo Regio, Octauo ætas,Nono uitæ munus, decimo consuetudo,undecimo morbi magni- tudo,duodecimo affectæ partis positus,forma,utilitas & sensus subtilitas. Ter- tiodecimo humores sanandi; quæ omnia totam illorum librorum tractationem occupant. commeminit tamen harum indicationum partim etiam Cornelius Celsus lib. 5. cap. XXVI. & Hippoc. 1. epidemiorum,sectione tertia.

Nunc uero quomodo quis per se.]. propositio est totius futuri operis.

Ex Methodi ratione pharmacorum compositiones præparet.] Ex Methodi ratione componimus pharmaca, quum non à magistro quopiam, nec ex ueterũ præscriptis, edocti id facimus, sed ex ipsa rerum natura indicationibus acceptis sic galeno lib. 6. Methodi tradente, ταῦτα καὶ τἆλλα πλείω φάρμακα πρὸς νεύρων τρώσεις ἐξεῦρον, οὔτε τῶν διδασκάλων τινὰ θεασάμενος χρώμενον, οὔτε ἀναγνούς που γεγραμμένα κατά τι θεραπευτικὸν σύγγραμμα τῶν πρεσβυτέρων, ἢ τούτων δή τι τῶν ἐπιγραφομένων αὐτοῖς δυνάμεων ἐξ ἰδίας σοφίας, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς τῆς τῶν πραγμάτων φύσεως ἐνδεικτικῶς ὁρμηθεὶς, ὅπερ ἐστὶν ἴδιον ἰατροῦ μεθόδῳ χρωμένου. Ex quibus uerbis manife stum fit quosdam ueterum ex propria sapientia compositiones à se præparatas δυνάμεις, id est, facultates seu potentias appellasse, atq; ita etiam eas appellare so let Galenus in septem libris quos de compositione pharmacorũ secundum ge- nera inscripsit, quorum hic mentionem facit. At uero quum ambigua apud nos significatio esset, si facultates uel potentias uertissem, simpliciter hoc loco δυνά- μεις compositiones uerti, quando nihil aliud ea uoce Galenus uelit, & uideatur etiam eos qui primi ita appellarint subridere, nimirum quum ex propria sapien tia ipsos hanc inscriptionem cõmentos esse tradat. & quanquã nihilo minus Ga lenus δυνάμεις subinde etiam in his libris uocet, nos tamen semper compositio- nis aut confectionis uocem pro ipsis amplexi sumus. putamus enim significan- tius dici, pro τετραφαρμάκου δύναμιν, tetrapharmacam compositionem, quàm uim aut facultatem, ita tamen ut efficax compositio & probata accipiatur.

Pilosum esse iuxta primam rationem non multis inest.]. Duplex generatio pilorum est, Altera iuxta primam rationem, id est, secundum prouidentiam & arbitrium ipsius opificis, quomodo nobis mox pueris & recens natis, capitis, su perciliorum, & palpebrarum pili producuntur, aptitudine quadam corpo- rum ut tales, uel tales, gignerentur, prius per opificem deum præparata, uelut Galenus lib. 11. de utilitate partium tradit, ubi irrisa etiam Mosæ ac Iudæorum physiologia, qui uerbo & uoluntate dei omnia creata perhibent, per longum cauillatur, non sufficere deo uoluntatem, nisi adsit rei aptitudo. Altera uero per accidens cõtingit, & ex locorũ natura ac temperamento necessario cõsequi- tur, quomodo menti, alarum, & pudendorũ pili proueniunt. Qua similitudine etiam ex terra quædam secundum primã rationẽ, hoc est, uoluntate & arbitrio agricolæ generantur, sicut sunt triticum, hordeum, & reliqua cerealia semina. Quædam uero per accidens, id est, innutritum locis humorem necessario excre- scunt, uelut herbæ quæ circa humectiores regiones enascuntur, quemadmo-

dum diffuse lib. 2. De temperamentis Galenus docet, si quis amplius de hac re cognouisse uelit.

Alijs uero herbis quæ iuxta humidiores regiones proueniũt.] Græcũ exemplar non περὶ τὰ νοτερώτερα, id est iuxta humidiores, sed περὶ τὰ ἀνωτερώτερα, id est, iuxta superiores habet, quomodo etiam uetus interpres legit, sed confessa menda est, quando sanè per ipsius humoris accidens ipse Galenus paulò post earũ generationem à natura fieri tradit, quanquam id clarius ex XI. lib. de utilitate partium patet, ubi ait, πάντας δὲ ἡ σύντροφος ἰκμὰς ἐδήλωσεν.

Et pili quidem palpebrarum ac superciliorum nõ paruam utilitatem.] Quæ sit pilorum in palpebris ac superciljs utilitas supra citato XI. de utilitate partiũ libri loco Galenus commemorat. Nempe quod palpebrarum pili uelut uallum quoddam oculis apertis obiecti sunt, ne quid minutorum corpusculorum eis illabatur. Superciliorum uero pili uelut murus quidam eosdem oculos protegunt, ac primi excipiunt ea quæ ex capite defluunt. Quare æquali semper magnitudine eos opifex deus produxit, & quanto sanè quis minores aut rariores quàm conuenit eos reddat, tanto plus utilitatem ipsorum corruperit, ita ut tum illabi, tum influere permittant, quæ prius prohibebant. Si uero maiores aut densiores quis eos efficiat, non iam ut uallum & murus oculos defendent, sed propugnaculum carceri non absimile reddetur, quod & occulet, & tenebras offundet pupillis, quibus minime omnium tenebras obducere oportuit. Porrò capitis & menti pilos ipse opifex deus auctiles fecit, atque id ob duplicem utilitatem. Alteram ut tegmen & uelamen partium essent. Alteram ut crassiora recrementa in ipsos expenderentur. Prior utilitas uariat, quum non æquali tegumento per omnes ætates, anni tempora, regiones, sexus, ac corporis dispositiones opus habeamus, quare pro alterationis occasione, præstat nos alias aliam eorundem pilorum magnitudinem facere, quod in superciliorum & palpebrarum pilis citra cladem: ut dixi: facere non licet. At uero pudendorum pili quanquam necessariam ex locorum natura humecta generationem habeant, tamen etiam his opifex ad decorem utitur: Nam uelant & ornant eas ipsas pudendorum partes in quibus enascuntur, ueluti nates podicem, & præputiũ uirile membrum. ex his itaque omnibus ordo dignitatis pilorum patet, nempe primum locum pilis palpebrarum & superciliorũ deferri, Secundum capitis pilis, tertium menti & pudendorum.

Coloris ipsorũ alteratio, uelut in uitiligine alba, leuce græcis appellata, &c. Vitiligo alba Latinis, Leuce Græcis, nomen ab albo colore accepit. Quum enim in pilosis locis oboritur, pilo locos ipsos non denudat, sed canos omnino facit. Si uero loci pilosi, glabri & pilis nudi reddantur, incurabilis leuce censetur, ut tradit Aetius; quem nos nuper in Latinam linguam conuertimus, sermone XIII. cap. CXXXXIII.

In Caput primum, de Alopecia & Ophiasi.

NOs autem propter quid sic appellari contigit non quærimus.] His uerbis Galenus non damnat studiosam nominũ inquisitionem, quũ ferè semper nomina ipsa ea curiositate primum sint rebus imposita, ut ipsas sua uoce cognobiles reddant, quod sparsim Galenus etiã in scriptis suis testatur. Verum uitupe rat eos qui nominũ studio rem ipsam & causam negligunt, quæ imprimis & necessario à medico sunt inuestiganda, quũ nõ nominũ sed affectuũ ac morborum ratio fiat. Attamen quũ docẽdi gratia necessario ipsis nominibus utamur, hic admonere uisum est, utrunque hoc malum Latinis Arearum appellatione uenire, & Alopeciam latius proserpere, ophiasin uero ab occipitio incipere, duorum digitorum

digitorum latitudinem non excedere, ad utranque aurē duobus capitibus proferpere, donec se duo capita in priorem partē cōmittant, id quod in infantibus frequenter uidere est, autore Celso lib. 6. cap. 4. Male intelligunt Galenum & medicos Græcos, qui putant mutationem pilorum in uulpe ad fuluiorem colorem, Alopeciæ humanæ affimilari, quum nō solum fuluior & pallidior aliquando color cutis in homine ex ea affecto appareat, ex redundante flaua uel pallida bile, sed etiam albidior, ex pituita, & nigrior, ex bile atra. Sed hic error plerosque ex nō minū studio, & rei negligentia occupauit: Non enim pili in aliū colorē transeūt, sed cutis ipsa pilis denudata, quo malo etiā uulpes certo anni tēpore infestatur.

Ego semper per hieram purgaui.] Notissimum est medicamentum uel hodie pharmacopolijs hiera, quanquam uariæ in Antidotarijs uulgatis sint descriptiones, & aliquæ etiam corruptæ, ut attentum medicum requirāt, qui eis tuto & feliciter uti uelit. Quæ fere ubique præparatur, tum in eclegmatis forma, tum in pilularum globulos coacta, atque etiam medicamentis simplicibus eā constituentibus in puluerem contritis, & in usum sepositis. Hiera magna & composita uulgo appellatur, ad alterius quæ simplex dicitur differentiam. Verum neutra earum cū hac hiera ex colocynthide concordat, sed cū hiera ex aloe, quæ priuatim picra appellatur, quæ in 2. huius operis habetur. Hæc autem ex colocynthide eadem uidetur cum ea quæ hiera fortissima Galeni inscribitur, sed sunt in his omnibus quædam simplicia addita, ut genuinæ Galeni descriptiones uulgo non extent. Paulus Aegineta lib. 7. Hieræ componendæ formas sex numero tradit, Earum postrema Archigenis est ex colocynthide constans, quam hic Galenus probat. Apud Scribonium Largum compositio cap. 6. eadem penitus est, Pachij Antiochi nomine inscripta, nisi quod in Paulo pro φύλλα, πολὺς corrupte legitur, & in præparatione ἀναβάλλοντα μέλιτι habetur, pro quo ἀναλαβόντα μέλιτι, id est, melle exceptam substituendum est. Porrò prima hiera apud Paulum itidem sicut illa apud Scribonium Antiocho inscribitur, neque ab Archigenis descriptione uariat, nisi quod πράσιον non habet.

Apophlegmatismis pituitam à capite detrahere.] Apophlegmatismi appellantur medicamenta quæ uel ore colluta, uel commanducata pituitam à capite detrahunt per sputum reijciendam. Tale Dioscorides Pyrethrum aceto coctum collutum, aut crudum mansum esse perhibet. Illinuntur etiam quædam in eundem usum palato & columellæ. Tale est Sapo cum betæ succo apud Paulum libro primo cap. 46. ut rectissime Copus interpres legit ac uertit, quamque Græcū exēplar uulgatū σινήπι, pro sapone habeat, quod falsum esse ex 2. li. huius tractationis claret, ubi inter apophlegmatismos hæc Pauli uerba legunt̄, ab ipso ex Galeno transcripta. Tale est & Melantiū eodem Pauli loco. uerū Copus uitio ut puto exemplaris quod secutus est, deceptus est, uelut ex eodē Galeni loco infra palàm fit. In Pauli enim exēplari excuso itemque Galeni codice legitur, εὐπορίστω δὲ πολλάκις ἐχρησάμην ἐγχριομένω τῷ ῥινὶ μελανθίω. pro εὐπορίστω aūt Copus Euphorbiū uertit, & sententiam penitus corrupit. Non longe ab hoc usu euariāt quæ ἔῤῥινα & uulgo medicorum Nasalia appellantur, quæ in oblongam formam coacta naribus indita, aut liquida illita, aut etiam per instrumentum quod ῥινεγχύτην uocant infusa, sternutamenta ciūnt, atque ita mucū à cerebro prolectant. Talis est anagallidis utriusque, fremij, betæ, cucumeris syluestris foliorum succus.

Deinde localibus auxilijs uti.] Localia auxilia sunt quę singulis partibus corporis destinata apte adhibentur. has enim τόπους, id est, locos appellare consueuit, uelut ex principio librorum de locis affectis patet, & infra cap. 8. ubi ait, ἀρκεῖ πολλάκις μόνα τὰ τοπικὰ καὶ μερικὰ προσφερόμενα.

Opottet enim uelut in alijs, sic etiam in his affectioni mederi.] Galenus lib. 2.

Meth.

Meth. per longũ multis exemplis productis docet, affectus præter naturã tantũ à nobis curari, nõ symptomata siue accessiones quæ actionẽ lædunt. Nemo enĩ sanæ mentis medicus claudicationi medetẽ, sed affectioni quę claudicationẽ induxit, ueluti si ea sit inflãmatio, ei medemur, quo fomẽtis et discussorijs medicamentis consumatur, ac omni modo soluatur. Ea enĩ soluta sponte sequitur ambulatio recta, neq; opus habemus eius correctione. Ita etiã hic, Nemo uitiati capilli symptomatis curã molitur, sed humorũ capillos corrumpentiũ, qui ubi euacuati & correcti fuerint, symptoma uitiati capilli consequenter ultro cessat.

Habent autẽ Catapotia hæc.] Eodem modo etiã Paulus lib.7.cap.5. horũ catapotiorum descriptionẽ habet, nisi quod ἀλόης μι. α. legitur, quũ μι. ιι. legi debeant, facili lapsu ob similitudinẽ numeri characterũ, maxime si β. hoc modo. ιι. pingatur. Quintus autẽ excellens ante Galenum medicus: Nam eius discipulos Satyrum & Numisianũ, Galenus se audisse & præceptores habuisse primo ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων testatur: & mastichen & bdellium deijcere solitus fuit, quẽ in hoc etiam ali quandiu sequutus fuit Galenus. sed quur postea reiecerit ea, se in libros de cõpositiõe purgantiũ pharmacorũ reseruaturũ dicit, qui libri ad manus nostras nõ peruenerũt. Porrò Catapotia Græcis à deglutiendo nomen habent, sicut Latinis ab orbiculari facie pilulæ diminutiua à pila forma dicuntur.

Difficulter enim eluuntur in his cuti impacti serosi humores.] Serosos humores Græci ἰχῶρας uocant. Sunt autẽ omniũ humorum & præcipue sanguinis tenues & acres superfluitates, quę ob id quod tenuiũ partium sunt, in profundum corporum in quæ impingũt, penetrant, & uelut aqua in spongia imbibuntur, ut Aetius sermone 9.cap.10. tradit. Quòd uero omniũ sint humorũ serosi humores Diocles apud Paulum lib.1.cap.100, indicat, qui sub æquinoctiũ uernum γλυκεῖς ἰχῶρας τοῦ αἵματος augescere inquit, & circa uergiliarum ortum τοὺς πικροὺς ἰχῶρας. Nimirũ augescente tum amara bile. Aristoteles uero lib. historiæ animaliũ tertio non tenues & acres solum, sed etiã crudos & nondum concoctos, aut etiã per segregationẽ à reliquis, serosos redditos humores, & pręcipue sanguinẽ, ἰχῶρα esse dicit. ἰχὼρ δ' ἐστὶν inquit ἄπεπτον αἷμα, ἢ τῷ μήπω πεπέφθαι, ἢ τῷ διωρρῶσθαι. Sic & Galenus de elemẽtis 2. τὸ μὲν οἷον ἰχὼρ αἵματος, inquit, ἀνάλογον ὀῤῥῷ γάλακτος. Quare quũ uelut serũ in lacte, ita hi humores in reliquis sint corporis humoribus omnibus ac succis, recte eos serosos latine appellauerimus, quũ ἰχὼρ iuxta eundẽ Aristotelem eodem loco in omni lacte sit, & alias ὀῤῥὸς dicatur. quod propterea indicare uolui, ut sciat si qui hæc legerint, nos id semper obseruasse in his quæ ex Græcis uertimus, ut ἰχῶρας serosos humores dixerimus. Neq; enim nobis placet quod ferè oẽs eam uocem, per saniem latinis reddiderunt, ex Plinio: ut apparet: ut id facerent inducti, qui aliquot locis ἰχῶρα saniẽ appellauit, id quod alias cruorem latine dicere posses, sic libro 28.cap.11. Quidã inassati iocineris saniẽ inungi dixit, quũ tamen paulò ante sanguinẽ hircinũ appellasset. & 30.cap.8. uerendorũ formicationibus uerrucisq; medetur arietini pulmonis inassati sanies. Itaq; ambobus locis cruorẽ qui ex iocinere dum assatur destillat, saniẽ appellat, quod ex uerbis eius colligitur quæ sequũtur, his. Volunt & oculos suffiri iocinere in olla decocto, quidã inassato, etiamsi hoc nõ Dioscorides lib.2. item traderet. Cor. Celsus lib.6.cap.6. ἰχῶρα hunc, sanguinẽ dixit, eundẽ eius usum quẽ Plinius & Dioscorides præscribens. At uero li.30.cap.15. idem Plinius ubi inquit: Oportet autẽ cineri misceri saniem punctis emissam è cerebro uiperæ, saniẽ pro crudo cruore dixit, quomodo etiã ego apud Aetium ser. 8. cap.10. κοχλίων μεγάλων χερσαίων τὸν ἰχῶρα, cochlearũ magnarũ terrestrium cruorem uerti, nisi mucum appellare quis malit. Nam ipse Aetius consequenter declarat, eum ipsum accipi debere his uerbis, δεῖ δὲ τούτους διακεντεῖν γραφείῳ ζῶντας, καὶ τὸ ἀποῤῥέον αὐτῶν μυξῶδες ἐμβάλλειν τῷ

φαρμάκῳ

φαρμάκῳ. Atque hoc modo etiam Homerus sanguinis cruorem à Venere sauciata promanantem ἰχῶρα dixit Iliad. 5. ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο

ἰχώρ, οἷός περ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν,
οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον,
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται. hoc est
Sanguinis effudit cœlestem diua cruorem,
Qualis diuorum compingit corpora sanguis,
Qui neque frumento satiant nec corpora uino,
Quare etiam exangues, immortalesque uocantur.

Ex quibus uerbis palam est nihil aliud quàm cruorē simpliciter ἰχῶρα eū appellare, nō tamen eiusmodi qualis ab hominibus saucijs profundi solet, sed qualis à dijs qui neque edunt neque bibunt, profluere potest. Nam hæc addidisse uidet, ne Veneris numen offenderet, si uelut hominē aliquem sauciatā dixisset. Quare ἰχῶρες dum intra uasa & in corpore sunt, serosi humores, iuxta seri seu ἰχῶρος in lacte similitudinem, sano omnino intellectu dicentur, Quū uero acredine sua & tenuitate sub cutem progressi fuerint, eamque excitent pruritu (: Nam & ficosos faciei, & impetiginosos menti tumores, qui cito exulcerantur, hi ipsi maxime generare solent, ut Galen. infra lib. 5. cap. 4. & 5. Et Aetius sermo. 8. cap. 14. & 16. tradunt:) eroserint, non male sanies appellentur, quando sanè tum in puris speciem tenuiorem abeunt, ac medium quiddam inter pus perfectum & sanguinem euadunt. quam speciem etiā induunt, quando ex hircino aut arietino iocinore, dum in olla assatur promanant, ut non ita male Plinio sanies tum sint dictæ, quum uerum id sit saniei significatum. & ita quoque in ulceribus ἰχῶρας appellat Galenus Metho. 5. καὶ δὴ inquit, κἀν τοῖς ἕλκεσιν ἰχὼρ μὲν καλεῖται τὸ λεπτὸν περίττωμα, ῥύπος δὲ ἐλκῶν τὸ παχύ, hoc est. Et sanè in ipsis ulceribus tenue recrementum sanies appellatū, crassum uero sordes. porrò ἰχὼρ appellatū etiā in lignis ardētibus exudans humor, sic Diosc. li. 1. de Corno. ὁ δ' ἐκ τῶν χλωρῶν φύλλων καιομένων ἰχὼρ ἁρμόζει πρὸς λειχῆνας καταχριόμενος. Plinius sudorem dixit 23. cap. 8. Sudor uirgæ corni arboris lamina ferrea candente exceptus, non cōtingente ligno, illitaque inde ferrugo incipientes Lichenas sanat. Idem auxiliū quod Diosc. tradidit, sed religiosius, & ex alio autore descriptum, quanquā pro φύλλων omnino ξύλων apud Dioscoridem legendum existimem. At uero & amurcā, oliuæ Plinius saniem esse dixit, lib. 15. cap. 3. Sanies hæc est eius amara.

Supra hoc quòd uitiatos humores discutiat.] Aptissima medicamēta ad euacuandū Alopeciæ & ophiasis uitiatū humorem, Galenus ea quæ attractoriā simulque discussoriā facultatē habent, tradit. Sunt aūt ea necessario calida & tenuiū partium. Calida enim attrahunt, atque id eo amplius quo magis tenuiū partiū existunt. Talia quædam sponte naturæ esse Gal. lib. 5. cap. 16. de simpl. phar. facult. dicit, uelut sunt Dictamnū, Propolis, Thapsia. Quędam uero ex putrefactione acescere faciente generari, uelut sunt fermentū, psoricū, & quorundam animalium fimi. Thapsia porrò utrunque probe præstat, Nam & attrahit & attractū discutit, si tamen per mixturā aliorum pharmacorum caliditas eius temperetur.

Ex reliquis græcis oleis citra olearū germina apparatis.] Apparet ex hoc loco aliquas gentes olea sua non solum ex oliuis, sed etiam olearū germinibus exprimere in more habuisse, uelut hic de Hispanis dicit, atque ea olea ad præsentem usum improbat, nimirum quum adstringant, ut XI. Meth. Galenus item his uerbis tradit, ἔστω σοὶ καὶ τὸ ἔλαιον σύφον, ὁποῖον ἐστὶ, τό τε σπάνον ὀνομαζόμενον, ὅσα τ' ἄλλα σκευάζουσι μετὰ θαλλῶν ἐλαίας. Dioscorides etiam idem fieri lib. 1. perhibet. σκευάζεται δὲ inquit, καὶ ἐκ τῶν λέπους τῶν θαλλῶν, ἔλαιον quanquam λέπους quidam

pro

pro λίπους non magna sensus diuersitate legere malunt, surculorũ cortices pro ipsorum pinguitudine accipientes. Quomodo autem oleum quodcunq; hispano simile fieri possit, docet Constantinus Cæsar de agricult. lib. 9. cap. 26. Vetus interpres pro ἄνευ θαλλῶν, id est, citra olearum germina legisse ἄνευ ἁλῶν uidetur. uertit enim quæ absq; sale construuntur, qui error non infrequens est græcis medicis, & maxime Galeno, ut uidelicet ἁλῶν uox pro θαλλῶν sit supposita, & uice uersa. At uero hic non est insulsi olei mentio apta. Rosaceũ sane citra salem apparatum, infra lib. II. ad capitis dolorẽ ex ardore, & multis alijs locis, Galenus probat, & Dioscorides quãdoq; id apparari cũ sale, ne corrũpatur, dicit, quã gratia etiã alijs sal additur, sed ut dixi, hic nõ est olei insulsi aut rosacei, mentio apta.

Si tamen nimis fluidum appareat, ceræ parum addatur.] Ceræ natura alias calfactoria est, & uim molliendi ac explendi habet, uerũ hic saltẽ ut laurino crassiciem quandam præbeat, quo melius adhæreat, eius exiguum quid addi præcepit, quanquam paulò post etiam Euphorbio ceram modicã ammiscendam suadet, quo uehemẽs eius caliditas tẽperet, si ex ipsius ceræ uncia una, & olei libra, ungentũ inceratũ tenacius, et tamẽ liquidũ fiat. At uero ubi triplũ uel quadruplũ etiam olei ad ceram additur, ceratũ liquidum fit, quod nescio cur humidum potius, ex κηρωτῆς ὑγρᾶς appellare Linacer cũ alibi, tum X. Meth. maluerit. Nam ad solidum parandum par oleo cera additur, aut certe non multo paucior. uerum de conuenienti mixtura ceræ ad oleum pro certis occasionibus ac tempore, docet Paulus Aegineta lib. 7. cap. 17.

Vnumquodq; aũt proprium uigorem his qui ea sæpe uiderunt, indicat, &c.] Cognoscitur simpliciũ quorundam, uelut sunt succi, semina, flores, radices, folia, & fructus, uigor ex odore, gustu, colore, & crassitudine, uerũ hoc non contingit quibusuis, aut qui prius nõ, aut raro, ea uiderunt, sed his qui antea multo usu exercitati, sæpe ea oculis lustrauerunt. Nam qui quæso præscribi possit gustus, aut odor, siue color alicuius rei, ut ex nudo præscripto mox ab aliquo percipi possit is esse qui descriptus est, qui prius rem ipsam nunquam uidisset.

Quanta distantia, quantoq; ordine id faciant.] Quatuor ordines siue gradus medicamentorũ simplicium quũ alibi, tum libro quinto simpliciũ pharmacorũ, Galenus facit, eosq; ἀποστάσεις, id est, distantias siue abscessus à temperatis appellat. Temperatũ autem intelligit quod temperamento simile est corpori cui adhibetur, & quod neq; calfacit, neq; refrigerat, neq; humectat, neq; siccat. Quod uero à temperamento digressum esse ad aliquã harum qualitatũ, ratione assequi, & demonstrare licet, idipsum primo ordine eius qualitatis esse dicet. In secũdo aũt quod euidenter aliquã harũ qualitatũ sensui exhibet. In tertio quod idẽ uehementer facit. In quarto q̃d ad summũ est progressũ, adeo ut si calidũ sit urat, & crustas infligat, si frigidũ mortificet. quin & in his singulis gradibus principiũ, mediũ ac finẽ facit ut summa ad duodenariũ numerũ extendatur, uelut amplius apud Galenũ loco citato uidere est, & lib. 2. τῶν κατὰ γένη & Paulum Aeginetam libro 7. cap. 2.

Nitrũ molle ustũ, & quod Berenicariũ appellatur.] Nitrũ optimũ et maxime molle ac tenuium partium Galenus, Berenicariũ appellatũ esse tradit, ab oppido troglodytarũ Berenice: ut opinor: appellatione ducta, unde quondã in Aegyptũ aduectũ Pliniũ Aegyptiũ uocare existimo, & Constantinũ Cæsarẽ lib. 6. de agricultura cap. 16. Alexandrinũ. Idem etiam Bereniciũ infra lib. 6. uocat his uerbis, καί ποτε καὶ αὐτὸ τὸ νίτρον ὅλον δὴ λεπτομερὲς, ὀνομαζόμενον ὑπὸ πάντων ἤδη Βερενίκιον & Methodi VIII. εἶναι δὲ χρὴ τὸ μὲν νίτρον λεπτομερὲς, οἷον τὸ Βερενίκιον, εἰ δὲ λιθῶδες, καίειν καὶ λειοῦν ἀκριβῶς αὐτό. Palam est itaq; Galenũ non quod ustum est nitrum Berenicarium appellare, sed tum Berenicariũ per se, tum etiam aliud, aut ipsum

adeo

adeo Berenicariũ ustum, siquidem lapidosum sit, in præsentem usum probare. longeq; falsus est uetus interpres qui Vernicẽ nominari à Galeno putãt, quum quod hodie Vernicem uulgo appellamus minime sit nitrum, Imò neq; res simplex aut sponte naturæ producta, sed factitia, & eius usum olim Bitumen præstitisse ex Plinio apparet, qui lib.35.cap.15.de Bitumine ita inquit. In reliquo usu æra mentis illinitur, firmatq; ea contra ignes. Diximus & tingi solitas ex eo statuas & illini. Placuit in ferrarijs fabrorum officinis tingendo ferro, clauorumq; capitibus, ac multis alijs usibus. Verũ hanc erroris ansam præbuit ei pandectarũ medicarũ autor, qui Bereniciũ quidem Vernicem seu Bernicem exponit, Vernicẽ aũtem postea sandaracham Arabis dici tradit, aliam ab ea quã Græci σανδαράχην appellant, Nimirũ gũmi electro siue succino non dissimile, nõ tamen ita durum, ita ut etiam in eius penuria, electrum pro ipso maiori tamen copia accipi possit, atq; hoc ex Serapione citat. Quin & Paulum capite de Vernice adducit, quem locum noster Paulus nusquã habet, sicut nec alios plerosq; qui indidem citãtur. Subdit etiã mox, ex lini semine ac uernice fieri quod Vernix appelletur, idq; à pictoribus ad conseruandos ac illustrandos colores usurpari ait, quod sane de huius temporis uulgo uocato uernice accipiendum est, quæ res factitia est ex gummi illo quod Arabibus sandaracha itemq; sandaros ac carabe dicitur, Græcis autem id quod electrum significat, & quod latinis uoce Succinũ appellatur. atq; Vernicis quidem gummi appellatio ex Germanica uoce facta est. Succinũ enim quod Plinius in insulis septentrionalis Oceani gigni, & à Germanis Glessum appellari, lib.37. cap.3. tradit, hodie magna copia ad littus Curiẽse & Samlandiæ Oceani æstibus eijcitur, & tum à Liuoniæ, quos Efflüos dixisse Tacitus uidetur, tum Prussiæ incolis mulierculis pro ornamento, instar corallij apud alios, circũ colla appendi tur ac gestatur, credibileq; est glessum Plinij ac Taciti ætate appellatum à Germanis, Verũ hodie ea uox aliud nobis, nempe uitrũ: sonat, nisi translucendi respectu primo ita sit appellatum. hodie sane uulgo Germanorũ istic habitantiũ Vernsten & Bernsten uocatur, appellatione ut uidetur: ex eo quod accensum tedæ modo ac nidore flagret: facta, quod ita fieri etiam Plinius ac Tacitus de eo testatur. In eodẽ porrò Curiensis littoris tractu, maxime tamẽ in Dantiaco Prussiæ urbe, idipsum gũmi cum lini semine in id quod Vernicem uocant, rem pictoribus familiarem, & quod bituminis usum hodie in plerisq; locis, ut dixi, præbet, apparatur: Ita ut tum in simplici re, tum in factitia, Vernicis nomen apud superius seculũ, ex germanica uoce Bernsten siue Vernsten, ob literarum V & B. uicinitatem in pronunciando, sit factum: cuius tamen magna ignoratio apud plerosq; omnes fuit, utpote quum uernicem cum Nitro Berenicario, apud Galenũ & græcos medicos confuderint, maximo omnino errore. uelut ostendi.

Et aphrolitrum album, leue ac laxum.] Quod hoc loco imprimis annotare necessarium duxi, hoc est, quod qui apud Galenum & græcos medicos aphrolitrum reperiũt, falsam scripturam æstimantes, aphronitrũ ferè omnes substituũt, quod ipsum ex aphrolitri ignorantia contingit. Sicut quoq; hoc loco factum est, ut ἀφρονίτρου pro ἀφρολίτρου suppositium legatur, quum contra ἀφρόλιτρον oporteat, ut ego uerti, & ut res ipsa postulat. Fecit enim antea Galenus spumæ nitri mentionem, νίτρου ἀφρὸν appellans, moxq; etiam ipsius nitri, quibus postremum addit & aphrolitrum, quod his potestate est propinquum, maxime si sit ustum, aliàs autem media inter spumam nitri & salem facultate præditum, quemadmodum Galenus 9. simpli. pharm. de metallicis clare docet. Quanquam etiam istic non sit integra Galeni lectio. Capite nanq; de Sale, amaram & extergentem uim spumæ nitri (legitur tamen corrupte ἀφρολίτρους) tribuit, Sal uero tantũ ab exter

gendi facultate deficere inquit, quantum adstrictoria ui abundat, In medio autem utriusque Litrum esse. Nõ longe post capite de Aphtolitto, manifestius adhuc indicat aliud esse ἀφρόλιτρον, id est, Litri spumã, & ἀφρόνιτρον, id est, Nitri spumam, Medicamentum inquit, resiccandi ui præditum est Litri spuma, farinæ triticeæ simili aspectu, nam & alba est, nõ uelut petræ Asiæ flos cinerea, Nitri uero spuma non farinæ faciem præfert, neque dissoluta est, sed cohærens & compacta, extergendi uim habens, & mox subdit. Litri spuma eiusdẽ naturę ac facultatis est cum Litro, sed substãtiæ magis tenuium partium: dictumque sanè paulò ante est (putat autem capite de Sale) Litri spumæ facultatem in medio spumæ nitri ac salis consistere. & addit, ἀφρολίτρῳ μὲν γὰρ ἡ ῥυπτικὴ δύναμις ὑπάρχει μόνη, τοῖς δὲ ἁλσὶ καὶ ἡ συπτική, πολὺ πλείων δὲ ἡ ῥυπτική. quæ uerba ut ex superioribus euidens est, in totũ corrupta leguntur, quũ non id quod Galen. uelit indicent. Quare eorũ lectio sic in integrũ per nos restituta adscribetur, hoc modo habens. ἀφρονίτρῳ μὲν γὰρ ἡ ῥυπτική, δύναμις ὑπάρχει μόνη, τοῖς δὲ ἁλσὶ καὶ ἡ συπτική τῷ δὲ ἀφρολίτρῳ ἀμφότεραι δυνάμεις εἰσί, πλὴν ἡ συπτικὴ ὀλίγη, πολὺ πλείων δὲ ἡ ῥυπτική. Quod uero ita legendũ sit etiam postea, capite de Litro edocemur, quanquam & tum corrupte νίτρου pro λίτρου legatur. Repetit enim rursus, se supra de Litro dixisse, quòd mediã inter spumam nitri, & salem, habeat facultatem, & si sit ustum, plus ad spumæ nitri facultatem accedat. Quin & intra corpus, Litrum ad dissecãdos & attenuandos crassos & tenaces humores longe efficacius quàm sal assumi ait, uerum Nitri spumam neminem citra magnam urgentem necessitatem deuotare, ut quæ stomacho noceat, & magis quàm Litrum dissecãdi uim habeat. Quare etiam nos inquit, tum usto, tum non usto litro (rursus tamen νίτρῳ corrupte legitur) utimur, & præsertim eius spuma, in his qui à fungis acceptis strãgulantur. Porrò libro 11. simp. pharm. ubi rursus de Sale agit, etiam de Litro repetit, dicens se demõstrasse, hoc pharmacum mediam facultatem inter salem & nitri spumã habere, quo loco etiam ἀφρολίτρου pro ἀφρονίτρου legitur, Ita etiam 8. Methodi, postquam multa extergentia recẽsuit, ἔτι δὲ μᾶλλον inquit, ὁ ἀφρὸς τοῦ νίτρου, καὶ τὸ νίτρον αὐτὸ καὶ τὸ ἀφρόλιτρον, id est, præstat hoc amplius spuma nitri, & ipsum nitrum, & aphrolitrum siue spuma litri. Ita enim legendum est, & non aphronitrum, uelut græcum exemplar & Interpretes habent, qua ratione etiam hic non alitet legendum esse indicaui.

Subactum autem intellige.] Subactum dicit accipiendum esse quod ad multos dies in sole cum aceto frequenter sit tritum, Ita enim ipse uerbum κατεργάσθαι & participium κατεργασμένος exponit, quanquam alias nõ ita curiosi apparatus, & late se extendẽtem habeãt significationẽ. Nam & στέαρ & ἰξὸν κατεργασμένον alias sæpe habet, hoc est adipem ac uiscum simpliciter tritũ ac dissolutum, quomodo etiam Celsus lib. 5. cap. 3. Emplastrum tetrapharmacum aceto subactum dicit. Vsurpatur etiam de omni farina in panis massam coacta. Conueniunt que huius coniugij uoces operæ figulari, in qua precipue elaboratum lutum requiritur, conueniunt & arationi terræ.

Metasyncritica Græci appellant.] Metasyncritica medicamẽta Galenus lib. 5. simpl. pharma. obscura, & falsa, ac sectæ suæ minime conuenienti appellatione Methodicos uocare dicit, ea quæ meatuum miscellæ corporis statum præter naturam habentem transmutant, atque idipsum μεταπορoποιεῖσθαι eos item appellare, sicut quoque effectum ipsorum μεταποροποιίαν. negatque huius appellationis usum alteri cuipiam sectæ conuenire, præterquam Methodicis, qui animalium corpora συγκρίματα id est miscellas appellant, atque inde μετασυγκρίσεων denominationem faciunt. Quando uero hæc ipsa Medicamenta partes fluxione laborantes diuturna manifeste iuuate palàm est, propterea sanè id contingit, quòd quum

frigida sit & humida earum affectio, calfacientibus & resiccantibus opus habent, iuxta Galeni opinionem. Tale pharmacum à Dioscoride Thapsia describitur, his uerbis, δύναται δὲ καὶ μετασυγκριτικῶς ἁρμόζειν ὅτι ὁ ὀπὸς καὶ ἡ ῥίζα πάντων μάλιστα τῶν ἰσοδυναμούντων, ὅπου δεῖ τι ἐκ βάθους ἑλκύσαι, ἢ μεταποροποιῆσαι. hoc est, habet autem tum succus, tum radix, ex omnibus simili potentia præditis, uel maxime uim Metasyncriticã, ubi uidelicet ex alto quid attrahere oportet, aut meatuum statum transmutare. Quibus uerbis roram Metasyncriticorum uim declarat, Nimirum quod ex alto corporum fluxiones euocent, & meatus transmutent. ita enim ipse exponit. Cornelius Celsus libro. 2. cap. 17. eandem uim his uerbis expressit, de balneo loquens, Vbi summam cutem relaxari, euocarique corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Porrò hocipsum ueteres interpretes Recorporare, & medicamenta ipsa Recorporatiua dixerunt, existimãtes se quàm proxime uocem ipsam græcam reddere ac exprimere. sed uulgus Medicorum hodie neque hanc uocem ea significatione accipit, sed putant per eam indicari quæ uires reficiunt, atque ita corpus reparare uidentur. uerũ hæcipsa nõ μετασυγκριτικὰ sed ἀναληπτικὰ dicuntur, & pars saltem aliqua τῶν μετασυγκριτικῶν existũt. At uero illa ipsa Metasyncrisis non tantum per ea medicamenta quæ propriè Metasyncritica appellantur cõtingit, sed per alias etiam res quæ eandem habent facultatem, uelut sunt, Varia gestationum genera, deambulationes, uocis exercitia, unctiones, cucurbitæ, dropaces, insolationes, frictiones, psilothra, smegmata, sinapismi, uomitus à raphanis, uirium refectrix diæta, balnea, uinũ, uarius cibus. sed adscribã Pauli de hac re uerba lib. 3. cap. 72. de fluxu muliebri, quo eius lectio in integrũ restituatur, quæ talis est. ἐν δὲ τοῖς διαλείμμασι, πεδῶδεῖζε γὰρ χρόνοις, μετασυγκρίνειν ἀιώραις διαφόροις, περιπάτοις, ἀναφωνήσεσιν, ἀλείμμασι, σικύαις, δρώπαξι κατὰ τῶν ὑπερκειμένων, ἡλιώσει, ψήξει, ψιλώθροις, σμήγμασι, σιναπισμοῖς, ἐμέτοις ἐκ ῥαφανίδων, ἀναληπτικῇ ἐπιμελείᾳ, λουτροῖς, οἴνῳ, ποικίλῃ τροφῇ. Ex his aũt & Galenus aliqua paulò antè hunc locum recensuit, ueluti scarificationes, cucurbitas, cerata, uiriũ refectricem diætam. legendum est enim λυρωταῖς, ἀναλήψεσι, Non ut exemplar excusum habet, λυρωταῖς ἐπαλείψεσιν, ut infra ex Sorani uerbis claret, ubi penitus eadem recensentur, & λυρωτῇ, ἀναλήψις, utraque uox seorsum legitur.

Gallarum omphacitidum.] Gallarum genera duo Dioscorides lib. 2. facit his uerbis, κηκὶς καρπός ἐστι δρυός. ἡ μέν τις ὀμφακῖτις καλεῖται μικρὰ καὶ κονδυλώδης, στιβαρά, ἀτρύπητος, ἡ δ' ἑτέρα λεία καὶ κούφη καὶ τετρημένη. hoc est, Galla fructus est quercus, & altera ex his omphacitis appellatur parua, nodosa, solida, non perforata. Altera uero glabra leuis & perforata. Galenus autem 7. simpl. pharm. alterã simpliciter omphacitin appellari ait, alteram uero flauam, & laxam ac magnam describit, & siccare quidem ut priorem tradit, sed tanto minus, quanto acerbę qualitatis minus quàm prior complectitur. Ex quibus sanè uerbis plerique omnes qui omphacitin gallam apud græcos medicos, Galenum, Dioscoridem, Paulum, ac alios legunt, nobis immaturam uertunt, tanquam sanè ea ipsa, uoce ὀμφακῖτιδος significetur, quum aliàs ὄμφαξ uua itemque oliua immatura, & ὀμφάκινον ex oliuis immaturis oleum appelletur. Verum nos non temere ita uertimus, sed semper omphacitin diximus, ut qui nõ per hanc uocem immaturam Dioscoridi & Galeno ac Paulo dictam putamus, sed certum quoddam genus, quod Dioscorides & Galenus alterum ex eis faciunt, quum immaturæ appellatio de utroque genere intelligi possit, quod non ad iustam maturitatem peruenit, atque ita accipio à Plinio dictum lib. 24. cap. 8. Immaturæ ex his ex aceto potæ lienem consumunt, Eædem crematæ & aceto salso extinctæ menses sistũt, uuluasque procidentes fotu. Neque enim aliud est quod Dioscorides & Galenus de utroque genere dixerunt,

 quod

quod uidelicet ἐσχάραι fiant si ignitis prunis urantur, & aceto aut uino, aut oxalmæ extinguantur. Quando igitur utraque Galla suo tempore immatura est, & dicitur, minime hæc certa alterius generis differentia putanda est, minimeque pro omphacitide primo gallarum genere, immatura accipienda. Inquirendum itaque est quod genus gallarum sit omphacitis appellatum, alterum enim genus nemini non est notum; atque id conabimur ex descriptione quam Dioscorides habet eruere, singulis eius uerbis æstimatis. ὀμφακῖτις inquit, καλεῖται μικρὰ καὶ κονδυλώδης, στιβαρά, ἀτρύπητος. Paruam itaque primum dicit, mox nodosam, ita enim ego κονδυλώδης interpretor, quum κόνδυλοι sint tum digitorum ac brachiorum articuli ac iuncturæ, uelut Galenus lib. primo, εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν tradit, tum nodi & callosæ concretiones in digitis manuum, ac pedum, in sede item, ac uuluæ ore coactæ, quæ etiam κονδυλώματα appellantur. quanquam non semel suspicatus sum κονδυώδης pro κονδυλώδης esse legendum, atque accipiendam ad calicis seu pocilli formam cauam. Est enim κόνδυ poculi Cymbrici genus Hesychio autore. Verum in hac re nihil assero, indicasse tantummodo hæsitationem meam contentus. Solidam deinde & non perforatam tradit, ut plane hæ differentiæ sint, quas Plinius dixit, Nimirum alteram solidam, alteram perforatam, illam minorem, hanc maiorem. Nam albæ & nigræ differentiam Dioscor. non habet. & Galenus alterum genus, magnum scilicet, fuluum esse dicit, quod fortasse primum candidius iuxta Plinium fuit. Sicut contra appellationis Omphacitidis differentiam Plinius nusquam habet. Habemus itaque iam Gallam omphacitin esse paruam, nodosam, solidam, non perforatam. quæ certe immatura dici Latinis non potest, sicut neque etiam est, sed in suo genere perfecta. Quæ igitur talis est? Ego sane omphacitin gallam esse, & appellari à Galeno, ac describi à Dioscoride puto, id quod cauum primum ex quercu enascitur, ex quo postea ipsa glans prodit, eique innascitur, quanquam id non perpetuo contingat; ut ex eo glans proueniat. atque in hanc opinionem induxit me Paulus qui libro 3. cap. de dysenteria, apertis uerbis docet ὀμφακῖτιν, id esse quod dixi. ὀμφακίτιδος inquit, legitur tamen in uulgato exemplari ὀμφακίδος, κεκαυμένης. ἔστι δὲ τὸ κοῖλον ἐξ οὗ ἐκπέφυκεν ἡ τῆς δρυὸς βάλανος, ᾧπερ οἱ βυρσεῖς χρῶνται. hoc est, omphacitidis ustæ, est autem cauum illud ex quo glans quercina enascitur, quo coriarij utuntur. Euidens est descriptio rei quam uelit, & quum hoc amplius addat, eo coriarios uti, plane hoc indicat quod hodie etiam usu uenire uidemus, quanquam utraque galla à tinctoribus expetatur.

Panniculi Cilicij usti.] Quales fuerint cilicię uestes, ex quibus hic panniculum detritum ustum Heraclides Tarentinus in usum curandarum alopeciarum assumit M. Varro lib. 2. de re rust. ostēdere uidetur, ubi de caprarum pilis agens ait, Tondētur quod magnis uillis sunt, in magna parte Phrygiæ, unde Cilicia & cætera eius generis ferri solent. Sed quod primum ea tonsura in Cilicia sit instituta nomen id cilicas adiecisse dicunt. Quare apparet Cilicia substantiua uoce, cilicas uestes seu saga dici, quæ uidelicet à cilicibus parabantur, atque hoc ex lana caprina. Hoc autem loco palam est eundem Cilicij panniculi usum esse, qui alias est lanarum ustarum, itemque pilorum ustorum, quos etiam simul in pharmacum ammiscet. Acquirūt autem hæc ex ustura calfactoriam & resiccatoriam facultatem, ut Galenus lib. 11. simp. pharm. tradit. quare etiam panniculum Ciliciæ uestis detritæ ustum similem facultatem habere colligimus, utpote ex pilis constantem, etiamsi ῥάκος, quam uocem panniculum uertimus: pro linteolo quoque tenui, & aliquando detrito non infrequenter Græcis Medicis dictum reperiatur, Velut etiam apud Strab. 15. de cultu Persarū, ῥάκος δὲ σινδόνιον περὶ τὴν κεφαλήν,

hoc

hoc est, linteum Sindonicum quoddã circum caput. Porrò quemadmodum hoc loco ciliciæ uestis pãniculum Heraclides probat, ita infra nõ longe post Cleopatra Ampelinæ uestis panniculum habet, in eundẽ planè usum, appellationibus utriusq;, ut apparet, à regionibus ac urbibus patrijs deductis. Nam quod uetus interpres eo loco pro Ampelino panniculo, cortices uitis uertit, tanquam sanè uitis cortices ἀμπέλινον ῥάκος per metaphorã sint appellati, mihi non placet, quum hic alias nullarũ sit similiũ metaphorarum usus, & si hoc ita μεταφορικῶς quis dictum uelit, similis metaphora & κιλικίῳ ῥάκει exquirenda uidetur, qualẽ ego nullam esse uideo. Meminit Cilicij etiã Columella lib. 12. cap. 46. de conditura Inulæ, Quum eius radicem inquit, è terra erueris, aspero linteolo uel etiã cilicio detergito quiquid arenæ inhærebit.

Muscarum capita contrita affrica.] Hoc loco dubiũ sanè esse alicui possit, muscarum ne an muriũ capita Archigenes affricari uelit, quum μυῶν quidẽ in græco exẽplari, id est, muriũ legatur, uetus aũt Interpres μυιῶν, id est, muscarũ uerterit, Plin. uero lib. 39. cap. 6. tum muscarũ, tum muriũ capita alopecias sanare ex græcis, ut in confesso est, medicis tradat. Cæterũ ut ne hic hereremus, Asclepiades fecit qui non ita longe post citante Galeno, aperte muscarũ recens captarũ, & prȩsertim sanguinis ipsarũ usum præscribit, talẽ utiq; qualẽ hic Cleopatra uoluit. At uero capitũ muriũ usus non est nisi ustorũ, sicut etiam paulò inferius eorundẽ totorum ustorũ cinis probatur, & Galen. etiã de Theriaca ad Pisonẽ testatur, ἐνίοις inquit, βοηθοῦσιν αἱ κεφαλαὶ τῶν μυῶν, καυθεῖσαι γὰρ μετὰ μέλιτος χριόμεναι τὰς ἀλωπεκίας ἰῶνται δυνατῶς. quare quũ hic de ustura non fiat mentio, uel inde etiam certum est muscarũ capita accipi debere. habet tamen muscarũ etiam capita cõbusta, ad alopecias cõmoda Marcellus, ex græco utiq; μυιῶν, pro μυῶν agnito, reddita. Habet etiã Cleopatra infra c. 2. muscas in ollula torrefactas, ut anceps sit μυῶν & μυιῶν, tum lectio, tum usus. Cõsimilis porrò hæsitatio etiã in his quæ perdendis muscis ac muribus, tum Plinio, tum Aetio æqualiter traduntur, contingere potest. Nos sanè apud Aetiũ serm. 13. cap. 42. Muscarũ perdendarũ pharmaca uertimus, quę æqualiter etiam de muribus intelligi possunt, quanq; exemplar quod sequutus sum τὰς μυίας aperte haberet, Plinius namq; idẽ medicamentũ, ueratrũ uidelicet album, ad utrũq; animal perdendum ualere scribit. Mures inquit, polentæ admixtum necat. Et mox, Muscæ quoq; necantur albo trito & cum lacte sparso.

Cum aceto, nitri gleba, aut sepiæ testa, aut aspera squatinæ cute.] Nitri glebam hoc loco Archigenes ad frictionis usum propter habilitatem probat, quum aliàs leue, perforatum ac ueluti spongiosum, & in puluerem redactũ ad eundem usum inspergi atq; ita affricari possit. Quare νίτρου βώλῳ, non obolo ut uetus Interpres uertit hic legendum est, quum non pondus, sed rei habilitas per βῶλον, id est, glebæ uocem indicetur, atq; hoc paulò ante Cleopatra προκανιτρώσας, & Plinius sæpenumero, nitro ante præparatas dixit. Cæterum eundem usum & aspera squatinæ cutis affricta contulerit, quam hic ἰχθύαν appellat, qua significatione etiam Hippocrates περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου usurpare uidetur quum ait, ἰχθύην τὸ εἴδησιν περὶ τοὺς δακτύλους τῆς χειρὸς τοὺς δύο, ὅπως μὴ ἀπολισθάνῃ ἡ σάρξ. quanquam etiam eo loco unguem ferreum instrumentum significare possit, quod itidem ad extrahendũ immortuũ fœtum conducat, propter similitudinẽ quam ad piscium squamas habet, ita appellatum: ut Galenus in glossis Hippocratis exponit.

nitro ante pr

In splenio impone.] Splenia & Splenas esse linteola non oblonga tantum, uelut Hesychius prodit, aut splenis ut alij, figura: sed quacunq; forma ad partiũ corporis habilitatẽ aptata, quibus excepta uel illita medicamẽta adhibẽtur, frequẽs

est in Medicorum græcorum libris, & apud latinos eadem est significatio nô medicis modo, sed aliis etiam scriptoribus ac poetis. Galenus Hippocratem ea excogitasse ad stabiliendas fracturas 6. metho. tradidit his uerbis, ὅθεν εἰς μὲν τὴν φρουρὰν, ἐπινοεῖν αὐτοῖς ὁ ἱπποκράτης ἐξεῦρε τὴν τῶν σπληνῶν ἐπιβολήν. & paulò post ad ossa multifariam confracta, splenium asciæ forma circūdare ex eiusdem Hippocratis præcepto iubet σπλῆνα inquit, σκεπαρνηδὸν ὡς ἱπποκράτης ἐκέλευσε περιβάλλειν. Apud Plinium 26. cap. 14. de gentiana legitur, uel succo uulneribus ex ea factum lycium, Quo loco lycium pro splenio uel linamento dictum uideri possit, uerum locus est corruptus & legendū est, uel succo uulneribus indito uelut lycium, Id quod Dioscorides dixit, ἔστι δὲ τραυματικὴ ἐπιτιθεμένη ὡς τὸ λύκιον.

Aut præpunctis pro more.] Morem pungendi alopecias per aciculas colligatas supra tradidit, & infra repetet etiam Soranus; quem sanè etiam hic innuit Archigenes.

Quidam nitri decimam ipsius cineris partem ammiscent.] Græcum exēplar habet, ἔνιοι νίτρου πρὸς τὸ δέκατον τῆς τέφρας μίσγουσι, id est, quidam nitrū ad decimam cineris partem ammiscent. Verum nos legendum putamus, ἔνιοι νίτρου τὸ δέκατον τῆς τέφρας μίσγουσι, id est, Nitri decimam ipsius cineris partem. Quum enim antea solius cineris corticis calami usum cum pice præscripserit, nunc uidetur eius uim per adiectionem nitri uelle acuere, & non contra, nitri uim per decimæ partis cineris additionem temperare. Vetus Interpres hic multa transiliuit, sicut alias etiā in toto opere plurima, ita ut dimidiū horum librorū uix uerterit.

Aut squamam stomomatis ferri] Stomoma ferrum est in usum aliquem formatum, hoc est instrumenti alicuius formam redactum ac chalybe roboratum, à uerbo στομόω, quod roboro ac quasi os & aciem firmo significat, uerbali forma deducta appellatione. Sic Aetius serm. 9. cap. 48. πλάτυσμα σιδήρου στομώματος, id est, laminam ex ferro stomomate, hoc est, per chalybem rodorato, probat. Sermone autem 10. cap. 11. rursus ferrum quod stomoma sit probat, & mox squamę ipsius utilitatem adscribit, addens simul quæ res sit stomomatis squama his uerbis. ἔστω δὲ ὁ ἀπὸ σβεννύμενος ἐν αὐτοῖς σίδηρος στόμωμα, ἡ δὲ τοῦ στομώματος σιδήρου λεπὶς, ἡ ἐν ταῖς χαλκείαις ἀποβάλλεται ὁ σίδηρος πυρούμενος καὶ τυπτόμενος, ὡς ὑστέροις τοῖς ἀγροικοτέροις ἀνθρώποις χρησίμως δίδοται, τήκει γὰρ αὐτὴ τὸν σπλῆνα γενναίως. In quibus uerbis palàm ostendit squamam stomomatis ferri, esse eam quæ à ferro stomomate dum ignitur & malleo tunditur abijcitur. quod ipsum longè dissonat ab eo quod Plinius tradit, Stomoma uidelicet non ferrum aliquod uocari, sed squamæ æris alterum genus, ex summa scilicet lanugine decussum. Verba Plinij sunt hæc lib. 34. cap. 2. Squamæ est alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine decussum, quod uocant Stomoma. confudit itaque Plinius (si modo uera est hæc lectio) duo squamarum medicis usurpatarum genera, quorū alterum ex clauis æris, ictibus excutitur, alterū ex stomomate ferro ignito ac malleo tuso itidem disparatur; atque hoc etiam Dioscorides libro quinto sensit, qui seorsim primum de æris squama, postea de stomomatis squama tradit. Tametsi uel unus Dioscorides Plinium in eam opinionem duxisse uideri possit, ut scilicet putaret squamam ipsam, stomoma appellari, Quum enim Dioscorides simpliciter hæc uerba λεπίδος στομώματος δύναμις ἐστιν ἡ αὐτὴ τῇ τοῦ χαλκοῦ λεπίδι prodat, hoc est ad uerbum. Squamæ stomomatis uis eadem est qua squamę æris, neque adijciat σιδήρου ad uocem στομώματος, uideri possit cuipiam oscitantius legenti, eum alterum squamæ genus stomoma dixisse. uerum attentius consideranti mox apparebit, στόμωματος uocem eadē ratione additam huic squamæ ge-

neri, quia χαλκοῦ altero generi adijcit, Nimirũ ut altera ex ære, altera ex ferro stomomate decussa intelligatur. Porrò Galenus libro 19. simpl. pharm. hanc differentiã aperte demonstrat inquiens, σύψεως δὲ πλέιονος ἡ τοῦ σιδήρου μετέχει λέπις, καὶ ταύτης ἔτι μᾶλλον ἡ τοῦ στομώματος· διὸ καὶ πρὸς τὰ κακοήθη τῶν ἑλκῶν ἀμείνους εἰσὶ τῆς τοῦ χαλκοῦ. καθαίρει δὲ καὶ τήκει σάρκας μᾶλλον ἡ τοῦ χαλκοῦ, ταύτης δὲ ἔτι μᾶλλον ἡ ἄλλης. In summa itaq; duo genera squamarũ sunt, alterũ æris, alterũ ferri. Vtriusq; autẽ rursus duæ sunt species. Squamæ æris, altera æris simplicis seu candidi, altera æris rubri, quæ helitis appellatur. Sic etiã ferri squamę, altera species ex simplici ferro est, altera ex ferro stomomate, quod est chalybe firmatũ aut chalybs per se. Cornelius Celsus lib. 5. cap. 1. ferri squamæ alteram speciem tantum nouit Libro aũt 6. cap. 6. in Cleonis collyrio falsò legitur, squamę ęris quod στόμωμα appellant, haud scio an nõ ipsius Celsi culpa. est enim legendũ, squamæ ferri quod στόμωμα appellant, uelut ex supradictis palàm est. Cæterum has squamarum species, & præsertim stomomatis ferri, nemo hactenus ex Latinis intellexit, quod equidem sciam. Omnes enim æris squamam Stomoma uocãt, Dioscoridem male intelligentes, ut quem neq; Plinius (uelut indicaui) est assequutus, etiamsi eo loco medicorum ignorantiam in his rebus grauiter coarguat. At uero eum ignorasse quid stomoma, & quid stomomatis squama esset, uel hoc indicio est: quod supra citati libri capite 15. squamæ ferri seorsim mentionem facit ex acie aut mucronibus decussæ, quæ sanè nihil aliud est quàm stomomatis squama, quum supra ostenderim stomoma significare ferrum in aciem & mucronem firmatum & chalybe roboratum, aut chalybem adeò per se. Verba Plinij hæc sunt, Squama quoq; ferri in usu est ex acie aut mucronibus. Porrò quod dixi ferrum fieri stomoma per chalybem firmatum ac induratum, idipsum Plinius eiusdem libri capite 14. his uerbis tradit. Ex omnibus autem generibus palma serico ferro est, Seres hoc cum uestibus suis pellibusq; mittunt. Secunda Parthico, neque alia genera ferri ex mera acie temperantur, cæteris enim admiscetur. Aciem Plinius hîc appellat quod chalybem hodie dicimus, ex qua mera duo illa genera ferri Sericum ac Parthicum à natura temperari dicit, uerum reliquis generibus ferri necesse esse aciem admisceri, quo uidelicet per eam firmentur, & in usum aliquem aptentur. Quod autem Aciem Plinius dixerit quod hodie chalybem uocamus, ex ipsis adeò linguis palam fit, Italica, Gallicáque ac Hispana, quæ chalybem, azzaio, acier, acciel, appellant, omnibus his uocibus ex acie latina uetere chalybis appellatione corruptis. Nos Germani græcam stomomatis appellationem aliqua parte exprimimus, stael appellantes.

Aut hippopotami corium ustum illine.] Idem remedium etiam Plinius lib. 28. capite 8. habet, ne quis forte hippocampi legẽdum existimet, de cuius ciuere paulò ante Archigenes mentionem fecit, maxime quũ ἱπποτάμυ corrupta uoce in Græco legatur.

Nuces amaras una cum corticibus.] Amaras nuces, hoc est κάρυα πικρά, hîc Archigenes dixit quas suprà Crito & Cleopatra, amygdalas amaras appellauerunt, id quod & Plinius & Celsus in usu habent.

Scalpturam per acutum cœlum assidue facimus.] In græco est, τὸ δὲ κατακνύειν τῷ διὰ σμιλίου συνεχῶς ἐνεργοῦμεν. Est autem σμίλιον cœlum uel scalprum quo Alopeciã irritare ac exasperare se dicit Asclepiades, id quod Celsus dixit, Quidam hæc genera scalpello exasperant.

Post hæc uero etiam muscarum Asclepiades meminit.] Hoc loco in græco exemplari θεραπεύσαντες pro θηρεύσαντες corrupte legitur, & paulo pòst, καὶ φά

ρα, pro συμφέρει, & προεξωμολησάμην pro προξυμολησάμην, his itaque constitutis integra est lectio, eaque sententia, quam nos reddidimus.

Præfatur quædã quæ iuxta propriæ sectæ ductum digessit.] Soranus Ephesius Methodicus fuit, & uel præcipuus post primum eius sectæ autorem Themisonem. Hunc itaque pro suæ sectæ ductu & instituto, quædam curandis alopecijs præfatum esse dicit. Fuit autem sectæ eius summa, communem quandam omnium morborum indicationem esse, quum omnes affectus particulares, ad duo morborum genera reduci possint στεγνὸν & ῥοῶδες, id est ut Celsus exponit, Adstrictum & fluens. Imò & tertium quoddam genus ex his mixtum addiderunt. Hæc autem genera κοινότητας, hoc est, communitates appellabant. Contra hos Galenus libros 14. de curandi methodo scripsit, In quibus Thessalum Trallianum præcipue insequitur, qui artem Methodicam se sex mẽsibus traditurum quibusque pollicebatur. Videtur tamen huic sectæ uel ipse Aristoteles occasionem dedisse, Hic enim lib. 8. physicarum auscultationum ita inquit, ἐπὶ δὲ πάντων τῶν παθημάτων ἀρχὴ πύκνωσις καὶ μάνωσις.

Primum abstinentia proderit.] hoc loco pro abstinentia συσολὴν Soranus habet, id est, cõtractionem, quod indicare uolui, quum non multi usus sit aliàs hæc significatio, Nam infra lib. 2. ὑποσολὼ τροφῆς dixit.

Spumæ nitri partem unam, Rhois partes duas.] In græco exemplari Veneto, quod solum in his uertendis ad manum habuimus, corrupta lectio est hæc. ἀφρονίτρου μέρ☉ ἓν, λιεροῦ καὶ ἅλος ἀμμωνιακοῦ μέρ☉ ἕν. Euenit autẽ hoc uitium ut pleraque alia culpa correctoris, qui quum lectionem ueram assequi non posset, falsam quamcunque arripere procliuius fuit, substituit. Legendum est autem pro λιεροῦ καὶ falso, ῥοῦ μέρη β. rectum, id est, Rhois partes duas. ceræ enim hoc loco nullus est usus, maxime ustæ. Indicatque locum uitiatũ uel illud, quod cera & sal ammoniacus coniunguntur, neque additur uox, quæ alias duobus aut pluribus adijci solet, ἀνὰ uidelicet, ut scilicet utriusque pars una sumenda significaretur. quanquam quam uetus Interpres apertis uerbis rectam lectionem demonstret, eam scilicet quam nos uertimus.

Sepiæ atramentũ illinito.] Sepias atramentũ pro sanguine habere, quod ubi se apprehẽdi sentiũt effundãt, eoque aquas infuscẽt, quo uidelicet abscondantur, autor est & Aristoteles & plutarchus, & Plinius lib. 9. cap. 29. Idipsum atramentum etiam hic Alopecijs illini iubet. Sequuntur mox Sphæritidis folia, exponit autem ipse Galenus, uel quem citat Soranus, uocem σφαιρῖτιν significare cupressum σφαιρία, hoc est, pilulas ferẽtem. Vsurpauit ea significatione etiã Aetius serm. 12. cap. 44. uelut nos eo loco reddidimus. Sed Hermolaus lib. 2. corollacap. 397. non constare ait quæ herba sit sphæritis Aetio, & cyclaminon posse interpretari suspicatur.

Alcyonij drachmam unam, sulphuris uiui drachmas VI.] Exemplar græcum hic sulphuris uiui drach. s. id est, dimidiam habet. Verũ exiguum uidebatur nobis id pondus esse, Alcyonij & muscarũ ponderis respectu, quare cum ueteri Interprete ς. pro s. id est, sex pro dimidia restituimus, quãdo alias magna uicinitas picturæ utriusque characteris, facilem præbuit ansam alterũ pro altero substituẽdi.

Passum illinito, ac deinde ferulam ustã inspergito.] In græco hic καταπλασσε, hoc est cataplasmatis modo imponito, habetur. Verum quum hic nulla eiusmodi forma medicamenti præscribatur, quæ in cataplasmata apte redigi possit, uisum est mihi καταπασσε, id est, inspergito legendum esse. hoc enim ferulæ ustæ magis conuenerit, citra humoris admixtionem. Nisi planè quis tum passum ipsum

ipsum illinire, tum ad ferulam ustam addere uelit, quo in cataplasmatis massam subigatur, atque ita imponatur: quod tamen hic non uidetur Soranus uelle. Cæterum hæc uerba nõ infrequens est reperire apud Galenũ, Aetium, Paulum, & reliquos medicos Græcos, uicissim supposititia, operosum esset locos quibus id cõtigit adducere, admonuisse tantum satis iam esse duxi, quo si quis in hæc uerba incidat, diligentius rerum aptitudinem intueatur, ex quo etiam uerbi alterutrius certitudo consequetur.

Pilorum ursi unciam ℥.j.] Græcũ exemplar προβάτων τῶν τριχῶν habet, id est, pilorum ouillorũ. Verũ locus uidetur mihi corruptus, quando lanarum potius, id est, ἐρίων dicendũ fuisset, si προβάτων legendũ esset, atque ita etiã scribi oportuit, si κριοῦ, id est, arietis, ut uetus Interpres habet, legendũ esset. Quare utraque hac lectione reiecta, nobis ἄρκτου legi debere uisum est. Nam de ursi pilis etiam paulò ante compositionem recensuit, & de iisdem supra Heraclides itidem medicamentum in hunc usum composuit. Quod si tamen προβάτου significationem accipias, quomodo Hippocrates usurpare solet, non pro ouicula, sed pro omni pecore, & gregatim pascentiũ armentorũ genere, possis hoc loco per προβάτου τρίχας, capræ uel bouis, uel suis, uel equi, uel asini, aut etiã cameli pilos intelligere, sed mihi ἄρκτου lectio, uelut dixi, magis arridet. Dixit aũt Hippocrates omnis generis pecora & armẽta πρόβατα in lib. de sacro morbo, ubi de Libyę mediterraneæ inhabitatoribus ait. οὐ γὰρ ἔστιν αὐτοῖς ἄλλο προβάτιον οὐδὲν, ἢ αἶγες καὶ βόες. Et in libro περὶ ἄρθρων citat Homerũ, qui boues ad finẽ hyemis maxime ægrotare testatus sit. καλῶς γε, inquit, ὅμηρος καταμεμαθήκει, ὅτι πάντων τῶν προβάτων βόες ὅτι μάλιστα πονέουσι ταύτην τὴν ὥρην. Quẽ locũ enarrãs Galen. ait πρόβατα νῦν εἶπεν ἅπαντα τὰ βοσκήματα. Sed & apud alios ueteres eam προβάτου uocis significationẽ esse, ibidẽ tradit. & ab Homero quoque sic usurpari, ubi ait. πολλά τε οἱ πρόβατ᾽ ἐστί. Vult enim ostendere Homer. inquit, multũ armentorũ gregem ipsum possidere. Vsurpat eadẽ significatione Hippoc. rursus in lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, sic scribens. ὡς δὲ γίνεται καὶ ἀπὸ φυμάτων ὕδερος, τόδε μοι μαρτύριον καὶ ἐν βοΐ, καὶ ἐν κυνί, καὶ ἐν ὑΐ. μάλιστα γὰρ τῶν τετραπόδων ἐν τούτοισι γίνεται φύματα ἐν τῷ πλεύμονι, ἃ ἀπὸ ἔχουσιν ὕδωρ. διαταμὼν γὰρ γνοίης τάχιστα. ῥεύσεται γὰρ ὕδωρ. δοκέει δὲ καὶ ἐν ἀνθρώπῳ γίνεσθαι τοιαῦτα πολλῷ μᾶλλον, ἢ ἐν προβάτοισιν, ὁκόσῳ καὶ τῇ διαίτῃ ὑγιηνοτέρῃ χρεόμεθα μᾶλλον.

Castanearũ hispidi corticis] Castaneas inter cæteras appellationes, Sardianas glãdes & λόπιμα græcis dici, autor est Dioscor. lib. 1. & Galen. lib. 2. de alimentis τὰ καστανὰ ἔνιοι καὶ λοπίμους ὀνομάζουσιν, inquit. Earũ itaque hispidũ corticẽ hic in usum assumit Galenus, uocatque πώγωνα λοπίμου, id est, barbam castaneæ, id quod Plinius echinatũ calicẽ dixit, Neque alius quàm castaneæ cortex est, quem Aetius βαλάνου κασιανῆς φλοιὸν appellat, sermone 8. cap. 73.

Polytrichi lib. dimidiũ, callitrichi lib. dimidiũ.] Hoc loco non semel dubitaui an iuxta græci exemplaris lectionem, utramque appellationẽ & appõderationem polytrichi uidelicet & callitrichi uertere deberem, quũ Dioscorides & Galenus eandem herbam utraque uoce accipiant (quæ aliàs Adianton appellatur) & uetus interpres polytrichũ tantum uerterit. Cæterum quũm Plinius lib. 22. cap. 21. duo Adianti genera faciat, candidius, & nigrum breuiusque. & maius polytrichum, alterum Trichomanes uocari tradat, Et rursus lib. 25. cap. 11. polytrichum à callitricho distare, eo quod iuncos albos habeat, & folia plura maioraque, & fruticẽ item maiorem, scribat: nolui etiam ego alterum prætermittere, sed utrũque uerti, ac suo utrumque pondere adiiciendũ existimo, quo uidelicet uis confirmandi ac densandi capilli, ex utroque addito fortior reddatur. Ita ut per callitrichũ, trichomanes accipiatur mox post adiantum etiam ipsi Dioscoridi descriptum.

Folij malabathri sexuncem.] Vetus Interpres hoc loco φύλλον μαράθρου legit, & uertit, id est, folij fœniculi. At quum græcum exemplar μαλαβάθρου aperte habeat, sitq; malabathri folium eadem ui præditum qua ipsa nardi spica iuxta Dioscor. & Galeni traditionem, & sit ipsa Nardus σύφουλα καὶ δασυώνουσα τὰς βλεφαρίδας, ut inquit Dioscorides, uidetur mihi rectius malabathri folium, quàm fœniculi hoc loco accipi, maxime quum fœniculum non adeò calida ac sicca ui præditum sit, uelut malabathrum. hoc enim in tertio gradu calfacit & secundi fine siccat, illud uero tertio ordine calfacientium locari potest, & primo tantũ siccantium. Non raro autem contingere solet ut μάραθρον pro μαλάβαθρον, & uicissim hoc pro illo suppositũ reperiatur, uelut etiam alibi ostendi. Porrò in eiusmodi uocibus quæ uicinam habent scripturam, itemq; in pronunciando sonum non ita diuersum, longe frequentes errores in græcorum medicorum libris inoleuerunt. conuenitq; eos qui hos autores cum fructu, & citra periculum uersare, ac in usum adhibere uelint, attentos esse, ne alteram pro altera accipiant, quũ perniciosus sit in plerisque error. Indicabo autem iam aliquas nudis nominibus productis, ubi alias res ita tulerit etiam ipsos locos adducam. σῦκον, σίκυος. In his nuper adeò quidam Galeni Interpres lapsus est, σικύων ἡμέρων σπέρματα, mansuetarum ficuum semina uertendo, quum cucumerum satiuorum oportuit, & alias semina ficuum sint nulla. nam quæ insunt eis grana potius quàm semina, κεγχραμίδες appellantur. quanquam etiam σπέρματα, hoc est semina, subinde græcis medicis dici, & seminũ etiam usum præbere nõ negauerim, uerũ eorũ seminum, nullus eo loco Galeno est usus. κνίδειος κόκκος, κνίδη, σχοῖνος, σχῖνος. ἀσπάλαθος, ἄσφαλτος, πράσον, πράσιον. κίσθος, κισσός. σκόροδον, σκόρδιον. κάρδαμον, καρδάμωμον. κόστον, κώνειον, ἀνδράχνη, σανδαράχη. σμύρνη, σμύρνιον. ὕσσωπος, οἴσυπος. κύπρος, κύπειρος. χιστὴ. χῖνος. ἰός, ἴον. πτέρεως, πεπέρεως. μάραθρον, μαλάβαθρον. & quædam alia suis locis indicanda.

Musci quem alij splanchnon, alij bryon aromaticum uocant.] Muscus de quo hic Galenus mẽtionem facit, bryon & splanchnon alias appellatur, innasciturq; arboribus: cedro, piceæ, populo albæ, & quercui, odoratus: quare etiam aromaticum hic dixit. Neque enim accipiendum hoc est de Moscho, qui hodie pharmacopolijs in usu est, uehementer odorifera res, & qui animalis cuiusdam sanguis aut sanies potius esse à Serapione traditur. hic enim Galeni tẽpore ignotus fuit. Aetiũ tamen eum nouisse putandũ est, qui quum alibi, tum serm. 12. cap. 46. in medicamento purgatiuo ex hermodactylis, μόσχου κεράτιον. α. habet, id est, musci siliquam unam, id quod de nullo alio musco intelligi potest. Est autem & tertiũ adhuc musci genus latina apellatione (nam Moschi ex animali etiam græca appellatio est) quod item bryon græcis appellatur, itemq; lichen, sed hic in petris roscidis nascitur in mari, de quo etiã hoc loco Galenus nihil agit. Porrò Muscus arboreus, non splanchnon & bryon tantum, sed etiam hypnon ac sphagnon appellatur ab Aetio serm. 12. cap. 44. in oleo gleucino. Item serm 13. cap. 117 sphagnum siue hypnum habet, ac rursus cap. 118. eiusdem sermonis quid sit hypnon exponit. ὕπνου, inquit, ὅ ἐστι σωληνάριον μικρὸν τὸ ἐξερχόμενον ἔκτε δαμασκηνέας καὶ ῥοδακινέας, οὐγγίας α. Hoc est hypni, quæ canalicula est parua ex arbore Damascenea & Rhodacinea exorta, bessem. Quare apparet muscũ hunc non tantum supradictis arboribus innasci, sed etiam alijs, uelut hic Aetius Damasceneæ & Rhodacineæ dicit, de quibus arboribus alio loco à me dictum est. Plinius canos arborum uillos sphagnon appellat.

Iridis astragalitidis, alij Illyricæ] Exemplar græcum ἴρεως ἀστραγαλίου, οἱ δὲ ἰλλυρικῆς habet. adestq; asteriscus qui indicet lectionem non potuisse assequi Typographum

graphum. puto autem fuisse uocem non integre scriptam hoc modo, ἀστραγάλ. pro qua ἀστραγάλω expressit. Verum quod ἀστραγαλίτιδος putem legendum Aetius fecit, qui serm. 13. c. 3. in emplastro uenatorum utramque iridem seorsim, & ex interuallo habet, iridem illyricam primum, postea iridem astragalitidem. Quanquam autem appellatio hæc neque apud Dioscoridem, neque Galenū, neque Paulum, neque Pliniū sit de iridis aliqua specie, tamen res ipsa eiusque uires descriptæ indicium præbent, iridem astragalitidem esse eam quæ ab his omnibus astragalus appellatur. Radix enim astragali rotunda, uelut raphanus grandis, & solida; & quæ difficulter contundatur, à Dioscoride describitur, & ab eodem ad ueteia ulcera, arida inspergitur, quo uidelicet cicatricem, ut Galenus ait ducat. Iridis autem Illyricæ radices ab eodem geniculatæ & solidæ describuntur, & ad explenda ulcera repurgandaque accommodatæ. quare uicina est utriusque radicis forma & uis, atque inde etiam astragalus iris astragalitis appellatur. Cui accedit amplius Plinij testimonium, qui ex duobus iridis Illyricæ generibus, alteram raphanitidem à similitudine appellari dicit, quod conuenit cum eo quod Dioscorides dixit de astragalo, ὥσπερ ῥάφανος εὐμεγέθης. Itaque etiam non multum retulerit, siue quis hoc loco iridis astragali, siue astragalitidis legat.

Constans & certa est huius pharmaci facultas, neque citra effectum dilabitur.] Hæc omnia uerba græcis duabus uocibus, ἀμετάπτωτος ἡ δύναμις, comprehenduntur. Est autem ἀμετάπτωτος idem quod Aetius Paulus itemque Galenus alias ἀδιάπτωτος, & ἀπαράβατος dicunt. δύναμις porro compositionem significat, sed cuius sit aliqua æstimatio & probata facultas, ut supra est indicatum.

Pericalamitidis unciam unam.] Aenigmaticum hoc pharmacum ipse Galenus sufficienter exponit, & nos etiam quo melius omnia intelligerentur primum ænigmatice uertimus.

Cum althææ siue hibisci radice] Ita quidem legendum esse hic censeo, græcum exemplar habet, τῆ τῆς ἀλθαίας σὺν ἐφήβου ῥίζῃ, ex quibus uerbis ego nullam sententiam eruere possum. substitui itaque pro σὺν ἐφήβου ῥίζῃ corrupto, integrum ἤτοι ἰβίσκου ῥίζῃ. Althæam enim & præsertim eius radicem, hibiscum appellari testatur Dioscor. & Aet. 12, cap. 33. Plinius lib. 20. cap. 4. Hibiscum molochon agrian uocari tradit, Galenus ἀναδενδρομαλάχην althæam uocat. est autem althæa siue hibiscum maluæ syluestris species, ut itidem Dioscorides & Galenus habet. & mascula malua, itemque δενδρομαλάχη à Constant. Cæsare lib. 15. cap. 5. uocatur. Meminit porro hoc loco Galenus locum affectum primum ex linteolo crudo lini præfricandum esse, deinde etiam althææ siue hibisci radicem affricandam esse, & postea pharmacum præscriptum illinendum. Quod itaque crudum ex lino linteolum dixi, ὠμόλινον Galeno appellatur, & à quibusdam sudarium exponitur, etymo ab eo quod humeris circumdatur deducto, id est, ἀπὸ τοῦ περιτίθεσθαι τοῖς ὤμοις, & sane hoc loco nihil uetat tale linteum accipi, sicut neque apud Aetiū lib. 10. cap. 19. ubi defrictiones per linteola ex lino crudo probat. Verum mihi ὠμὸς uox crudi significatione, hanc uocem ὠμόλινον uidelicet, componere uidetur. Nam & crudum linteolum frictioni cōtente faciendæ commodius esse apparet, quàm econtra quod longo usu detritum est & emollitum. Hippocrates certe lib. 2. γυναικείων, quum iubet μοτοῦν ὠμολίνῳ καθεῖσαι, sudarium penicilli loco indere non præcipit, sed penicillum ex crudo lino intortū, qui alias στρεπτὸν μοτάριον, id est, linamētum intortum uocatur, uelut alibi ostendi, quomodo usurpat etiam Paulus lib. 6. cap. 5.

Succus is à cisthi folio decerptus amico] hoc loco in Rufi uersu uitiose κισσοῦ ἄνθεντος legitur pro κίσθε, nō enim cissos id est, hedera, sed cisthos quæ alio nomine

mine Lada & Ledon appellat, frutex is est unde capræ & hirci folia decerpẽtes, barbas ac uillos laterũ ſucco eorũ imbuũt, unde postea homines depectũt quod Ladanum uocatur. Verũ in hunc errorem etiam Plinius dilapsus est, qui ob uocum cisti & cisthi uicinitatem, cisthum hunc hederæ speciem existimauit. At uero Ladanum non tantum ex barbis hircorum depecti, sed alijs etiam modis inde colligi, hic aperte ostendit Galenus: quum dicit non manifestum esse, an hoc solum Ladanum quod ex hircorum barbis depectitur, in præsentem usum adhiberi uelit, & possibile esse per hanc speciem totum Ladani genus designari: Sed tamen nullum certum modum neq; hic, neq; alibi quod sciam, eius colligendi prodit. Dioscorides certe unum aliquem amplius colligendi Ladani modũ præscribit, qui funibus per frutices tractis cõtingit, ut scilicet eo modo agglutinata pinguitudo postea ex ipsis funibus deradatur, quem modum etiam Plinius lib.12. cap.17. tradit. Quin & tertium quendam modum eius colligendi Plinius lib.26. cap.8. habet, per neruos in arcu lanis circumdatos, atq; id fieri in Syria atq; Africa unde etiam Toxicum appelletur. Toxon enim arcum Græcis significat. Rufus porrò apud Erembos populos Ladanum illud prouenire dicit. Sunt autem Erembi Aethiopiæ populi, qui & Troglodytæ, utroq; simili nominis etymo appellantur, siquidem ἐρέμβους ἀπὸ τοῦ ὑπὸ τὴν ἔραν ἐμβαίνειν appellatos uolũt, Sicut τρωγλοδύτας ἀπὸ τοῦ κατὰ τὰς τρώγλας δύεσθαι. Ad hoc populos se peruenisse Menelaus apud Homerum 4. Odyss. gloriatur, Αἰθίοπάς τ' ἱκόμην καὶ σιδονίους καὶ ἐρεμβούς. Posidonius apud Strabonem lib.16. ἐρεμβοὺς & ἄραβας eosdem esse dicit, facta leui nominum commutatione & corruptela, ἐρεμβῶν nimirum ἀντὶ ἀράβων λεγομένων. Galenus lib.7. simp. pharm. cisthũ qui & ladanum, in calidioribus regionibus nasci dicit, non alterius generis ab eo qui in Asia prouenit, sed ob regionis proprietatem, illud discussoriam habere caliditatem, & in hoc ab Asiano differre, quod non solum frigiditatem deposuerit, sed caliditatẽ assumpserit. Plinius lib.12. cap.17. apud Nabatæos Arabas hoc fieri scripsit, atq; mox uerum Ladanum Cyprio insulæ attribuit, quæ sub illius fide relinquo.

Quod Ladonidem Laurũ appellet.] Ladonidem Laurũ appellari Galenus hic nemini dubiũ esse dicit. At uero dubiũ uideri queat, qua ratione eam appellationẽ nacta sit laurus, Num à Latona Apollinis matre: propterea quod Apollo Daphnen puellam etiam in laurum iam mutatam, ut amicã amauit, ut sic laurus patronymica uoce ab illa appellata sit Ladonis, hoc quidẽ modo, ut à λητῶ quæ Latona græcis est, primũ fiat λητωΐδης patronymicum masculinũ, Latoides, hoc est, Apollo, & ab hoc λητωΐς fœmininum, Latois, hoc est Daphne, hoc quidem loco, ita ut postea Dorico more, mutato η in α. & τ in δ. intersertoq; ν. ex λητωΐς λαδωνίς formetur, quæ uox Latonæ nurũ, id est, Daphnen ipsam significet, quæ quia in laurum est mutata, consequenter etiam laurus Ladonis, quemadmodum Daphne, græcis appellet. An sit quidẽ Ladonis uox patronymica: sed non à Latona, uerũ ἀπὸ τοῦ λάδωνος, hoc est à Ladone fluuio parente ipsius Daphnes deducta. Ladonis enim fluminis filiam, & non Penei, pleriq; Græci fabulatores Daphnen faciũt. Sicut quoq; Philostratus & Cõstantinus cæsar lib.11. cap.3. de agricultura. Δάφνη inquit, λάδωνος ποταμοῦ ὑπῆρχε θυγάτηρ εὐπρεπεστάτη. atq; hæc posterior huius appellationis Ladonidis Lauri ratio mihi probatur. Quanquã sint qui Amydæ filiã Daphnen faciãt, uelut Philarchus, & Diodorus Elaites, itemq; Parthenius de amatorijs affectionibus quem nuper græcè ac latinum factũ à nobis publicaui.

Calliceros autem fœnum græcum.] Hippocrates & Theophrastus fœnũ græcum à similitudine quadã βούκερως & βουκέρας dixerũt, quanquam hac uoce etiam Anagalli

Anagallidem appellari Galenus in Hippocraticis glossis tradat, ex Menethei autoritate, qui de pharmacorum appellationibus scripsit. Vocatur autem idem fœnum græcum αἰγόκερως & αἰγοκέρας, Itemq́ αἰγὸς κέρας separata compositione, ab eodem Hippocrate περὶ τῶν γυναικείων παθῶν. Quin & βούκερας idem appellat, quanquam etiam ad aliam quandam herbam hæc appellatio referatur, quam nō nominat Galenus. Ad harum itaq; appellationum similitudinē, is qui hoc pharmacum composuit, & αἰνιγματικῶς conscripsit, idem fœnum græcum καλλίκερως appellauit. Porrò in eodem ænigmatico medicamento κυνόμωρον pro pro κυνόσβατον, & ἀκανθίωνα pro ἐχῖνον dictum esse, satis apertum est ex Galeni interpretatione, ostenduntq; amplius ipsæ uoces. Nam altera canis morum, eodem modo sicut illa pro qua ponitur, canis rubum significat. Altera ab eo quod ἀκάνθαις, id est spinis, Herinacei sunt armati, ducta uidetur.

In Caput Secundum de defluuio Capillorum.

Ceræ similem compagem habet.] Compagem hic diximus quod σύστασιν Galenus uocat, & alij consistentiam aut etiam substantiam uertere solent, quidam etiam temperaturam, crassitudinemq́, ac cōstitutionem. Nobis compagis uox uidetur propius σύστασιν exprimere, quando sane συνίστημι uerbum compingo & conflo significat.

Ex contrarijs facultatibus mixtū adtractoria nimirū & coactoria.] Supra in Alopecijs medicamēta approbauit quę adtraherent adtractūq; discuterēt, quo nomine thapsiā uel in primis celebrauit, oleaq; Sabinū, uetus, & cicinū: quæ omnia hic improbat, & ab adstringendi siue coactoria ui, oleum hispanū ex olearum uidelicet germinibus expressum laudat, qđ ipsum in Alopecijs damnauit.

Ad ipsam uero cutem præsectos & attonsos habentibus pilos.] Duplex depilandi caput genus hic indicat Galenus, alterū per rasurā, per nouaculam, quod ξυρᾶσθαι dicitur, alterum per forficem quod supra pectinem fieri uulgo hodie dicimus, hoc est, quum ad cutem quis tondetur, ut ait Celsus, & hoc tonsuræ genus hic, ψιλῶ κείρεσθαι appellat. Est enim ψιλῶ κουρᾷ, ἡ ψιλὴ καὶ πρὸς αὐτῷ τῷ χρωτί, ut Hesych. exponit. Paulus lib. 2. cap. 43. πρῶτον ψιλῶσαι δεῖ τὴν κεφαλὴν ψιλῶ, id est, primum tonderi caput oportet ad ipsam usq; cutem. Porrò tonsuræ species per pectinem, ut etiam Plautus dixit, non ægrotis tantum adhibetur, quum ob alias causas, tum commoditatis adhibendorum medicamētorum gratia, sed etiam sanis in usu est, à quibusdam pro capitis sanitate inducta, à quibusdā uero decoris ratione assumpta, ab alijs rursus in religionis symbolum instituta, & rursus alijs in stultitiæ significationem illata. Plerisque etiam quo uel maioribus, uel etiam sodalibus gratificentur, admittitur, qua ratione hodie principum aulæ ferè hanc tonsuram in usu habent. Neque noua res est, sic uulgo magnates plebemq; cum Senatu aulico tonsos esse, quū Antoninus Verus Commodi pater ea tonsura usus sit, & in gratiam eius, omnes familiares ipsi medici comam eodem modo totonderint, uelut quarto commentariorum in sextum epidemiorū Hippocratis Galenus annotauit, quo loco etiam hoc addit. Quod quum Lucius medicus Galeni præceptor, ipsos eo nomine insectatus, Mimologos & ridiculos imitatores appellasset, factum esse rursus ut medici eius & ille comam nutrierint.

Quod Rhomæ uocant foliatum.] Foliatum ungentum ex malabathri folio, quod ipsum etiam peculiariter folium appellatur, compositum fuisse atq; appellatum, satis constat ex Dioscoride, quanquā Plin. lib. 13. cap. 1. Nardinum & foliatum idem ungentum appellet. Cuius rei caussa ex Dioscoride in Nardino ungento elici potest, ex eo quod nardinum ungentum tum cum folio, tum citra fo

lium malabathri apparari scribit, & mox de malabatrino ungento prodit eadem esse eius spissamēta quæ nardini, nisi quod plus myrrhæ in ipsum addat. Porrò spicatum de quo item hic mentionem facit, à spica nardi nominatū, ex eaq́ compositum fuisse nemini dubium est. Fuerunt itaq́ diuersa ungenta, foliatū ex Malabathro, Nardinum ex optima nardo, & spicatum ex nardi spica, quorū ingentia precia Romæ tempore Galeni fuerunt, sicut etiam apud Plinium uidere est indicatum. Cæterum hoc loco Galenus ungentū nardinum, ter simpliciter nardum uocat, atque id etiam genere fœminino, habet enim μετὰ νάρδου τῆς ἀρίστης, quod nos diximus, cum optimo nardino. & mox, τηχθέντος μετὰ νάρδου, id est, liquefacto cum nardino. & rursus, καὶ χρῆσθαι μετὰ μυρσίνης ἢ μετὰ νάρδου, id est, cum myrteo aut nardino uti: quem modum loquendi etiam Dioscorides usurpauit de nardino ungento loquens, δύναμις δὲ αὐτῆς λεπτωτικὴ δριμεῖα, &c. & mox, ὑγρὰ δ' ἐστὶ καὶ οὐ γλισχρώδης, id est, liquidum est & non strigmentosum. Nam de ipsa nardo hoc intelligi non potest. Et Tibullus Poeta,

Iamdudum syrio madefactus tempora nardo,

hoc est nardino ungento. & Horatius.

Nardo uina merebere, Nardi paruus onyx eliciet cadum.

Intra Calendas & Idus Iulias.] Hoc tempus, ut quo nondum plenam maturitatem nuces acceperint, sed acerbæ adhuc sint, & præcipue exterior earum cortex, medicamento conficiendo aptum indicat, utiturq́ mensis ipsius latina appellatione, temporum uero ipsius mensis distinctorum græca, quemadmodum adhuc hodie latini in usu habemus, μεταξὺ καλανδῶν ἰουλίων καὶ ἰδῶν, inquiens. Iulius enim latinum mensis nomen est, Calendæ uero & Idus græcæ sunt uoces latinis receptæ. At uero quū medici græci uariarum gentiū appellationes mensibus inditas in usu habeant, & Aegyptijs nominibus Aetius sermonis XII. fine utatur, habeatq́ Plinius aliqua eiusmodi externa mensium nomina, uisum est mihi hoc loco sic ferente, aliquarum gentiū nomenclaturas mensibus impositas proferre, quas partim hinc inde in græcis autoribus, oblatas ipse obseruaui, partim in uetustissimo codice græco citra autorem relatas enotaui.

De mensibus

μῆνες ἑλλήνων
αὐδυναῖος
περίτιος
δύστρος
ξανθικός
ἀρτεμίσιος
δέσιος
πάνεμος
λῷος
γορπιαῖος
ὑπερβερεταῖος
δῖος
ἀπελλαῖος

μῆνες ἑβραίων
νισάν
ἰάρ
σιβουάν
θαμνί
ἄβ
ἐλούλ
θισρί
μαρσουάν
χασλεῦ
τηβήθ
σαβάτ
ἀδάρ

μῆνες βιθυνῶν
ἥραιος
ἕρμαιος
μητρῷος
διονύσιος
ἡράκλειος
δῖος
βενδιδαῖος
στράτειος
ἄρειος
περιέπιος
ἀφροδίσιος
δημήτριος

μῆνες αἰγυπτίων
τυβί
μεχίρ
φαμενώθ
φαρμουθί
παχών
παυνί
ἐπιφί
μεσωρί
θώθ
παοφί
ἀθύρ
χοιάκ

μῆνες μακεδόνων
αἰγόκερως
ὑδροχόος
ἰχθῦς
κριός
ταῦρος
δίδυμος
καρκῖνος
λέων
παρθένος
ζυγός
σκορπίος
τοξότης

μῆνες καππαδόκων
τίρεξ
μάτα
ξανανθηρὶ
μίθρι
ἀπομεναμὰ
ἀφθρὰ
τεθουσία
ὡσμάνια
σόνδαρα
ἀρτανία
ἀρταέστιν
ἀραιότατα

μῆνες ἀθηναίων
γαμηλιών
ἐλαφηβολιών
μουνιχιών
θαργηλιών
σκιρροφοριών
ἑκατομβαιών
μεταγειτνιών
βοηδρομιών
μαιμακτηριών
πυανεψιών
ἀνθεστηριών
ποσειδεών

μῆνες κυπρίων
ἀφροδίσιος
ἀπογονικός
αἰνικός
ἰούλιος
καισάριος
σεβαστός
αὐτοκρατορικός
δημαρχεξούσιος
πληθύπατος
ἀρχιερεύς
ἕστιος
ῥωμαῖος

μῆνες ῥωμαίων
ἰανουάριος
φεβρουάριος
μάρτιος
ἀπρίλλιος
μάϊος
ἰούνιος
ἰούλιος
αὔγουστος
σεπτέμβριος
ὀκτώβριος
νοέμβριος
δεκέμβριος

Vtinde in grauedinem,ac raucedinem,defluxumq; à capite ad fauces delabe rentur.] Tria destillationis genera ex nimia capitis perfrigeratione oboriri solita hoc loco coniungit, quorum primum ad nares delabente humore κορύζαν appellat, id est grauedinem, alterum quo ad os humor delabitur, & mox ad asperam arteriam, indeq; ad pulmonem, βράγχον uocat, hoc est raucedinem. Et tertiũ quo item ad os ac fauces defluxus contingit, & mox ad stomachũ siue gulã, atq; inde in uentriculum, κατάῤῥουν nominat cõmuni etiã alijs destillationibus appellatione, ut Galen. de locis affectis amplius docet lib. 1. & Aet. serm. 8. cap. 53.

Cũ uino maris expette.] Vinũ maris expers, id est, ἀθάλασσον est cui aqua marina non est ammixta, opponiť τεθαλασσωμένω, qď quomodo fieret alibi indicaui.

Vinum aut passum affundito.] In græco est μίξον οἶνον ἢ γλυκύ. Est autẽ γλυκύ peculiare passi nomen apud græcos, quod quomodo & ex qua uua fieret, docuere Dioscorides, Columella ac Plinius, neque idem est quod οἶνος γλυκὺς, id est, uinum dulce appellatur. Proinde Plinius aliquoties dulce citra uini adiectionem ipsum passum appellare solet, atq; id Græcorum imitatione.

Quomodo Comptoria ab exornatoria medicinæ parte differat.] Hoc loco Gale. distinguit inter compturã & uerũ ornatũ, compturã κομμωτικὴν appellans, quam lenonum ac prauorum hominũ esse dicit, ut quæ pulchritudinem adscititiã inducere conetur, eamq; medicinæ partem esse negat, neq; bono uiro ac integro medico exercendam, nisi ad regum adeo ac magnorum principum imperium id facere cogatur. Ea etiã apud quasq; laudatissimas gentes semper, uiris præcipue probrosa fuit. A Philippo Macedonum rege Plutarchus tradit quendam capillorum tinctura superbientem, ex ordine iudicum, in quem nuper lectus erat, semotum esse, hoc apophthegmate insuper à rege prolato, Non sperandã integritatem ab eo in gerendis rebus, qui etiam pilis fucum prætenderet. Ouidius quoque poeta eam compturam in uiris execratur. Sint procul à nobis, inquit, iuuenes ut fœmina compti, Fine coli modico forma uirilis amat. Porro uerum ornatum κοσμητικὴν, id est, exornatoriã hic uocat, eamq; medicinæ partem esse perhibet, ut quæ naturalem corporis pulchritudinem custodit ac tuetur, neq; quicquã adscititium adducit, additq; uerum ornatũ capillorũ ac non fucatum, non solum ad pulchritudinem, sed etiam ad ipsarum partium sanitatem conferre. At uero conseruandis iam defluis capillis medicamẽta apta ἀλφυλακτικὰ appellat. Quæ uero adhibentur antea quàm quicquam mali eiusmodi adsit, in cautionem uidelicet ne accidant, ea προφυλακτικὰ appellat.

Cum acaciæ fructus, hoc est, siliquarũ ipsius spinæ appellatarũ, decocto.] Acacium in Aegypto nasci spinam arborosam & specie fruticis non rectam Dioscor. lib. 1. tradit, huius fructum κεράτια ἀκάνθης, hoc est, siliquas spinæ appellari Galenus hic ait, ad differentiã ut opinor siliquarũ arboris ceratoniæ, quæ simpliciter κεράτια uocantur. Acaciæ itaq; arboris siliquarũ ad cõseruandos ac denigrandos pilos usus est, quod etiam Dioscor. de ipsis fatetur. At uero siliquarum arboris ceratonię in cibo usum Galenus improbauit, utpote quę sint eduliũ mali succi & lignosum atq; ob id ægre concoctile, & propterea quod non facile secernuntur non modice incõmodant. quare præstiterat, inquit, eas non apportari ad nos ex orientalibus regionibus in quibus nascuntur. Hæ porrò siliquæ item ξυλοκέρατα appellantur, & uulgo corrupta uoce xylocaracta. Cæterũ qď ad medicinã pertinet ferè nullo in usu sunt hæ siliquæ, soluunt tamen uirides, utpote humectiores aluum, quã resiccatæ sistunt, & tum quoq; stomacho utiliores esse ait, & urinam cientes Dioscorides, maxime eas quæ reiectis acinis siue internis granis ipsarũ edantur, ita enim existimo legendum, tametsi citra exemplaris uetustioris fidem id non asseuerantius adstruã, nempe pro eo quod habetur in uulgatis exempla

ribus omnibus, τὰ ἐκ τῶν στεμφύλων συντιθέμενα quæ uerba nullã certã sententiam exhibent, τὰ ἐκτὸς τῶν στεμφύλων ἐσθιόμενα, ut sit id quod Plinius lib.15.cap.28.dixit: Quum in pluribus semina placeant, in siliqua damnantur. στέμφυλα porro grana eius sicut uinaceos, dici opinor, quanquam etiam solida retrimenta uuæ in torculari expressa, Galenus 2.de alimentis στέμφυλα uocet, & alios radices uuarum ex sarmentis enascentes ita appellare tradat. sed στέμφυλα pro oliuarum nucleis siue ossiculis accipiuntur, Constantino Cæsare de agricul. lib.6. cap.11. teste, qui sic ait: εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι στέμφυλα οὐχ ὥς τινες νομίζουσι τῶν ἐλαιῶν μόνον δεῖ πυρῆνες, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν σταφυλῶν γίγαρτα. Gal. tamen loco iam citato, στέμφυλα quidem oliuarum etiam dici fatetur ossicula, sed oleo iam expresso reliqua. Porrò quum in solidis illis uuæ retrimentis στεμφύλοις appellatis, tum ipsæ uuæ ollares dictæ sternantur, uelut alio loco declaraui, tum etiam oliuæ ipsæ componantur, ita ut antequam exprimãtur uicissim in uase cum oliuis reponãtur, uelut item Constan. Cæsar lib.9.de agricul. cap.51.ait, στέμφυλα πρόσφατα πρὸ τοῦ ἐκπιεσθῆναι συνέμβαλλε εἰς ἀγγεῖον τὰς ἐλαίας φυλάξ, εἶτα πιέζε, Videtur mihi omnino fieri posse ut eodem planè modo uelut oliuæ, etiam ipsæ siliquæ componantur ac adseruentur, easq; ipsas τὰ ἐκ τῶν στεμφύλων συντιθέμενα Dioscorides appellarit, hoc est, siliquas in retrimentis uuarum cõpositas & adseruatas, atq; hæc sentẽtia mihi præ superiore probatur. At uero Hippocrates in lib. περὶ παθῶν, ubi in cholera & uentris profluuio uinum dulce, aut στέμφυλα γλυκέα, sitis leuandæ gratia exhibere iubet, dubios nos facit quid per στέμφυλα dulcia accipere debeamus. Ego tamen στέμφυλα eum dicere arbitror uuarũ retrimenta non ad plenũ expressa, quæ uidelicet probet in ore tenenda ac exugenda, aut ipsorum decoctũ bibendum, quod cœliacis & profluuijs etiã infusum prodesse Diosco.lib.5.testatur, τὸ δὲ ἀφέψημα τῶν στεμφύλων, inquit Diosc. δυσεντερικοὺς καὶ κοιλιακοὺς καὶ ῥοϊκὰ ὠφελεῖ ἐνιέμενον. Neq; ignoro interpretes eo loco uinaceos uertere, quum tamen de his paulò post subiungat, γίγαρτα palam appellans. Quanquam omnino suspicer Hippocratis locum corruptũ esse, & pro στέμφυλα γλυκέα legendum esse σταφίδας γλυκέας existimem, id est, uuas passas dulces. Nam & hæ melius semper haberi possunt quàm στέμφυλα, & sitim mitigant, quũ uim cõtemperandi habeant, & oris uentris morsus habetandi, uelut Galen.2.de alimentis testatur, τὸ ἐπικρατητικὸν eis semper adesse dicens, de cuius uocis significatione alibi à me dictũ est. Hippocratis autem locus sic habet. ὅταν δὲ ἐξ οἴνου, ἢ ὑπὸ δυσωχίης χολέρη λάβῃ, ἢ διάῤῥοια, τῇ μὲν διαῤῥοίᾳ ξυμφέρει διαιτῆσθαι, καὶ ἢν δίψος ἔχῃ, οἶνον διδόναι γλυκὺν, ἢ στέμφυλα γλυκέα, &c.

Nardino aut myrteo, aut aliquo alio hedysmate excipe.] Hedysmata appellat hic, & sæpe in sequẽtibus, ungenta per aromatũ additionẽ iucundiora & odoratiora reddita, quanquã in glossis Hippocratis ἡδύσματα etiã aromata ipsa appellari Galenus tradat. Quare hedysmata duplici significatione, modo ꝑ aromatis, modo pro ungentis odore aromatũ imbutis, sunt accipienda. Plinius lib.13.cap.1. quum inquit de ungentis, Ratio faciendi duplex, succus & corpus, ille olei generibus ferè constat, hoc odorum, hæc stymmata uocant, illa hedysmata, Videtur olea ipsa in ungentis hedysmata appellare, & aromata siue odores stymmata, id est spissamenta, quod neq; hic, neq; alibi Galenus habet, sed hic ungenta ipsa ut dixi, ex succis siue oleis cõposita, ampliusq; aromatũ odoribus, ad uoluptatem utentiũ ampliorem, imbuta: hedysmata uocat. Stymmata autem odores siue aromata dici certũ est, sed alios quàm qui hedysmata uocantur, quod ipsum ex Dioscoride patet, qui Amaracini compositione, oleum omphacinum & balaninum per xylobalsamum, iuncum rotundum odoratũ, & calamũ spissari quidem, hoc est στύφεσθαι tradit, odore aũt imbui, hoc est ἡδύνεσθαι, per amaracũ, costũ, amomũ, nardum, carpobalsamũ, & myrrham. Sed & hortensia quædam, ab Hippocrate

φύλλια appellata, Galenus Hedysmata exponit in glossis Hippocratis, uelut est Coriandrũ, menta, ruta, apium, quæ etiã ementibus olera insuper addi gratis moris fuisse dicit, hoc est, ἐν προσθήκης μέρει ab olitoribus addebantur. Verba Diosc. hæc sunt. σκευάζεται δὲ διά τε ὀμφακίνου ἐλαίου καὶ βαλανίνου συμμιγέντων, ξυλοβαλσάμου, σχίνου, καλάμου. ἡδυσμάτων δὲ ἀμαράκου, κόστου, ἀμώμου, νάρδου, καρποβαλσάμου καὶ σμύρνης. Et rursus in eandem sententiã in Nardino ungento inquit. ὡς τὸ πολὺ δὲ μίγνυται τῷ βαλανίνῳ ἐλαίῳ ἢ ὀμφακίνῳ, πρὸς μὲν τὴν σύψιν τοῦ ἐλαίου σχῖνος, πρὸς δὲ τὴν εὐωδίαν κόστος, ἄμωμον, νάρδον, σμύρνα, βάλσαμον. Hic enim εὐωδίαν pro ἡδύσματα dixit. Et rursus in Cinamomino idem apertius dicit. κινναμώμινον δὲ ἐκ τε ἐλαίου βαλανίνου καὶ στυμμάτων ξυλοβαλσάμου, καλάμου, σχίνου. ἡδυσμάτων δὲ, κινναμώμου, βαλσάμου καρποῦ, &c. Quare quũ & stymmata, & hedysmata certa aromata appellentur, quibus olea in ungentorum apparatu spissantur, & odorata redduntur, uocetq; hic Galenus ungenta ipsa, tum spissatis ipsorum oleis, tum odore imbutis, hedysmata, consideratione dignũ uidetur, an ne Plinius simplicia olea hedysmata uocari dixerit, quomodo sanè etiã Galenus pinguedinem & adipem, carniũ hedysmata esse dixit, 3. de alimentis, ubi ait, ἡ πιμελὴ καὶ τὸ στέαρ μᾶλλον ἡδύσματα ἐστι τῶν τρεφουσῶν ἡμᾶς σαρκῶν ἢ αὐτοὶ τροφαί: an potius pro corrupta lectiõe, integra substituẽda sit: Hæc partim stymmata uocant, partim hedysmata, ut scilicet particula hæc, odorũ genera demonstret. Id uero minus admissum peccatũ confitebitur, qui in eodem capite, duos errores quos neq; ipse Plinius excusare potest, obseruauerit quum inquit: Et è uilissimis hodie est, ob id creditum & id in uetustissimis esse, quod constat oleo myrteo, calamo, cupresso, cypro, lentisco, mali granati cortice. Pro κυπέρῳ enim, id est iunco odorato quadrato, cyprum quæ arbor ligustrum alias uocatur, ex Græco autore unde hæc cõuertit ut apparet, dixit, & pro σχοίνῳ, id est iunco rotundo odorato, lentiscum uertit, uocũ σχίνου καὶ σχοίνου, similitudine deceptus, ut ex Diosc. in oleo myrteo palam uidere est. Verum sunt in eodem capite plura quorum non est locus hic meminisse, ut cyprũ cum cypero etiã alias magna rerũ iniuria confundere solet. Sic oleum cyperi pro cypri lib. 12. cap. 25. habetur.

Diligẽter per saccũ excolatũ in hydriã reconde.] σακκίζειν et σακκελίζειν frequẽs est apud Galenũ uerbũ, hoc est per saccũ excolare, utitur enim frequenter in decoctionibus quę crassiores per cocturã aut tertias ad dimidias redditæ sunt, quo liquidiores euadant, sicut etiã hoc loco. Ob eandem cõmoditatẽ etiã uina quondam per saccũ transmittebant. Martialis poeta lib. XII. epigr. Et ut liquidum potet Alauda merũ, Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco. Quin & ut uires uini castigarentur & frangerentur, idem faciebant. Plinius lib. 23. cap. 1. Vtilissimũ omnibus sacco uiribus fractis. & 14. ca. 22. Quinimo ut plus capiamus, sacco franguntur uires. Martialis poeta colo niuario id etiã fieri solitũ indicat in apophoretis. Setinos moneo nostra niue frange trientes, Pauperiore mero tingere lina potes. & li. 5. Sextantes Calliste duos infunde falerni, Tu super æstiuas Alcime funde niues. Hoc enim modo uina bifariã, hoc est tum per colaturã, tum per niuem frangebantur, & quasi castrabantur, ut Plin. lib. 19. cap. 4. ait, nisi saccisq; castigari pro castrari sit legendum. Scribonius Largus contra falernũ nõ saccatum probat, cap. 122. Porrò transmittebant uina per saccũ non solum ut liquidiora & castigatiora redderentur, sed etiã ut peregrinis saporibus in saccum additis, uina tum odore, tum sapore cõmendatiora fierent, atque id est quod Plinius dixit de Aniso: saccis quoq; additur, cũ amaris nucibus uina cõmendat. meminit & Constantinus Cæsar lib. 7. de agricultura cap. ultimo. Talia uina hodie præparantur septentrionalibus maxime populis, uulgoq; caretũ & Hippocras appellantur. Quondam uero conditorũ non dissimilis ualde præparatio fuit, & propomatũ, de quibus loco ita ferente addam. προπόματα itaq; ex uino quondam fiebant, & melle despumato, ita ut in uini sextarios quatuor, unus mellis adderetur, atq; sic

mixtura fiebat citra cocturam, quæ tamen sufficienti tempore insolabatur. κονδῖτα autem appellabant eadem, ubi quædam aromatum species, uelut piper, cinamomũ, zingiber, atq; etiã absinthiũ inderentur, quanquã aliquando etiã mel non ammiscebant, uelut palã lib. 7. cap. 15. Paulus Aegineta ostendit, & Constan. Cæsar libro de agricultura octauo. Hodie tamen eiusmodi species in saccũ indun tur, & uinũ superfusum per saccũ excolatur in Clareti cõfectionibus, uelut etiã Plinius fieri dixit. At uero quia absinthiũ aliquando propomatis & conditis in debatur, inde adeo Absinthata etiã sunt appellata eiusmodi potiones, etiã si absinthiũ non reciperent. Sic Aetius 9. cap. 26. absinthata aliquot recenset, quæ penitus nihil absinthij in se habent, sed ex uino & melle cõstant, additis aliquot aromatis, itemq; agarico aloeq; ac epithymo, quo uidelicet aluo adstrictæ commodent, humoresq; sibi proprios ducãt. Quod si eiusmodi purgatoria medicamenta addita non essent, conditorũ ac propomatũ usus erat in frigidis corporũ temperaturis. Sic Aetius 8. cap. 28. in dentiũ dolore ex frigiditate oborto, uinũ exhibere iubet & mulsum, & quod appellant, inquit, conditũ. Et Paulus lib. 3. His qui ob frigiditatem cibum auersantur uinum uetus dare iubet & conditum. At uero quomodo propomata ex condita absinthata siue absinthiata, uel rosata, uel uiolata sua sponte ex uitibus procedant ac nascant Palladius lib. 3. cap. 31. docet. Sed quidam eo loco, nescio qua animi stupiditate, propomata olei genus esse exponunt. Esse autem eum conditorum usum, ampliusq; latinam appellationem Græcum etiam Palladæ epigramma testatur, quod sic habet.

κονδίτου μοι δεῖ, τὸ δὲ κονδίτου πόθεν ἔχει
 τοὔνομα; τῆς φωνῆς ἔστι γὰρ ἀλλότριον
τῆς τῶν ἑλλήνων. εἰ ῥωμαϊκῶς δὲ καλεῖται
 αὐτὸς ἂν εἰδείης ῥωμαϊκώτατος ὤν.
σκεύαζόν οὖν μοι τοῦτο, τὸ γὰρ κατέχον με νόσημα
 τοῦ στομάχου χρήζει τοῦ δὲ λέγουσι πότου.

Condito est mihi opus, conditi nomen at unde est?
 Græcorum certe uox peregrina sonis.
An Rhomanorum uox hæc sit, noscere certo
 Te scio qui latio es maximus eloquio.
Hoc mihi porrigito, stomachi nam quo premor ingens
 Hoc potu morbus mox releuatus abit.

Porrò calidis natura, febricitãtibus, elephantiosis, itemq; colicis incõmodæ sunt προπομάτων potiones, iuuãt tamẽ calculosos. Sic Aetius 11. ca. 10. γῆς ἔντερα πρόσφατα ἑφθὰ λεῖα μετ᾽ οἴνου ἢ κονδίτου ἢ ἑτέρου προπόματος ad uesicæ calculum atterendum propinat. Sed & uoluptatis gratia propomata frequẽter bibebãt. At uero quemadmodũ hæ potiones ex uino & melle, & aromatis conficiebantur, Sic etiam ex aqua & melle despumato, incoctis in ipsis rosis, & quibusdã succis, uelut omphacij, malorũ punicorũ, & cotoneorum, & myrti baccarũ, uarij usus poriones parabant, de quibus omnibus Paulus li. 7. cap. 15. agit & Diosc. li. 5. Nec dissimilis mul tum hodie in quibusdam locis potio fit, Hippocras fontis appellata, ex aquæ fontanæ coctura, cum rosis & coriandro, ita ut colatus liquor cinamomo, & alijs si ita libeat aromatis condiatur, ac Zaccharo dulcoretur. Reliquarum usus fere intercidit, ueluti hydrorosan, hydromeli, Rhodomeli, omphacomelitos, melomelitos, rhoeti, & aliquarum aliarum, eorumq; loco tot syruporum, & aquarum distillatarum innumera moles, ab Arabibus medicis transsumpta & inducta est, quorũ usum magna ex parte explosum esse optandum esset, ut aliquando ad Galeni ac Græcorum medicorum præscripta reuersi, uera auxilia sequeremur. Hi enim tales syruporum compositiones, atq; aquarum distillationes penitus non

agnouerūt, non quòd tales excogitare nō potuerint, sed quod improbauerint, alias haud dubiè de ipsis prodituri. Quid enim suæ naturę seruare putandū est, in quibus nec sapor, nec odor adeo multus remanet? & quæ maxima ex parte præter fuliginem nihil spirent: quod in rerum decoctionibus non contingit, quarum usum adeo ut potiorem, medici græci prætulerunt.

Spongiam marinā ustam tritam unam.] Exemplar græcū σφαῖραν θαλασσίαν id est sphæram marinā habet, atque ita etiā legit ac uertit interpres uetus, sed quid sit sphæra marina ingenue fateor me nescire, suspicatusque sum locum uitiatū esse in cuius locū omnino spongiā substituendam aut per sphæræ uocem intelligendam adeo esse decerno. Est enim spongia marina usta commoda ad ea quæ destringere & spissare oportet, ut ait Plinius, hoc est, ὅπου δεῖ σμῆξαί τι ἢ σύψαι ut Dioscorides, in quem usum etiam hic apparet assumpta.

Panniculi Cilicij usti triti Cyath. III.] Habet quidem exemplar Græcum κιλικίου μέλανος κεκαυμένου καὶ τετριμμένου, & interp. uetus Cilicij nigri usti, sed uelut supra capite primo in Heraclidæ compositionibus ῥάκος κιλικίου legebatur, ita etiam hic legendum esse uidetur. Quid uero ῥάκος κιλίκιον siue κιλικίου, hoc est, panniculus Cilicij siue uestis Ciliciæ detritæ, mihi esse uideretur, & in quem usum assumi, tum etiam est indicatū. At uero μέλανος, hoc est, atramenti nullius consimilem hic usum esse scio, & hactenus etiam nusquam cōmeminit, neque μέλαν κιλίκιον me alicubi legisse memini. Indici quidem Atramenti mentionem Plinius facit, sed eius inuentionem sibi inexploratam dicit. Scriptorium ambustis illini prodidit Dioscorides, de quo dubito an hic locū habere possit, ut scilicet pro μέλανος κιλικίου, fortassis sit legendum μέλανος γραφικοῦ. Aut si adhuc fortius diuinare licet, pro μέλανος κιλικίου substituendū fortassis est μέλανος σηπίας, nam huius supra capite primo in Alopecijs usum habuit. at uero obstat his omnibus lectionibus, quod addit κεκαυμένου καὶ τετριμμένου, quod ipsum de atramentis nullis intelligi posse uidetur, ut quæ simpliciter cum liquore aliquo diluta illinuntur. Quare rursus ad primā coniecturam reuertendum esse duxi, atque ῥάκος pro μέλανος legendum, nisi quis μέλανος uocem adiectiue dictam de colore Cilicij accipere malit, ut uidelicet Cilicij uox substātiue accipiatur, pro sago uel ueste Cilicia.

In caput tertium, de tincturis capillorum.

Vocantque hoc compositum pharmacum pisselæon, hoc est oleum picatum, quod omnino aliud est ab eo quod pissanthos, hoc est flos picis appellatur.] Pisselæon, hoc est oleum picatum uocari in Asia dicit oleum cum liquida pice permixtū, quod ipsum neque Dioscorides, neque Paulus, neque Plinius, ubi de Pisselæo agunt, uolunt: sed pisselæon seu oleum picinum uocant id quod in pice liquida serosum superstat, & quod dum pix coquitur, pura supratensa lana excipitur ex sublato uapore. Verum hoc ipsum Galenus hic ad superioris differentiā, nō pisselæon uocari dicit, sed pissanthos, hoc est picis florē, & Paulus lib. III. ca. 74. ὀῤῥόπισσαν idem appellat, hoc est picis serum. Scribonius aūt Largus cap. 40. ait: picis florem quod pisselæon appellant. Sic etiā Marcellus cap. 9. Galenus infra cap. 6. huius operis extra compositionem πίσσης ὑγρᾶς ὀῤῥὸν dixit. Sic etiā Aetius 6. cap. 69. θείου inquit ἀπύρου καὶ σταφίδος ἀγρίας λεάνας καὶ πίσσης ὀῤῥῷ μίξας ἐπίχριε, id est, sulphur uiuum & staphidem siluestrem terito, & picis sero permixta illinito. Interpres tamen Italus qui nobis hac parte uertenda successit, cum sero lactis & pice miscenda esse, falso conuertit.

Aliquando quidē in stuporē attonitū, aut comitialē, &c. Recenset quæ mala mulierculis ex pharmacorū nimiū adstringentiū usu oboriant, inter quę stuporē attonitū, et comitialē, gręcis ἀποπληξίαν & ἐπιληψίαν appellatos morbos notos, deinde ueternū & soporē profundiorē & mētis apprehensionē, qui Gręcis sunt

καταφορά

καταφορὰ, κάρος & κατάληψις. Qui omnes morbi à crasso frigido humore circa cerebrum densato oboriuntur, & sopor altior in eis plus aut minus occupat, ut Gal. lib.13. Metho. his uerbis tradit: quod si uero humor ipse putrescat, indeque febris oriatur, morbus ipse non amplius his nominibus, sed lethargus appellatur, sed audiamus Galenum. ἐπεγεῖραι καὶ τεμεῖν καὶ θερμῆναι προσήκει τὸ πάχος τοῦ λυποῦντος χυμοῦ, ὅστις ἄνευ μὲν τοῦ σήπεσθαι, καταφορὰς βαθείας ἐργάζεται χωρὶς πυρετῶν, ἃς ὀνομάζουσιν ἀπληξίας ἢ κάρους ἢ κατοχάς. εἰ δὲ καὶ σήποιτό ποτε, μετὰ πυρετοῦ γίνεται τὰ τοιαῦτα, καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτο νόσημα λήθαργος. Ex quibus uerbis apparet καταφορὰς uelut genus quoddam horum omniũ malorum esse, utpote quũ in ἀπληξίαι τε καὶ κάρῳ καὶ κατοχαῖς sopor altior inuadat, & mens ipsa percellatur, unde etiam appellationes ipsæ sunt impositæ. Significat enim καταφορὰ in somnum delationem, κάρος uero a capite ducta appellatione, capitis perculsionem, κατάληψις autem mentis siue animi apprehensionem, sicut quoque κάτοχος atque κατοχὴ detentionem & occupationem tum mentis, tum corporis sensu ac motu priuati, atque id in ea corporis figura ægris permanentibus in qua fuerint correpti, siue sederint aut iacuerint, atque hoc siue apertis siue clausis oculis per somnum acciderit, ut Paulus lib.3.cap.10. ait Qua significatione etiã ἀπληξία & ἐπιληψία dicuntur: Nimirum quod mens & corpus corripiantur atque feriantur. Quin & κῶμα κατοχῆς species est, nisi quod aliquando κῶμα cum uigilijs occupat in phrenitide, si biliosus exuperat humor, & tunc ἄγρυπνον κῶμα uocatur: aliquando autẽ cum sopore & cataphora graui, si humor fuerit pituitosus, atque tum κῶμα plane idem est quod κάτοχος & κατάληψις, ut Paulus quoque Aegineta lib.3.cap.6. his uerbis tradit. εἰ δὲ καὶ φλεγματικὸς χυμὸς ἀναμιχθείη τῷ χολώδει, καθάπερ τὴν αἰτίαν, οὕτω καὶ τὴν ὀνομασίαν κέκτηται σύνθετον. ἄγρυπνον γὰρ κῶμα προσαγορεύεται καθόλου μὲν χολώδους καὶ πικρατοῦντος χυμοῦ. φρενιτίζουσι γὰρ οἱ τοιοῦτοι ἀγρυπνοῦντες. τοῦ δὲ αὖ φλεγματώδους, κωματωδῶς αὖθις καταφέρονται. οἱ δὲ παλαιότεροι τῶν Γαληνοῦ κάτοχον τοῦτο προσηγόρευον τὸ πάθος, κατοχὴν δὲ καὶ κατάληψιν οἱ νέοι. Porro nos latini quum in his morbis explicandis pauperiem nostram necessario confiteamur, Veterni & somni altioris, ac soporis nomine, fere omnia hæc (præter stuporem attonitum, & Comitialem) mala appellamus. Distinctionem tamen inter somnum & soporem obseruauit Plinius lib. 21. cap.18. Huius semine, inquit: somnũ allici, sed modum seruandum ne sopor fiat. Quomodo Gal. de semine papaueris ait, ὑπνωτικὸν ὄψιν, εἰ δὲ καὶ πλέον ληφθείη, καὶ καταφορικόν. Cæterum de differentia horum omnium morborũ agit Galen. lib. 4. de locis affectis.

Aliqui periculũ minus subeũt: utpote quũ à minore causa læduntur: que frigidum temperamentũ habet. Frigidi tẽperamenti mulierculas minus lædi à frigidiorũ & adstringentiũ medicamẽtorũ usu, ex Hippocratis autoritate, aut potius cõmuni & uniuersali ratione per Hippocratẽ pronunciata probat. Quanquam contra Diocles & quidã alij medici senserint, Nimirũ per similia morbos magis exacerbari, per cõtraria uero solui tradentes, ex eadem Hippocratis autoritate, itemque rationibus quas cõfutat Galenus in eius Aphorismi expositione, si quis longiore eius sententiæ enarrationem legere desideret, 2. parti, aphorismo. 34.

Quanquam nondum tantæ deliciæ fœminas occuparãt quantæ nunc sunt.] Apparet ex hoc loco artem cõptoriam non multis annis ante Galenũ ita cõmunem Romæ fuisse, & sub ipsum adeo Cæsarum tempus cœpisse. Sub Augusto enim Cleopatra & Heraclides Tarentinus uixerunt, qui primi de ea scripserũt, iam tum Romana grauitate paulatim pessum eunte, & moribus græcis inualescentibus, Nã Artemidorus de his tradit, ὅτι καὶ ἀλλοτρίαις θριξὶν αἱ γυναῖκες χρῶνται lib.1.cap.19. de som. interpret. Inualuitque is mos, adeo ut sub ipsam Vespasianorum & Domitiani ætatem plerique omnes uiri & fœminæ comæ studio fuerint

occupati

occupari,& ut Martialis poeta testatur,nō capilli tantū infecti sunt cuiq; sui,sed etiā peregrini ac repositicij in delicijs fuere,uarijs coloribus imbuti,qui mos fœminis etiā hodie in urbibus quibusdam Gallicis & ad Oceanū magnum durat, ad eiusmodi compturæ fucum,non unum aliquod capillitij genus, sed multa uarie tincta reposita habentibus. Porrò inter reliqua medicamenta flauedinem & crispitudinem pilis cōciliantia, etiam succus Carpasi illinendus habetur,de quo nobis alio relatum est loco.

Primi libri Critonis de ornatu capita.] Nudos tantum titulos rerum de quibus tractauit Crito,hic Galenus proponit,ut eo facilius quis ex his uelut indice singula in ipsius autoris libris tradita inuenire queat. Cæterum hi libri nobis in totum perierunt,ut si cui opus sit talibus uti,frustra Critonem requirat,Ex Oribasio itaq; & Aetio ac Paulo petendā sunt quæ his titulis indicātur. Porrò in his capitibus pauca tantum circa lectionem dubia indicabo,uelut est quod primo libro Ilitiones ex Stibio eum habere dicit,quas Græcis uerbis σιμμίσματα ἐγχιστὰ appellat, si modo uera est hæc lectio. Nam uetus interpres de his penitus silet. Libro autem secundo caput inesse dicit, quod habeat conspersiones aromaticas uestium,hoc est, καταπάσματα ἀρωματικὰ τοῖς ἱματίοις, ut quidem ego legendū puto,sed exemplar Græcum κατακλάσματα habet, quorum forma uestibus conuenire minime uidetur. καταπάσματα uero ex sicco aromatum puluere conflata, commodum inspergendi usum exhibent,uelut etiam quæ καταπαστὰ uocantur, de quibus alibi dixi. Quarto deinde libro titulū fuisse indicat, ad Apellas, quos Græce λεπόδερμους appellauit, quibus uidelicet præputiū ex morbo,uel sectione deest, uelut Iudæis qui inde Recutiti & Apellæ latinis uocātur. Reliqua alijs locis commodius explicabuntur.

In Caput quartum.

Quædam ex eis propriè psilothra appellantur.] Ex triplici differentia medicamentorum pilos corrumpentium, prima psilothra appellari dicit,hoc est,depilatoria & pilos denudantia uocabulo etiam latinis medicis recepto. neq; certum quoddam ungenti genus est psilothrum appellatum,ut quidam existimauerunt. uerum quæcunq; medicamenta illita siue affricta pilos denudant psilothra dicuntur.Plinius lib.24. cap. 9. Amerinæ nigræ semen cū spuma argenti pari pondere,à balneo illitum psilothrum est. Et lib.26. cap. ultimi fine psilothrū nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus, uerum etiam uiris in usu est. Efficacissimum aūt habetur Archezostis. Altera deinde Attenuatoria uocat, eiusdem generis cum illis,secundum magis & minus tantū inter se differentia. Tertia quorum usus est periculosus, Capillos extirpantia nominat,sed de his clarius docet Galenus quàm ut me longius agere sit opus.

Et ob id suillis non absimiles existunt.] Græcum exemplar habet, καὶ διὰ τοῦτο φαινομένοις ὑώδεσιν, hoc est,& ob id porcini apparēt, ut scilicet de uiris intelligatur, nos tamen ad capillū retulimus,nihil uariante sententia. Verū uetus interpres nō ὑώδεσι, sed ὑλώδεσι legisse uidetur. Vertit enim, Et proinde Nemorales apparent.

Nimirū eorū quæ erodente & ustoria habent facultatē.] Erodentē facultatē diximus quā græci σηπτικὴν, quā uocē ut latinā etiā Plin.usurpauit li.27.cap.12. de Myosoti,uis ei septica & exulceratrix, ideoq; Aegilopas sanat,& lib.34.cap. ultimo de Sandaracha. Summa eius dos septica. Vstoriam autem appellauimus καυστικὴν quam item Plinius Causticam uocat, ut eodem libro & capite de Arsenico. Itaq; & Causticis additur & psilothris.

Ex liquidis igitur est lixiuiū tali ui præditū.] Lixiuium quod hic κονίαν στακτὴν uocat, ex loto & excolato cinere fit, aqua uidelicet infusa perstillante, unde & στακτὴ appellatur. Cinerem autem siue τέφραν appellant Græci quicquid exustis

ſtis corporibus relinquitur, ſiue hæc ſunt lapidũ, ſiue arborum, ſiue animalium partes. Quare omne lixiuium eius cineris cuius lotura eſt, naturam adipiſcitur. Vnde ſane quum non unum temperamentũ omnis cinis habeat, neq; etiam lixiuium habebit, ut merito à Galeno reprehenſus Dioſcor. uideatur, qui omni lixiuio adſtringentẽ naturam tribuit, quum non omnis cinis hanc naturã habeat, ut Galen. lib. 4. ſim p. pharm. docet. Cæterum hoc loco ſimpliciter & indeterminate de lixiuio liquido loquitur quod depilandis corporis partibus conueniat, utpote quod uſtoriã habeat caliditatẽ, & ob ſubſtantiam tenuium partium exiſtentem, quã ab uſturæ ipſius cineris fuligine cõtraxit, citra dolorem urat. At uero lixiuij ſiue lixiuię (Nam utroq; genere dicitur) uaria genera & nomina ſunt, tum gręcis tum latinis uſurpata, ea ipſa breuiter explicabo. κονία itaq; στακτὴ, quę etiam κονίας στακτῆς, & στακτὴ ſimpliciter appellatur, eſt lixiuiũ liquidũ, uelut etiã hic accipitur, ut dixi, ex quocunq; cinere factũ. Nam de ficulneo cinere lixiuiũ, Aetius ſerm. 12. cap. 27. στακτὴν appellat. At uero id lixiuiũ in quod parandum calx ad cinerem alium quẽcunq; additur, peculiariter πρωτόστακτος dicitur, ut Paulus lib. 7. tradit: fortiſſimum autem lixiuiũ cẽſetur quod ex ſola calce paratur. Eadem autem quæ στακτὴ, etiam διηθημένη, id eſt, lixiuium excolatũ appellatur. Quin & κονία στακτὴ τῶν πηλοποιῶν, nihil aliud eſt quam lixiuium liquidũ, cui τῶν πηλοποιῶν ob id adiectũ, quod figulis in uſu ſit, ut Galen. 6. Methodi opere dicit. μηδὲν inquit: ἐν τῷ παραχρῆμα φάρμακον ἔχων ᾔτησα κονίαν στακτὴν, ἑωρακὼς ἐκ γειτόνων τοῦ κάμνοντος πηλοποιόν. Hoc eſt quum nullum medicamentũ ad manũ haberem, petiui lixiuiũ liquidum, ubi uidiſſem figulũ ægro uicinũ. atq; hoc eſt etiam quod Dioſcor. lib. 6. de lacte coagulato πηλοποιητικὴν κονίαν dixit, maximo omniũ interpretũ tormento. Idem etiam Paulus lib. 3. cap. 2. habet, & rurſus lib. 5. cap. 56. atq; alijs multis locis. Idem quoq; lixiuiũ infra fine 10. lib. huius operis ὕδωρ πηλοποιητικόν uocat, Item 6. κατὰ γένη, & ſępe alias, Galeno, Aetio, Pauloq; hæc appellatio in uſu eſt, ut nõ ſit opus plura exẽpla producere. Neq; alia eſt στακτὴ τῶν πηλωπλαστείων Aetio lib. 12. cap. 42. dicta quàm ἡ τῶν πηλοποιῶν Galeno uocata. At uero σαπωναρικὴ κονία apud Paul. 6. cap. 9. uidetur eſſe lixiuiũ quod Saponarijs in uſu exiſtit, uel certe quod cum ſapone in uſum uenit. quanq; Saponariã terram uulgò appallent cretam cimoliã dictam. Porrò quum κονία itemq; στακτὴ uoces, etiam calcem ipſam ſignificent, quam hoc loco paulò poſt τίτανον ἀκατάσβεστον, hoc eſt, uiuã & non extinctam uocat, ut quæ etiam priuatim ἄσβεστος appelletur, Non infrequens eſt hic error, ut qui græca legunt ac uertunt, modo κονίαν itemq; στακτὴν cũ calcẽ ſignificent, lixiuium accipiunt ac uertunt, modo quum lixiuium indicant, calcem interpretantur. Nolo aliorum erroribus coaceruandis horum commentariorum noſtrorum paginas explere, ſed quod hac parte neceſſarium eſt indicare nõ prę teribo. Vetus Interpres in his quæ ſequuntur pſilothris Critonis, iam κονίαν, id eſt, calcem, lixiuium uertit, iam ἄσβεστον itidem calcem ſignificantem, ſimiliter lixiuium de calce dixit. Velut exempli gratia, In ſecunda compoſitione ubi habetur. Quod ſi uero tenuis capillus enaſcens ſubeat calcem coquito, id eſt, ἕψε κονίαν. Vetus Interpres lixiuium coquito uertit, quum tamen antea nulla mentio lixiuij facta ſit, ſed calcem quam prius ἄσβεστον dixerat, nunc κονίαν appellat. Rurſus compoſitione pſilothri ultimi. Calcis uiuæ, id eſt, ἀσβέστου ſextariũ unum legitur, ubi idem Interpres lixiuium de calce uertit. Quanquam leue fortaſſis peccatum hoc uidebitur, quando tum calx, tum lixiuium, corporis partes depilant: attamen rerum facies pereat, ſi liquidum pro arido ſumatur, ut quid enim opus fuerat addere, Trita ac leuigata reponito, uſus uero tempore in aqua dilutis utitor, ſi pro calce uiua & arida, lixiuium fuiſſet ſumendum?

Paulus

Paulus certe lib.3. cap.52. ubi de iisdē pharmacis tradit pro calce uiua copulatim ἀσβέστου κονίας bis dixit. quod autem non sit per κονίαν ἄσβεστον lixiuium ex calce, sed calx ipsa accipienda, Indicat id quod ipsam in aqua unà cum cimolia & arsenico coquere iubet, Aqua enim non fuisset opus, si lixiuium erat accipiendum, nisi quis aquam in aqua coquere uelit. Est enim hoc loco κονία substantiuū calcis significatione, cui adiectiuam uocem ἄσβεστον adiecit, inextinctam significantem. Neq; enim accipiendum est κονίαν ἄσβεστον eum dicere, utraq; uoce substantiua, quibus utiq; lixiuium calcis significaretur. Cæterum latini scriptores ipsum lixiuium raro simplici appellatione proferunt, sed omnes ut plurimum cinerem lixiuium dicunt. Columella lib.12.cap.22. picis liquidæ Nemeturicę metretam adde in labrum aut in alueum, & in eodem infundito cineris lixiuiæ congios duos. Plinius.14.cap.20. Cato iubet uina concinnari (hoc enim utitur uerbo) cineris lixiuij cum defruto cocti parte quadragesima. His tamen locis declarandi gratia cineris uox aiecta uideri potest, ut uidelicet non ex alia re quàm è cinere lixiuium accipiamus, quomodo etiam.cap.16.lib.12. Columel. dixit, præparatam lixiuiam cineris sarmenti calefieri conuenit. & paulò post. Sunt qui culmos fabæ exurant, & ex eo quod cremauerint cinere lixiuiam faciunt. quanquam paulò post hos locos, itemq; superiorem, lixiuiam simpliciter sine cineris additamento protulit. At uero Plinius quū inquit lib.15.cap.17. Quidam ut has faciant, in cinere lixiuio tingunt protinus quàm detraxere uitibus, Et lib.28.cap.18. Canum scabies sanantur bubulo sanguine recenti, iterumq; cum inarescat illito, & postero die abluto cinere lixiuio. Videtur plane cinerem lixiuium copulatim pro lixiuio dixisse. Sed & idem Plin.lib.23.cap.7. palàm ex Dioscoride, uel inde unde etiam Dioscorides accepit, transtulit, lixiuium simpliciter cinerem haud scio quàm bene appellādo. Cinis, inquit, non ex alia arbore acrior, purgat, cōglutinat, replet, adstringit &c. Quæ uerba Dioscorides lib.1. de lixiuio ficulneo liquido, & non cinere ipso habet, καθαίρει γὰρ inquit, καὶ κολλᾷ, καὶ σαρκοῖ, καὶ συμφύει &c. Et lib.36. cap.27. ex Varronis uerbis. Lix cinis est inquit: foci, Inde enim cinis luxatis potus medetur. Quo loco rursus cinerem foci qui Lix appellatur, luxatis potū mederi ait, At uero quomodo cinis potari possit si nō liquor ammisceatur, de quo quum siluit, certum est non cinerem, sed ipsum liquidum lixiuium luxatis potandū esse, quod Diosc. etiam ait, ποτίζεται πρὸς πτώματα, ῥήγματα, θλάσματα, Et lib.20.cap.17. de origano. Venena opij extinguit decoctū si cum cinete & uino bibatur, Id quod Dioscor. ita dixit, καὶ ὀρίγανος ἢ θύμος σὺν κονίᾳ ἢ ὄξει ἢ γλυκεῖ. Et origanum aut thymum cum lixiuio, aut aceto, aut passo. Plinius itaq; lixiuium id est κονίαν, cinerem simpliciter dixit. Sed & Columella lib.12.cap.22. postquam dixit cineris lixiuiū, & mox lixiuiū simpliciter, paulò post subdit. Cinis aūt odorem picis aufert, & eluit spurcitiam. palàm cineris uocem pro lixiuio usurpans. Quare ex his locis apparet latinos quod nos hodie lixiuium dicimus, aliquando quidem lixiuium simpliciter dixisse, aliquando uero cinerem lixiuium appellasse, & aliquando cinerem tantū, satis dubijs uocibus an cinis ipse, uel lotura eius ab eis indicetur, Neq; enim ignorantiæ rei insimulare Plinium audeamus, quod cinerem pro lixiuio dixit, ex eo quod κονία græcis tum cinis, tum lotura eius, hoc est, lixiuiū appelletur. Nam Columella ad cinerem respexisse uideri potest, ex quo dixit lixiuium paratum. Scribonij quoq; Largi libellus latinus cinerem lixiuiū, pro simplici lixiuio multis locis habet, cap.228. Hæc terere oportet ex cinere lixiuia ex caprifico uel sarmentis, donec leuia passi habeant temperamentum. & cap.230. Teruntur ex cinere lixiuia, qua culinarij utuntur. Hic culinariorum uocem adiecit, sicut græci τῶν ἀρτοποιῶν, nisi forte etiam hic pro culinarij, figularij sit legendum, aut coactiliarij,

uelut

uelut Marcellus cap.14.in medicamento caustico,lixiuium unde operantur coactiliarij habet, Videtur enim τοὺς πηλοποιοὺς, id est, lutifigulos,coactiliarios appellasse.Et 232.Intestinum extremum quibus prolabitur & excidit, quoties prodierit uino calido,uel uerbenis,uel cinere lixiuia lauari oportet & reponere.& paulò post nō solum lixiuium, sed etiam lixiuij cinerem in eundem usum probat his uerbis: Facit & cinis ex sarmentis cribrata adspersa. Vtitur tamen aliquando lixiuij uoce simplici ut capite 182. Adiuuari autem debent qui his malis uexantur lixiuio è cinere sarmentorum. Constantinus porrò Cęsar lib.10.cap.29: κονίαν βαλανευτικὴν, id est, lixiuium balnearum, probat ad punicarū arborum rigationem. atq; hæc quidem de lixiuiorum appellationibus, hactenus.

Quando aut picatione opus habet totum corpus.] Ob picationem commodius in partibus pilosis faciēdam, depilationem necessariam esse dicit, quā quum quidam per nouaculā fieri non sustinēt, per pharmaca depilatoria necessario contingit. Cæterum Picatio ipsa quam πίττωσιν appellat aliquando toti corpori iuxta Medicinæ rationem adhibetur, aliquando certis partibus, Nimirum ut extenuatæ reficiantur. Humectat enim calfacit, ac sanguinis copiam allicit, quo fit ut ad reparandam carnem, hoc est, εἰς σάρκωσιν, ut Galen.lib.14. Meth.ait, optimum pharmacum censeatur. Quo uero modo fieri, & quamdiu adhærere picationem oporteat ibidem Galen.docet atq; amplius Aet.serm.9.cap.36.

Aut quando pharmacum Emplaston, hoc est quod meatus obducat, imponere uelimus.] Ad Emplasti medicamenti impositionem depilatione locorum itidem opus esse ait Galen. Nimirum ut uis Emplastici medicamenti minus impedite operationem suam perficiat. Sunt autē ἐμπλαστὰ quæ & ἐμπλαστικὰ quæ meatus corporum obstruūt & obducunt medicamēta, carentq; talia necessario omni acrimonia & mordacitate, atq; habent naturam terream, aut omnino uiscosam & tenacem, uelut sunt amylum, pompholyx, cerusa, calx, alica, cimolia creta, & multa alia, ut 4.& 5.simp.pharm. Galenus docet. Eadem autem etiam ἐμφρακτικὰ appellantur, eisq; opposita sunt quæ ἐκφρακτικὰ & ἐκκαθαρτικὰ πόρων dicuntur.

Terræ quæ Romanis Selinusia appellatur.] Terrā Selinusiam Romanis uel latinis uoce acceptū lata uocari ait, tanq; greci hanc appellationem nō habeant, aut tanq; nos non ab illis, sed illi à nobis hanc uocē mutuarint, hoc est enim quod dicit, γῆς τῆς λεγομένης ῥωμαϊστὶ σελινουσίας. Verum mihi quidem hæc appellatio speciei cuiusdam terræ, patrio nomine Selinusia, tum græcis, tum latinis indita uidetur, uelut etiam triticum Selinusium Plinius lib.18.cap.7. habet. Porrò uires eius extersoriæ sunt, unde & cutem erugat ac nitidā reddit, qua gratia etiam hic medicamentis depilatorijs componendis additur.

Ac oleo quod insulsum appellatur.] Ita quidem exemplar græcū habet, hoc est, ἐλαίου τε τοῦ ἀνάλου καλουμένου, atque ita etiam legit uetus Interpres. uidetur autem hoc oleum uelut materiam indicare qua reliqua excepta contemperentur, si modo uera est hæc lectio, quæ etiā asterisco adscripto est suspecta. Cum sale autem olea pręparari solita supra capite primo ostendi ad eorum conseruationem. Et ut Plin.13.cap.1.inquit, Sal adspersus olei naturam coercet. Cæterum ut suspitionem meam indicem: quū hoc loco lachrymæ uitis & hederæ ac bryoniæ meminerit, suspicatus sum etiā hic lachrymæ eum mentionē facere, & nō ἐλαίου τε τοῦ ἀνάλου καλουμένου legendū esse, sed ἐλαίας τε τῆς ἀγρίας καλουμένης, id est, oleę syluestris appellatæ, ut scilicet lachryma eius oleæ intelligatū, cōsequentia uerborū ita ferente. Lachryma aūt oleę syluestris δηκτικὸν, id est, mordax pharmacū, lichenas ac lepras sanare à Dioscor.lib.1. scribit, ut etiā hic sicut reliquæ lachrymæ pilos disperdēdi uim habere possit, Verū nihil affirmo, suspitionem meā cælare iniquū duxi.

In uas fictile non picatum coniecta coquito.] Vas fictile non picatum hoc loco Galenus ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἀκόνιτον dixit. Est autem ἀκόνιτον idem quod ἀκονίατον, id est, nulla calce illitū, neq; ullo aliquo tectorio obductum. Nam à picis oblitione, picatorum & non picatorū fictilium appellatio facta est latinis, sicut à calce græcis. quanq; etiam ipse Dioscor. lib. 1. de fuligine resinæ, ἀκόνιτον τοῖς πίσσοις, exponat. Plin. lib. 29. cap. 4. de cantharidibus. Conduntur in calice fictili non picato, quo loco Dioscor. lib. 2. ἐς βαλὼν εἰς ἀκόνιτον ἀγγεῖον habet. At uero lib. 5. cap. 6. de Thalassomelite ubi inquit, fictili q; uase & picato condunt, Ibi Dioscor. lib. 5. non κεκονιαμένον quod τῷ ἀκονίτῳ opponitur habet, sed πεπισσωμένον, appellatione etiam ab ipsa illita pice deriuata. Quare autem uasa modo picata, modo non picata in usum assumantur, facile indicant res ipsæ quæ in eis conduntur ac seruantur. ἀκόνιτα enim & non picata facile humorē & liquorē inditum in se combibunt, & ob id aridis condendis aptiora uidentur, quàm quæ sunt picata. Sed & in picem aromatis ac odoribus additis uasa bene olida redduntur.

In caput V. quæ pilos attenuant.

Nitrum ustum & Nitri spuma, & aphrolitrū spumosum.] Hoc loco rursus ἀφρόνιτρον pro ἀφρολίτρῳ legebatur, quod uitiū quomodo in plerisq; Galeni aliorumq; medicorum græcorum locis inoleuisset, supra. cap. 1. ostendi.

Faciunt item Nigra appellata uasa Alexandriotica.] Vasa Alexandrina quæ hic Nigra, id est, μέλανα Galenus uocari dicit, tusa & creta pilos attenuare, uel ob hoc credere par est, quod per usturā, extergendi uim fortē sint adepta, quemadmodum etiam reliquæ fictiliū uasorū ac clibanorū testæ. Cæterum ego uehementer dubito an sit hæc lectio uera, quod scilicet uasa Alexandrina, μέλανα, id est nigra, priuatim appellētur, maxime quum in ueteri interprete, hæc uox corrupte, ut pleraq; omnia, Calaina legatur. Quare suspicor omnino uitiatā lectionem, & non ἢ τὰ μέλανα καλούμενα σκεύη τὰ ἀλεξανδριωτικὰ recte legi, sed aut τὰ καλλαινὰ καλούμενα legendum, ut accipiantur ex Callai lapide facta, Nam pretiosa fuisse, indicat id, quòd pro pauperibus alia fictilia utenda demonstrat, Sed & testæ Calainæ tostæ tritæ infra lib. 5. ad dentes denigratos dentifriciorū loco probantur. aut certe τὰ λάϊνα legendū, atq; accipiendū simpliciter lapidea uasa, utpote quæ λάϊνα à uoce λᾶς lapidē significante denominantur. Apud Aetiū 6. cap. 65. hoc loco τὰ ἐλαϊνὰ ὄστρακα adhuc corruptius quàm hic leguntur, sed tamen ut ἐλαϊνὰ ex καλλαϊνὰ uoce corrupta uideri queant. At uero Clibanorū testas dixi eorū instrumentorū fictiliū in quibus aliquid sub textu coquitur & torretur, Ea enim instrumenta κλίβανοι appellantur, quanq; etiā ex ære aut alia materia fieri possint. & panis qui in eis coquitur κλιβανίτης uocatur. Neq; recte interpretantur qui Clibaniten panē furnaceū dicunt, quū hic ἰπνίτης proprie uocetur & illo deterior habeatur. Aetius serm. 9. cap. 30. ἄρτος τοίνυν ἔσω μήτε ξηρὸς μήτε κατακεκαυμένος κλιβανίτης, ἢ ὁ μὴ ἰπνίτης, hoc est, uelut nos in uersione eius diximus. Panis neq; sit aridus, neq; calidus, in clibano coctus, aut si is non adsit, in furno. Hanc autem inter Clibanū ac furnum differentiam etiam Plin. obseruauit lib. 20. cap. 9. de Scylla loquens. Coquitur pluribus modis in olla quæ conijciatur in Clibanū aut furnū. & Columella 12. cap. 15. & oblita uasa clibano uel furno torrefaciunt. Item Cōstant. Cæsar lib. 2. cap. 31. Galen. lib. 1. de antidotis, in pastillis Theriacis. τῶν πάντων ἐζυμωμένος τε καὶ καλῶς ὠπτημένος ὁ ἄρτος ἔστω κριβανίτης, οὐκ ἰπνίτης. Quare octauo Methodi quum ait, καὶ μὴν δὲ οἱ κριβανῖται τῶν ἄρτων ἀγαθοὶ ἔδεσμα. non de panibus in furno coctis accipiendū est, uel ut Linacer reddidit, sed de his qui sub Clibani textu coquuntur. Verum ut huius differentiæ certā cognitionē ex ipso Galeno babeamus, eius uerba ex primo de alimentis adscribemus. κάλλισοι μὲν αὐτῶν

ἐσίων οἱ κλιβανῖται, καθ' ὃν εἴρηται τρόπον, ὠπτημένοι τε καὶ προπαρασκευασμένοι πρὸς τὴν ὄπτησιν. ἐφεξῆς δὲ αὐτῶν οἱ ἰπνῖται, τὴν αὐτὴν ἐσχηκότες δηλονότι παρασκευήν. ἐπεὶ δὲ οὐχ ὁμοίως ὀπτῶνται τὰ διὰ βάθος τοῖς κλιβανίταις, διὰ τοῦτο αὐτῶν ἀπολείπονται. Idē περὶ εὐχυμίας sentit.

Aristolochias, canchry.] Canchry uidetur hic dicere Rosmarini semē, Nam hoc secandi ac extergendi uim habere Galen. 7. simp. phar. tradit, & ob id smegmatis ammisceri Dioscor. etiam prodidit. At uero κάχρυν, quod sine. υ. pleriq; scribunt, & multis arboribus innascit̄ autore Theophrasto, id ipsum pilulā Plin. dixit, in medicina urendi uim habentē, hic nullius usus esse uidetur, Sicut neque κάχρυς ordei torrefacti significatione, locum hic habere possunt. τὰς κάχρυς enim plurali maxime numero, Hippocrates τὰς πεφρυγμένας κριθὰς appellat, ut Galenus in glossis ipsius exponit. Et Strabo libro 15. usurpat τὰς δὲ κριθὰς inquit, φασὶ διασπαρείσας εἰς τὸν ἥλιον φρύγεσθαι, καθάπερ ἐν ἰπνῷ τὰς κάχρυς. Verū Interpres, Velut miliū in mortarijs uertit, neq; ἰπνῷ, neq; κάχρυς uoce intellecta. Sed & apud Aetium 6. cap. 65. hoc loco κέγχροι, pro κάγχρυ, id est, miliū pro rosmarini semine, suppositum habetur.

Melissophyllumq; & Cydoniā herbā.] Cydoniam herbā uocat, ut ego quidem opinor, quā Alum Latinos itemq; Gallos uocare Plin. lib. 26. cap. 7. & 27. cap. 6. dixit, Venetos autē cotoneam, hoc est, ut hic ait Galen. κυδωνίαν πόαν. à similitudine, ut puto, odoris ad mala cotonea appellata. Est autem hæc herba, ea quę grecis symphyton petræū dicitur, quod ipsum εὐώδες γλυκύ τε πρὸς τὴν γεῦσιν Dioscor. descripsit, hoc est, odoratū, gustu dulce, qua gratia etiā hic à Galeno ad reliqua medicamenta pilos attenuantia conijcitur, ut uidelicet eorū odorē commendet. Vetus Interpres hanc herbā in totū præteriuit, sicut multa hic alia. Paulò post aūt in græco exēplari legebatur, ἐμβαλεῖς δὲ καὶ μαλαβάθρου καὶ φύλλου μαλαβάθρου, pro quo, Addes etiā foliū malabathri, dixi. Neq; enim diuersæ res sunt μαλάβαθρον & μαλαβάθρου φύλλον, quare altera appellatio abundat.

In caput VI. de furfuribus.

Diæta eis cōstituatur flatus expers.] Victus flatus generās φυσώδης appellatur, cui opponitur ἄφυσος quē hic flatus expertē dixi. Vocātur itaq; ἄφυσα omnia edulia quæ flatū nullū in corporibus gignūt, sed nō hanc solū significationē ἄφυσα habēt, sed significant etiā tum edulia, tum pharmaca, quæ flatus iam generatos discutiūt, leuāt ac propellunt, qualia sunt quædā urinā mouētia semina. Aetius serm. 10. cap. 21. ἐπὶ μὲν οὖν τῶν τυμπανιτῶν μᾶλλον τῶν ἀφύσων σπερμάτων προαιρετέον. Cornel. Celsus lib. 2. cap. 26. utriusq; significationis res his uerbis expressit. Minima inflatio fit ex uenatione, aucupio, piscibus, pomis, oleis, conchylijs, ouis uel mollibus uel sorbilibus, uino uetere. Fœniculū uero & anethū inflationes etiā leuāt. Græci itaq; tum minime inflātia, tum inflationes leuātia ἄφυσα unica uoce dicūt, quemadmodū etiā ἀφλέγμαντα tum inflāmatione carentes partes tum inflāmationē arcentia pharmaca appellant, & ἄδηκτα medicamēta lenia & mordacitatis expertia dicunt, itemq; ea quæ acrimoniā arcent. Recenset aūt hoc loco Galenus quædā edulia quæ nō sunt ἄφυσα, sed flatus gignunt, utpote crassi succi cibi, uelut sunt tubera, fungi, bulbi, legumina, &c. Verū pro tuberibus quæ ὕδνα appellat, Vetus Interpres Sorba uertit, ut fortassis οὖα pro ὕδνα legerit. At uero consequenter ubi uerti, Sint aūt cibi quibus uescuntur boni succi, in græco exemplari εὔκοιλα corrupte legitur, pro quo uetus Interpres εὐκοίλια legit, id est, uentri cōmoda. Verū ego εὔχυλα legere malo, hoc est boni succi.

Intinctus conferūt acetū cū sapa.] Intinctus hoc loco ἐμβάμματα dixi, id est, liquores in quos reliquos cibos intingimus ad saporis cōmendationē, ac gulæ irritamentū. Veluti alicubi mos est panē intingere, alicubi etiā ipsa obsonia carnes uidelicet ac pisces, in quē usum hic acetū cum sapa laudauit. atq; hæc etiā liqua-

mina ac liquamenta latinis appellantur. quanquã etiam embãmata, docet Columella, itẽq; Plin. Cæterũ quæ his liquoribus cõdiendis induũtur aromata siue semina odorata, ἀρτύματα Græci uocãt, nos cõdimenta, qualia hic cuminũ & fœniculũ indicat. Plin. lib. 15. c. 25. Eadẽq; origine aprorũ sapor cõmendatur, pleruncq; ad intinctus additis myrtis. Aliquãdo ἐμβάμματα etiã ἀντὶ ἀρτυμάτων accipiunt.

In caput VII. de phthiriasi.

PEdiculorum generatio quibusdã in capite cõtingit.] Generationẽ pediculorũ in capite φθείρασιν appellat, eamq; multis calidis humoribus acceptã refert, & ob id exiccãtia medicamenta requirere ait, quibus humor ex alto attrahi ac euacuari queat. Videtur itaq; longe leuior huius mali curatio esse q̃ eius quo ex toto corpore pediculi erũpunt, in quo necessario corrupti ac putrescentes penitus humores tot animalia producũt, qualibus Syllam dictatorẽ, & Alcmanem poetã, Plin. toto corpore exesos scribit. Quin & longe grauius malũ est quo Pherecydes Syrius copia serpentiũ ex corpore eius erũpente expirauit, eodẽ Plinio tradente, quanq̃ ego sane idem phthiriasis symptoma Pherecydẽ occupasse crediderim, neq; aliud serpentiũ genus accipio q̃ pediculorũ, ut etiam Q. Serenus poeta latinus testatur. Solent aũt Græci ἑρπετὰ simpliciter, & ἑρπετὰ τῆς κεφαλῆς pediculos appellare, quos Plinius eorũ imitatione serpentiũ uoce expressit. Sed de hac phthiriasi totius corporis Galenus hic nihil agit. Plin. tamen inter capitis, & reliqui corporis phthiriasin, nihil distinguere uidetur. Ei enim qua Sylla cõsumptus est, resisti uuæ taminiæ succo aut ueratri cum oleo corporibus perunctis, lib. 26. cap. 13. dicit, quod ipsum medicamentũ etiã hic Galen. in fine huius capitis habet, ubi uerti. Aut ueratrũ albũ & staphidẽ syluestrem, & nitrũ, pari pondere cum oleo in balneo adhibe. Nam Plin. eo loco quã nos staphidem syluestrẽ diximus, uuam taminiã dixit, quũ tamen lib. 23. cap. 1. de labrusca dicat, Hanc potius crediderim esse quã uulgus uuã taminiã uocat. Paulò ante aũt dixerat, Astaphis agria siue staphis, quam uuam taminiã aliqui uocãt falsò, suum enim genus habet, &c. Videtur itaq; Plinius hac parte etiam sibijpsi non cõstare. At uero Cor. Celsus lib. 3. cap. 21. uuã taminiã σταφίδα ἀγρίαν græcis nominari aperte dicit. Scribonius aũt herbã pediculare, quod pediculos necat, quibusdã appellari ait cap. 8. Ita & Marcellus sæpissime, sed tamen pedũcularìam legitur, quomodo etiam apud Pliniũ legendũ puto, & nõ pituitariam, loco paulò ante citato. Porrò phthiriasis in capite ac reliquis corporis partibus pilosis, ut ob humorũ calidorum in eis locis redundantium copiam facile oritur, Ita etiam his medicamẽtis quæ hic ex Archigene Galen. tradit sanari potest. Verũ phthiriasin quali Pherecydes infectus fuit, ex incurabilib. fuisse, & per numinũ maximeq; Apollinis, irã immissam, referũt Græci scriptores, & imprimis Aelianus. Quare haud scio an nõ Galenus de hoc morbo itemq; Pherecida omnia ficta putarit, ut qui morbos à dijs immitti non credat, quemadmodũ idem nusq; etiam Hippocratẽ fecisse, ostẽdit idem Galenus primo cõmentariorum εἰς τὸ προγνωστικὸν eiusdem. Cæterũ quod hic ad finem habetur, Si nuditas pilorum adsit, sic accipiendum, quod aliquibus tantum hoc symptoma accedit, ut uidelicet caluescant.

In caput VIII. de Achoribus.

PRopriam aũt & singularem appellationẽ nacta.] Achoras ulcuscula cutis capitis tenuia ex genere tumorũ præter naturã esse ait, quod item in libro eius tituli, de tumoribus uidelicet præter naturã tradidit, sed appellationẽ hanc propriam ac singularẽ nacta esse dicit, ob accessionũ quæ ad ea ulcuscula consequuntur proprietatẽ. Nimirũ quod tenuibus foraminibus cutis in eis erodit ur, in quibus etiã tenuis humor modice tenax cõtineatur: atq; inde omnino appellatio ἀχώρων ducta uidetur, quo d uidelicet nõ amplũ locũ occupet, sed angustis terminis

terminis conclusa, tenuem etiã humorẽ in se cõprehendant, à uerbo χωρέω, & priuatiua particula α, uoce cõposita. His autẽ non dissimilis ualde affectio cutis capitis est, in qua maiora sunt foramina, & melleus humor, quæ κηρίον, hoc est, fauus à faui mellis similitudine appellatur. Videtur autẽ Plin. utrũq; genus, Vlcera capitis manantia dixisse. Nam appellationis ἀχώρων nusquã meminit, sed κηρίων tamen fecit mentionẽ lib. 20. cap. 2. de peponib. loquens. Radix sanat ulcera concreta in modũ faui, quæ Ceria uocant. Ita enim legendũ est, & nõ, quæ Cerion uocant, ut exẽplaria uulgata habent. Nam ad ulcera relatio fit, nõ fauũ, ut etiam lib. 23. cap. 7. de ramulis fici ait. Idẽ cũ melle ulceribus quæ ceria uocãtur illinuntur. Cæterũ Galen. humorẽ horũ ulcerũ optimo melli assimilat hymettio uidelicet, ab Atticæ regionis mõte Hymetto appellato. Vetus Interpres simpliciter melli quod in fauo est consimilem dixit, ut uel hymettion mel ignorasse, uel certe pro ὑμηττίῳ legisse τῷ ἐν κηρίῳ uideri possit. Quod ipsum indicare uolui, ut admonerẽ satis absurdũ esse, optimo melli ulcerũ sordes cõferri. Paulus sane lib. 3. cap. 3. pro eo quod hic legitur ὑγρότητας τε πεπιεχόσας ὑμηττίῳ μέλιτι παραπλησίας, habet ὑγρότητος μελιτώδες περιεκτικὰς παραπλησίως τοῖς τῶν μελιττῶν κηρίοις, ut certe iuxta Paulũ etiã in Galeno legendũ sit, quũ Paulus sua ex Galeno transcripserit. & nisi uehementer fallor, omnino pro ὑμηττίῳ, legendũ est τῷ ἐν κηρίῳ, facili lapsu eius qui castigationi græci exemplaris præfuit, ut si lectio obliterata fuit, alterũ pro altero substitueret, maxime quũ uel præclara diuinatio uisa sit primo aspectu si ὑμηττίῳ legeretur. At uero hoc ipsum ulcerũ genus quod κηρίον appellatur, etiã μελικηρὶς dicitur cõposita ex melle & fauo uoce, estq; hæc appellatio frequentiss. medicis græcis ipsiq; etiã Plinio, & ab illis πύθος ἔχοντα μελιτῶδες ὑγρὸν ἔχον describit. Verum de μελικηρίᾳ, quã saniei speciẽ, nõ ulceris Cel. lib. 5. c. 26. esse tradit, eamq; ex ulceribus ubi nerui circa articulos læsi sunt, & inter hæc loca maxime ex genibus manare dicit, nõ temere alıubi similia dicta reperias. Omnes enim capitis ulcus κηρίον & μελικηρίδα norũt, ex quo melli similis humor siue sanies aut sordes ferat. atq; ipse adeo Cel. eodẽ lib. c. 28. de Meliceride ulcere (legit tamen corrupte Melicería) eadẽ quæ hic Gale. tradit, nisi quod in duas species ipsum distinguit, & de altero ait, Raro fit nisi in scapulis. quã lectionẽ ut corruptã & omnino falsam expungendã cẽseo, & pro scapulis, capillis substituendũ. Nã in locis pilosis, capite maxime ac mẽto Melliceridas oriri Aetius 8. cap. 15. tradit. Idẽ Cel. eodem lib. 18. c. Malagma Protarchi ad parotidas, & fauũ, & melicerides recẽset, quo loco pro melicerides, mala ulcera primũ, & mox melicera, utrũq; corrupte legitur.

Hoc ipso sane pharmaca Metallica appellata.] Metallica appellantur medicis medicamenta quæ in Metallis aut sponte naturę, aut per fornacẽ gignuntur, Itẽq; ea quæ ex his ipsis ab hominibus per quẽcunq; modũ fiũt, ut est cerusa, psoricon, sandyx ex fucus, autore Galeno lib. 9. de simp. Pharm. uiribus. Videntur aũt ipsa Metalla ab inquirẽdo & perscrutãdo, hoc est, ἀπὸ τῶ μεταλλᾶν appellata esse. Eorũ enim gratia in uiscera terræ imus, & in sede manium opes quærimus, ut Plinius ait. Quanq; idem Plin. nõ inde appellata metalla grçcis putare uideatur, uerum quod nõ solitariẽ, sed simul, & cũ alijs eorũ uenæ reperiantur, dictaq; ob id μέταλλα quod cũ alijs, hoc est μετ᾽ ἄλλων uel μετὰ τὰ ἄλλα, id est, post alia reperiantur. Plinij uerba lib. 33. cap. 6. hæc sunt. Et ubicũq; una inuenta uena est, nõ procul inuenitur alia, hoc quidẽ & in omni fere materia, unde Metalla græci uidẽtur dixisse. Quanq; uideo ita accipi hæc uerba posse, ut metalla ab inueniẽdo dicta doceat, quod perscrutando & effodiendo in aliorum uicinitate maxime contingit.

Pharmacũ ex charta siccũ aceto dilutũ illinito.] Medicamenta ξηρὰ itemq; ξηρία, id est, sicca & arida appellantur, quæ ulceribus & cuti insperguntur, unde & καταπάσματα dicũtur à Paulo lib. 7. c. 13. quanq; in Pauli exẽplari καταπλάσματα

 corrupte

corrupte legat.atq; ulceribus quidē inspergūtur incarnādis,reprimēdę supercre scēti in eis carni,ad ducendū cicatricē, ad erodendū item ac urendū, & sanguinē sistendū. Cuti aūt adhibentur extergendæ,repurgandæ, attenuandæ,& ad discu tiendū si quid in ea prętér naturā est excitatū. Hoc itaq; loco medicamentū siccū ex charta cōstans aceto dilutū,repellendis ac siccādis humoribus achoras gene rātibus,aptū prodit. Nam si aridū tantū adspergeretur, siccandi uim solam forti ter obtineret,queādmodū lib.5.Meth.fine de ipso testatur, & pluribus alijs locis. Descriptionē aūt medicamēti habet Galen.5.περὶ γενῶν. & Paulus loco supra citato.

Tale autem est parygrū appellatū.] Parygri emplastri descriptionem Paulus lib.7.cap.17.ex Oribasio recitat. Ex ipso autem Hera Galenus hic citat ac descri ptum habet lib.7.περὶ γενῶν, si quis legisse uelit. Id autem quū emplastrū fit per spe cillum latum ad ungenti formā redigere docet rosaceo adstillato. Est autem spe cillum latum à me dictum quod σπαθομήλην greci medici uocant. Nam quū μήλη per se specillum quodcūq; tandem significet, addita in compositionem uoce σπά θης,latum & ad gladij seu spathæ formam factum indicatur, Sicut etiam alijs qui busdam uocibus additis, aliæ atq; aliæ specillorū formæ appellantur. μήλην itaq; ἐργαλεῖον δι' οὗ χρίεταί τι καὶ ὑπαλείφεται græci describunt. Vnde & μηλῶσαι uerbū est καθεῖναι εἰς βάθος, ἢ διαχρίσαι, id est, specillo pertentare, ipsum uidelicet in uulnera ulceraq; ac fistulas immittendo, itemq; specillū illinentis modo inducere. à prio re significato μήλη à uulgo medicantium Tenta appellatur, à posteriore spathu la. Græcis medicis frequens est κυαθίσκος μήλης quem ego in Galeno & Aetio conuertendo subinde specilli cōcauum dixi. Celsus & Scribonius specillū auer sum dicere solent, ut lib.5.cap.28.de Theriomate Celsus. Quicquid autē insper gitur, auerso specillo infundi debet. Et lib.7.cap.21. Nam quod paruulum est, su per inguen in aluum uel digito, uel auerso specillo repellendū est. Et Scribonius cap.227. Ac quarto die auriscalpio auerso, quam partē κυαθίσκον græci uocant, sensim tentare, mouere abalienatum oportet, quo celerius excidant hæmorrhoi des. Est autem auriscalpiū, specillum priuatim auribus destinatum, quod græcis μηλωτὶς & μηλωβὶς appellatur. Galenus huius operis quod exponimus, lib.3. de corpusculis in aurem delapsis. μετὰ δὲ ταῦτα κυαθίσκῳ τινὶ μικρῷ μηλωβίδος ἀνάσπα θυφῶς. At uero πυρῆνα μήλης, quod specilli nucleum sonat, græci medici uocāt specilli summū ac ipsam cuspidem. Celsus aduersum specillum lib.7.cap.27. ap pellat. Vulnus, inquit, digitis uel aduerso specillo diducendum est, ut torquenti bus exitus detur. In summa itaq; μήλη græcis specilli instrumēti nomen est, non solum lati quo aliquid illinitur, & acuti quo aliquid finditur, & cōcaui quo ali quid ex alto extrahitur, sed etiam quo aliquid infunditur, atq; hoc citra aliquam adiectionem, Nam superioribus σπάθη, & πυρὴν, & κυαθίσκος aliquando adijciun tur, ad certam rei determinationem: quanquam etiam hæc inter se confundan tur, uelut alibi demōstraui. Galenus huius operis lib.2. de sternutatorijs, ἐκ τούτου λαμβάνων κέγχρου μέγεθος ἀνιεὶς ὕδατι, μήλῃ ἀναλαβὼν ἔγχει ταῖς μυκτῆρσι. Hoc enim in loco Galenus μήλην instrumentum fusorium ad nares dixit, quod ῥινεγ χύτην uocari alio loco dixi.

In quibus Achores, aut papulæ feruidæ, aut eruptiones circa caput ulcerosæ sunt.] Archigenes hoc loco in curādis achoribus, etiā alia papularū ac pustularū genera, tanq; eandē curā recipientia ammiscet. Vocat autē quas ego papulas fer uidas dixi, ἐκζέσματα ab ebulliēdo ac feruēdo, qua ratione etiā ἐκβράσματα alias Galeno, Aetio, ac Paulo appellantur. ἐξανθήσεις autē dixit quas ego eruptiones. Ita enim Plinius ferè ἐξανθήσεις & ἐξανθήματα uertere solet: quanquam aliquando papularum uocem, aliquando pituitæ, aut etiam utramq; simul adijciat.

Pinguibus emplastris usu cognitis ammisceto.] Emplastra pinguia dixi, quę

λιπαρὰς

λιπαρὰς græci dicũt, Celsus lenia interpretari mauult libro 5. cap. 19. Plin. grecam appellationẽ retinuit lib. 23. cap. 9. Additur in medicamẽta quæ liparas uocãt, Ita etiã lib. 33. cap. 6. Vidẽtur aũt λιπαρὰ ἔμπλαστρα, id est, pinguia seu lenia emplastra dicta esse ob adipis suilli, aliorũq; pinguitudinũ ac oleorũ ammixtionem, quum contra quæ hæc non habẽt, uel omnino parũ, ἀλίπαντα græci medici appellent. Celsus de emplastris quæ cruentis protinus uulneribus iniiciuntur supra citato loco. Constant autẽ ex medicamentis non pinguibus ideóq; ἀλίπαντα nominantur, quanquam alipenæ corrupte eo loco legatur. Aetius serm. 13. cap. 126. de arido spumæ nitri, sulphuris uiui, alcyonij usti, & ueratri albi puluere inspergendo usurpat, συμπάσσειν δὲ, inquit, ἀλιπάνθις.

Licebit & myrti baccas, aut ordeũ ustũ, &c.] Exẽplar grecũ Venetũ hoc loco habet μίξας αὐτῷ μύρτα, ἢ κόγχας ὀστρέων κεκαυμένας. Vetus aũt Interpres legit et uertit, μίξας αὐτῷ μύρτα, ἢ κριθὰς κεκαυμένας, ἢ λιθάργυρον, ἢ ψιμμύθιον, ἢ κόγχας ὀστρέων κεκαυμένας. Desunt itaq; tria medicamẽta simplicia, κριθὴ uidelicet κεκαυμένη, λιθάργυρος, & ψιμμύθιον, quæ omnino adscribẽda censeo, sicut etiã uerti, Licebit & myrti baccas, aut ordeũ ustũ, aut argenti spumã, aut cerussam, aut ostreorũ testas ammiscere, atq; hoc non tam ex ueteris Interpretis præscripto faciẽdum est, quàm ex ipsius Galeni declaratione, quæ paulò post sequitur, in qua singulatim hæc omnia medicamenta in quem usum adhibeantur expendit ac ostendit.

Citra humorũ in uniuerso corpore uitiationẽ, aut eorundem multitudinem redundãtem.] Humores corporis humani duabus potissimũ affectionibus obnoxij fiunt, quarũ altera κακοχυμία, altera πλῆθος & πληθώρα appellatur, priorem nos hic humorũ uitiationẽ diximus, posteriorẽ, multitudinem eorundẽ redundantẽ, quidã uero plenitudinẽ dicere malũt. In hac itaq; copia humorũ ex æquo redundat, In illa qualitas humorũ est uitiata, ita ut unus aliquis humor, siue pituita, siue bilis flaua, aut atra, siue serosi humores, reliquos excellant. quare non modo κακοχυμία, sed etiam ποιότης appellatur. Galenus infra libro 2. de capitis dolore per consensum ad reliquũ corpus καὶ εἰ μὲν εἴη πλῆθος ἢ μάλιστα περὶ τὰς φλέβας φλεβοτομῶμεν. εἰ δὲ μᾶλλον ποιότης, καθαρτικῷ χρησόμεθα φαρμάκῳ. Verũ harum dispositionum differentiã egregie explicat ipse Galen. 13. Meth. his uerbis, ὅταν μὲν γὰρ ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοὶ, πλῆθος τὸ τοιοῦτο καὶ πληθώραν ὀνομάζουσιν. ὅταν δὲ ἤδη ξανθῆς χολῆς, ἢ μελαίνης, ἢ φλέγματος, ἢ τῶν ὀρρωδῶν ὑγρῶν μεστὸν γίνηται τὸ σῶμα, κακοχυμίαν οὐ πληθώραν καλοῦσι τὴν τοιαύτην διάθεσιν. Cæterũ clarius adhuc, (quanq; quid potuit his uerbis apertius dici?) infra lib. 2. has dispositiones corporis explicat, & πληθώραν nõ solũ quatuor humoribus ex æquo auctis fieri, & appellari dicit, sed etiã aucto sanguine solo. quare etiã ea ipsa uerba adscribere nõ pigebit, nõ tam ad nominũ q; ipsius rei intellectũ uberiorẽ assequendũ. ὅταν ἀναστρέφηταί τις ἐν ὅλῳ τῷ σώματι πλεονεξία χυμῶν, ἣν ὀνομάζουσιν οἱ περὶ τὸν Ἐρασίστρατον πληθώραν. γίνεται δὲ αὕτη τῶν τεττάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου, ὡς ὅταν γε τις τῶν ἄλλων αὐξηθείη χυμῶν, οἵπερ εἰσὶ φλέγμα, ἢ χολὴ ξανθὴ, ἢ μέλαινα, τὴν τοιαύτην αὔξησιν οὔτε πληθώραν, οὔτε ἁπλῶς πλῆθος, ἀλλὰ μετὰ προσθήκης ὀνομάζουσι, πλῆθος φλέγματος, ἢ χολῆς ξανθῆς, ἢ μελαίνης ὑπάρχειν ἐν τῷ σώματι φάσκοντες. Ex his itaq; uerbis palàm est, κακοχυμίαν, quam alibi ποιότητα ab ipso uocari ostendi, etiam πλῆθος appellari, sed non simpliciter, uerum cum adiectione pituitæ, uel bilis flauæ aut nigræ.

Ad rugas ani intumescẽtes, rimasq; ac fissuras sedis.] Rugas ani intumescentes dixi, κονδύλας ab Apollonio appellatas, Sicut rimas & fissuras conuerti, ῥάγαδες ab eodẽ appellatas, Plinius etiã fissa appellare solet. Meminit autẽ tum κονδύλων, tum medicamenti ad eas, quod hoc loco ex plũbi succo habetur, Galenus 9. sim. phar. ubi de plumbo agit. Meminit & Paulus lib. 4. c. 26. & 6. c. 72. ubi ait, τὰ δὲ κονδυλώματα κονδυλώδεις ἐπαναστάσεις εἰσί. Id est, cõdylomata eminẽtiæ sunt rugosę. Et

Galen. sanè in glos. Hippo. exponit uocẽ στολιδωδέστερον significare ῥυσσότερον, id est rugosius. Sed omniũ lucidissime στολίδων significationem docet. Aetius 14. c. 3. his uerbis. τὸ δὲ λεγόμενον κονδύλωμα ἐν ἕδρᾳ γίνεται τῶν ἐπαναδιπλουμένων σωμάτων ἐν τῷ δακτυλίῳ στολίδος τινὸς ἐπανισταμένης καὶ διογκουμένης παρὰ φύσιν. στολιδώδης γὰρ ὁ δακτύλιος συνεσταλμένας ἔχει τὰς ῥυτίδας. ὅταν δὲ πλέον διογκωθῇ ἡ στολὶς, τότε γίνεται κονδύλωμα. Id est, Quod condyloma appellatur in sede fit, ruga aliqua corporũ in anore duplicatorũ insurgẽte, & præter naturã intumescẽte. Quum enim sinuosus fit anus coagmẽtatas rugas ac plicas habet. Vbi uero amplius intumuerit ruga, tũc sanè fit cõdyloma. Ex his itaq; uerbis palàm fit quid sint στολίδες, & quæ στολιδώδη ἕλκη & πάθη, medici græci dicant. Sequũtur autẽ paulò post ulcera serpendo exedentia, cancerosaq; & maligna, quorũ prima φαγεδαινικὰ ab exedendo appellantur. Plinius etiã græca uoce retenta phagedænas appellat. Nõ solum aũt ulceris nomen phagedæna apud græcos est, ut quidã pertinaciter adstruũt, nusq; aliter reperiri affirmãtes, sed stomachi etiã affectus, quo uehemẽter excitato appetitu, immodice cibũ sumit, ac nõ mansa etiã deuorat. Plin. lib. 26. cap. 11. Phagedænis quod nomen sine modo edentiũ est, & aliàs ulcerũ, tithymalli medentur, cũ sesamis sumpti. His enim uerbis duplicẽ phagedænã esse declarat, & ad eam quæ sine modo edentiũ est, medicamentum prodit tithymallos cum sesamo sumptos. Nam hoc ulceri phagedænæ cõuenire nõ potest, intra corpus sumptũ. Quanq; q̃d aliqua exẽplaria pro edentiũ, esurientiũ habẽt, neq; id etiã huic sentẽtiæ repugnat. Quare etiã aliàs distinctionis gratia ulcerũ phagedænas dicere solet, ut lib. 20. c. 5. de semine staphylini. Phagedænas ulcerũ sistit recẽs cũ melle impositũ. Et 28. cap. 18. Ea uero quæ phagedænas uocãt in ulcerũ genere corij bubuli cinis cũ melle. At uero quũ Galen. de Tithymallis intra corpus sumẽdis nullam mentionem faciat, ut qui quarti ordinis sint calfacientiũ, qui urẽdi uim habentiũ existit, multũ dubito an sit hæc Plinij lectio uera ac integra, & nõ potius penitus corrupta, & similiter ut aliæ quas recitaui, de phagedæna ulcere intelligenda. Maximè quũ & Dioscor. & Galen. phagedænica nominatim recenseãt à tithymallis sanari forinsecus impositis, atq; hoc propterea quòd uehementer calfaciunt & extergent, si modo in tempore & iusta mẽsura quis adhibeat. Nisi quis omnino iuxta Dioscoridis præscriptũ, tithymalli succum ad humoris frigidi & acidi atq; ob id edẽdi appetentiã excitãtis purgationẽ, à Plinio proditũ ex aliquo græco scriptore uelit: cũ sesamis aũt ea ratione sumi iussisse, qua Dioscor. cũ eruina farina misceri atq; in catapotia formari prodidit. Nimirũ ut ita eorũ uehementia obtũdatur, ne qua in transglutiendo læsio partiũ cõtingat. Hoc ipsum enim nisi Plinij lectionẽ defenderit, nõ desiuero eam ipsam à quopiã uitiatã suspicari, & legendum potius Phagedænis quod nomen sine modo exedentiũ est, & alijs ulcerũ, tithymalli medẽtur cum sesamis impositi. Cæterũ ut ad id unde digressus sum reuertar, Cælius Aurelian. lib. 3. de morbis diuturnis proprio capite de phagedęnę stomachi curatione tradit: quanq; autem omnia in eo ipso autore corruptissima, tẽporum iniuria legãtur, tamẽ palã uidere est, eundẽ omnino affectũ per phagedęnæ appellationẽ indicari, qui aliàs græcis medicis, & presertim Aetio serm. 9. cap. 21 κυνώδης ὄρεξις appellatur, qui à βουλίμῳ appellato etiam alius est, de quo eodem libro cap. 5. seorsim Aetius agit. Verum ne forte hanc appellationẽ in Plinio ut supposititiã, aut in Cælio ut barbaram repudiemus (hic enim unicus ex Methodicæ sectæ imitatoribus, quã Galen. quũ alibi, tum in libris de curandi methodo insectatur ac damnat superest) autor libri diffinitionum græcarum qui Galenus esse putatur, ita de hac affectione tradit. φαγέδαινά ἐστι κατασκευὴ καθ' ἣν ὀρεγόμενοι πολλῆς τροφῆς, καὶ λαμβάνοντες ἄμετρον οὐ κρατοῦσιν αὐτῆς, ἀλλ' ἐξεράσαντες πάλιν ὀρέγονται. Quin & ipse Galen. cõment. 3. in 6. librũ populariũ morborũ Hippocratis planè

hoc

hoc indicat his uerbis. τινὲς γε μὴν ἤκουσαν φαγεδαίνας τὰς τῶν πολλῶν βρωμάτων ἐδωδὰς, ἃς καὶ αὐτὰς ὑπὸ κακοχυμίας γίνεσθαι ἀμέτρους ὀρέξεις σιτίων ὁμολογεῖται καὶ πρὸς ἡμῶν.

Iuxta hanc cōmensurationem.] Commensurationem dixi græcorum συμμετρίαν, quanquam etiā Plin. symmetriæ uocabulo ut latino utatur. Plin. lib. epistolarum 2. ad Lupercū, congruentiam æqualitatemq; dicere maluit, de statuarum partibus auulsis loquens. hic quum mensurarum & ponderum ratio habēda sit, commensurationem dicere malui.

Lipara seu pinguis cōpositio ad achoras, psydracas, papulas feruidas, intertrigines.] De achorum & papularū feruidarum ratione iam ante dixi. Nunc uero etiam de psydracijs & intertriginibus uidendū. ψύδρακας & ψυδράκια appellant medici græci pustulas paruas uelut bullas quasdā supra cutem eminētes, unde etiam aliquādo φλυκτίδες & φλύκταιναι ijsdē dicuntur, & φλύσεις ab Hippocrate quæ appellationes ab ebullitione & feruore, hoc est ἀπὸ τοῦ φλύειν sunt factæ, Sicut ψύδρακες ἀπὸ ψύχους denominatæ uidentur, quòd à frigore quoq; eiusmodi oboriantur. Hippocrates easdem pustulas quas alij ψυδράκια uocant, φλυζάκια appellat, ut Galen. exponit, Itidem ἀπὸ τοῦ φλύειν appellatione ducta. atq; hæc est quam Celsus lib. 5. de pustularū generibus describit: Phlyzacion autem paulò durior pustula est subalbida, acuta, ex qua ipsa quod exprimitur humidum est. Ita enim legendum in Celso est, non phyzacion, neque psydracion, ut aliqui putauerunt, quum ex Hippocrate hanc uocē, sicut pleraq; omnia Celsus transcripserit, quanquam quod ad rem attinet, nihil intersit ψυδράκιον an phlyzacion legatur. Paulus lib. 3. cap. 3: ψυδράκια ita depingit. ψυδράκια μέν εἰσι μικραὶ ὑπεροχαὶ φλυκτίσιν ὅμοιαι ὑπερέχουσαι τῆς ἐπιφανείας. Intertrigines autē sunt latinis & maxime Plinio dictæ, παρατρίμματα græcorum, ab attritu partium in quibus contingunt, utrisq; appellationibus sumptis, uelut etiam alio loco indicaui.

Mānæ thuris tantundē.] Māna thuris appellātur grana & micæ quæ ex magnis thuris glebis unà cum ipsius thuris cortice excutiūtur: & in hoc ipso māna præstat thuri, q ex ammixto cortice modicum quiddā adstringētis facultatis est adepta, ut Galen. infra lib. 4. docet his uerbis. γνωστέον ὅτι καλοῦσιν ἰδίως μάνναν τὸ ἀπόσεισμα τοῦ ὑποτεθρυμμένου κατὰ τὰ μεγάλα φορτία λιβάνου, συμφέρεται γὰρ αὐτῷ βραχύ μετά τινα μικρὰ λιβανωτοῦ φλοιοῦ, ὥστε διαφέρειν τοῦ λιβανωτοῦ τὸ κοῦφον φάρμακον τῷ προσειληφέναι βραχύ τι τῆς στύψεως. Idē penitus lib. 13. Meth. dicit. Dioscorides mannā albā purā & granulosam probat, ita enim ἔγχονδρον accipio. Verū uim eius remissiorem thure facit, cuius contrarium ex Galeno ostendi. Galen. lib. Meth. 3. cephalicum medicamentū aridum recēset his uerbis. σύγκειται δὲ ἐξ ἴρεως καὶ ἀριστολοχίας ὀρόβου τε καὶ λιβανωτοῦ τῆς μάννης. Sed lectio corrupta est in greco exēplari, legitur enim λιβανωτοῦ καὶ μάννης, quæ res fecit ut Interpres uerterit, Componitur ex iride, & aristolochia, & eruo, & thure, & manna, id est cortice thuris: gemino errore propter unicam syllabicā tātū particulam admisso. pro manna enim thuris primū thus per se uertit, & mox etiam eius mannam adiecit, cui quum apponeret, corticem thuris per eam significari, alterum errorem incidit, Mannam corticē thuris interpretando, quū micas aut grana oportuit, aut mannam simpliciter ut Græci dicere. sed ita interpretatus est ut corticē tanq̄ à thure diuersum aliquid, in medicamentū addi indicaret, quū inter ipsum thus eiusq; micas nihil differre putaret. At uero ipsum thus solū, aut eius adeò mannā in hoc medicamentū cōijci debere ex præcedētibus ac sequētibus apparet. Quod aūt alterū pro altero aliquādo usurpet, ex lib. Meth. 5. patet, ubi ait ἡ μάννην δὲ ἀντὶ λιβανωτοῦ ποτ' ἔβαλλον. ἔστι δὲ στυπτικώτερον μὲν φάρμακον ἡ μάννη τοῦ λιβανωτοῦ. ὁ λιβανωτὸς δὲ ἐμπλαστικώτερος τῆς μάννης. Quod uero ad carnem gignendā illo loco thuris mannam potius q̄ ipsum thus indicarit ex 5. Meth. ad finem hæc uerba indicant. μετὰ τὸ ξηρᾶναι τῶν εἰρημένων τινὶ μάν-

νης αὐτοῖς ὅσον τὸ μικτέον, ὅσον αὐταρκὲς εἰς γένεσιν σαρκός, Scribonius porrò Largus mannã thuris sępenumero pollinem thuris appellat. Paulus uero lib. 3. cap. 22. de cicatricibus & albuginibus oculorum μάνναν appellat etiã μαμηρὰν, atq; ita etiam Aetius uocat serm. 12. cap. 44. fine.

Leuce emplastrũ albũ inexuperabile.] Albũ hoc emplastrũ ἀνίκητον, hoc est, inexuperabile ab efficacia & uictoria quã de affectu superato refert, appellatur. Albũ aũt à colore, quē propter cerussam habet, dicitur. Leuce autē græcis qui ἐμπλαστρος genere fœmin. dicunt. Coloris aũt gratia cerussam in emplastra alba iniji ci, Galen. lib. 1. cõpositionis pharm. κατὰ γένη prodit, itēq; ob uim adstringendi ac refrigerãdi, quas sanè uires ego potius respexerim quàm colorē. Variantur autē emplastrorũ colores aliquãdo, ut ne ab alijs noscant. Sic Galen. 6. Meth. Emplastrũ à se inuentũ ab aliquibus per sinopidē, ab alijs per ochrã fucatũ dicit, ne Galeni esse putaretur. Ferè aũt nigra fiunt ex pice & resina, atq; adhuc magis ex bitumine, Ex ærugine aũt & chalcãto ac squama ęris uiridia, ex minio siue rubrica sinopide rubra, ex cerussa alba. Ex ærugine etiã Melina, sed hoc si moderáte coquat cõtingit, Nam ex cruda uiridis color accedit, Sicut ex ea quę plurimũ coquitur, duplicis coloris siue adspectus emplastra reddũtur. unde & δίχρωμα & διπρόσωπα uocãtur. Quin & fulua ob eiusdē æruginis nimiã cocturã fiunt quæ κιῤῥὰ appellãtur. Cæterũ emplastri huius albi descriptio in græco exẽplari nõ est integra. Deest enim post enumerationē eorũ quæ ipsum cõstituunt, cõponendi modus & forma, quē partim ex rei usu, partim ex ueteri Interprete, qui tamē & ipse integram lectionē non habet, restituimus, his adiectis uerbis. τὰ ξηρὰ κόπτε, τὸ δὲ ἔλαιον καὶ λιθάργυρον καὶ ψιμμύθιον εἰς καινὴν χύτραν βαλὼν ἐπ᾽ ἀνθράκων ἕψε. His enim uerbis interpositis, rectè sequetur, ὅταν δὲ μεταβάλλῃ. &c. Porrò Melina emplastra quę sequũtur, æruginem quidē nõ habēt, unde color luteus aut melinus eis accedat. Verũ is color ex sandaracha primo emplastro, alteri ex atramēto sutorio contingit. Leucio aũt primũ inscribitur, qui & Lucius est, quomodo Græci ου pro u dicũt, uelut λούκουλλος pro Lucullus. Fuit is præceptor Galeni, unde in libris κατὰ γένη sæpe ipsum καθηγητὴν appellat, quemadmodũ etiam aliũ, quem Publiũ uocat.

Smegmata ad achoras, furfures, asperitates, & scabies.] In horũ smegmatum primo, Retrimẽta quę ab expressa myrobalano reliqua sunt habentur, quæ sanè ab ipso Critone, μυροβαλάνου πίεσμα appellantur. quanq; πίεσματος uox non retrimenta tantũ à succo expresso cuiuscunq; tandem rei reliqua, sed etiã ipsum succũ sæpenumero græcis medicis significet. Quemadmodum etiam ἐκπίεσμα itemq; ἀπόθλιμμα, modo pro retrimẽtis, modo pro succis accipiunt, adeò ut in hac ambigua significatione, rei ipsius usum intueri oporteat, ad uerã significationē cognoscendã. pro retrimentis itaq; hic accipi, palàm est ex smegmatum usu, quæ affricari extersionis gratia debent, & ex Dioscoride lib. 4. de glande ungētaria apparet, ubi ait. τὸ δὲ ἐκκοπείσης καὶ ἐκθλιβείσης αὐτῆς ἐκπίεσμα μίγνυται σμήγμασι τοῖς πρὸς τραχύτητας καὶ κνησμοὺς συντιθεῖσιν. In consimili etiam smegmatis usu Aetius serm. 13. cap. 128. habet, atq; ita etiam infrà lib. 2. in Epithemate Chariclis ad ueterem capitis dolorē, ἰρίνου μύρου πίεσμα accipiendũ, pro ungenti uidelicet Irini fece, quę alias μάγμα uocatur, ut etiã Plin. testatur. Sed & myrobalani magma Celsus lib. 6. c. 5. appellat τὸ πίεσμα τῆς μυροβαλάνου. Galen. lib. 6. simpl. phar. hoc πίεσμα μυροβαλάνου sic describit. τὸ δὲ ὑπόλοιπον ἀπόθλιμμα τὸ γεῶδες καὶ σκληρόν. atq; ita etiã li. Meth. 13. usurpauit τῷ καταπλάσματι δὲ μυροβαλάνου πίεσμα καὶ ἶριν, καὶ σχοίνου τὸ ἄνθος, &c. μίξον. Verũ Interpres Linacer hoc nõ intellexit, quũ uertit, cataplasmati uero id quod ex ungento & palmulis fit, myrobalani piesma uocãt, & irim, & iunci florē, &c. miscebis. quum simpliciter id quod à myrobalano expressa reliquum est, dicere ipsum oportuerat. Sed in hũc errorē inductus à Cor. Celso uidetur, apud quem

lib. 4.

lib. 4. cap. 9. de lienis morbo corruptissime legit̃. fit ex ungẽto & palmulis quod myrobalanũ uocant. Legendũ autẽ est, fit ex unguentarijs glandibus quas μυροβαλάνους uocãt. Sic enim Dioscor. de myrobalano habet. ἧς μετ᾽ ὀξυκράτου ποθεῖσα λεία ὅσον δραχμῆς ὁλκὴ σπλῆνα τήκει, καὶ καταπλάσσεται δὲ ἔξω αὐτοῦ μετὰ ἀλφίτου ἀλεύρου. Neque enim ad Martialis locũ in apophor. eum respexisse opinor, Quod nec Vergilius nec carmine dixit Homerus, Hoc ex ungento constat & ex balano. Non enim uult Poeta Myrobalanum rem compositam ex ungẽto & balano esse, sed ipsam rei simplicis uocẽ, ex hac cõpositione cõstare. Aetius 13. serm. cap. 21. de retrimentis expressorũ fraxini foliorũ usurpauit. εἶτα μελίας φύλλα κόψας καὶ χυλίσας, δίδου πίνειν τὸν χυλὸν, τὸ δὲ ἀπόθλιμμα κατάπλαττε τὸ δῆγμα. At uero pro succo usurpat Diosc. lib. 1. de baccis lauri. τὸ δὲ πίεσμα αὐτοῦ ὠταλγίαις καὶ δυσηκοΐαις βοηθεῖ. Ita Galenus infrà lib. 2. ex Archigene pro capite rigando δαφνίδων ἐκπίεσμα habet, & lib. 3. in auriũ inflãmatione ex Apollonio, βαλάνου πίεσμα καὶ ῥητίνην ὑγρὰν χλιαρὰν ἔγχει. Sic eodẽ libro Archigenes ad aurium dolores καρύων πικρῶν ἀπόθλιμμα, pro succo & oleo ex amygdalis amaris expresso dixit. Et Dioscor. lib. 1. de malo punico, ὠφέλιμον δὲ τὸ ἀπόθλιμμα τῶν πυρήνων ἑψηθὲν καὶ μιγὲν μέλιτι. In his itaq; omnibus locis usus ipse indicat succũ accipi oportere & nõ retrimẽta à succo expresso relicta. Verũ lib. 2. de fœno greco ubi ait, σμῆχε δὲ τὰς τρίχας καὶ πίτυρα καὶ ἄχωρας τὸ ἀπόθλιμμα αὐτοῦ ἐν ὕδατι ἑψηθείσης, certũ est recrementũ ab expresso fœni greci succo residuũ per ἀπόθλιμμα indicari, utpote quod crassum & terreũ extersioni est aptũ, neq; curandũ quid hic & in plerisq; alijs locis Interpretes reddãt. Porrò in altero ex ordine smegmate, in græco exemplari κυπέρου legitur iunci quadrati significatiõe, qui hic locũ nõ habet, quare κύπρου pro eo substituendũ est ligustri arboris significato, Nã & uetus alcannã pro ea dixit, arabũ usus uocabulo. & ex Galeno amplius apparet q̃ eius arboris folia & ramulos mixtarũ uiriũ esse prodidit lib. 7. simpl. phar. discussoriæ nimirũ & adstringẽtis, unde tũ ad smegmata, tũ peculiariter ad achoras cõuenire suprà etiã demõstratũ est. In eodẽ smegmate grecũ exẽplar στρουθίον habet adiecto asterisco, quo indicat se lectionẽ nõ potuisse assequi, qui prefuit operi castigando inter excudendũ, Verũ στρουθίον, hoc loco ualidius esse uidet̃, ut q̃d nimiũ calfaciat & resiccat ex 4. adeò ordine à tẽperatis, unde maiorẽ extergẽdi uim q̃ hic opus est habet. Legendũ itaq; pro struthio ἁλκυονίου, Nam hoc in smegma addi suprà in alopecijs, & in sequentibus post paulò smegmatis habet̃, & Diosc. lib. 5. testat̃. Veterẽ etiã Interpretẽ ita legisse palã est, qui pro eo spumam maris uertit, quomodo aliàs semper alcyoniũ uertere solet.

Fecis uini ustæ, quã Romani feculã, nos tryga appellamus.] Crito hoc loco ad euidentiorẽ rei cognitionẽ, latinã & græcã appellationẽ simul expressit, τρυγὸς οἴνου inquit, κεκαυμένης, ἣν ῥωμαῖοι φέκλην καλοῦσιν. Est enim φέκλη uox latina à grecis usurpata, quomõ etiã alias latinas uoces, uelut ὀξύγγιον siue ἀξυγγίαν. ὀγγίαν, λίβραν usurpare solẽt. Estq; φέκλη uox nõ à primitiua fecis, sed à diminutiua feculę uoce formata. Legit̃ tamẽ apud Paul. sepissime σφέκλη, addita amplius σ litera ad caput uocis, exponit̃q; ab eodẽ lib. 7. cap. 13. ἥτις ἐστὶ τρὺξ οἴνου κεκαυμένη. quibus uerbis indicat̃, nõ simpliciter fecẽ uini, sed eam quæ usta est σφέκλην dici. Apud eundẽ li. 3. c. 18. σφέκλησις uox corrupta legit̃, pro genuina et eius loco reponẽda σφέκλης.

Soranus quidem igitur uelut in implicata affectione eiusmodi remedia adhibet.] Implicatã affectionẽ hic Galen. dicit πεπλεγμένον πάθος, & quod supra capite 1. ubi de Sorano & Methodica secta dixi, Mixtum appellaui, Nimirum ubi utrũq; genus morbi cõmixtũ & cõplicatũ uidetur, adstrictũ uidelicet & fluens. Ad hæc enim duo genera reliquos oẽs morbos Methodici reducebãt. Galen. τῶν αἱρέσεων. καὶ πᾶν νόσημα, φασὶν ἢ στεγνὸν ἢ ῥοῶδες εἶναι, ἢ ἐξ ἀμφοῖν ἐπιπεπλεγμένον.

Aut

Aut fece Rhodia.] ῥοδίων τρύγα fecem Rhodiam hic Soranus dicit, quam supra Archigenes οἴνου ῥοδίου τρύγα uocauit. Nam de uini fece intelligendum est, non de ungenti uel olei rosacei fece, quod uetus Interpres existimauit.

In Caput IX. ad psydracia & achoras, pustulasq; ulcerosas helcydria græcis appellatas, & eruptiones in capite.

De reliquis appellationibus supra dictum est, Verũ de his pustulis quę ἑλκύδρια græcis appellantur, nunc uidendum. Pustulas itaq; quæ ἑλκύδρια ipse Galenus hic appellauit, Paulus Aegineta libro tertio, capite 3. sic describit, πρὸς τὰ inquit, ἐν τῇ κεφαλῇ ἑλκύδρια πυκνὰ καὶ ἐρυθρὰ μικροῖς παραπλήσια θηλαῖς ἀφ' ὧν ἰχῶρες ἀπεκκρίνονται, προξενοῦσι τὴν κεφαλὴν, &c. His uerbis Paulus pustulas quæ ad paruarum papillarum similitudinem densæ ac rubræ sunt, & a quibus sanies eliquatur, ἑλκύδρια appellari dicit. atq; hæ sunt, nisi uehementer fallor, quas Celsus libro 5. ita describit. Nonnunquam maiores pustulæ liuidæ, aut pallidæ, aut nigræ aut aliter naturali colore mutato, subestq; his humor, ubi hæ sunt ruptæ, infra quasi exulcerata caro apparet, ἑλκύδρια græce nominantur. hactenus Celsus. Verum corrupta est lectio, & pro ἑλκύδρια, ἑλκώδεις habetur.

Finis primi libri commentariorum medicorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DEcem libros Galeni de Compositione medicamentorum secundum locos conscriptorum, Liber II

In caput primum de omni capitis dolore.



Vandoq; etiã ob causam aliquã externã & lacessentẽ, procatarcticen Græci appellant.] Duo præcipua sunt causarũ genera, altera προηγουμένη antecedens & interna, uelut hic enumerãtur à Galeno intẽperies simplex, humorũ qualitas uitiata, humorũ multitudo. altera προκαταρκτικὴ hic appellatur, nos externã & lacessentẽ diximus, utpote quę ubi antecedẽtem internam causam lacessiuerit, abscedit, uelut hic ardor, frigiditas, ebrietas, et plaga recẽsent. Significat enim προκατάρχειν item q; κατάρχειν, auspicari & quasi irritare ac prouocare: ut Paulus lib.3.cap.78. κατάρχεται δὲ τὸ πάθους ὥσπερ πολὺ κόπος ἄμετρος, καὶ πόσις πλείων σιτίων, καὶ ἔμπασις συχνὴ, καὶ ἀφροδισίων ἄκαιρος χρῆσις, ψυχροποσία τε ἀήθης, &c. & paulo post, προηγουμένης μὲν ἐν τῷ σώματι καὶ τέως ἠρεμούσης τῆς ὕλης, τῆς δὲ προκαταρκτικῆς αἰτίας κινησάσης αὐτήν. Quibus uerbis utrunq; causarum genus explicatur, præcedentem nimirũ in corpore esse ac quiescere, donec ab externa aliqua irritetur, quæ primam affectionis tẽtationem auspicatur. Hanc uulgo primitiuam appellant. Galen. sæpe alias προκατάρχειν αἴτιον dicit, non antecedentem seu antegressam, ut quidam ex doctis existimauit, nam hæc προηγουμένη, ut dixi, appellatur & interna est, sed hanc quam lacessentem diximus & externam. Confundit tamen hanc differentiã Aetius serm.8.cap.59. προηγησάμενον αἴτιον appellans externam & lacessentem, hoc est τὸ προκατάρξαν. λέγω δὲ inquit, τὸ προηγησάμενον αἴτιον ἢ ἐξ ὑψηλοῦ πῶσιν. Et 12.cap.1. προκατάρχει δὲ τὸ πάθος ποτὲ μὲν τῶν προδήλων μυῶν ἄλγημα hic enim προκατάρχει de interno dolore ischiadis initium dante

usurpat

usurpat. Distinguit autẽ manifeste Galenus 4. ὑγιεινῶν principio, τὸ καθ' αὑτὸ τὸ σῶμα περιεχόμενον, ὃ ὀνομάζετε προηγούμενον αἴτιον, ἢ μηδ' ὅλως ἐνυπάρχον, καὶ καλεῖται προκαταρκτικὸν αἴτιον.

Ob multitudinem sanè instrumentalium partium morbos faciunt.] Partium corporis aliæ sunt simplices, quæ in similes partes diuiduntur, uelut caro in carnes, ut Aristoteles primo historiæ animalium tradit, unde etiam ὁμοιομερῆ, id est, similares appellantur. Sunt autem hæ, ossa, Cartilagines, nerui, ligamenta, arteriæ, uenæ, membranæ, caro. Aliæ compositæ, ex simplicibus uidelicet constantes, quæ in dissimiles partes diuiduntur, uelut manus in manus diuidi non potest, neq; facies in facies, unde etiam ἀνομοιομερῆ, id est, dissimilares uocantur. Quin & ἑτερογενῆ μέρη, itemq; ὀργανικά, id est, diuersi generis & instrumentales hæ ipsæ compositæ partes appellantur: uelut contra illæ priores simplices ὁμογενῆ, id est, eiusdem generis dicuntur, itemq; στοιχειώδη, & αἰσθητὰ στοιχεῖα, atq; στερεὰ τοῦ σώματος μόρια πεφυκότα, uelut 1. de facultatibus naturalibus Galenus declarat. Hoc itaq; loco Galenus ob humorum multitudinem in instrumentalibus quidem partibus morbos fieri prodit, nullum uero in similaribus partibus, sed solum affectiones iuxta intemperiem simplicem, uelut caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, quod etiam 7. Meth. clare docet his uerbis. ἐπεὶ δὲ τὸ πρῶτον ἁπάντων ἐπανερχόμεθα νῦν τῷ λόγῳ νόσημα, τὸ τοῖς ὁμοιομερέσιν ἐγγινόμενον, ὧν πρώτων ἐστὶν αἱ ἰδίαι τὸ ζῶον ἐνέργειαι. δέδεικται γὰρ ἐν ἄλλαις πραγματείαις ὅπως ἑκάστου τῶν ὀργανικῶν μορίων ἐνεργεῖν τι λέγομεν. οἷον ὀφθαλμὸν ὁρᾶν ἢ βαδίζειν σκέλος. εἶναι γὰρ οὐχὶ ὅλου τοῦ σκέλους, ἀλλὰ τοῦ μυώδους ἐν αὐτῷ γένους τὸ κύριον τῆς ἐνεργείας, οὔτε ὀφθαλμοῦ τὸ βλέπειν, ἀλλὰ τοῦ κρυσταλλοειδοῦς. ἐπί τε τῶν ἄλλων ἁπάντων ὀργάνων ἀνάλογον. Apparet itaq; ex his uerbis instrumentales partes motus quidem & operationes complere, uerum primam actionem in similaribus esse, ueluti uerbi gratia, Crus quidem ambulare, uerum dominium eius actionis in musculoso ipsius cruris genere esse.

Tum per multam & assiduam affectionis ægrorum inspectionem.] hoc modo uerti id quod in Græco est, ἱστορίαν τε πολλὴν καὶ συνεχῆ τῆς τῶν καμνόντων διαθέσεως. Significat enim ἱστορία hoc loco inspectionem & perlustrationem, re oculis subiecta, uelut etiam apud Aristotelem 2. de gener. anima. δῆλον δὲ τοῦτο ἐκ τῶν ἱστοριῶν καὶ τῶν ἀνατομῶν. non autem narrationem aut expositionem rei gestæ, quomodo alias in usu est historiæ uocabulum.

Aut lanam siue linteolũ rosaceo tingito.] Hoc loco ῥάκος linteolum dixi, potest tamen etiã pro panniculo laneo uestis detritę hic accipi, sicut etiã paulò post ad capitis dolorem ex frigore, ubi ait. Vtere etiam lanis ac linteolis in eo madefactis. Celsus. lib. 6. cap. 6. linteolo an lana excipiatur, nihil refert.

Cum polentæ flore imponito.] παιπάλην ἀλφίτων polentæ florem dixi, ἄλφιτα enim non pro alia farina medici usurpant quàm ordeacea fricta, ut Galenus lib. 1. de alimentis habet. quanquã Hippocrates etiam ἄλφιτα πύρινα, καὶ φακῶν καὶ ὀρόβων πεφρυγμένων dicat. Lingua alias cõmuni quælibet farina ἄλφιτον appellatur, παιπάλην autem florem appellaui. Est enim παιπάλη itemq; πάλη, σποδὸς καὶ λεπτότατον τῶν ἀλεύρων, quod nos pollinem etiam appellamus. Videtur autem hic polentæ usus ad refrigerationem assumptus esse, quam mediocriter in primo uidelicet ordine exhibet. Nam propter fricturam amplius ordeo resiccat, quanquam alias uelut materiæ quædam, tũ polentę pollini, tum reliquæ farinæ, alijs medicamentis ammisceantur, ueluti etiã oleum & cera quibusdam adi solent. Verum ad refrigerationem et sitis extinctionem, polentam sapæ, uino dulci & uino mulso dilutis, itemq; ipsi aquæ, inspergi ac bibi per æstatem, à quibusdam

busdam duabus aut tribus ante balneum horis Galenus loco ante citato tradit. Quod ipsum etiã Aetius serm. 9. cap. 12. περὶ χολέρας dicit his uerbis, ἀδιψοτέρους ἡ ποιεῖ ἄλφιτον ἀνάλογ λεπτὸν ἐμπασθὲν τῷ κεκραμμένῳ οἴνῳ καὶ διδόμενον. Cæterũ Plinius nitrosas & amaras aquas per polentam inspersam mitigari scribit; quin & in uinarios saccos eadem de caussa polentã addi, quo uidelicet uis uini pereã castigetur, uelut alibi dixi. quanquã sint qui niuarios saccos legere malint, ut uidelicet niuis uitia per polentam corrigenda intelligamus inter excolandum, atque haud scio, an nõ hæc lectio Plinij sit genuina. Verba Plinij hæc sunt lib. 24. cap. 1. Nitrosæ aut amaræ aquæ polenta addita mitigãtur, ut intra duas horas bibi possint. Qua de caussa & in saccos uinarios additur polenta. Martialis poeta saccũ niuarium inter apophoreta habet. Attenuare niues norunt & lintea nostra Frigidior colo non salit unda tuo. Paulus Aegineta lib. 1. cap. 5. de aquis inquit, τινὰ δὲ καὶ ἠθεῖν συμφέρει τὰ ἰλυώδη καὶ ἁλικὰ καὶ ἀσφαλτώδη, id est ad uerbum. Quasdam colare expedit, limosas uidelicet & salsas ac bituminosas. Verum interpres eius libri Copus Basiliensis aliter legisse uidetur. Vertit enim neq; nõ prodest quasdam aquas percolare, ut limosam, ut salsam, idq; cum polenta: tanquã sane pro καὶ ἀσφαλτώδη legerit μετ᾽ ἀλφίτων. Aut igitur hæc Copi est uera lectio, & pro ea ob literarum uicinitatem, καὶ ἀσφαλτώδη in uulgato exemplari est suppositicia. aut certe Copus ad Pliniana uerba respexit, atq; pro eo quod τὸ ἀσφαλτώδη in uulgari codice legimus, ipse μετ᾽ ἀλφίτων supposuit. Quod autem ad rem attinet, utraq; lectio probam sententiã exhibet, utram tandem quis arripere malit.

Amplius autem & fomenta, clamor, contentio, omnisq; mentis perturbatio, & perculsio. In bona autem animi habitione & firmitate degendum.] Hoc loco perculsionem dixi ἔκστασιν Græcorum, quæ fit ubi mens percellitur, & quasi extra se ponitur, unde etiam Græca uox ἀπὸ τοῦ ἐξιστάναι uidelicet est facta, quanquam exemplar græcum ἔκπτασιν habet nullo huc pertinente sensu. Quod autẽ dixi, in bona animi habitione & firmitate degendum in græco est ἐν εὐθενίᾳ διατριπτέον. Videtur enim εὐθενία nihil aliud significare quàm bonam animi habitionem & firmitatem ac tonum rectum, uelut ipsa uocis compositio declarat, si modo hæc lectio integra est. Vetus interpres uidetur aliter legisse, uertit enim, in spirabilibus bene locis cõuersandum est, quasi ἐν εὐπνοίᾳ legisset, & sanè ipsa uocis διατριπτέον significatio locum postulare uidetur, in quo sit degendum aut conuersandum. Quod si non esset, suspicarer potius ἐν εὐθυμίᾳ legendum esse, quomodo etiam paulò post, ad capitis dolorẽ ex frigore habet, sed tamen exemplaris præscriptum sequutus, quàm reddidi genuinam lectionem esse opinor.

Si lauri folia tenera in aqua fuerint incocta, aut sansuci, aut cyperi.] Cyperi folia accipio hic eius qui iuncus odoratus quadratus nobis est, non cypri arboris, quæ ligustrum latinis dicitur. nam cyperi folia calfaciendi uim habent, sicut etiam eiusdem radices, de quibus paulò ante mentionem fecit ubi ait, Cyperum tusum adipe anserino ammixto capiti illinito. Eũ aũt cyperi usum etiã Diosc. li. 1. tradit. μίγνυται: inquit, καὶ μαλάγμασι θερμαντικοῖς καὶ εἰς σύμματα μύρων δύνεται.

Affectionem capitis iam iuxta habitum, non simplicem modo contactum.] Affectiones quæcunq; leuiter in corpore nostro hærent, ac facile exolui possunt ἐν σχέσει & κατὰ σχέσιν γεγονέναι græci medici dicunt. Contra uero ἐν ἕξει & κατὰ ἕξιν, quæ in habitum cesserunt, ac difficulter exoluuntur. quomodo etiã hic, διάθεσιν τὴν κεφαλῆς ἤδη κατὰ ἕξιν, οὐ κατὰ σχέσιν ἡγούμενοι γεγονέναι, καλοῦσιν ἔγκαυσιν. Quod nos reddentes ἕξιν habitũ diximus, σχέσιν autem simplicem modo contactũ. Verũ hanc differentiam per egregiam similitudinem ad lignum in sole simpliciter calfactũ, & aliud lignũ usq; eo calefactũ, ut iam ardeat & fumũ edat, Galenus explicat de

eat de febre hectica lib. 8. Methodi his uerbis ἐπειδὴ γὰρ ὀνομάζουσι τὰς μὲν δυσλύτους διαθέσεις ἐν σχέσει, τὰς δὲ μὴ τοιαύτας ἐν ἕξει, συγχωρητέον ἐστὶν ἕνεκα σαφοῦς διδασκαλίας καὶ αὐτῶν τῶν πυρετῶν, τοὺς μὲν δυσλύτους, ἑκτικούς, τοὺς δὲ εὐλύτους, σχετικοὺς ὀνομάζεσθαι, καὶ λεκτέον ἐνίους μὲν τῶν πυρετῶν εὔλυτον ἔχειν τὴν διάθεσιν, οὕτως, ὡς τὸ θερμανθὲν ἐν ἡλίῳ ξύλον, ἐνίους δὲ δύσλυτον, ὡς τὸ μέχρι τοῦ τύφεσθαί τε καὶ καπνὸν ἀποβάλλειν ὑπὸ πυρὸς βλαφθέν. Ita etiã lib. 7. Metho. de intemperierum uentris curatione ait se omnẽ de eis Methodum perscripsisse, εἴτε καθ᾽ ἕξιν, εἴτε κατὰ σχέσιν ἐν αὐτῇ γένοιτο, hoc est, siue in habitum mutatæ sint, siue leuiter tantum hæserint.

Quam Erasistrati sectatores plethoran, hoc est, plenitudinẽ uocant.] Modus est loquendi græcorũ ἣν ὀνομάζουσιν οἱ περὶ τὸν Ἐρασίστρατον πληθώραν, quo ipsum Erasistratũ indicant. Velut etiam XI. Meth. ait οἱ περὶ τὸν Ἀριστοτέλη καλοῦσιν ἀντίθεσιν οὐκ ἐναντίωσιν, id est, Aristoteles oppositionem uocat non contrarietatem. Verũ ego Erasistrati sectatores hoc loco uertere malui. Nam contra hos priuatim περὶ φλεβοτομίας scripsit Galenus, & περὶ πλήθους eos uel in primis exagitat: quanquã etiam περὶ φλεβοτομίας contra ipsum adeo Erasistratum scripserit, ut nihil referat utrum accipias, quum sectatores nihil à magistro desciuerint.

Refrigerabis aũt quæcunq; adhibere uoles in aqua uehementer frigida collocata, quæ si non adsit, niuem uasculo circũpones.] Duos refrigerationis medicamentorũ modos hoc loco Galenus docet, per positionẽ uidelicet in aquã frigidam, & per niuis circũ uasculũ appositionẽ, in quorũ penuria, etiã tertiũ postea subdit, expositionẽ sub diuũ per integrã noctẽ, quam Græci significare solent uerbo ἐξαιθριάζειν. Cæterum refrigerandi per niuem modus, ita ut ea uasculo circumponeretur, ut quasi per eã uasa adobruerẽtur, ualde frequens Rhomæ fuit, & per eam nõ solum uina, & aliquos presertim ex lacte cibos, itemq; fructus, refrigerare solebant, uerũ etiam aquã prius coctã, quam inde decoctã appellabãt. Galenus lib. 7. Methodi. ὧν ἐνίοις μὲν οὐ μόνον τὸ πρόσφατον ἔδωκα πηγαῖον, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ χιόνος ἐψυγμένον, ὡς ἐν Ῥώμῃ σκευάζειν ἔθος ἔχουσι, προθερμαίνοντες τὴν κατασκευὴν ἣν αὐτοὶ προσαγορεύουσι δηκόκταν. Quo loco interpres Linacer non intellexit, quæ esset quã Romani decoctã appellarẽt. δηκόκταν enim biscoctã uertit, quasi hæc uox idem quod δίσεφθον significaret, & quasi ex δὶς græca, & κόκτα latina parte composita esset, quod contra grammaticorũ primũ præcepta est, uetantiũ diuersarum linguarũ uoces in compositionẽ unam misceri, deinde cũ re ipsa pugnat. Nam nullius hic aquæ bis coctæ Galenus mentionẽ facit, sed tantũ eius quæ semel decocta, aut præcalfacta est, ac rursus per niuem refrigerata. δηκόκτα enim hic latina uox est, hoc est decocta, η. pro latino e. longo, sicut græci in usu habẽt expresso, non ι. uelut exemplaria habent. Vsurpatur etiã apud Athenæũ lib. 3. ἐπὶ τούτοις λεχθεῖσιν, inquit, ὁ Κύνουλκος πιεῖν ᾔτησε δηκόκταν, δεῖν λέγων ἁλμυροὺς λόγους γλυκέσιν ἀποκλύσασθαι νάμασι. Quod aũt decoctę eiusmodi usus fuerit Romæ Plinius li. 31. cap. 3. ostendit. Neronis principis, inquit, inuentũ est decoquere aquã, uitroq; demissam in niues refrigerare, ita uoluptas frigoris cõtingit sine uitijs niuis. Omnẽ utiq; decoctã utiliorẽ esse conuenit, ita calfactã magis refrigerari subtilissimo inuento. Martial. poeta Apophoretis. Lagena Niuaria. Spoletina bibis uel Marsis condita cellis, Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ? At uero refrigeratio per aquã frigidam tripliciter fieri potest, uel simpliciter ut hic ait in aqua uehementer frigida uasculo collocato, uel ut uas in puteo suspensum aquã contingat, quanquã etiam si non contingat refrigeratio accedat, uel ut etiã aqua destillans se uasi illidat, qui modus efficacissimus existit, uelut Galen. 2. simpliciũ pharmacorum & 8. Methodi palàm docet.

Ego in sexcentis hoc medendi modo usus.] ἐπὶ μυρίων græci dicunt, hoc est,

in x. Millb. pro magna & incerta multitudine, prouerbiali schemate, pro quo ego in sexcentis uerti. Nam & hæc forma latinis, similiter ut illa græcis usurpatur. Eodem modo μυρίακις aduerbialiter dicut, quod nos sexcenties. Terentius tamen milies, ꝑ eo uidetur dixisse in Eunucho. Narra obsecro. plus milies audiui.

Sic etiam mali punici, & mali cotonei, & mespili.] Græci malum punicum ῥοιὰν appellant. Malum autẽ cotoneum siue cydonium, simpliciter μῆλον, id est, malum uocant, quomodo etiam hoc loco, ὅτω δὲ καὶ ῥοιὰς, καὶ μῆλα, καὶ μεσπίλου habetur, ut generis nomenclatura, species cotoneorum quasi per excellentiã indicetur. atq; id etiam in his quæ ex hoc malo fiunt faciunt. Oleum enim melinũ dicunt ex malis cotoneis, item uinum melinum & maleum siue μηλίτην ex iisdẽ malis factum, quod tamen etiam Cydonites uocatur.

Nam & incontracta minimeq; arefacta, & decolor ipsorum facies apparet.] Supra eorum qui ex ardore caput dolent, cutem ad primum contactum aridiorem, oculosq; rubros esse dixit, hic itaq; ex frigiditate caput dolentium cõtraria signa facit, faciem uidelicet incontractam, minimeq; arefactam, quam ἀσύμπτωτον Græce dixit. Est enim ἀσύμπτωτον quod non contractum est, neq; præ ariditate considit, opponiturq; τῷ συμπεπτωκότι, itemq; προσπεπτωκότι. Galenus lib. 1. comp. pharm. περὶ γένη. λυθέντος δὲ τοῦ μηροῦ περὶ τὴν ὑστεραίαν γνῶ ἡ τέμνειν αὐτὴν ἐγνώκειν, εὗρέθη προσπεπτωκότα καὶ ξηρὰ καὶ ἄνικμα πάντα, id est, coacta & sedata. Aetius serm. 9. cap. 30. de uua alba arefacta. δίδοσθαι σταφυλὴ λευκὴ γλυκεῖα συμπεπτωκεῖα μετ᾽ ἄρτου, id est, μαρανθεῖσα. Significat tamen etiam συμπεπτωκὸς quod paratum ac promptũ habemus, & quod nobis obtigit. Idem Aetius eodem loco. πάντα τὰ διδόμενα ἱερὰ συμπεπτωκότα ἔστω μέχρι δυοῖν ὡρῶν ἐν χειμῶνι μάλιστα, id est, promptas & paratas habere oportet.

Et quandoq; à Raphano uomitus.] Vomitũ cieri per raphanũ sumptũ ante reliquum cibum dicit Diosc. lib. 2. utpote qui hoc modo cibũ eleuet, & ad euomendum protrudat. A reliquo autẽ cibo sumptum, distributionẽ ciborũ in corpus iuuare perhibet, his uerbis ἔπειτα αὐτὴν ἐπιλαμβάνει μᾶλλον συνεργοῦσα τῇ ἀναδόσει, προεσθιομένη δὲ μετεωρίζει τὴν τροφήν, ἁρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἐμεῖν μέλλουσι προεσθιομένη. Verum Galenus lib. 2. de alimentis, se mirari ait tum medicos, tum uulgus, qui raphanos crudos à cœna ὑπὲρ πέψεως ἕνεκεν id est bonæ concoctionis gratia edunt, quibus uerbis ipsum Dioscoridem, sicut in plerisq; aliis locis notat.

Ex quibus optima in septimo libro huiuscemodi tractationis.] Galenus septẽ libros de comp. pharmacorũ secundũ genera scripsit, & ante hos decem libros de comp. pharm. secundum locos quos iam enarramus, edidit. In quorum septimo hic ait se tradidisse medicamenta Metasyncritica à Methodicis appellata, ea itaq; isthinc petenda sunt. Ratio uero appellationis supra lib. 1. nobis prodita est.

Quin & ipsa brassicę folia calida macerata, capitiq; circũposita ac obligata naturaliter ebrietati resistunt.] Quædam res naturali odio ac discordia dissident, ut eodem etiã loco uiuere ac nasci nolint. Quibusdam rursus eiusmodi amicicia à natura insita est, ut mutuo cohæreãt, cuiusmodi multas Plinius lib. 24. cap. 1. & Constan. Cæsar lib. 15. cap. 1. recenset, atq; hanc rerũ concordiã ac discordiã amiciciamq; & odiũ, pacemq; & bellũ, Græci συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν uocant, quomodo etiã hic brassicam φυσικῶς ἀντιπαθεῖν τῇ μέθῃ, Id est, naturaliter ebrietati resistere dixit. Plinius lib. 34. cap. 15. de ferro. A rubigine uindicat cerussa & gypso & liquida pice, hæc est temperatura à Græcis antipathia dicta. Fit aũt naturaliter, quod iuxta nullũ rei temperamentũ neq; simplex neq; compositũ, sed ex naturæ proprietate contingit. Meminit huius contrarietatis brassicæ ad uitem uinumq; ac ebrietatem etiã Plin. lib. 20. cap. 9. itemq; lib. 17. cap. 24. fine, sed eo loco

raphanũ ex Theophrasto ut apparet uertit, quam brassicã oportuit, uelut etiam alibi indicaui. Sed idem error admissus est & lib. 11. cap. 32. ubi ex Aristotelis li. 5. hist. animal. raphanũ pro brassica dictũ, itidem raphanum reddidit, quam brassicam debuit, uelut ipse Aristot. exponit. Sales aromatũ cõdimentis ad saporẽ edulcati.] Sales cõdimentarij quos hic ἅλας ἡδυσματικοὺς ab aromatũ cõditura appellauit, fiũt ex salis generibus quibusdam, & aromatis atq; seminibus odoris simul tritis ac cõmissis. Tales sunt Theriaci appellati ac descripti à Galeno ad Pisonẽ de theriaca, Verũ corruptissima est de his Galeni lectio, restitui autẽ potest ex Aetij serm. 13. cap. 97. unde etiã Paulo quis opem ferre possit, qui eos item ad finẽ 7. li. descriptos habet. Tales sunt etiã Sales Iamblicho inscripti, quorũ sæpe mentionẽ facit Paulus. Item Sales Polletis, & sal dodecatheos, quẽ nos duodecumanũ diximus, quorũ compositiones habentur apud Aetium serm. 9. cap. 24. quanquã hic à XII. deorum magnorũ potentia appellatus esse uideri potest.

Quin & mala Cestiana appellata in urbe Romana.] Mala Cestiana esse Romæ Galeni seculo dicta, quę hodie uulgo poma Arantia appellantur, ex hoc uel maxime mihi persuadeo, quod ea frequenter cum malis punicis Galenus cõiungit tanquã non multũ uiribus & potentia ab illis deficiant, quod certe experientia etiã hodie cognoscere cuiq; datur, quũ punicorũ penuria, Arantia in plerisq; locis in usum ueniãt, ad corroborandum uidelicet os uentris, in quẽ sanè usum etiã hic à Galeno approbantur, sed tamen magis cocta, quo uidelicet per cocturam austerum saporem, & ob eũ nimiam adstringendi uim deponant, quanquã sint etiã in hoc genere quæ penitus dulcia existant. Cæterũ coctura modũ planè pomis Arantijs aptũ hic tradit, per uaporẽ scilicet ab aqua calida sublatum. Reliquis enim pomorum generibus hæc coctura uix suffecerit, sed uel farina aut fermento oblita assantur, uel in ipsa aqua coquuntur. Quemadmodum contra de punicis negat eorum ullam cocturã fieri Galenus secundo de alimentis, οὐδέποτε δὲ inquit, οὐδ' ὀπτῶνται μετὰ σταιτὸς, οὐδ' ἕψονται δι' ὕδατος, ἢ ἐν ἀτμῷ. Quod uero dixi Galenum Cestiana mala punicis frequenter coniungere, itemq; cotoneis, aliquot locis indicabo. 7. Metho. ἢ βολβοὺς ἐσθίειν διδόντες, εἶτα τὰ μῆλα κυδώνια, καὶ κεστιανὰ, ἢ ῥοιάς, & 13. Methodi. καὶ τὸ τῶν στυφόντων ἐναφεψῆσαι μήλων, ὁποῖα τὰ κυδώνια ἢ στρούθια καλούμενα, καὶ ταῦτα δὲ τὰ πλεονάζοντα κατὰ τὴν ῥωμαίων πόλιν ἃ προσαγορεύουσι κεστιανά. Sic etiã infra lib. 6. cap. 1. & cap. ultimo πρὸς ἄφθας habet, & lib. 9. cap. 5. in cõfectione ex fructibus, & plerisq; alijs locis, ex quibus apparet ea poma Romæ fuisse magna copia uelut hodie in Mediolanensiũ ditione uidentũ. Verũ Cestianorum appellatio penitus exoleuit, & neq; uulgo neq; apud autores etiã reliqua est. Plinius tamen lib. 15. cap. 14. ubi de generibus malorũ ait. Ergo habẽt originẽ à Matio Cestioq; & Manlio, &c. uidetur Cestiana à Cestio esse appellata indicare, uelut Matiana à Matio, nam antea dixerat, conditoribus suis æternã memoriam propagasse, tanquã ob egregiũ aliquod in uita factũ. Legitur tamen in uulgaris exemplaribus Gestio pro Cestio. Verum nusquã describit Mali Cestiani figuram, uelut Coroneorũ & punicorũ atq; aliorũ prodit, Galenus quoq; quũ de alimentis lib. 2. de omnibus fructibus diligenter tradat, quale tamen sit Cestianum nõ perhibet, utpote quod, uelut ex supra indicatis locis apparet, tanquam uulgare pomũ ac omnibus notũ reliquit. Ego itaq; Cestianũ itemq; Matianum malum idem esse opinor, à conditoribus ac per insitionẽ propagatoribus diuersis appellationibus acceptis, quanquã utraq; appellatio exoleuerit, & Arantiorum nomen pro eis uulgo successerit, nisi quod Matianorũ nomen Hispanorũ lingua adhuc referre uidetur, qua omniũ pomorũ genera Manzana dicuntur, quanquã non dubitandum esse purem, poma Mariana in poma arantia esse corrupta. Porrò quod quidam punicorum appellationẽ Arantijs tribuunt, & Granata uocãt quæ uere punica sunt, ex Plinio redarguitur, qui lib. 13. cap. 19. ait. Sed

circa Carthaginem punicum malum cognomine sibi uendicat, aliqui granatum appellant. Quare idem pomum est punicum & Granatum appellatum, at hoc quod Arantium appellatur non longe ab eo uelut dixi, uiribus diuersum, & propterea in eundem etiam usum assumitur, & quondam Cestianum itemq; Matianum appellabatur. Quod itaque Sueton. in Domitiano scribit, prandebat ad satietatem, ut non temere super cœnam præter Martianum malum, & modicā in ampulla potiunculā sumeret: Ego de nullo alio pomo accipio, quàm de Arantio hodie appellato, siue Matianum, siue Martianū, ut uulgo exēplaria habent, legat, à Martio mense ut puto facta denominatione, in quo maturescūt. Hoc enim uidetur corroborandi stomachi gratia sumpsisse. Quòd si cui tamen Cestiana & Matiana diuersæ malorum species uideantur, ex eo quod Columella eodem loco tanquam diuersa nominat, quanquā Sestiana, nō Cestiana legantur li. 12. cap. 45. is suo sensu fruat, ego meas coniecturas pro oraculis nō prodo.

Abstinendum uero à glandibus palmarum.] Græcum exemplar habet hic ἀπέχεσθαι δὲ βαλάνων φοινίκων, quasi distinctim sint tū glandes, tum palmulæ siue palmæ fructus accipiendi, atq; ita existimauit uetus interpres. Verum citra diastolen legendum, accipiendiq; palmæ fructus, qui etiam δάκτυλοι appellantur, & composita uoce φοινικοβάλανοι, de quibus palàm tradit Dioscorides, quod capitis dolorem inducant, αἱ δὲ φοινικοβάλανοι inquit συμπικώτεραι τυγχάνουσι τῶν ξηρῶν, κεφαλαλγεῖς δέ εἰσι, καὶ πλείονες βρωθεῖσαι μεθύσκουσι. Et Plinius 12. cap. 22. Quod relinquitur phœnicobalanus uocatur & nigrescit. uescentesq; inebriat, & de eadem etiam lib. 23. cap. 5. repetit, palma inquit, quæ fert phœnicobalanum probatissima in Aegypto, &c. sed pro phœnicobalanū, legitur in omnibus exemplaribus myrobalanum, quod falsum esse nemo adhuc animaduertit, ex tot qui hūc locum citauerunt. De phœnicobalano enim hæc accipienda, quę palmæ fructus est, Myrobalanum enim alia quàm palma arbor fert, nimirum myricę arbori similis, ut Diosco. lib. 4. tradit. Quin & uerba quæ Plinius eo loco subiungit, aluū & menses sistit in uino austero, Dioscorides de pœnicobalano lib. 1. habet, πινόμενος σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ πρὸς διαῤῥοίας τε καὶ ῥοῦν γυναικεῖον, quanquā & hoc loco ῥοῦν γυναικεῖον, falso menses reddidit, uelut alibi satis declaraui. Idem Plinius lib. 13. cap. 4. ubi palmarum genera recenset, etiam pateton quoddam ex eis appellari tradit. Tertium inquit ex his genus Pateton nimio liquore abundat, rumpitq; se pomi ipsius etiam in sua matre ebrietas calcatis similis. Sunt itaq; palmæ πατητοί quæ solem passæ diutius, quum sint alias nimio liquore refertæ: rumpuntur, ut ob id quasi calcatæ uideantur, atq; hoc genus sæpissime apud Galenum Aetium & Paulum φοίνικες πατητοί, hoc est, palmæ passæ & quasi calcatæ appellantur, quomodo etiam σταφυλαὶ πατηθεῖσαι dicuntur Aetio ut alibi indicaui. Galenus Methodi X. καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ διὰ τῶν φοινίκων ἐπίθεμα τῶν λιπαρῶν, ὀνομάζουσι δ᾽ αὐτοὺς πατητούς, ἀγαθὸν φάρμακον. Verum interpres Linacer aut nō intellexit quæ essent πατητοί palmulæ, aut certe temere uocē uerā & genuinā mutauit, nam pro πατητούς, δακτύλους substitnit. Ita em̄ uertit. Iam uero quod ex pinguibus fit palmulis quas δακτύλους Græce uocāt, salutare medicamen est. Cæterū hæc obiter, quod uero huc pertinet, βαλάνους φοινίκων hic soluta cōpositione dixit, q φοινικοβαλάνους composita uoce appellant. De glandibus aūt uulgaribus, hoc est quercinis, eum non hic facere mentionē, ex hoc colligere est, qđ nullus cōsimilis fructus hic commeminit, quanquā etiā quod sequit de ipsis uerū sit, qđ uidelicet capitis dolorē inducāt, experiētia itemq; Dioscoride teste. Palam etiā ex libro εὐπορίστων patet, ubi simpliciter legit, φοινίκων δὲ παντελῶς ἀπέχεσθαι, additurq; eadē ratio quę hic habetur, nimirum quod proprietatē quandam habeāt capitis dolorem inducendi.

Permittendus est eis potus ex uinis aquosis.] de uinorū aquosorū tum quantitate tū qualitate in potu cōuenienti Gal. li. 7. Meth. docet, ubi etiā horū genera quę hic habentur mentionē facit, si cui de ipsis amplius cognoscere libeat.

Et molliũ lanarũ fasciculi aceto & rosaceo conspersi.] Fasciculũ dixi hoc loco globulũ lanę conuolutũ, quẽ alias etiã lanã conuolutã appellaui. Est em̃ ea significatio πιλήματος uocis ἀπὸ τοῦ πιλεῖν, hoc est à constringendo & cõuoluendo appellatæ. idem etiã πτύγμα ἐκεῖνο à cõplicando siue plicatura dicit, unde & δίπτυχον ῥάκος Galenus x. Meth. dixit bis complicatũ. idem etiã σπόγγιον ἐκεῖνο non ita longe ante dixit, & infra lib. 3. πλάκα ἐκεῖνο. Paulus uero etiã σύστρεμμα δὲ ἐρίων li. 3. ca. 72. Celsus hapsum lanę dicere solet, ut lib. 7. ca. 27. cũ multo is oleo perungendus, inducendusq; hapsus lanæ mollis, tepido oleo repletus. Diosc. li. 1. de amaracino ungẽto. καὶ πρὸς τὰ νευρότρωτα καὶ μυότρωτα ἐν πιλήμασιν ἀραιῶς βρεχόμενον καὶ ἐπιτιθέμενον. Gal. XIII. Metho. τῷ δὲ ὅλῳ κώλῳ περιελιττομένης πιλήματος ἐλαίῳ θερμῷ βεβρεγμένης. Idem 8. Metho. πίλημα μετὰ τὴν ἐπιβροχὴν ἤτοι θερμὸν ἤδη ξηρὸν ἢ βεβρεγμένον μὲν ἐλαίῳ ἐν ᾧ τὸ ἀψίνθιον ἀπεζέσθη, τὸ πλεῖστον δ' ἐκπεπιεσμένον, ἐπιβάλλειν χρή. κάλλιον δ' εἰ περιέχειν μύρον νάρδινον ἐπιμελῶς σκευασμένον ἐν ἐκείνῳ διδόντα ἐπὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπιτιθέναι τὸ πίλημα. Quo loco interpres Linacer uertit, incingi illi peniculus post fomẽtũ debebit, et post, ex eo peniculũ eodẽ modo imbutũ uentri incingere. Tanquã uidelicet πίλημα, hoc est lana cõuoluta, sine ut ipse dixit peniculus, nõ imponendũ & inducendũ tantũ sit, uelut uerba ἐπιβάλλειν et ἐπιτιθέναι indicãt, sed etiã incingẽdũ. atq; id fecisse uidet̃ ꝑpterea qđ greca lexica uocẽ πίλημα, ζώνην et μίτραν interpretant̃, & quod etiã ipse Gal. paulò infra de eadẽ lana cõuoluta, hoc est, περὶ πιλήματος repetens, ζώνην ipsam appellat, his uerbis μὴ φερόντων δὲ τῶν καμνόντων τὴν ζώνην, ἤτοι γ' ἐξ ἔθους, ἢ τρυφῆς, ἐγχωρεῖ διὰ κηρωτῆς ἀνύειν ταὐτόν, hoc est ueluti idẽ interpres uertit. Si uero qui affligitur cinctũ non patit̃ siue ob consuetudinẽ, siue delitias cingi recuset, licet cerato idem efficias. Verũ Galenus neq; per πίλημα neq; per ζώνην, cinctum maxime arctiorẽ indicare uoluit, quẽ ægri aut ex more, aut ob delicias ferre nõ possint, sed simplicẽ tantũ impositionẽ ac nudã circundationẽ, qua neq; nimiũ æger cõstringatur, sed ut inhærere tantũ lanę fasciculus possit. Quod autẽ dixit: Si uero ægri uel ob cõsuetudinem uel ob delicias, zonã, id est, lanę oleo imbutæ circulũ nõ ferãt, id nõ ad cinctũ arctiorẽ respiciẽdo dixit, quis em̃ adeo delicatus est, ut hũc grauiter ferat, si nõ penitus uiolẽter fiat: sed ad olei siue ungẽti impuriorẽ usum, si ita in lana ex eis madẽte adhibeãtur. atq; ob id subdit idẽ per ceratũ effici posse, utpote qđ per cerę ammixtionẽ solidius reddat̃, eademq; tum olea tũ ungenta cõplecti possit, neq; tamen ita corpus fœdare. Nã liquidorũ oleorum itemq; aliarũ illotionũ usum pleriq; auersantur, & Emplastra aut cerata sibi adhiberi malunt, quod Aetius 8. cap. 16. his uerbis expressit. ἐπειδὴ δὲ οἱ πολλοὶ τὰς μὲν τῶν ἐπιχρίστων δυνάμεις παραιτοῦνται, αἱροῦνται δὲ τὰς τῶν ἐμπλάστρων, ἅτινες οὔτε ἰδρώτων ἀπογιγνομένων ἀποῤῥέουσι, οὔτε ξηραινόμενα περιτείνουσι τὸν χρῶτα, συναπτέον ἂν εἴη καὶ τὰς τούτων σκευασίας, quæ uerba ex Galeni lib. 5. huius operis transcripsit.

Postquam ulceris labia fibulis impositis cõstrinxerimus.] Tres modos adducendi & glutinãdi oras ulcerũ Gal. 3. Meth. tradit, Suturã uidelicet, fibulas, et deligaturã, his uerbis, ἤγουν δεσμὸν ἐκ κύκλῳ περιβαλὼν ἐκ δυοῖν ἀρχῶν, ἢ ῥάψας, ἢ ἀγκτῆρας ἐπιθεὶς, ἤ τινα τούτων ἢ πάντα, συνάξεις εἰς ταὐτὸ τὰ διῃρημένα. Celsus li. 5. Suturã si plaga in molli parte est probat, uelut fronte, auricula ima, naso imò, bucca, palpebra. Si uero in carne uulnus est hiatq;, fibulas imponẽdas tradit. Reliquis deligatura per fasciã sufficit, aut etiã cũ illis simul adhibet̃. Hoc itaq; loco Gal. προσαγκτηριάσαντας τὰ χείλη τοῦ ἕλκους, hoc est ut uerti, postq; ulceris labia fibulis impositis constrinxerimus dixit, uerbo ἀγκτηριάζειν à fibulis, hoc est, ἀπὸ τῶν ἀγκτήρων, facto. Sunt em̃ ἀγκτῆρες, δεσμοὶ quibus oræ uulnerũ siue ulcerũ cõtrahuntur, ne latior cicatrix fiat latinis fibulę itẽq; hamuli appellati. Quanquã etiã loci in collo ꝑ quos cõstrictos suffocari cõtingit ἀγκτῆρες Hesychio appellãtur. Verũ Paulus Aegineta li. 4. ca. 1 luctæ genus quo colla mutuo petuntur ad strangulationẽ minandam, ἀγκτῆρες appellasse uideri queat. καὶ γυμναζέσθω inquit, ποικίλως, τὰ μὲν ἀφαλλόμενος, τὰ δὲ πλείον

ἀγκυτῆρσί τε καὶ κωρύκῳ χρώμενος. Sed minime gẽtiũ sic res se habet. Est cũ locus ipse corruptus, & pro ἀγκυτῆρσι legendũ est ἁλτῆρσι, ut sit sentẽtia, exercitetur aũt uarie, partim saltu partim & quidẽ amplius Halteribus, & follis usu. Videntur aũt fuisse ἁλτῆρες, massæ ac moles lapideæ, aut ex metallis cõflatę, ansa ac manubrio addito, quo cõmode leuari possent, quales sunt qbus ponderũ loco publice hodie utimur, in ualde ponderosis rebus ad libram expendendis. Indicat enim Galenus lib. 2. ὑγιεινῶν, exercitiũ per halteres tale fuisse, ut orgyæ spatio dissiti halteres in unum locum deponerentur, ita ut à stante in medio ipsorũ prono attollerentur, dextera manu à sinistra situs, sinistra uero is qui à dextris, atq; sic in proprium locũ deponerentur, idq; firmato gradu sæpe & identidem faciebat qui sic exercebatur. Hunc autẽ motum obliquas spinæ partes magis exercere idem testatur. Sed adscribam ipsa de hac re Galeni uerba. ἔνιοι μὲν καταθέντες ἁλτῆρας ἐν τῷ πρόσθεν διεστῶτας ἀλλήλων ὀργυίαν, εἶτ' ἐν μέσῳ στάντες αὐτῶν ἀναιροῦνται προκύπτοντες, τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ, τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, τῇ δὲ ἀριστερᾷ, τὸν ἐν τοῖς δεξιοῖς, καὶ αὖθις ἑκάτερον ἐς τὴν οἰκείαν κατατίθενται χώραν, καὶ τοῦτο ποιοῦσιν ἐφεξῆς πολλάκις ἀτρεμίζοντες τῇ βάσει, τὰ δὲ πλάγια μέρη τῆς ῥάχεως ἡ κίνησις ἥδε διαπονεῖ μᾶλλον. Idem lib. 5. eiusdem operis, Halteres inter gymnasia quibus supernæ partes exercentur recenset. Sic enim ait, βελτίω τὰ διὰ τῶν ἄνω μερῶν γυμνάσια, χειρονομίαι, καὶ ἀκροχειρισμοί, καὶ δίσκου βολαὶ καὶ ἁλτήρων χρῆσις. & lib. 6. his uerbis: γυμνάζεσθαι δὲ γυμνάσια, τὰ διὰ τῶν ἄνω μορίων μᾶλλον, ὁποῖόν ἐστι τό, τε διὰ τῆς σμικρᾶς σφαίρας, καὶ τὸ διὰ τῆς μεγάλης, καὶ τὸ διὰ τῶν ἁλτήρων. Porrò Martialis poeta quum ait, Halteres agili rotat lacerto: uidetur rotare dixisse, quod dextera manu à sinistris situs halter leuaretur, & uice uersa, quanquam idem exercitij genus in apophoretis rideat, inquiens.

Quid pereũt stulto fortes haltere lacerti? Exercet melius uinea fossa uiros,

Cœlius tamen in lectionibus antiquis, dubium an ex Aristotelis quæstionibus Cyclicis, quarum mentionem facit, & nos copiã non habemus, an aliunde, quod non raro facere solet tacito autore, an ex suo commento, aut adeo ex Martialis loco iam à me indicato, tradit de halteribus hæc uerba. Figura erat circuli dimidium oblongioris, nec rotundationis absolutæ, ita prorsum afformabantur, ut manuum inseri possent digiti, ueluti per scuti Ochana. Hæc sanè descriptio indicat, neq; ipsum intellexisse, qui usus halterum, aut quod genus exercitij esset. Videtur tamen etiam ipse rei nescius subindicare similem quandam halterum figuram ad massas ponderales de quibus dixi, & de quibus Galenum omnino sentire credo. Hos itaq; halteres etiam Paulus elephantiaco exercitij loco præscribit, & non ἀγκυτῆρας, qui falso leguntur, de quo obiter cum reliquis non ita temere occurrentibus admonendum duxi. Budæus porrò in annotationibus in pandectas hæc uerba prodidit. Qui autem halmate inquit, id est saltu certabant, hi halteribus utebantur: sic enim uocabant plumbeas pilas massulas'ue, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent: Iuuenalis. Et lassata manu ceciderunt brachia massa, quæ uerba planè indicant neq; ipsum, halterum figuram, aut usum cognouisse. Quomodo enim tantæ moles saltatorem iuuarent, & non potius morarentur, quæ uix à stante firmato gradu leuantur? & propterea sanè Galenus loco suprà citato halteras inter gymnasia uehemẽtia recensuit, & Paulus saltum ab halterum usu penitus seiunxit. Neq; satisfacit Iuuenalis locus ad hoc ostendendum ab ipso citatus. Quare hoc loco opinionem meam proferam, non ægre laturus, imò gratiam habiturus, si quis melius doceat. Lucianus in Anacharsi siue de gymnasijs, Soloni hæc fermè uerba tribuit. Quod si fossam inquit Solon, transilire opus sit, aut aliud impedimentum, etiam id ipsum docemus, quando qui se ad hoc exercent, halteras in manibus continent. Hos itaque Halteras haud scio an non Budæus plumbeas massulas acceperit, quibus se librarent ad saltũ ut certius assilirent, Nam Luciani libelli paulò ante mentionẽ

facit

facit. Verũ ego nõ uideo quomodo se quis plumbeis pilis manu utraq; detentis librare possit, ut uel expeditius uel certius assiliat, aut fossam aut aliud impedimentũ transiliat. Ego itaq; nõ ἁλτῆρας eo Luciani loco, sed ἀλκτῆρας legendũ existimo. Atq; ἀλκτῆρας adminicula auxiliaria accipio, quibus suffultus aliquis fossam transilire cõmodius possit, cuius generis sunt hastæ & cuspides, paliq; ac ridicæ & assulæ oblongiores, quorũ usus etiã hodie uulgo ad fossam saltu trãsmittendam est receptus. Aut certe ἀλκτῆρες sunt cuspides qui ad utrunq; extremum plumbeã pilam annexã habent, quibus etiã num hodie funambuli utũtur, eisq; per funes extentos inambulantes se librant, ac quasi sustentãt. atq; in hanc opinionẽ inducor à Galeno, qui lib. 2. ὑγιεινῶν inter uelocia gymnasia recenset exercitiũ, quod fit per manus æqualiter ꝑductas, citra adminiculorũ auxiliariorũ detentionẽ, ita ut motus ipsarũ ad densitatẽ simulq; uelocitatẽ tendat, siue quis in pugnũ contractas, siue simpliciter ipsas expandere uelit. Sed melius est ipsa Galeni audire uerba. καὶ μὴν δὴ καὶ διὰ χειρῶν γίνεσιν ὀξὺ γυμνάσιον ὁμοιόροπον γυμνάζεσθαι, χωρὶς τοῦ κατέχειν ἀλκτῆρας, ὥσπερ διδόντα τὰς κινήσεις αὐτῶν εἰς πυκνότητά τε ἅμα καὶ τάχος, εἴτε πὺξ ἐθέλοι τις, εἴτε χωρὶς πυγμῆς ἀναχθεῖσθαι ἁπλῶς. Quod itaq; Gale. dixit χωρὶς τοῦ κατέχειν ἀλκτῆρας, intelligo citra auxiliariorũ adminiculorũ detentionẽ, cuspidũ uidelicet in extremis plumbatorũ. Si quis em̃ eos ipsos alcteras detineat, nõ minus exerceri posset, de quo tamen exercitio, ut noto eo tẽpore nõ meminit Gal. inter multa adeo quæ isthic recenset. Hanc igiť inter halteras & alcteras differentiam uisum est hoc loco annotare. Sed & illud adijciatur, ἁλτῆρας etiã ἀρτῆρας dici liquidis literis λ. & ρ. inuicem succedentibus, ita ut ἀπὸ τοῦ αἴρειν, id est ab eleuãdo, utraq; uox sit deriuata, uideturq; iuxta hanc originationẽ utraq; uox citra aspirationẽ esse scribenda, citra quam etiam ἀλκτῆρες scribuntur, ἀπὸ τοῦ ἀλκεῖν, id est, quod auxilio sint ad saltũ faciendum. Verum confusionẽ & rerũ & uocum, inde factã apparet, quod ἁλτῆρες, ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι deriuati, crediti sunt: atq; sic ἁλτῆρες ἀντὶ ἀλκτήρων inoleuerũt ac recepti sunt, & ueri ἀλτῆρες tũ nominis scriptura, tũ usu suo aboliti ac ignorati. Declarat autẽ hanc rem uel maxime Artemidorus lib. 1. cap. 57. de somniorũ interpretatiõe, qui de arteribus siue alteribus sic ait, ἀρτῆρες δὲ καὶ τὰ ἴδια τούτων γυμνάσια, τὸ μὲν παρὸν ἀπραξίαν καὶ πόνους, αὖθις δὲ πράξεις μετὰ ῥᾳστώνης προαγορεύουσιν, ἔστι γὰρ τὸ τοιοῦτο γυμνάσιον, οὐδὲν ἄλλο ἢ παρασκευὴ χειρῶν, hoc est, uelut in eius uersione reddidimus, Arteres & gymnasia ipsorũ propria, in præsens quidem inprosperũ actionũ successum, & labores, rursus aũt actiones cum quiete prædicunt. Est enim huiusmodi exercitiũ nihil aliud quàm manuũ præparatio. De Alcteribus aũt sic eiusdem libri cap. 59. τὸ δὲ πένταθλεῖν δοκεῖν, ἐπὶ πάντων ἐτήρησα, ἀποδημίαν μὲν πρῶτον, &c. σημαίνειν, πολλάκις δὲ ἀνίας τε καὶ φροντίδας αὐτοῖς, διὰ τὰ πηδήματα τὰ ἐν τῇ ἀλκτηρείᾳ, hoc est Quinquertium siue pentathlos, hoc est, quinq; gymnicorũ certaminũ generibus exerceri, obseruaui in omnibus primũ quidem peregrinationẽ, &c. significare, Sæpe uero & anxietates & curas supra prædicta, ob saltus qui alcterũ adminiculo fiunt. ἀλκτηρείαν hic usum τῶν ἀλκτήρων dixit, palamq; est utroq; loco de diuersis rebus ac exercitijs ipsum loqui. Sed nunc ad institutũ reuertamur, ubi de hoc saltẽ admonueto, alias à supradictis esse fibulas, quarũ Martialis poeta frequẽter meminit. Infibulandi aũt per eas modum & usum docet Celsus lib. 7. cap. 25. ferè ut superuacuum. Nullus certe Græcus medicus eius mentionem, quod equidem sciam, fecit.

Iuxta concarnationis modum curare oportet.] Plagam quæ usq; ad pelliculam caluariam ambientem penetrat, post ipsius pelliculæ diductionem ossisq; scalpturam, per concarnationis modum curandam esse docet, hoc est ut ipse inquit, κατὰ συσσάρκωσιν, quod fit per eorum quæ carnem gignunt aridorum insper

sotum

forum usum. Sic Paulus lib. 6. cap. 7. καὶ τὰ περὶ συστάσεων ἀγωγῆ θεραπεύεσθαι, χρώμενοι σαρκωτικοῖς ἐπιθέμασι.

Empiricorũ simili transitione usus, non indicatione dogmaticorũ.] Empirici medici transitione ad simile uelut instrumẽto utebanť, atq; per eam ab affectu ad affectũ consimilem, idem auxiliũ transferebant, uelut hic à phreniticis & lethargicis Apollonius, acetum rosaceo misceri, ad capitis plagã aut casum transtulit. Ita etiam à loco ad locum simili transitione utebantur, uelut à brachio ad femur. Amplius ab auxilio præcognito ad simile perueniũt, uelut in profluuio uentris, à malo ad mespilum. Verum dogmatici contra naturæ perscrutationẽ ut necessariam præceperunt, tũ in curando corpore, tum in caussis omnibus cognoscendis, quibus quotidie corpus ipsum sanius aut ægrius redditur, atque ultra hæc aeris, aquarum, regionum, studiorum, ciborum, potuum, consuetudinumq; naturam medico perspectam esse uolunt, quæ omnia Apollonius hoc loco uelut Empiricus reliquit.

Per symptomatum concursus syndromas ab ipsis appellatos.] Symptomata accessiones seu accessoria mala sunt quæ ad iustum morbum συμπίπτουσιν, hoc est accedunt. Sunt autẽ hæc duplicia: Quædam enim actiones lædunt quæ tum συμπτώματα, tum πάθη appellantur. quædã uero actiones non lædunt, uelut pallor & tumor, quæ symptomata quidem uocare licet, uerum in sanis appellantur συμβεβηκότα, in ægris autem συμπτώματα. Sunt autem eadem etiã πάθη, itemq; διαθέσεις, & in hoc à prioribus differunt, quod illæ διαθέσεις non sunt, & propterea curam non requirunt, sicut etiam neq; curationis indicationẽ faciunt. actionem enim læsam nemo curat, sed ipsum affectum, & propterea πάθη quidẽ ἐπίμονα & ἀναίρετα appellanť, quæ ut latini ab affectibus quæ διαθέσεις græcis sunt, distinguamus, iam uitia, iam passiones, iam mala appellare solemus. atq; hæc est summa omniũ quæ Galenus in primo & secundo Methodi contra Thessalũ & reliquos Methodicos de differentia πάθων καὶ διαθέσεων καὶ νοσημάτων, hoc est uitiorum, affectuũ & morborum habet, quanquã etiam ὅτι τὸ πάθ☉ ὄνομα κατὰ τὸ νοσήματ☉ ἐπιφέρουσιν οἱ παλαιοὶ ad finem isthic Galenus addat. Horũ itaq; symptomatũ concursum Empirici syndromas appellãt, uelut hic Galenus habet, itemq; 2. Meth. ὥσπερ γὰρ inquit ἀξιοῦσιν ὀνομάζειν αὐτὸ τὸ τῶν συμπτωμάτων ἄθροισμα. Quod autem dixi latinos item distinguere ac uitare ne πάθη affectus siue affectiones dicant, tam frequens est apud Plinium ut certos locos indicare nõ sit opus. Testiũ enim uitia, & uirilium ac genitalium mala, nihil aliud quàm αἰδοίων πάθη existũt. Quin & quæ desideria ab eodem dicuntur, πάθη esse uidentur, ueluti lib. 22. cap. 24. de melle inquit: faucibus, tonsillis, anginæ omnibusq; oris desiderijs utilissimum, nisi quis malit pro διαθέσεων, desideria dicta esse. Verũ quum ueteres etiam πάθ☉, ut ipse Galenus ait, νόσημα dixerint, non magnopere deliquerit, qui etiã τὰ πάθη affectus seu affectiones uerterit. à quo facto neq; nimium in hoc opere uertendo abhorruimus, quũ ea distinctio, quam Galenus in primo & secundo Methodi tradit, eò saltẽ spectare uideatur, ut intelligamus πάθ☉ maxime quod ipse ἀναίρετον appellat, & quod actionẽ lædit, curationem non expetere, neq; indicare, sed διάθεσιν quæ proprie affectus appellatur. Nam illam ipsam distinctionem neq; ipse Galenus perpetuo obseruauit, sicut neq; illam de qua paulò superius dixi, quod συμβεβηκότα in sanis appellenť, quæ in ægris συμπτώματα. Nam subinde inter se cõfundit, uelut in libris de dyspnœa uidere est. In principio aũt huius operis q; enarramus, sic ait, ὅτι μὴ οὐ μόνον τὸ θεραπευόμενον πάθος ἐνδείκνυσι τὴν θεραπείαν, quod cõtra hoc est quod 2. Meth. dixit, καὶ τὴν γ᾽ ἔνδειξιν γε τῆς θεραπείας ἐκ τῶν φαινομένων λαμβάνεις συμπτωμάτων, &c. Quare palam est etiã isthic ipsum

τὸν

τὴν διάθεσιν καὶ τὸ νόσημα ueterum more πάθος dixisse, sicut nos quũ affectũ uertimus uocem πάθος, facimus: quod ipsum etiam Gal. 1. de locis affectis testatur.

Vngento Mendesio caput illine.] Mendesium ungentũ quo modo fieret docet Dioscorides & Paulus. Meminit eius etiã Plinius. Mendesiũ dictũ est, quod in præfectura Mendesiorum in Aegypto inuentum esset, & laudatissimum fieret, atq; hoc est quod Paulus lib. 7. cap. 18. ait. ἐκλήθη δὲ τὸ ἐν αἰγύπτῳ εὑρεθῆναι ἔνθα καὶ ὁ μένδης τρέφεται, Id est, dictũ est Mendesium, propterea quod in Aegypto inuentum sit ubi etiam Mendes nutritur. Quanquam ego pro τρέφεται legendum putem σέβεται, id est colitur. Est autem Mendes hircus, itemq; Pan deus, Aegyptia uoce ac lingua uocatus, quem hirci effigie Mendesij uenerabãtur, ut etiam ipsi inde appellationẽ inuenerint, uelut apparet. Hippocrates porrò uinũ Mendæum sæpe probat, qđ non à Mendesijs in Aegypto, sed Thraciæ urbe Mendæ appellata nomen inuenit. At uero infra cap. 2. huius libri, Galenus Mendesium etiam Megaleum uocari dicit, utroq; cognomine à Megalo accepto, qui scilicet Mendesius patria fuerit. Sed & Aegyptiũ idem à tota regione appellatum est. Dioscorides Megaleũ suo tempore defecisse dicit, & aliud à Mendesio facit.

Coriandri semen & anethi trita ac melle mixta imponito.] Ita quidem habet exemplar Græcum, λεάνας σὺν μέλιτι μίξας καταπλάσσε. Verũ ineptus uidetur hoc loco mellis usus esse. Suspicor itaq; pro melle omnino oleũ, hoc est pro καὶ μέλιτι legendũ esse καὶ σὺν ἐλαίῳ, maximè quũ neq; in precedẽtibus neq; sequẽtibus mellis sit usus, & quũ Galenus in his medicamentis expendendis, nullã mellis mentionem Apollonio factã repetat, sed blitum cũ oleo tritũ, tum huic, tum alijs cõpositionibus ut longe diuersis conferat, blitum humectare ac frigefacere debiliter perhibens, Ricini uero semen & Coriandri ac Melanthij calfacere, nulla penitus facta mentione liquorum, qui his ammiscentur, quum tamen hos etiam diuersos Apollonius tradiderit, utpote qui Ricini semen ex aqua tritum imponi iusserit, Melanthium autem ex oleo, Coriandrum uero & anethum ex melle, si tamen hæc est uera lectio, & nõ potius pro melle oleum iuxta meã suspitionem substituendum. Vetus interpres oleum & mel, ambo mixta habet.

Vtcunq; enim doleant longe minor ipsorum dolor est quàm eorum qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore uexantur.] Differentiam quandam dolorum magnitudinis iuxta locos ipsos in quibus contingunt facit, Coli dolorem omnibus præferens, mox auris, deinde oculi, post dentis dolores, ut longe maiores quàm capitis dolor est ostendens, addito etiam signo, Nimirum quod nemo capitis dolore affectus, ex animi deliquio mortuus sit, aut seipsum peremerit, quod in coli dolore quosdam fecisse constat. Verum de hac re etiam Plinij uerba adscribam, quæ ipse ex ueterũ & autorum iudicio protulit lib. 25. cap. 3. Qui grauissimi ex his sint discernere, stultitia prope uideri potest, quum suus cuiq; ad præsens quisque atrocissimus uideatur. Et de hoc tamen indicauere aui experimento, asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio uesicæ, proximum stomachi, tertium eorum qui capite doleant, non ob alios ferè morte conscita. His uerbis Plinius ob calculi cruciatum, itemq; stomachi, ac capitis dolorem, quosdam sibi mortem consciuisse perhibet, quod ipsum ob capitis dolorem unquam factum esse Galenus negat, sicut neq; temere quenquam ex eo in animi deliquium delapsum esse, quod ipsum uerisimilius est accidere his qui stomachi dolore afficiuntur. Verum Plinius ad omnes capitis morbos, uelut phrenitin, Maniã, ac delyrium respexisse uidetur, Galenus uero ut qui ex professo medicus, morbos ac dolores distinguat, de simplici capitis dolore dixit, ex quacunque tandem causa oborto.

Alui solutio.] Duplex hic lectio esse potest, aut κοιλίας ἔκλυσις, id est, alui solutio uelut reddidi, aut κοιλίας ἔκκλυσις, id est, alui elotio, per quã infusum per clysterem accipiendum est, quod tum κλύσμα, & ἔκκλυσμα, & κλυσμὸς, ab eluendo tum ἔγκλυσμα & ἔνεμα ab infundendo græci medici appellant, Latini infusa dicunt, quomodo etiã alias uertimus, Aliquando autẽ ipsum instrumentum τὸν κλυστῆρα adhibendum dicentes, eandem rem uolunt, uerum improprie loquuntur qui clystere infundi dicunt, quũ per clysterem infusionẽ fieri recte dicamus, neq; aliter apud latinos autores reperias, nisi mendosi sint loci, quod ego credere malo, quàm quod Plinius ipse aliquoties sic scripserit. Galenus τὴν διὰ κλυστῆρος κένωσιν, & τὸ διὰ κλυστῆρος ἔνεμα dicere solet, & πολὺ ἐν τῷ τοιούτῳ κλυστῆρι κεῖται ἐστὶν, id est, multum in huiusmodi clysteri situm est.

Pleriq; autẽ ex his qui eiusmodi tractant, non ut ipsi sapientes in his euadant, sed ut uulgo tales uideantur, studio habent.] Nondum erant adhuc Galeni seculo eiusmodi studiorũ laruæ quibus hodie omnia literaria gymnasia sunt deformata, & tamen quid aptius dici à quopiam possit in has ipsas, quàm quod Galenus hic dixit, ut tum quoq; quosdã eius generis fuisse appareat, qui uideri quàm esse docti maluerint, sed longe infeliciores his qui hodie in scholis, in urbibus, ac principum aulis regnant medicis. Illi enim uulgi tantum opinione sibi placebãt, his etiam uniuersitatum ut uocant, autoritas accedit, atq; homines facie tantũ, alias cumani asini, leonis pelle induuntur, apponitur etiam mitra quæ tegat Midæ aures, atq; anulus uirtutis quondam insigne, bestiæ inditur, quæ nullã rationalem artem attigit, ac neq; primas quidem disciplinas gustarit. Hac specie progrediuntur, Cumanos adeunt, quorũ utinã tam angusta sit quàm quondam fuit ditio, & non quoquo uersus colonos à se emisisset, coloniasq; condidisset, à quibus eiusmodi aduenæ splendide ob animorum similitudinem, aut quod alias uerum leonẽ non noscant, excepti, in alto throno collocantur. atq; ἐν ἱερωμένῳ τοῖς uel ut uulgatũ exemplar habet, ἐν ἱερομύξοις ἀνδράσι, sic enim Galenus ex Cercida poeta uetusto citat, residẽt. Sed rident tamẽ hæc boni & docti medici, itemq; alij sapientes uiri; ut sunt ridicula quidem, sed tamen potius ob nocentissimã imposturam miseranda: qui sciunt futurum ut aliquando detracta leonina, asinus omnibus cõspicuus fiat, & quẽ neq; ipsi Cumani apud se tolerare possint. Quæ res à natura aptos ingeniososq; adolescentes animare debet, ut strenue à primis mox disciplinis perceptis, ad rationales artes & præcipue medicinam contendant. futurum enim aliquando ut exulent asini, ut ueri regnent leones, non quibus leonina ex fauore, aut pecunia empta cõtigit, sed qui optimarum disciplinarum studio, ac mox splendida doctrina publice proposita, ostenderũt se tales re uera esse qui morbis mederi & possint, & non temere aut frustra gestiant ac uelint, ac propterea nullo uulgari honore pro tantis studijs satis magno cohonestari mereantur, sed ipsam uirtutem sibi semper pulcherrimã mercedem ferãt, qua mercede soli mali & indocti non sunt digni, ut quam neq; intelligant, neq; ullo loco habeant aut ponant. At uero quod Galenum ex Cercida poeta comico ut apparet uetusto, adeo ut etiam nomen ipsius in totum perierit, citare dixi, id VI. Methodi est, ubi de Thessali Methodici ignari ac arrogãtis: solent enim hæc utia cõiuncta esse: fastu ac superbia, hæc uerba refert, ταῦθ' οὐ θείως μὲν ἡ ἀληθὴς μέθοδος, ἐπισφραγίζεται δὲ ἡ πεῖρα. Θεσσαλὸς δὲ ἅμα τοῖς ἑαυτοῦ σοφισταῖς ἐφ' ὑψηλοῦ θρόνου καθήμενος ἐν ἱερομύξοις ἀνδράσιν, ὥς ὁ Κερκιδᾶς φησὶν, οὐδ' ὑπομένουσι κατασκευάζειν τῷ λόγῳ παντὸς ἕλκους προσφάτου τὴν αὐτὴν εἶναι θεραπείαν, οὐδεμίαν ἔνδειξιν ἐκ τῆς τοῦ μορίου φύσεως λαμβάνοντες. Quem locum Linacer interpres non intellectum reliquit, græca enim uerba præter interpretis fidem, in latinum contextum transtulit, neq; eorũ sensum

ſenſum, quod pat erat facere, explicuit. Eſt autem locus ipſe ſatis obſcurus, & qui ex Cercida poeta, qui unà cũ ſcriptis & nomine periit, intelligi non poſſit, quem ſanè ego ſic interpretandum exiſtimo, Hęc inuenit quidem uera Methodus, obſignat autem experientia. Theſſalus uero unà cum ſuis ſophiſtis in alto throno deſidens inter arietinæ frontis uiros, uelut Cercidas ait, magni nominis fiet, ob id quod longo ſermone adſtruat, omnis ulceris recentis eandem curationẽ eſſe, quæ nullam indicationẽ ex particulæ natura ſumat. Puto enim pro ἐν λειομύξοις ἀνδράσι, legendum eſſe ἐν κριομετώποις ἀνδράσι, quos arietinæ frontis interpreteris. Eſt enim κριοῦ μέτωπον promontoriũ Scythiæ, inde appellatum, quod quieſcentem illic Phryxum, de Barbarorum eò cum armis conſcendentium ac Phryxum adoriri uolentium aduentu, Aries quo Phryxus in Colchidem uectus eſt, ex proſpectu eos cõtuitus, humana uſus uoce commonefecit ac excitauit, uelut Parthenius in libro de fluminibus tradit, qui nuper ex officina Frobeniana editus, Plutarcho tamen falsò inſcriptus eſt. Vt autem Parthenij eſſe credam, facit ipſe libri ſtilus qui Plutarchum non refert, ſed uehementer ei ſimilis eſt, quo Parthenius in eo libello utitur, qui περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων inſcribitur, qui ex eadem officina ante trienniũ græcè unà cum noſtra uerſione latina editus eſt, Cui coniecturæ accedit, quod hoc genus argumenti multos libros ipſum Partheniũ ſcripſiſſe conſtat, fuitq́ facilis error alicui, ex obliteratis literis πλουτάρχου pro παρθενίου ſubſtituere. Quanquam & ad marginem manu ſcripti codicis hæc uerba adſcripta indicant, nõ recentem ſuppoſitionẽ eſſe, ψευδεπίγραφον τοῦτο, πόῤῥω γὰρ τοῦ πλουτάρχου μεγαλοφυΐας, ἥτε διάνοια καὶ ἡ φράσις, εἰ μὴ ἕτερος εἴη πλούταρχος. Verum ut ad κριοῦ μέτωπον redeamus, Eſt & aliud promontorium Cretę eiuſdem nominis, de quo hæc Arietis fabula nõ fertur. At uero ab illo κριομέτωποι ἄνδρες dicti uidentur, qui dura & arietina fronte omnibus contra ſentientibus ſe opponunt, ad conceptæ ſemel opinionis defenſionẽ, quod Theſſalũ eiuſq́ ſocios, quos aliquando etiã Theſſalicos aſinos appellat, Galen. facere perhibet hoc loco, ubi ipſos inter arietinæ frõtis ſui ſimiles uidelicet uiros deſidere ait. Nam & alias græcis prouerbio πρὸς κριοῦ μέτωπον προσκόπτειν dicuntur, qui cum eiuſmodi pertinacibus ac impudentibus ſophiſtis, ueris rationibus, ac argumentis probabilibus contendunt, nimirum arietina fronte illis ſe opponentibus caput offendentes. Neq́ refert ſiue de ueri arietis fronte, ſiue promontorio inde appellato κριοῦ μέτωπον intelligas, quum ad neutrum tutum ſit impingere. Atq́ hanc meam cõiecturam de hoc Galeni loco hic obiter explicare uolui. Cęterum non ita ineptus ſenſus etiam ex κριομύξοις ἀνδράσιν erui queat, Sonat etenim κριόμυξος per υ. in penultima ſcriptum, Arietinum mucũ, ut ſint κριόμυξοι ἄνδρες arietino muco oppleti: Eſt enim aries animal pituitoſum ac ſtupidum: quod non alio utiq́ ſenſu accipi poteſt, neq́ alia dicti argutia, ſiue alluſione, à Cercida poeta eſt uſurpatum, quàm ut mentis hebetudinem & proinde ſtoliditatẽ hac uoce exprobratam uelit, quando ſanè alias eiuſmodi homines naſturtium edere, aut anticyras nauigare prouerbialiter iubemus, quo uidelicet nares ipſorum ac cerebrum, muco per naſturtium liberentur, & per ueratrum anticyræ purgentur, quo animi eorum uegetiores reddantur, ac ſenſus excitentur. & ſi hanc ſententiam ſequi uelis, ἐν κελομύξοις ἀνδράσι, non ad καθήμενος, ſed ad uerbum εὐδοκιμήσει referendum erit, ut accipiamus Theſſalum cum ſocijs in alto throno deſidentem, apud ſtupidos homines celebrem futurũ, &c. Quod ſi uero ἐν λειομίξοις per ι. in penultima legere libeat, ut λειόμιξος ſit ex ariete mixtus, Ratio compoſitionis hoc prohibere uidetur, quæ κριόμικτος potius q̃ κριόμιξος dixerit, Quod ſi tamen legeretur ἐν κελομίξοις uel κελομίκτοις ἀνδράσι, ſignificationem exhibeat, Theſſalum cum ſocijs inter ſemiarietes uiros

F deſidere

desidere, aut etiam in pretio esse. atq; ita Cercidas nouo cõposito uocabulo, homines semibrutos & pecunia mente præditos, attamen feroces & peruicaces, κεχολικτους ἄνδρας appellasse uideri queat, quã lectionem & sententiam si quis præ superioribus eligat, uelut etiã uetus Interpres fecisse uidetur, non repugno. Ego obiter tantum ut dixi, de hoc loco ut non bona fide ab interprete relicto, studiosos Galeni cõmonefacere uolui. Est autem dimeter Iambicus, aut octometri hemistichium, quocunq; modo legas.

Quemadmodum alij in suffusorum symptomata ob huiusmodi humores incidunt.] Non solum capitis dolor ex humoribus in stomacho malignos uapores excitantibus oboritur, sed etiam suffusionis symptoma siue accessio quibusdam inde contingit, quo oculorum acies per suffusionis uehementiam obfuscatur, Is enim ὑποχύσεως est effectus, ut infra lib. 4. amplius audiemus.

Modicum panem eis præbebimus circa tertiam aut quartam horam.] Horæ ueteribus duplices in usu fuerunt, atq; hæ ex mathematica disciplina ordinatæ. Aequinoctiales siue æquidiales quæ grecis ἰσημερινὰι, ex quorũ uiginti quatuor numero dies naturalis constituitur, duodecim à solis exortu usq; in occasum, & ob occasu rursus totidem usq; ad exortum matutinum, æquali spacio distãtibus, connumeratis, ita ut uigesima quarta diei pars hora sit una, atq; hoc ex æquinoctialis motu, in quo singulis signis binæ horæ assignantur, ita ut quindecim gradus per unam horam conficiantur. Verum hæ horæ tantum per æquinoctium utrumq; durabant, & hoc modo accipiendæ sunt æquinoctiales horæ tum apud Græcos, tum apud Latinos scriptores, ut Galen. 7. Meth. σύμμετρος δὲ ὁ ἐκ τοῦ πρώτου λουτροῦ πρὸς τὸ δεύτερον, ὡρῶν ἰσημερινῶν τεττάρων ἢ πέντε χρόνος. Indicat enim his uerbis tempus horarum quatuor aut quinq; æquinoctialiũ siue æqualiũ, etiam si extra æquinoctij tempus æger sit balneandus. Extra autem tempus æquinoctij, Inequales horæ distinguebant tum noctem tum diem, Ita ut utraq; in duodecim horas diuideretur, sed omnino inæqualiter, iuxta dierum ac noctium incrementum, Nam siue dies prolongaretur siue nox, omnino tamen XII. horæ singulis assignabãtur, necessariò ob temporis rationem inæquales, Sic ut quantum brumalibus diurnis demeretur, tantum nocturnis accederet, & quantum solstitialibus æstiuis diurnis adderetur, tantum ijsdem nocturnis demeretur. Hæ autem horæ χρονικαὶ & καιρικαὶ, hoc est, temporales appellabantur, atq; hoc modo etiam solarijs atq; horologijs distinctæ proponebantur. Cæterum quoties sine determinatione de horis apud autores fit mentio, inæquales & tẽporales intelligendæ sunt, uelut apud Galenũ 9. Meth. quum ait. τὸν γοῦν γυμναστικὸν νεανίσκον ἀρξάμενον πυρέττειν ὥρας πρώτης τῆς νυκτὸς, ἐθεασάμεθα περὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ὥρας που τρίτης. & hoc adeò quem iam exponimus loco, quo circa tertiam aut quartam horam diei panem præbere iubet, à solis uidelicet emersu numerandi exordio facto, Nõ uelut hodie solemus, quibus tertia aut quarta hora à media nocte & meridie incipiendo numeratur. atq; illo modo etiam apud Pliniũ undecima, diei penultima accipienda est, libro 2. cap. 25. ubi ait de sidere crinito. Id oriebatur circa undecimã horã diei clarumq; & omnibus terris conspicuũ fuit. Neq; enim de undecima hora diei, iuxta nostrũ hodiernũ horologiũ intelligendũ est, quę est quinta diei, quum sexta diei ipsa meridies apud ueteres fuerit. At uero quũ ὥραι ἰσημεριναὶ dicũt Græci simpliciter tempus per horã indicant æquinoctiale, quomodo etiã ὥρα χειμῶνος pro tẽpore hyemali, & ὥρα θέρους pro æstate dicitur. Accipitur aũt sæpenumero hora etiã pro die, quo modo frequẽtius à medicis græcis Galeno & Aetio usurpatur, q̃ ut uno aut altero loco adscripto ostendere libeat. Sed & Ciceronẽ in Verrẽ horas pro dieb. usurpasse, Asconius Pedianus annotauit.

Quorum

Quorum optimum remedium est ex aloe pharmacũ, quod aliqui picram, aliqui hierã appellant.] Hæc descriptio uidetur esse, ex qua tum simplex, tum compofita hiera, quæ hodieq; in pharmacopolijs extant, excerpta & confecta uidetur, sed pluribus simplicibus additis, & pondere omniũ imminuto, itemq; dosi. Ego hanc Galeni descriptionem uehementer probo, atq; aliquando hoc modo præparatã in usu habeo. Aetius serm.9.cap.10. penitus eandem prodit, & ex Galeno ut fatetur, trãscripsit, addita etiam alia Themisonis paululum ab ea uariãte. Et meo iudicio consultius fecissent barbari Arabes medici, si nihil de hac atque alijs immutassent. Referuntur autem omnes hierarum descriptiones infra huius operis libro octauo.

Præstat autem & Carpesium pro Asaro conijcere.] Carpesium esse cubebas satis nota hodie pharmacopolijs semina, Serapio, Auicenna atq; Arabes omnes cõstanter affirmant, atq; ita etiam uetus Interpres hoc loco conuertit. Verum iuxta Carpesij apud Galenum descriptionem longe alia res est καρπήσιον a cubebis Arabum appellatis. Pro cinamomo enim Quintum usurpasse illius penuria dicit, ueruntamen non adeo tenuium partium esse uelut cinamomũ, Imo etiam ab optima casia deficere, quã alias duplo pondere pro cinamomo Galenus usurpare solet. Duo autem carpesij genera ibidem Galen. facit Ponticũ & Laetticum, utrisq; appellationibus à quibusdã Pamphyliæ montibus in quibus proueniũt deductis Idem etiã. 1. de antidotis facit his uerbis, πλεῖστον δ' ἐν τῇ σίδῃ τῆς παμφυλίας τὸ καρπήσιον τοῦτο γεννᾶται. λεπτὰ δέ ἐστι τὰ κάρφη, παραπλήσια τοῖς ἀκρέμοσι τοῦ κινναμώμου, καὶ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, τὸ μὲν ἕτερον αὐτῶν λαερτικόν, τὸ δὲ ἕτερον ποντικὸν ὅπερ καὶ βέλτιόν ἐστιν. ἑκατέρου δὲ ἀπὸ τοῦ ὄρους ἡ ἐπωνυμία καθ' ὃ φύεται. Vtrinque autem corrupta est lectio, Nam hic τὸ πικρὸν pro ποντικὸν, & 7. simplicium. pharm. ἐν συρίῃ pro σίδῃ habetur. Theophrastus, Dioscorides ac Plinius nihil de Carpesio habent, quæ causa fuit, cur Serapio ὀξυμυρσίνην apud Dioscoridem, idem quod καρπήσιον apud Galenum esse existimaret, quod ipsum Hermolaus Barbarus, & post eum Nicolaus Leonicenus damnauit. Cæterum Galenus hoc loco Carpesium pro Asaro, uelut præstantius conijcere iubet, aut ambo simul; unde apparet earundem uirium esse. Dioscorides certe ἄσαρον & φοῦ ambo ἀγρίαν νάρδον uocari tradit. Galenus uero 7. simp. phar. de Carpesio dixit ὅμοιον μὲν ὑπάρχει τῷ καλουμένῳ φῷ, κατά τε τὴν γεῦσιν καὶ τὴν δύναμιν. Quare patet Asarum, & phu, & carpesium eiusdẽ facultatis esse. Porrò carpasi succus omnino alia res est, & letale uenenũ intra corpus acceptus, quanquam pharmacis extra imponẽdis non ineptus sit, uelut Galen. supra lib.1.cap.3. ex Archigene ad flauos & crispos faciendos pilos usurpauit, & uelut idem 1. de antidotis tradit, circa optimã myrrhã ὀποκάρπασον reperiri asserens. τὸ δὲ ὀποκάρπασον inquit, ἀναιρετικόν ἐστι, καὶ πολλοὺς κατά τινα τύχην ἐν τοῖς καθ' ἡμετέρας ζωῆς χρόνοις ἀποθανόντας οἶδα, διὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ὀποκάρπασον ἐχούσης σμύρνης, &c. atq; ea gratia apud Dioscor. lib. 6. & Aet. serm.13. & Paulum lib.5. inter uenena recensetur, non ut huius carpesij succus, sed apud Paulum falsò καρπησίας pro καρπάσου legitur. Est enim καρπησία idem quod carpesium, uelut Aetius serm.11.cap.13. usurpat. Apud Plinium autem lib.32.cap.5. fine, succus carpathij pro carpasi legitur, quemadmodum eodem libro cap.9. & lib.28.cap.10. opocarpathon pro opocarpason habetur.

Vt igitur à postremo exordiar, opinor ipsum resinã quæ sua sponte emanat dicere.] Archigenes in fine dictionis suæ dixerat, aut tale aliquod aliud calfactorium: per quæ uerba dicit se Galenus opinari, ipsam resinam sua sponte fluẽrem insinuare, item capnelæon Ciliciæ, & reliqua quæ subiungit. Cæterum capnelæon qualiter in Cilicia fuerit apparatũ quærere aliquis possit, & suspicari idem

esse καπνέλαιον, cum eo quod Aetius serm.9.cap.44. & serm.12.c.44. καπνισὸν ἔλαιον appellat. priore loco, λάδανον inquit, καὶ στύρακα ἀναλύσας ναρδίνῳ μύρῳ καὶ τῷ καπνιστῷ λεγομένῳ ἐλαίῳ, id est, ut ego uerti, oleo suffumigabili appellato dissoluito, Neque enim aliter uertendum uidebatur quàm uelut uox ipsa sonat. καπνισὸν enim suffumigabile est, uelut etiam eodē loco τροχίσκος ὑποκαπνιστὸς, id est, pastillus suffumigabilis habet. Possit itē suspicari quispiā fieri potuisse ut ex Capno, quem fumū terræ dicimus, oleum in Cilicia paratum sit, quod καπνέλαιον Galenus dixerit, Verum, cur hoc καπνισὸν dicere Aetius maluerit dubium sit, nisi lectio sit mēdosa, quod tamen mirum sit duobus locis accidisse, aut nisi penitus diuersum sit καπνισὸν ἔλαιον a καπνελαίῳ. At uero ut hęsitationes illę omnes adimantur Galenus facit, qui lib.3. κατὰ γένη, καπνέλαιον nō certum olei genus in Cilicia facti esse scribit, sed resinā quæ sponte profluit, quæ alijs αὐτόῤῥυτος, in Lacedæmone uero πρωτόῤῥυτος dicatur, in Cilicia καπνέλαιον uocari. καὶ τῶν αὐτοῤῥύτων inquit, καλουμένων ῥητινῶν ἐγχωρεῖ μιγνύναι, καλοῦσι δ' αὐτὰς ἐν λακεδαίμονι μὲν καί τισιν ἄλλοις χωρίοις πρωτόῤῥυτον. ἐν κιλικίᾳ δ' καπνέλαιον ὀνομάζουσι τὴν τοιαύτην ῥητίνην. Videtur autem capnelæum, hoc est, oleum fumosum, à fumo quem edit igni admotum, appellatum. Verum καπνισὸν ἔλαιον penitus alia res est, & quomodo fiat, Aetius lib.1. tradit. Legitur autem in græco exemplari hoc loco κασπνέλαιον corrupte, uelut etiam paulò ante corrupte legitur, καὶ τὸ ἐν πέργῃ σκευαζόμενον ἔρινον, legendum est enim ἴρινον, hoc est, Irinum quod in Pamphyliæ oppido Perga apparabatur, uelut Dioscor. lib.1. testatur, quemadmodū Styracinum & Amaracinum in Cyzico, ut idem Dioscor. testatur. Porrò Syriacū ungentum paulò post Comagenū dici ab Archigene putat, propterea quod ex Syria apportaretur, cuius pars Comagene appellatur, ut utraque appellatio patria existat. Fiebat autem Comagenū ex adipe anserino cum cinnamo in uase æreo multa niue obruto, ac rigore gelido macerato, ut Plinius lib.10. cap.22. tradit, aut ut idem lib.29. cap.3. repetit, ex adipe anseris in Comagene Syrię parte cum cinnamo, casia, pipere albo, herba quæ Comagene uocatur, obrutis niue uasis odore iucundo, &c.

Propter infirmitatem uero comprehensiuæ facultatis.] Comprehensiuā facultatem dixi, quā περισταλτικὴν Galenus appellat, estque ea quæ cibos ac potus in uētre arcte cōplectitur & obuoluit, quo promptius cōcoquantur, Nam ubi ipsa fuerit infirma, & alias inopia etiā caloris adest, per hanc quidē uapores & flatus uentosi generantur, per illam uero partium capitis affectarū interna capacitas inflatur, ac expletur.

Omnia secundum rationem facienti.] Hic aphorismus Hippocratis est in secūdo aphoris. quinquagesimus secūdus, cuius sententia satis manifesta est, non oportere uidelicet à rationali uia curandorū morborū temere digredi ad aliud, quod uel experimento, uel autoritate aliorum cōmendetur, etiamsi nulla utilitas inde consequatur: quod ipsum ut quis faciat, non modicæ scientiæ opus esse Galenus in expositione eius aphorismi ait, simileque addit affectus ægre concoctilis ad petram, quæ multis guttarum ictibus impetentibus eam uix tandem post longum tempus cauatur.

Acetū uero repulsoriam simul & attenuatoriā, imò & discussoriam habet facultatē, utpote in temperatura à tenuium partium frigiditate exuperatū.] Quod dixi exuperatū, in græco est ἐπικρατούμενον, quod passiuæ uocis participium est, à uerbo ἐπικρατεῖν, exuperare & præcellere, ut Galen. lib.8. simpl. pharm. de aceto itidem loquens, ὄξος inquit, μικτῆς οὐσίας ὑπάρχει ψυχρᾶς καὶ θερμῆς, ἀμφοῖν λεπτομερῶν, ἐπικρατεῖ δὲ τῆς θερμῆς ἡ ψυχρά. id est, præcellit & exuperat. ἐπικρατούμενον autē exuperatū & subiugatū significat, sicut ἐπικρατούμενοι dicuntur qui alicuius imperio

subditi

subditi sunt, ac potestate eius exuperati. Galeni uerba sic habent in præsenti loco. τὸ δὲ ὄξος ἀποκρουστικήν τε ἅμα καὶ λεπτυντικήν, ἀλλὰ καὶ διαφορητικὴν ἔχει δύναμιν, ὡς ἂν ἐπικρατούμενον ἐν τῇ κράσει, λεπτομερεῖ ψυχρότητι. Hæc eo libētius adscribo, ut tum eius uerbi, tum ei consimiliū, sed tamen significatione diuersorū significatio à studiosis diligenter expendatur, quādo hac parte magni uiri sunt decepti. Aliud est enim ἀποκρατούμενον, id est retentū, ut Aetius 9. cap. 35. τὸ χολῶδες μετὰ τὸν ἀθροισμὸν ἀποκρατούμενον μεγάλως βλάπτει. hoc est biliosus humor retentus uel suppressus; à uerbo ἀποκρατεῖν quod coerceo significat. Diosc. lib. 4. de symphyto petræo, καὶ ἐντεροκήλας ἀποκρατεῖ καταπλασσόμενον, hernias coercet cataplasmatis modo impositū. Eiusdē cū hoc uerbo ἀποκρατέω est significationis uerbū ἐπικρατέω, à quo Galen. 11. simp. phar. ἐπικρατητικὴν δύναμιν dixit; id est, facultatē coercēdæ ac retinēdę alui; de iure gallinarū ac gallorū loquens. ὅ γε μὴν τῶν ἀλεκτορίδων ἁπλοῦς ζωμὸς ἐπικρατητικῆς ἐστὶ δυνάμεως, ὥσπερ ὁ τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων ὑπακτικῆς. Vt autē ἐπικρατητικῆς uocē in Galeno recte legi, atque eo sensu accipi credamus, Paulus facit, qui lib. 7. hunc Galeni locum quasi exponit, his uerbis. καὶ ὁ τοῦ παλαιοῦ δὲ ἀλεκτρυόνος ζωμὸς σὺν ἅλσιν ἐπὶ πλεῖστον ἑψηθέντος ὑπακτικὸς γίνεται, ὁ δὲ τῆς ἀλεκτορίδος τοὐναντίον ἐπικρατητικός. At uero nisi Pauli uerba palàm declararent, ἐπικρατητικὴν δύναμιν Galenum τῇ ὑπακτικῇ opposuisse, quare hæc in iure galli ueteris plurimum salsi, illa in iure gallinarū simplici existat, dubitarem an ἐπικρατητικῆς uox recte in eo Galeni loco legatur, & potius ἐπικεραστικῆς legendum suspicarer, atque hoc ex Dioscoride inductus, qui lib. 2. palàm ait, Ius gallinæ simpliciter præparatū dari gratia contemperandi uitiosos humores; & in ardore stomachi, quanquā locus ipse corruptus sit, & τοῦ νόσσακος pro τῆς ἀλεκτορίδος legatur. Sic autem legi in Dioscor. debet. ὁ δὲ ζωμὸς τῆς ἀλεκτορίδος μάλιστα δίδοται ἐπικεράσεως χάριν φαυλοτήτων, καὶ ἐπὶ τῶν στόμαχον πυρουμένων λιτῶς σκευασθείς. ad quę uerba mox etiam ipse Dioscor. uelut Galen. & Paulus, de iure galli antiqui large salsi subiungit, quod uidelicet ad alui purgationē exhibeatur, ut plane eadē res ab omnibus tribus tradi uideatur, quod scilicet ius gallinæ simplex uim contemperandi uitiatos humores habeat, quod sanè uerum esse ipsum experimentū testatur. Quare merito Galeni ac Pauli locos habemus suspectos, in quibus uim retinendi ac sistendi aluum in gallinæ iure esse pronunciauerūt. Quod si quis tamē de iure pulli gallinacei Dioscoridem dixisse adstruat, Galenū uero & Paulum de iure gallinæ, huic probandum erit diuersam esse eorum iusculorum facultatem. Ego sanè eandem esse, experimento doctus asseuerare non dubitem, nimirum acres ac biliosos humores mitigandi ac contemperandi. Et si diuersæ facultatis essent, de pulli iure utique Galenus & Paulus non siluissent. quare hinc adeò palàm fit non τοῦ νόσσακος, sed τῆς ἀλεκτορίδος apud Dioscor. legendū esse, utpote quū idē locus ab omnibus tribus tractetur. Et sanè nisi penitus fallor, Dioscoridis sententia uera esse mihi uidetur; eandemque omnino arbitror à Galeno expressam esse, nimirum si ἐπικεραστικῆς pro ἐπικρατητικῆς legatur, Paulum uero ἐπικρατητικῆς legisse, atque sic Galeni locū peruertisse. Cęterum uelut hoc Galeni loco, sic etiam 2. de aliment. facul. ubi de uuis passis agit, ἐπικρατητικὸν pro ἐπικεραστικὸν suppositū est in his uerbis, τό γε μὴν ἐπικρατητικὸν ὑπάρχει ταῖς γλυκείαις ἀεί, καθάπερ καὶ τὸ μετρίως ῥυπτικόν, ὡς δι' ἀμφοτέρων τῶν δυνάμεων τὰς μικρὰς κατὰ τὸ στόμα τῆς κοιλίας ἀμβλύνουσι δήξεις. Id est, Vis contemperandi & uis moderate extergendi, propter has enim uires paruos oris uentris morsus hebetant. Quod si tamen ἐπικρατικὸν hoc loco pro ἐπικρατητικόν, & superiore ἐπικρατικῆς pro ἐπικρατητικῆς legas, utrobique uerā & eandem sententiam habebis. Aeque enim ἐπικρατικὸς ab ἐπικεράννυμι deducitur, sicut ἐπικεραστικός, hoc

à κεκέρασαι, à futuro κεράσω, illud à κέκραται, à futuro κράσω. Sic etiã κατακρατικὸς & κατακεραστικὸς à κατακεράννυμι. Aetius 9. cap. 37. in fine de lactis potu. οὕτω γὰρ διδόμενον, ἅμα σταλτικὸν καὶ κατακρατικὸν γίνεται τῶν ῥευμάτων, id est, sistit ac tẽperat fluxiones. Galen. 12. Meth. de uinis fuluis. πέψει μὲν τὰ περὶ τὴν γαστέρα καὶ φλέβας οἱ κιῤῥοὶ συναίροντες μᾶλλον, ὅτι καὶ μᾶλλον θερμαίνουσιν, ἐπικεραστικοὶ δ' εἰσὶ καὶ θρεπτικοί. hoc est, temperamentũ inducentes. Aetius 11. cap. 19. in cura dysuriæ iubet τροφαῖς κατακεραστικαῖς χρῆσθαι. Galenus 4. ὑγιεινῶν de succo alicæ, εὔχυμος μὲν οὖν ἐστὶ, καὶ διὰ τοῦτο τῆς κακοχυμίας ἐπικρατικός. Habetur tamen in uulgato exemplari ἐπικερατικός. Sed sufficiunt hi loci ad harum uocum significationem discernendam. Declarat autẽ manifeste quid ἐπίκρασις significet Galenus 9. Meth. ubi in contrarijs indicationibus paulatim uitiatum humorem euacuare, & bonum uicissim paulatim apponere docet, his uerbis. χρὴ γὰρ δηλονότι περὶ τὰς τοιαύτας ἐναντιώσεις τῶν ἐνδείξεων, κατὰ βραχὺ μὲν ἐκκενοῦν τὸ μοχθηρὸν, κατὰ βραχὺ δ' αὖ τ' αὐτοῦ τὸ χρηστὸν ἀντιθεῖναι, καλεῖται δ' ἐπίκρασις ὑπὸ τῶν ἰατρῶν, ἡ τοιαύτη θεραπεία τῆς κακοχυμίας, hoc est, eiusmodi curatio contemperamentum uocatur.

Vltra hoc quod non solum ea quæ circa uentrem & Mesareũ sunt euacuat.] Mesaræum membrana est ex uenis, arterijs, ac neruis cõtexta, per cuius uasa ex uentriculo in hepar alimenti distributio contingit. Idem etiã μεσεντέριον appellatur à situ uidelicet inter uentrem intestinaq; ac ipsum hepar medio, uelut in anatomicis lib. 6. Galenus tradit. Vasa aũt tum uenarũ tum arteriarum μεσαραϊκὰ ab eadem mẽbrana dicũtur. Hoc itaq; loco Galenus per ualidũ & fortem clysterem magnã reuulsionẽ, quam ἀντίσπασιν græci uocant, fieri dicit eorũ quæ ad caput feruntur, & per eundem non solum uentrẽ & Mesareũ euacuari, sed etiã ea quæ circa sima hepatis hærent, insinuans scilicet, euacuationẽ ex Mesareo factam gibba hepatis nõ exinanire, eousq; enim ipsum Mesaræũ non protenditur. Hippocrates μεσόκολον appellauit, partis uocabulo pro toto usus. Est enim μεσόκολον proprie ea pars mesenterij ex qua intestina crassa dependẽt. Neq; tamen altera pars mesenterij unde tenuia intestina pendent, nomen aliquod priuatim habet, ut uidelicet μεσονήστιον uel simili uocabulo appelletur. Totũ uero Mesenteriũ in unũ quoddã spinæ uerticulum, post septũ trãsuersum sub uentrẽ situm, procedit, indeq; ex ligamento neruoso dependet, uelut Galen. in 4. comment. in 6. epidem. Hippoc. declarat in hanc sententiam. τὰ κόλα ἔχει οἷα κυνὸς, μέζω δὲ καὶ ἤρτηται ἐκ τῶν μεσοκόλων, ταῦτα δὲ ἐκ νεύρων ἀπὸ ῥάχιος, ὑπὸ τὴν γαστέρα.

De his qui ob biliosum humorem caput dolent.] Ante hunc titulum Galeni exemplar græcũ ab Asclepiade scripta ad dolores capitis auxilia habet, uerum ea ipsa ijsdem penitus uerbis in sequenti capite huius secundi libri secũdo, de cephalæa rursus habentur, atq; à Galeno expenduntur, ac examinantur in quem usum, & qua ratione ab Asclepiade præscripta uideantur, quod ipsum hoc loco facere Galenus neglexit, ut uel ob hoc suspicari libeat, hunc non esse iustum eorum locum, Nam alias temere repeterẽtur in tam breui maxime interstitio, duarum uidelicet paginarũ. Quare hoc loco ea reliquimus: quæ si quis omnino huc referre uelit, per me quidem licebit, ut idem penitus bis legat ac habeat in eodem libro. Galenum sane non putamus eadem bis tradidisse, quanquam alias nimius in plerisq; uideatur, sed per oscitantiam à quodam bis inserta esse, quod etiam uetus Interpres animaduertit, qui hoc quidem loco ea ipsa conuersa habet, & in sequenti capite præteriuit, sed nos hic præterire maluimus, & sequenti capite ponere, quod Galenus ea ipsa tunc ut dixi, expendat, quod hoc loco nõ fit, sed nuda tantum Asclepiadę uerba apponuntur.

Illinenda

Illinenda frons pastillo croceo aut Trigono appellato.] Pastillorũ & crocei & trigoni descriptiones sunt apud Paulũ lib.7.cap.12.& infra libro 7.cap.5.alter à croco quem recipit, alter à forma & figura triangulari uidetur appellatus. Habent autem ambo uim dolorem sedandi, ἀνώδυνον Græci appellant, & stuporem inducendi, quam ijdem ναρκωτικὴν & ὑπνωτικὴν dicunt, ab opij ammixtione, & in hoc usu Trigonus pastillus, itemque qui ex seminibus constat, ac ab ijsdem σπερμάτων nomen habet, à Galeno lib. 12. Meth. laudatur. ἔστι δὲ inquit, καὶ ἄλλα πολλὰ φάρμακα διὰ τῶν σπερμάτων ὀνομαζόμενα καὶ τρίγωνα, μετριώτερα μὲν εἰς τὴν ἐν τῷ παραχρῆμα νάρκην, ἀκινδυνώτερα δ' εἰς τὸ μέλλον. hoc est, Sũt & alia multa medicamenta, ex seminibus appellata, itemque Trigona, moderatiora quidem ad inducendum subito stuporem, uerum in posterum periculi minoris. Sed Linacer Interpres τρίγωνα, ex pastinaca pisce confecta, nulla omnino necessitate coactus interpretatus est, quũ simpliciter dixisse Trigona satis erat. Verum existimauit hunc pastillum Trigonũ è pastinaca pisce cõfici, qui τρύγων Græcis appellatur, & si iam hoc etiam ita haberet τρυγώνειον uocari pastillũ oportebat, non τρίγωνον quod triangularem sonat. Quod autem ex pastinaca pisce hic pastillus non fuerit factus, Pauli uerba de eo adscribã, ex quibus id patebit. ὁ τρίγωνος. σελίνου σπέρμα, ὑοσκυάμου σπέρμα ἀνὰ δραχ. β. ἀνίσου δραχ. δ. ὀπίου δραχ. γ. ὕδατι ἀναλαμβάνου. Quod est. Trigonis pastillus componitur. Apij seminis, hyoscyami seminis, utriusque drach. II. anisi drach. IIII. opij drach. III. ex aqua terito ac formato. Cæterum ut Linacer τρίγωνον ex pastinaca pisce confici solitũ existimaret, ex eo accidit, quod pastinaca piscis uim habeat torporem ac stuporem inducendi, In hunc usum enim Celsus lib.5.cap.9.habet. Et plani piscis inquit, quem pastinacã nostri, τρύγωνα Græci uocant, aculeus torretur, deinde cõteritur, resinaque excipitur, quæ denti circũdata, hunc soluit. Videtur enim Celsus ob id pastinacam probare quod stuporem inducẽdo, atque ita compagem laxando, dentem euocet, quod etiam Plinius lib.32.cap.7.ait. Conterit is & cũ elleboro albo illitus dẽtes sine uexatione extrahit. Quin Aetius quoque serm.13.cap.37.ex quorundã relatione tradit caudã pastinacæ quæ ictum alicui intulit, ablatam & in quercũ suspẽsam, arborẽ arefacere, percussum autẽ ea hominẽ sanari, atque id ἀντιπαθείας λόγῳ euenire. At uero quando in pastinacæ piscis mentionem incidimus, obiter locum apud Celsum emendabimus in quo falsò marinę pastinacæ in potu probãtur. Sic enim legitur apud eum libro 5. cap. 27. aduersus ictus Italorum serpentium. Aduersus quos, inquit, satis proficit herba betonica, uel cantabrica, uel cẽtaurion, uel argemonia, uel trixago, uel personina, uel marinæ pastinacæ singulæ binæ'ue tritæ, & cum uino potui datæ, & super uulnus impositæ. Hactenus Celsus. Quo loco non est marinæ pastinacæ legendum, sed syluestris, aut quod magis suspicor: agriæ aut erraticæ, quæ facilius potuere in marinam transire, Nisi quis omnino marinam pro syluestri dictam uelit, quomodo etiam lactuca marina ab eodem pro syluestri est dicta lib.2. cap.12. quod omnium maxime mihi arridet. Quid enim marinam pastinacam piscem uenenum quis in potu sumat? aut corpori pro remedio admoueat? cuius contactus etiam periculosus est, ut Dioscor. in 6. Paulus lib. quinto. & Aetius loco supra citato produnt. Verum pastinacam syluestrem in potu ad uenenatorũ animalium ictus ualere, Dioscor.lib.3.ait ἁρμόζει ἐν πόμασι καὶ πρὸς θηρίων δήγματα καὶ πληγάς, τοὺς δὲ προλαβόντας φασὶ μὴ ἀδικεῖσθαι ὑπὸ θηρίων. Loquitur de staphylino syluestri, quæ latinis pastinaca est.

De dolore capitis per consensum.] Supra συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν rerũ inter se exposuimus. Hoc autem loco συμπάθεια opponitur τῇ πρωτοπαθείᾳ, quæ &

ἰδιοπάθεια appellatur. Est enim affectus per συμπάθειαν in aliqua particula corporis, quando in aliqua alia quidem πρώτως & per se est, ad ipsam uero ob uicinitatem, aut connexum & dependentiam, siue cognationem deriuatur. & ob id per consensum capitis dolorem dicimus esse, quo caput alteri alicui parti, aut corpori uelut coafficitur, atque hic supra recitatis doloribus per primarium capitis affectum πρωτοπάθειαν siue ἰδιοπάθειαν cōtingentibus opponitur. Imò συμπάθεια ad πρωτοπάθειαν uelut umbra ad lumen consequitur.

Et sorbitiones ex alica.] Sorbitiones ex alica maxime lota, quā χόνδρου πλυτοῦ appellant, quomodo parādæ sint, ne uiscositas eius ægros offendat, Galen. lib. 1. de aliment. docet, & Paul. lib. 1, cap. 78. Cōsimilem aūt coquendi modū perhibet Paulus alicæ, ptisanæ ac bromi eodem loco. Exhibebantur aūt eiusmodi sorbitiones in omnibus morbis acutis, usu adeò uulgari ac omnibus noto, ut Galen. tria Thessalicorū methodi ignarorū remedia in morbis acutis esse 13. Meth. prodat. Fomentū olei calētis, sorbitionē alicæ, & cataplasma ex pane & melle. Ceterū ut certò discamus alicā esse latinis χόνδρον græcorū, ex autoribus aliquot locos expēdemus. Diosc. itaque lib. 2. de chondro ita tradit, ὁ χόνδρος γίνεται μὲν ἐκ τῆς ζειᾶς δικόκκου ζειᾶς, τροφιμώτερος δὲ ὀρύζης καὶ στυπτικώτερος κοιλίας. Quibus uerbis aperte rem facticiā esse chondrū perhibet, ex zea duo grana habēte factā. Neque discordat ab eo quod 1. de alimentis Galen. tradit, τῆς γένους τῆς πυρῶν ἐστιν ὁ χόνδρος, quibus uerbis generis triticei chondrum facit, quod nō aliud sonat, quàm ex triticeo genere ipsum fieri. Neque enim certā & naturalem tritici speciē his uerbis chondrum esse dixit, ut quidā intellexerūt, quod ipsum ex eodē libro cōsequenter de typhis olyra & zea manifestū fit, ubi multa alia semina dictis cōsimilia esse ait, quæ tamen eandē speciē non habeāt, & quædā media inter ordeū & typhen, quædam inter olyras & typhen, aut inter triticū & olyrā media esse perhibet, & quædā simplicem appellationem habere: ὥσπερ inquit, ἐν Ἰταλίᾳ δὲ τὸν χόνδρον ποιοῦσι. per quę uerba nihil aliud quàm simpliciter zeam appellatā, ipsum indicare intelligo, ex qua uidelicet chondrū in Italia faciebāt, uelut etiam Dioscorides dixit. Est enim zea quoque tritici species, ex qua & tritico mixtā speciem ζειόπυρον ibidem appellari in Bithynia ait, Sicut aliā item cōpositam speciem Cappadoces γυμνόκριθον uocant. Quare iuxta Dios. itemque Galenū chondrus ex zea tritici seu frumenti specie fit, quæ hodie per Gallias ac Germanias ubi enascitur Spelta appellatur, in quibusdā etiā Germaniæ locis Tinckel uocatur. Estque chondrus id quod ex ea decorticata & in grana plura cōtusa, leguminis loco cū iusculis bubulæ, aliquando etiā lacte, quandoque uino coctū edūt, quomodo etiā græcis parare chondrū in more fuisse existimo, & inde etiam nomen inditū, χόνδρος enim alias granū siue grumum significat, Vnde Germani corrupta uoce ex grumis grupen uocant. Fiunt autē apud Germanos ubi zea seu spelta non nascitur, eiusmodi grumi ex ferè omnibus frugū generibus consimiles chondro, qui itidem grupen appellantur, cum additione nominis rei ex qua fiunt, vueytzene grupen ex tritico, gerstene grupen ex ordeo, haberne grupen ex auena siue bromo, atque hoc modo etiam græcos ex frugum generibus omnibus parasse, ex Galeno, Aetio, ac Paulo colligere licet. Galen. enim loco supra citato, ubi de chondro loquitur, uarie ipsum per coctură parari tradit, Nimirū ex aqua aliquādo sola coqui, ac ex uino mulso sumi, (de quo etiā Martialis testatur in Xenijs. Nos alicam, inquit, mulsum poterit tibi mittere diues. Si tibi noluerit mittere diues eme.) aut uino dulci siue etiā adstringente, prout occasio usus exigit. aliquando uero oleo & sale condiri, aceto insuper affuso, quo modo præparatum χονδροπλοσαίνης conditurā factam

factam dicunt, quidam uero ægrum ex χόνδρου πτισάνης nutritum esse aiunt. Alij qui autem ueterum uelut Diocles & Philotimus πτισάνην πυρίνην hoc modo paratum chondrum appellant, atque ea gratia chondri nomen apud ueteres in raro usu esse. Hæc Galenus. Ego tamen etiam apud Hippocratē πτισάνην πυρίνην reperio περὶ παθῶν. ubi ait, ἐὰν δέ τι διδόναι θέλῃς κομιδῆς εἵνεκα, διδόναι χόνδρου ἢ πτισάνην πυρίνην, &c. Verum ex Galeni uerbis aperte apparet, chondrum nō ex uno frugum genere paratum grecis itemq; Rhomanis ac in Italia esse, sed tamen qui ex zea & ex tritico siue frumento fieret, peculiariter chondrum appellatum. Quod enim chondroptisanam, & ptisanam pyrinen, id est, triticeam a ueteribus chondrum dictum ait, ad nihil aliud spectat, quam quod chondrus instar ptisanæ primum decorticaretur & cōminueretur, atq; postea quoq; eodem ut ptisana modo cōdiretur. Est autē ptisana propria ordei decorticati appellatio, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, hoc est, à pinsendo & decorticādo appellatiōe ducta, quæ tamē ut generalis usurpatur, & si cum alijs frugum generibus copulatur, alia atq; alia ptisanæ genera significantur, uelut χονδροπτισάνη significat ex zea decorticata ptisana, quam grupen ex spelta aut tinckel germani appellant. πτισάνη uero πυρίνη, id est, triticea ptisana, vueytzene grupen significat. Ita ut tum chondrus, tum ptisana generalia nomina esse uideantur omnium frugum siccatarum, decorticatarum, ac in grumos tusarum. Atq; hoc sane modo alica apud Plinium lib. I. cap. II. etiam generale uocabulum est omnium quemadmodum apud grecos chondrus, cuius uox latinis non est usurpata. Primum enim ait Plinius alica fit ex zea quam semen appellauimus. Tūditur granum eius in pila lignea. Nam lapidis duricia conteritur. Nobilius ut notum est pilo uinctorum pœnali opera. primori inest pyxis ferrea. excussis inde tunicis, iterum ijsdem armamētis nudata conciditur medulla. Ita fiunt alicæ tria genera, Minimum, ac secundarium, grandissimū uero aphæresma appellant. hactenus Plinius ostēdit plane eum alicæ parandæ modum, qui & hodie ubiq; Germanis frequētiss. est. Verum ex tribus generibus quæ fieri ex zea ait, Minimum accipio quod in farinam penitus redigitur, Secundariū quod grumosum est, grandissimum uero à quo parum quid detusum est, & tunicæ saltem excussæ, unde etiam ἀφαίρεμα à cortice uidelicet siue tunicis ablatis est appellatum. atq; hæc tria genera alicæ ex zea factæ iuxta contusionis magnitudinem distincta sunt. Sunt autem & alia eius genera iuxta materiæ ex qua fit diuersitatem. Sic sequitur in Plinio, Alica adulterina fit maxime è zea quæ in Africa degenerat, &c. & ad finem capitis idem Plinius ait. Alia ratio ubiq; adulterandi: ex tritico candidissima atq; grandissima eligunt grana, & semicocta in ollis postea arefaciunt sole ad initium, rursusq; leniter adspersa molis frangūt &c. Quare ex his Plinij uerbis apparet, Alicam ex zea tum uera, tum degenerāte, itemq; ex tritico fieri, ueluti etiam supra de chondro audiuimus, ut plane græcis idem sit χόνδρος, quæ alica latinis & Plinio appellatur. Cæterū quod Paulus Aegineta lib. I. cap. 78 inter chondrum & alicam distinguit, quantum sane ego coniectura assequi possum, ob nihil aliud facit, quàm ut certam speciem chondri, & certā itidem alicæ demonstret. & chondrum quidem ex tritico factum accipit, quem Galenus chondroptisanam & pyrinen ptisanam dixit, Alicam uero proprie ex zea paratam. Ita enim inquit. Σιτωδῶν ὀνομαζομένων ὁ μὲν χόνδρος τρόφιμός τε καὶ γλίσχρου χυμοῦ γεννητικός, ἀλλ᾽ ὁ μὲν πλυτὸς μοχθηρὸς ἐπειδὴ ἑτοίμως παχυνόμενος ἀνεφθος μένει, ἑψηθέντων δὲ ὁ χυλὸς αὐτοῦ ὅλον καλῶς ἐψηθέντος παραπλησίως πτισάνῃ. ὁ δὲ ἄλιξ τὰ μὲν ἄλλα χόνδρῳ παρέοικεν, μᾶλλον δὲ γαστρὸς ἐστὶν ἐφεκτικός. Quod enim bene alere & tenacē succū gignere dicit chondrū, etiam Galen. de eo dixit. quod uero lotus prauus sit, propterea quod facile densef, & incoctus maneat, & quod meliorē ait

succum

χονδρος πυρο πυ... Hippocrate

succū eius, si integre probe coquatur, uelut ptisana, idem Galenus eodem loco, primo uidelicet de alimētis, ubi de chondro agit, tradit:ut nō rectè à quibusdam hoc loco in Paulo πολτὸς pro πλυτὸς legatur. Et ob id etiam fallūtur qui Paulum de frugum aliqua specie, hoc est, farre hic loqui aiunt, ex qua uidelicet alica, quæ ἄλιξ ab eo latina usurpata uoce dicitur, paretur. Nam quòd alicam chondro in reliquis similem, nisi quod magis uentrem cohibeat, dicit:non quòd chondrus integrum & naturale semen per se sit, alica uero ex eo tuso paretur, ostēdit:sed magis quod ambo facticia sint, & alica ex zea ut dixi, chondrus uero ex tritico fiat, & ob id similitudinē inter se habeant. Alicam uero ob id magis uentrem cohibere credendū est, quod ex zea fiat, quæ uires per omnia medias inter triticum & ordeum habet. Quando uero ordeum in primo ordine refrigerat, & arefacit, triticum autem neq; siccet neq; humectet manifeste, sed tamen in primo gradu calfaciat, cōsequitur zeam, & ex ea factam alicam, moderate siccandi ac refrigerandi facultate prædita esse, quæ causa est cur uentrē cohibeat & adstringat, tametsi ex siccatura quoq; ei quid harū uirium accedat. At uero ut tum chondrum, tum alicam, utraq; facticia esse apud Paulum itidem uelut apud Dioscoridē & Galenum credā, facit quod idem Paulus plerisq; locis ambo, ut cōsimilis usus ac facultatis cōiungit, uelut lib.3.cap.31. ἔσω δὲ σοι ἄρτος πλυτὸς ἐκ ψυχροῦ, ἢ ἄλιξ, ἢ χόνδρος μετά τινος τῶν ψυχόντων χυλῶν. & 3.cap.62. τροφὴν δὲ δοτέον χόνδρον πλυτὸν δι' ὀξυκράτου, ἢ ὄρυζαν ἢ ἄλικα. Porrò Aetius aliquando cōiunctim χόνδρον ἄλικος dicit, ut ne quis occasionem habeat, diuersam rem à chondro alicam putādi. Sic serm.9.cap.10. τροφὴν δὲ διδόναι χόνδρον ἄλικος μετ' οἴνου λευκοῦ καὶ λεπτοῦ καὶ ὑποσύφοντος. & eodem sermone cap.12. ἐνθρύπτειν δὲ ἐν αὐτῷ ψίχας ἢ χόνδρον ἄλικος ἐν αὐτῷ ἐμβλητέον. & eodem serm.cap.29. ἰασάμην οὖν καὶ τοῦτον ἀφεῖναι μὲν κελεύσας τὰ κωλικὰ βοηθήματα, ῥοφῆσαι δὲ χόνδρον ἄλικος μεθ' ὕδατος θερμοῦ ἑψημένον κόκκων ῥοᾶς συνεψηθέντων αὐτῷ. Qui locus itidem apud Galenum 10. Methodi legitur, sed pro χόνδρον ἄλικος, simpliciter χόνδρον habetur. Galenus enim latinam appellationem usurpare uitauit, quod Aetio ex re esse uisum fuit, ut uidelicet utraq; tum græca, tum latina appellatione coniunctis, certius res ipsa indicaretur. Ceterum quemadmodum χόνδρος & χονδροπτισάνη, & πυρίνη πτισάνη ex zea & tritico fiebant, & πτισάνη simplex ex ordeo, Sic τράγος ex olyra parabatur, ut Galen.1.de alimentis ait. τὴν δὲ συγγενεστάτην ὀλύραν ὅταν ὡς χρὴ πτίσωσι, τὸν ὀνομαζόμενον τράγον ποιοῦσιν. Et βρόμος ex auena, ut Paulus lib.1 cap.78. quum ait παραπλησίως δὲ τῇ πτισάνῃ καὶ ὁ βρόμος καὶ ὁ χόνδρος ἕψεται, ostēdit: & oryza ex typhe ut Plin.lib.18. cap.10. testatur, & ob hanc sanè facticiam harum rerū similitudinem Græci dictionarij χόνδρον per τράγον item per ἄλικα exponunt. Sic enim Hesychius ait. χόνδρος τράγος ὃ τινες καὶ ὁ ἄλιξ. Quanq; Galen. & Paulus, & Plin. etiam, atq; Dioscorides, natiua semina frumentacea, & non facticia, his nominibus prodāt. Tametsi quod Dioscor. ait, τράγος τὸ σχῆμα μὲν παραπλησίως τῷ χόνδρῳ ἔοικεν, planè exprimat facticiā rem tragum esse, ut qui chōdro in figura similis sit, et ex olyra zeæ genere factus, quū chōdrus ut idē, ueluti suprà indicaui, ait, ex uera zea fiat. Quod ipsum etiā Plinius ait his uerbis 18.cap.7. Ptisanæ cōficiendæ ratio uulgata est. Simili modo ex tritici semine tragum fit in Campania tantum & Aegypto: Nisi quod ex tritico fieri & non olyra prodat, ut uel ex eo loco appareat confusissimas semper fuisse frumentaceorum generum appellationes, eandem rem alijs aliter uocātibus, uelut etiam Galenus primo de alimentis iam sæpe citato libro ostēdit. Porrò quod dixi aliquos existimare apud Galenum & Paulum locis suprà citatis, chondrum frumenti & tritici certam speciem & naturalem, nominatimq; far esse, & non rem facticiam, falluntur mea quidem opinione, Nam neque his locis aliud quàm facticia

res ab

res ab utrisque, ut ostendi, indicatur, & χόνδρος uox alias apud nullum ueterem, neque Theophrastum, neque Dioclem reperitur, uelut etiam supra ex ipsis Galeni uerbis demonstraui, quos de hac specie silere non par & æquum putandū esset. Quin & ipsum far factitia res est siquidē Archigeni credimus, cuius uerba Aetius serm.9.cap.45. recenset, hæc. τὸ δὲ λεγόμενον ῥωμαϊστὶ φὰρ ἐν ταῖς τῆς ῥώμης μέρεσι σκευάζεται οὕτως. σῖτον πρὸς ὀλίγον βρέξας ὕδατι καὶ ἀναπετάσας ἐπ' ἁλῶνα πτίσσε ὅλμῳ ὡς πτισάνην. ὅταν δὲ τὸν φλοιὸν ἀποβάλλῃ, ἄρας ξήραινε ἐν ἡλίῳ, εἶτα διατρίψας χερσὶ μέχρις ἂν καθαρὸν τοῦ φλοιοῦ ἀφήσῃς τὸν σῖτον, ἄληθε ἁδρότατα, ὡς γενέσθαι τὸν κόκκον εἰς δ. ἢ ε. ἐπὶ φύλαττε ξηρόν. ἐσθίεται δὲ τῇ χρείας ἑψόμενος ὡς χόνδρος καὶ ἐσθίεται ὑπὸ τῶν ὑγιαινόντων. ἐσθίεται δὲ τῶν νοσούντων, ποικίλως σκευάζεται. His uerbis Archigenes far uelut chondrum coqui & in cibo sumi dixit, ex quo uel solo palam fit far chondrū non esse, sed uicinū ualde utriusque factitiæ rei apparatū esse, ex zea uidelicet & frumēto, ut Plin. quoque testatur qui lib.18. cap.7. ait populum Romanū farre tantum ex frumento CCC. annis usum (Quanquā paulò ante dixerat, far in Aegypto olyra conficitur) Vt tum far, tum Tragum pro eadem re dixerit Plin. in eodem capite, Nam sequitur in eo capite, quod supra citaui, Tragum eadem e tritici semine fieri. Quare etiam inter res ex frumētaceis seminibus factitias mira appellationū cōfusio existit. At uero quod Plin. alicam inter fruges recēset, uelut lib.18.cap.7. Aliqui uerna, milium panicū, lentem, cicer, alicam appellant. Et eodē capite. Tunicæ frumento plures, hordeū maxime nudū & alica: sed præcipue auena, De nullo etiā alio semine, quàm facticia alica intelligendam opinor. Neque mihi probatur quod aliqui alicā his locis apud Pliniū alteram zeæ speciem apud Dioscor. simplicem uidelicet accipiunt, quū id nullis argumētis, neque ullius autoritate probari possit. Verū ut de alica facticia Pliniū dicere opiner, ex eo Plinij loco inducor, lib.18. cap.10. ubi ait. Apud Græcos est zea, tradūtque eam ac typhen quū sint degeneres redire ad frumentū, si pistæ ferantur, nec protinus sed tertio anno. Quū enim zeam pistam serēdam tradat, quid aliud intelligas quàm alicā quæ pista existit? uelut supra ex eodem Plinio ostendi, quo modo fieri potuit etiam ut far facticium sereretur. In summa autē si cui penitus far, chondrus, alica, res facticiæ, fruges esse, & pro frugibus dictæ apud autores uidentur, pro eis utique positas putabimus ex quibus omnino fiunt, uelut esse zeam & ipsum triticū siue frumentū ostēdi. atque hæc de chondro & alica in præsens suffecerint, quum quod uolui satis demonstrarim ut opinor. Nimirum chondrū & alicam eandem rem facticiam esse, & nō frumentacea semina naturalia per se. At uero adscribam & chondri faciendi modum ex Cōstantino Cæsare ex libris uiginti quos de agricultura conscripsit, quos nuper nobis Matthæus Aurogallus uetus amicus noster cōmunicauit. Sic enim libro 3. prodit. χόνδρου ποίησις. ζειὰς πτιστέον ἐπὶ ἐμπληστέον εἰς ζεστὸν ὕδωρ, καὶ συνεκπιεστέον. ἔπειτα γύψον λευκὸν κοπτέον, καὶ εἰς λεπτὸν σηστέον, ἄμμουν τε τῆς λευκοτάτης καὶ λεπτοτάτης τὸ τέταρτον σὺν γύψου μέρει, κατ' ὀλίγον μικτέον ἐπὶ πτισσομένῃ τῇ ζειᾷ αὖθις. σκευαζέσθω δὲ ἐν ταῖς ὑπὸ κύνα ἡμέραις, ἵνα μὴ ὀξύσῃ. ἔπειτα δὲ ἅπας ἐπιτηδείῳ κοσκίνῳ κοσκινευέσθω ἁδροτέρῳ. κάλλιστος ὁ πρῶτος σηθεὶς γίνεται χόνδρος. δεύτερος ὁ μετὰ τοῦτο, καὶ ἐλάττων ὁ τρίτος. Cæterū eodem loco & Tragi faciendi modum tradit, itemque prisanæ in hæc uerba. τράγου ποίησις, τὸν ἀλεξανδρινὸν λεγόμενον σῖτον βρεκτέον καὶ πτιστέον καὶ ξηραντέον ἐν ἡλίῳ θερμῷ, εἶτα αὖθις τὰ αὐτὰ ποιητέον, ἄχρις οὗ οἵ τε ὑμένες τοῦ σίτου, καὶ τὸ ἰνῶδες ἀποπέσῃ, οὕτω τε ξηραντέον καὶ ἀποθετέον τὸν τράγον ἐκ τῆς εὐγενοῦς ὀλύρας. πτισάνης ποίησις. κριθὴ βραχεῖσα πτίσσεται καὶ ἡλίῳ ξηραίνεται. εἶτα ἀποτίθεται οὕτω. περιεμπάττεται δὲ αὐτῇ τὸ λεπτὸν αὐτῆς, τηρεῖ γὰρ αὐτήν. ἔστι ἡ πτισάνη ὑγροτέρα λαμβανομένη τροφιμωτάτη δὲ, ἔσω δὲ τὸ ὕδωρ δεκαπλάσιον τοῦ τῶν κριθῶν μέρους. κόπτεται δὲ ἀλῶν ἀποπτῶν εἰς αὐτὴν ἐμπασσομένων. γίνεται δὲ ἐκ σίτου πτισάνη ὁμοίως.

Acetum

Acetum mulsum in potu præbendo tum simplex, tum Iulianicũ.] Oxymellis siue aceti mulsi cõpositio recitatur à Plinio 14. cap. 17. & lib. 23. cap. 2. iisdem ferè uerbis, nisi quod posteriore loco aqua marina pro pluuia falsò legitur. Paulus lib. 7. cap. 11. aliter componit simplex oxymeli quàm Plin. tradit. & eodem libro cap. 5. etiam oxymellis Iuliani conficiendi modũ docet. Pharmacopolia hodie neutrũ eo modo præparant, & corruptissima est in uulgatis antidotarijs descriptio oxymellis Iuliani. Possit autẽ ex Paulo corrigi, si quis in usum uertere uelit. Temperatissima uero quomodo fiat aceti mulsi confectio, Galenus in cõsilio puero ex comitiali morbo laboranti destinato præscribit.

Illinenda frons ex cyphi in frigidioribus, ex crocomagmate in calidioribus.] Cypheos cõpositiones plures fuisse Dioscorides ait, qui lib. 1. unam recenset. Aetius serm. 13. duas habet, alteram ex rebus XXXVI. alteram XXVIII. cõstantem, quas etiam Paulus lib. 7. cap. 22. ponit omnes calidas & propterea in frigidioribus habitudinibus in capitis dolore in febribus fronti rectè illinuntur, uelut etiã Aetius perhibet. Crocomagma uero quod eodem loco Dioscor. describit cõtra calidioribus habitudinibus cõuenit, utpote quod ob crocũ adstringendi ui præditũ, & ob hoc terreũ ac frigidũ, modice refrigerat. Nam alias etiam tum in croco, tum in crocomagmate calida facultas prædominatur.

Arbuti fructus Memecylon græcis appellatus.] Arbutus κόμαρος græcis est, quæ arbor unà cũ fructu suo Memecylo græcis appellato, acerbæ qualitatis est, & stomacho incõmodat, ac capitis dolorem inducit, ut Galen. 7. simp. phar. de ea prodit, & Dioscor. lib. 1. quod ipsum etiam hoc loco de ipso fructu Galenus perhibet, eacp propter in capitis dolore febrili uitandum censet. Verum Plinius lib. 15. cap. 24. ait. Vnedo pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumẽto sit unum tantum edendi, duobus tamen hoc nominibus appellant Græci Comarũ & Memecylon, ex quo apparet totidem esse genera & apud nos, alio nomine arbutus uocatur. Quibus uerbis Plinius quatuor uoces Vnedonem, Comarum, Memecylon, & arbutum, uni arbori ac fructui tradit, cuius tamẽ duo genera esse putat, atque ita etiam lib. 23. cap. 8. sentit. Arbutus, inquit, siue unedo fructum fert difficilem concoctioni & stomacho inutilem. At uero κόμαρον & arbutum eandem arborem esse, eiusq; fructum Memecylon uocari, ex supra citatis Galeni ac Dioscoridis locis clarum est. Vnedonem autem alium esse fructum, & non Comari siue arbuti, sed arboris epimelidis appellatæ, ex eodem Galeno ostendemus. Sexto namq; simp. phar. de Epimelide, ἐπιμηλὶς inquit, acerba planta est, & ut dicere possis syluestris malus, appellatur autẽ à ruralibus in Italia οὐνέδων, hoc est unedo, ac plurimum in calabria nascitur. fructus eius acerbus, stomacho incommodus, & capitis dolorem inducens. Nam peregrina quædam qualitas ei est ammixta. Quæ uerba ex Galeno etiam Paulus trãscripsit, ut dubitari nõ debeat, quin alia arbor sit ἐπιμηλὶς, quæ unà cum fructu suo in Italia unedo appellatur, & alia arbutus, cuius fructus Memecylon græcis dicitur. atq; hoc propterea quod diuersis locis eorundẽ mentio fiat, & hoc ab his autoribus qui æque ut Plin. in Italia uixerunt, quanquã Plinius innuat potius quàm exprimat, duo unedonis genera esse, ut uidelicet alterum de Memecylo, alterum de unedone accipi possit, Sed tamen mox leuiter satis dictum cõfundit quum ait, alio nomine arbutus uocatur. Quare certũ est ipsum existimasse arbutũ & unedonem latinis esse, quod comarus & memecylon græcis, atq; id ut opinor, ob similem uim quæ de memecylo & unedone proditur. Verum ex Galeni uerbis ostenditur unedonem epimelidis fructum esse, Memecylon autem arbuti. Neq; refert fructuũ & arborum appellationes singulatim inter se in suo genere cõfundi. Quin & lib. 2. de alimen

tis

tis idem Galenus manifeste inter Comarum arborẽ, cuius fructus Memecylon appellatur, & inter arbustum aut sentim potius, quæ Epimelidas fert & in Italia unedo appellatur, distinguit ut certũ sit duo diuersa genera Vnedonem & Memecylon esse, quorum αὐτόπτην Galenum fuisse credo, Plinium uero ut nõ adeo circa has res curiosum, ex Græcis tantũ transcripsisse, & in his uelut multis alijs eos non assequutum esse. Porrò Dioscorides lib. 1. alterum genus Mespili in Italia nasci prodit, quod ab aliquibus ἐπιμηλὶς uocetur, ut ex eius uerbis Epimelis & unedo ex mespilorum genere sint, Arbutus uero & comarus ac memecylon sui generis, & ab eis diuersi existant. Epimelis certe frequentissima est hodie ad syluam Hercyniam, fructusq; eius unedo, uulgo eltzbehr appellatur. Hippocrates autem γυναικείων. α. ἀμαμαλίδας uocat, uelut Galenus in glossis eiusdem testatur.

In caput II. de Cephalæa.

MAnifestum igitur est hanc affectionem consimilem aptitudinem capitis ut facile lædatur, uelut in cephalalgicis habere.] κεφαλαία græcis à κεφαλαλγία tum affectus magnitudine tum temporis diuturnitate distinguitur, alias consimilis aptitudo capitis, ut facile lædatur in utrisq; adest, nisi quod in cephalęa maior partium capitis affectarum debilitas contingit, atq; hæc aptitudo græcis εὐπάθεια appellatur, uelut contra dispositio corporis aut capitis quæ non facile, aut minimum læditur, δυσπάθεια & ἀπάθεια dicitur. Porrò quæ sequuntur dolorum discrimina, ad loci affecti cognitionem pertinent, de quibus fusissime Galenus in secundo librorum hoc titulo inscriptorum tractauit.

Propterea quod oculorum tunicæ ex cerebri inuolucris habeant ortum.] De tunicis oculorum itemq; humoribus, quot sint, unde orìatur, & quem præbeant usum ad uisum, doctissime tradit Galenus lib. 10. de usu partiũ humani corporis, tametsi exemplar græcum corruptissimum sit, ut plerìq; omnes eius libri, At uero in immẽsum excrescat horum cõmentariorum magnitudo si eiusmodi omnia explicare uelim, & tamen alio loco commodius hæc res tractabitur.

Per clysteres itaq; reuulsio fit, & ligaturis extremitatũ.] Ostendit aliquos modos reuellendi materiam quæ ad caput in cephalæa repit, uelut sunt clysteris admotio, ligatura extremarum partium, & multa infernarum partium confrictio, sanguinis detractio è cubito, itemq; ex naribus, & euacuatio per hieram exacutam: hæc enim omnia auxilia materiam à capite detrahunt ac reuellũt. Fit autem ἀντίσπασις quam reuulsionem diximus, in contrariam, (sicut deriuatio quæ παροχέτευσις dicitur, in uicinam partem,) atq; hoc secundum omnes differentias locales, uelut Galenus lib. 5. Meth. ait, ἡ δὲ ἀντίσπασις γίνεται ἄνω μὲν ἐπὶ τοῖς κάτω πᾶσι, κάτω δὲ ἐπὶ τοῖς ἄνω, καὶ μὲν δὴ κἀκ τῶν δεξιῶν ἐπὶ θάτερα, κἀξ ἐκείνων ἐπὶ ταῦτα, κἀκ τῶν ἔσω πρὸς τὰ ἔξω, κἀκ τούτων αὖ πάλιν πρὸς ἐκεῖνα. & in comment. super aph. 68. partic. 5. ἡ δὲ ἀντίσπασις ἐπὶ τἀναντία γίνεται. κατὰ μῆκος μὲν, ἄνω καὶ κάτω· κατὰ πλάτος δὲ, ἔνθα καὶ ἔνθα, τουτέστιν ἐπ᾽ ἀριστερά τε καὶ δεξιά. κατὰ βάθος δὲ, ὀπίσω τε καὶ πρόσω. Verũ hoc loco differẽtiam ab internis ad externa reliquit, sicut priore, ab anteriore parte retrorsum, ac uice uersa. & in cõment. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων, reliquit differentiã è latere in latus: ut sint ex toto octo locales differentiæ apud Galenũ, reliquis sex tantum numerantibus, ea quæ ab internis ad externa sit relicta. Porrò reuulsio fit in his quæ adhuc influunt, deriuatio uero fluxionum est quæ iam aliquam partem apprehenderunt, uelut Galenus secundo ad Glauconem ostendit.

Deinde hieram dabimus exacutam.] Hieram exacutã dicit quæ non simpliciter per se, sed cum additione alicuius medicamenti fortioris & amplius lacessentis, exhibetur. Quemadmodum in superiore libro de Alopecia, dixit se aliquando ueratrum nigrum addere, si atra bilis sit expurganda, aut scammoniã si amara

bilis sit euacuãda, atq; hoc significant græca uerba, τὴν ἱερὰν ὀξυνάντας δοτέον. Significat enim hic ὀξύνειν acuere ad materiam amplius irritandam ac lacessendam, quum alias ὀξύνειν etiam acidum facere significet. Galen. 5. simp. phar. ἡ δὲ ἐκ σήπεδόνος ὀξυνούσης ἔχει τὴν γένεσιν, id est, alia uero ex putrefactione acidum faciente generatur. Aetius ser. 9. cap. 21. φυλαττομένων ἡμῶν τὸ γάλα, ἐφ᾽ ὧν ὁ στόμαχος ὀξύνειν αὐτὸ πέφυκεν, id est, Vitandũ lac in quibus stomachus ipsum acidũ facere cõsueuit.

Discutit autem oleum dulcissimum calidum, & magis inueteratũ, itemq; Sicyonium.] Sicyoniũ oleum maxime in Sicyonia parari scribit Dioscor. lib. 1. ut patriam appellationem inde habeat, docetq; eius faciendi modum ex oleo albo, ita ut dimidium eius aquæ affundatur, cum qua bis efferuescat, nulla mentione facta cucumeris ex quo incoctio fiat, & unde alij Sicyonium appellatum putant, ἀπὸ σικύου uidelicet, hoc est à cucumere appellatione ducta. Paulus nanq; lib. 3. cap. 77. sic ait αἷμα δὲ κενοῖ καὶ βλαστήσεως σπέρμα ἐντιθέμενον, καὶ ὁ χυλὸς τοῦ ἐλατηρίου, καὶ τὸ δι᾽ αὐτοῦ ἢ διὰ τῶν ῥιζῶν αὐτοῦ συντιθέμενον σικυώνιον ἔλαιον. Quibus uerbis Sicyoniũ oleum ex elaterio, ipso uidelicet cucumeris syluestris succo, aut eiusdem radicibus componi tradit. Aetius autem serm. 9. cap. 27. non quidem Sicyonij mentionem facit, sed alias olei in quo syluestris cucumeris radix sit incocta, καὶ ἐνεργεῖ τὰς, inquit, προσεγχέοντες σκευασθεῖσαι δι᾽ ἐλαίου, ἐν ᾧ σικύου ἀγρίου ῥίζα ἐναφεψήσεται. Indicauit itaq; Aetius his uerbis Sicyonium simplex, quod ex incoctis oleo radicibus cucumeris syluestris fiebat, Paulus uero tum cõpositum Sicyonium oleũ, tum id quod ex elaterij succo itidem cõpositum est, significat, quorum omnium descriptiones idem Paulus lib. 7. cap. 20. habet.

Cõjcienda etiam ad ea crocodiliadis maximæ iuxta aquas nascentis radix.] Crocodiliadem hic uocat, quam ipse in 7. simpl. phar. itemq; Dioscorides crocodilion appellant, radicem calida & sicca ui præditam, unde & discussoriam facultatem habeat, & propterea in crassis & frigidis capitis humoribus discutiendis commode adhibeatur. Verum hoc loco de maxima & iuxta aquas nascente crocodiliadis radice, hoc est, τῆς παρὰ τὰ ὕδατα φυομένης κροκοδειλιάδος τῆς μεγίστης mentionem facit, ad differentiam, ut puto, chamæleonis nigri, cui similem esse Dioscorides perhibet, qui item longam & leuem crocodilij radicẽ depingit, sed in syluosis locis, hoc est ἐν τόποις δρυμώδεσι nasci prodit, quum Galenus contra, hoc loco circa aquas nasci tradat, Nisi forte in Dioscoride pro δρυμώδεσι, sit legendum ὑδατώδεσι. Plin. certe in fabuletis nasci dixit, quasi ἀμμώδεσι apud Dioscoridem, aut alium quendam græcum autorem, unde ea transcripsit, legisset.

Maxime etiam prosunt sub aquario uase nascentes Aselli, Millepedæ appellati.] Animalia quæ græcis ὄνοι, & ὀνίσκοι, & πολύποδες, hoc est, aselli, & Latinis millepedæ ac multipedæ appellantur, satis nota sunt, ut quæ non solum sub hydrijs & aquarijs uasis, uelut hic ait, nascuntur, sed ubiq; in locis humectis, uelut cellariorum parietibus & fenestris pluuia aut tempestate madefactis proueniũt, itemq; in sterquilinijs generantur, & ad contactum se in globum contrahunt, coloris alias fusci & ad gryseum declinantis, Dioscorides etiam κουβαρίδας appellat. Galen. κυάμους, id est, fabas à similitudine Asianos uocare dicit. Marcellus uero Cutiones, ob cutis ut uidetur, duritiam & soliditatem, cap. 8. & 9. nominat. Verum significantissime ea Galenus infrà lib. 3. describit, his uerbis. ζῶον δὲ πολύπουν ἐν τοῖς ὑδρηροῖς ἀγγείοις καὶ ἐν ταῖς κοπρίαις γεννώμενον, κατὰ δὲ τὰς τῶν δακτύλων ἐπερείσεις σφαιρούμενον. Et Plin. 29. cap. ult. Millepeda ab alijs centipeda aut multipeda dicta, animal est è uermibus terræ pilosum, multis pedibus, arcuatim repens, tactuq; cõtrahens se, oniscon Græci uocant, alij tilon. Quare manifestariũ incurrunt errorem qui ὀνίσκους uermes terrenos esse credunt, propterea quod

hi in

hi in Italia Nisculi, quasi corrupta ex græcis uoce, uulgo appellantur, quum uermes terreni longe alia animalia sint quam Millepedę, & γῆς ἔντερα, hoc est, intestina terræ græcis dicantur, Plinio autem & latinis uermes terreni, & de utroq; genere seorsim Galenus lib. 11. simpl. pharm. & Dioscor. lib. 2. agant. Porrò uermes terreni similes sunt lumbricis, qui aluo & intestinis innascũtur, ἕλμινθες στρογγύλαι, id est, rotũdi græcis appellati. Quare quidã permiserunt sibi etiam uermes terrenos lumbricos appellare, magno errore si quis in rei medicæ usu, pro uerme terreno lumbricum ex aluo humana adsumat, quum uermes terreni exigendis ex aluo lumbricis, in potu ab Aetio præbeantur. Non autem lumbricorum tantum rotundorũ species uentri & intestinis innascitur, sed etiam ἕλμινς πλατεῖα, id est, lumbricus latus, & Ascarides, uelut euidentiss. ab Aetio serm. 9. cap. 39. & sequentibus duobus docetur. Lumbrici autem lati ab eodem ac reliquis græcis medicis κειρίαι appellantur, hoc est institæ, à similitudine quam ad institas habent, qua ratione etiam ταινίαι ab ijsdem uocantur, quod instar fasciarum sint lati ac longi, Cuius generis nuper unum à quodam Northusensi ciue exegi longitudinis cubitorum decem, quæ pars saltem fuit dimidiata unius antea ab eodem progressi, Nam aut integri, inquit Aetius, excernuntur ut incredibilem magnitudinis de se præbeant adspectum, aut etiam prodeunt in partes concisi, Et semel sanè exoluti, non amplius secũdario cõgregantur id quod & ab Hippoc. indicatũ est lib. 4. de morbis quum ait, καὶ αἱ μὲν στρογγύλαι τίκτουσιν, αἱ δὲ πλατεῖαι, οὐκ ἔτι. ut non mirum uideri possit proditum esse à Plinio lib. 11. cap. 33. intra hominem tænias tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine nasci, Illud potius mirum uideri debet, eo Plinij loco, & multis alijs ubi de tænijs mentionẽ facit, neminem hactenus, ex tot doctis uiris quibus Plin. familiarissimus fuit, animaduertisse, tineas falsò pro tænijs irrepsisse. Neq; enim tineæ legendæ sunt apud Plinium, quoties de uermibus & lumbricis intra hominem dicit, sed tæniæ uoce græca, quã de lato lumbrico græcos medicos usurpare dixi, atq; adeò etiam reliquos scriptores. Sic Constant. Cæsar lib. 12. agricul. cap. 27. de nasturtij semine, μετὰ δὲ ἡδυόσμου καὶ οἴνου πινόμενον ἕλμινθας καὶ ταινίας ἐξάγει, id est, lumbricos & tænias exigit. Ita Plin. quoq; lib. 27. cap. 9. de duobus filicis generibus: pellunt interaneorum animalia, ex his tænias cum melle. & paulò post. Melius tænias cum scammonij pari pondere. Longe enim diuersa res est tinea uestium à tænijs alui. de qua re obiter studiosos admonere uolui.

Aut de transmutatione in diuersam speciem quippiam diceret.] Transmutatio in diuersam & aliam speciem μετάπτωσις hic à Galeno appellatur, qua significatur alia affectio ad priorem accessisse, aut priorẽ adeò in aliam degenerasse ac transiuisse: ut ob id etiam alia à priore curatio sit instituenda.

Quemadmodũ enim Hippocrates ait, leue & lene milium existit.] Hæc uerba de Milio Hippocrates lib. 2. περὶ διαίτης ὀξέων habet, ubi in lateris dolore siccũ fomẽtum adhibere iubet ex sale & milio torrefactis ac laneo marsupio exceptis. His uerbis πυρίη δὲ ξηρή, ἅλες, κέγχροι πεφρυγμένοι ἐν εἰρινέοισι μαρσυππίοισιν ἐπιτηδειότατοι. καὶ γὰρ κοῦφον καὶ προσηνὲς ὁ κέγχρος, quod Plinius leuissimum mollissimumq; est, dixit, lib. 22. cap. 25.

Cataplasmatis uero utere ordeacea cruda farina.] ὠμήλυσις & soluta compositiõe ὠμὴ λύσις dicitur à Galeno & reliquis græcis medicis, cruda ordeacea farina per se nulla alia re ammixta, nisi etiam hæc ipsa certis uocibus additis singulatim exprimatur. Imò non solum cruda ordeacea farina per ὠμήλυσιν accipitur, sed etiam triticea, atq; propterea aliquando uocem adijcere solent, quæ certã farinæ speciem indicet, uelut hoc loco Galen. habet καταπλάσμασι δὲ χρῶ κριθίνῃ ὠμῇ λύσει.

ubi κριθίνη adiecit ut certū esset eum de ordeacea cruda farina dicere, quæ tamen etiam per nudam ὠμὴν λύσιν significatur, ut paulò post, ἢ τῇ ὠμῇ λύσει δ' ὀξυμέλιτος γινομένη, id est, aut cruda ordeacea farina cum aceto mulso apparata. Infra lib. 4. huius operis de Chemosi, tum ordei, tum tritici appellationes ad ὠμήλυσιν adijciuntur, ἢ τῇ ὠμηλύσει κριθίνῃ ἢ πυρίνῃ ἐν γλυκεῖ ἑψημένῃ, id est, aut cruda farina ordeacea siue triticea in passo cocta. Quin ὠμὴ λύσις non solum de farina cruda ordeacea siue triticea usurpatur, sed de omni cruda farina in uniuersum. Sic Galenus infra lib. 6. cap. 3. καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιτήδειον, τὴν δὲ κριθίνου ἀλεύρου, ἢ δὲ λινοσπέρμου, ἢ τῆς λεως, ἢ καὶ μίγμα ἐκ τούτων. Quod autē dixi significari per hanc uocē crudā farinam per se, nulla alia re ammixta, ex hoc palàm fit, quod ubicꝗ in eius usu res & liquores addūtur, cum quibus ea ipsa farina subigi excipiꝗ ac parari & coqui debeat. Neꝗ accipiendū ὠμὴν λύσιν semper significare crudam ordeaceā farinam aqua ac oleo subactā, quod in corruptissimo εἰσαγωγῆς libello Galeno indigno legitur. Hippoc. 2. de morbis ἔξωθεν τε καταπλάσσειν ἢ αὖ ἀκρίδας, ὠμήλυσιν ἐν οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ ἑψῶν χλιαρήν. & infra lib. 5. cap. 9. de fomentis dentiū. ἢ καὶ ἐπιθέματα δὲ τῶν χωρὶς ὑδάτων, ὡς τὰ δι' ὠμῆς λύσεως εἴτε κριθίνης, εἴτε λινοσπέρμου. Videtur aūt ὠμὴ λύσις appellata ad differētiam ἀλφίτων, hoc est polentę, quæ ex ordeo tosto fiebat, atꝗ hoc est quod Plinius lib. 22. cap. 25. ait, Polēta à farina ordei distat eo quod torretur. Verum polentæ parandæ modos Plin. lib. 18. cap. 7. tradit. Porrò non dissimilem polentæ parādæ modū Aetius serm. 10. cap. 29. tradit, sed sic paratū ordeū βύνην appellari ait. τῶν στελλουσῶν δὲ inquit, τὰ οἰδήματά ἐστι καὶ τὸ λεγόμενον βύνη. ἔστι δὲ κριθὴ βεβρεγμένη καὶ βλαστήσασα καὶ πεφρυγμένη μετὰ τῶν γλωσσιδίων, καὶ καταπλαττομένη. hoc est uelut nos uertimus. Ex eorū quæ tumores cohibent numero, est & id quod Byne appellatur: Est aūt ordeum madefactū quod germen emisit, & deinde unà cū enatis ligulis tostū est: si tritū pro cataplasmate imponatur. His uerbis Aetius planè describit ordei præparationē, quomodo per omnem Germaniam ac Galliam ad zythum siue ceruisiā, ut uocāt, coquendā parare solent. Neꝗ scio alium qui bynen, hunc parādi modū appellet, uulgo nostrati Maltz appellatur, digno literis nomine, utpote cuius beneficio fit, ut Bacchi indignationē ac numen à nobis auersum mitius feramus. Alludit autē ad bynen appellatio germanica ipsius ceruisiæ. Vna enim tantum litera mutata, byre dicimus.

Nilei quidē igitur pharmacū quod ad emplastri formam paratum est.] Nilei pharmacū emplastriforme à Paulo lib. 7. cap. 18. inter malagmata recēsetur & infrà lib. 8. cap. 5. ab Asclepiade. Est & aliud eiusdem Nilei siue Nili medicamētum oculare forma collyrij ex rosis cōstans, ad cuius differentiam illud ἐμπλαστῶδες dixit, hoc uero idem Paulus eodē libro cap. 16. habet, & Aetius serm. 8. cap. 1. meminit. Porrò ἐμπλαστῶδες medicamentū dicitur, quod in massæ formā coactum, commode ita per se imponi potest, aut etiā in malagmatis formā dilui ac liquoribus additis resolui, atꝗ hæc est propria emplasti medicamenti forma, & inde appellatio, quam tamen adiecta litera ρ. non emplastū, sed emplastrū, tum Græci tum Latini, per usum inualescentem appellare cœperunt, ut Galen. lib. 1. compositionis phar. κατὰ γένη, ostendit.

In sola Alexandria Perseæ arborē uidi.] Perseam arborem Galenus hoc loco se in sola Alexandria Aegypti uidisse ait. Quod ipsum satis cōmonstrat aliam arborem Perseam esse, ꝗ quę Persica poma fert, quam Galeni seculo certū est per omnem Italiam Asiamꝗ ac Græciā notissimā ac frequētissimam fuisse. Verum hoc adhuc manifestius fit ex libro eiusdē de alimētis, ubi primū de persicis, et postea seorsim de Persio malo tradit hæc uerba. εἶδον δὲ τοῦτο τὸ φυτὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῶν μεγάλων ὂν καὶ αὐτὸ δένδρων. ἱστοροῦσι δὲ τὸν καρπὸν αὐτοῦ μοχθηρὸν οὕτως ὑπάρχειν ἐν τοῖς

σαις

σαις, ὡς ἀναιρεῖν τοὺς φαγόντας, εἰς αἴγυπτον δὲ κομισθεῖσα, ἐδώδιμόν τε γενέσθαι παραπλησίως ἐσθιόμενον ἀπίοις τε καὶ μήλοις, ὧν καὶ ἔχει τὸ μέγεθός ἐστι. Hoc est, uidi & hãc plantam in Alexãdria, quæ & ipsa magna arbor existit. Narrant autem quidam fructũ eius adeò uitiosum ac pniciosum in Persis esse, ut in cibo acceptus interficiat, In Aegyptum uero translatum, comestilem factum esse, ut qui eodem modo, uelut pira & mala edatur, quorũ etiam magnitudinẽ habet. Quin & libris simp. pharm. seorsim de persica malo, & de persea arbore tradit, quod etiam ante eum Dioscorides fecit. Atq; hanc diuersitatem etiam Plinius indicauit, quum lib. 15. cap. 13. sic inquit, Persicæ arbores sero & cum difficultate transiere, ut quæ in Rhodo nihil ferãt, quod primũ ab Aegypto earũ fuerat hospitiũ. Falsum est uenenata cũ cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Aegyptum, & terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, myxis rubescẽtibus similis, nec extra orientem nasci uoluit, Eam quoq; eruditiores negauerunt ex Perside propter supplicia translatã, sed à Perseo Memphi satã, &c. Cæterum quod Plinius hic non ex Perside translatam, sed à Perseo Memphi satam ait, Id Nicãder in Alexipharmacis ad Mycenas transfert, Nimirum non in Memphi Perseum Perseam plantasse, sed Mycenis, his uersibus tradens,

καί τε κατατριφθέντα μετ' ἀργῆεντος ἐλαίου
σκληρὰ ἀπὸ περσείης κάρυα βλάβος οἶον ἐρύξει
περσεὺς ἥν ποτε ποσσὶ λιπὼν κηφηΐδα γαῖαν
αὐχένα ἀποτμήξας ἅρπῃ γοργόνα μεδούσης,
ῥεῖα μυκηναίοισιν ἐνηέξησεν ἀρούρης κηφῆος νέα δῶρα. hoc est

Hancq; nuces poterint Perseæ pellere noxam
Duræ, si tritas oleo albo in pocula uertas,
Hanc quondam Perseus linquens Cepheia rura,
Quando Medusæum curuo caput abstulit ense,
Grata Mycenæis conseuit munera in aruis.

Quanquam hoc loco Perseæ nuces à Nicandro pro persicorum nucleis dictæ uideãtur, Nam Dioscor. lib. 6. contra Cerusam περσικῶν ὀστᾶ exhibere iubet, ita etiam Paulus lib. 5. cap. 59. Sicut hoc loco cõtra eandem Nicander περσέας κάρυα habet, ut ipse adeò Nicander inter perseam & malum persicã nihil discriminis nouerit, & uel contra ipsum imprimis dictum esse credibile sit quod Plinius scripsit. Porrò idem Nicander in Theriacis de Cranocolapte phalangij genere 8. ait, id Phalænæ muscæ circa faces noctu obuolitanti simile esse, & Perseæ folijs innutriri, τῷ ἴκελος, inquit, περσείοις ὑποστρέφεται πετάλοισι. quod ipsum etiã Dioscorides de Persea arbore tradit, ἐφ' ἧς, inquit, τὰ λεγόμενα κρανοκόλαπτα φαλάγγια εὑρίσκεται. Verũ ex hoc loco nihil argui potest, quod persea eadem arbor sit quæ malus persica, quod ex Alexipharmacis tamen citato antea loco apparet ipsum Nicandrũ existimasse. At uero Interpres Nicandri hoc loco Sostratũ citat, qui scripserit Perseam Rhodaceneam uocari, & ex Aethiopia in Aegyptum transplantatam esse, sed adscribam eius uerba, ἱστέον δὲ ὅτι Σώστρατος ἐν τῷ περὶ βλήτων ἢ δακέτων τὴν περσέαν, ἣν ῥοδακηνέαν καλοῦσι, φησὶν ἀπὸ αἰθιοπίας εἰς αἴγυπτον μεταφυτευθῆναι. His itaq; uerbis indicatur, tum Sostratum, tum interpretem Nicandri Perseam & malum persicam, eandem arborem putasse. Nam Rhodacenea non est alia quàm malus persica, & fructus etiam, hoc est ipsa mala persica, Rhodacena appellantur. Paulus lib. 1. cap. 81. Postquam mala persica mali humoris facileq; acescentia ac corruptibilia dixit, subdit τὰ δὲ πρεκόκκιά τε καὶ ῥοδάκινα καὶ ἀρμένια κρείττονα τῶν περσικῶν, οὔτε γὰρ ὀξύνεται, οὔτε ὡσαύτως διαφθείρεται, hoc est, Præcocia uero & Rhodacina & Armenia, meliora sunt Persicis, neq; enim acescũt, neq; similiter corrumpuntur. Quanquam in exemplari græco uulgato δωράκινα pro ῥοδάκινα falsò le-

gantur, quod etiam ex doctiſſimo eius libri interprete Copo uidere eſt, qui ῥοδάκινα in ſuo exẽplari & legit, & uertit. Cæterum præcocia & Rhodacena itemq; Armenia ex genere Perſicorum eſſe Galen. lib. 2. de alimentis apertis uerbis dicit, unde hęc etiã Paul. tranſcripſit, Tametſi in Galeno præcociorũ tantũ & Armeniacorũ, non etiã Rhodacenorũ nomẽ legatur, At uero uelut apud Paulũ δωράκινα falsò pro ῥοδάκινα legitur, Sic etiã apud Plin. Duracina pro Rhodacenis, tribus locis ſuppoſititia habentur. Velut lib. 15. c. 12. Sed Perſicorũ palma Duracinis, legendũ eſt Rhodacenis. & eiuſdẽ libri cap. 28. Spumeus malis, nullus Perſicis, quũ præſertim Duracina abũdent ſucco, ſed quis eiuſullum dixerit colorẽ: ubi itẽ Rhodacena pro Duracina legendũ eſt. Et eodẽ cap. paulò inferius. Quorundã generi utrunq; eſt natura, ut Perſicis. Etenim Duracinis adhęret corpus, e ligno q; auelli nequit, quũ cæteris facile ſeparẽt. Vbi rurſus pro Duracinis, Rhodacenis ſubſtituendũ. Suſpicor aũt in Paulo δωράκια à quopiã ex Plinio eſſe ſubſtituta pro ῥοδάκινα, quũ multo rectius quis ex uera Pauli lectione, ῥοδάκινα etiam ad Pliniũ trãſtulerit, atq; ipſa pro Duracinis ſubſtituerit, uelut ſatis eſt commonſtratũ, quũ iuxta Soſtratũ Rhodacena perſicæ mali genus appelletur, quæ utiq; etiã δωρακινὰ appellãda eſſet, ſi δωράκινα rectè apud utrũq; autorẽ Paulũ inquam & Pliniũ legerẽtur. Verũ quod apud Plin. Duracina leguntur pro Rhodacinis, nõ utiq; ipſi Plinio imputandũ eſt, ſed alicui ſemidocto, qui nõ intellecta, neq; alicubi lecta, Rhodacenorũ appellatione, mox in eã ſuſpicionẽ uenit, Duracina legi debere, ob oſſiũ uidelicet duritiã, Quomodo uidelicet Duracina uua, & Duracina ceraſa apud eundẽ Pliniũ legũtur. Nõ quidẽ ob oſſiculorũ aut granorũ duritiam, uelut ille exiſtimaſſe uidet, ſed propter ipſius fructus denſitatẽ, qui Acinus ueteribus omnibus appellat uelut alio loco oſtendi. Neq; recẽs eſt hæc ſuppoſitio, ut alicui claro nomini imputari poſſit, quãdo etiam Palladius Pliniũ, ut puto ſequutus, aut ſimiliter à quopiã corruptus, cũ alibi, tum lib. 12. cap. 7. Duracina & nõ Rhodacena inter malorũ perſicorũ genera recẽſeat, ut inde etiã ad poſteros Duracinorum appellatio ſit propagata uelut genuina. Porrò meminit Rhodaceneæ arboris Aetius ſerm. 13. c. 118. uelut alibi de Hypno citaui. fructus uerò Rhodacenorũ meminit etiã lib. 1. de perſica malo agens, ubi apertè Rhodacenon appellari eius fructũ teſtatur. Et Paulus lib. 3. cap. 6. ſed tamen itid' in δωρακινῶν pro ῥοδακινῶν falsò legitur. Quemadmodũ etiã apud Conſtantinũ Cęſarẽ lib. 10. agricul. δωράκινα pro Perſicorũ genere legũtur, Sed in ea tamẽ tractatione ſemel ῥοδακινῶν ſcriptũ habetur, quod rectè legi, pro ſuppoſititio in præcedẽtibus δωρακινῶν, iam puto ſatis declaraui. Nempe ῥοδακινῶν appellationẽ ex ῥοδακινέα arbore Soſtrato & Aetio dicta, ductam eſſe, & hanc ipſam nõ à latinis duracinis græcos mutuatos eſſe, ſed latinos ex græcis Rhodacenis, itẽ Rhodacena dixiſſe. Verum per ignorantiã, aut nimiã ſedulitatẽ aliquorũ etymi ſtudioſorũ, Rhodacena in Duracina trãſiſſe. Videtur autẽ mihi appellatio ea omnino à Rhodo deducta eſſe, quod primum ab Aegypto perſicarum arborũ fuit hoſpitiũ, ueluti Plinius dixit. Quomodo Damaſcena à Damaſco ſunt appellata.

At uero in uehemẽter inueteratis Sinapi ut moris eſt adhibe. & perure.] Vltima auxilia in capitis dolore penitus inueterato ſunt Sinapiſmus & uſtura. Imponitur aũt ſinapi in omni antiquato dolore, ubi ex alto ad ſuperficiẽ extrahere uelimus, atq; id aliquãdo ficubus ammixtis facimus, ita ut impoſita ſinant ad rubefactionẽ locorũ, aut etiã ulceratiõẽ. Quomõ ſanè etiã in capitis dolore inueterato adhibẽdũ eſt, q̃d Gal. hic ὡς ἔθος συνεϑίζω, hoc eſt pro cõſuetudine ſinapi imponere dixit. Quod ſi neq; ſic ceſſet dolor, uſtio p ferramẽta igne cãdefacta faciẽda in locis ubi maximè dolor hęret, uelut etiam Cor. Celſus lib. 4. cap. 2. tradidit.

Ad eiuſmodi pharmaca uelut ad ſacrã appellatã anchorã cõfugiũt.] Ad ſacrã

anchorã cõfugere prouerbio dicũtur, qui ad ſupremũ auxiliũ, rebus planè deſperatis, feſtināt. Translatione à nautis ſumpta qui anchorã ſacrã appellatã non eijciũt, niſi in extremo periculo. Nã ubi ea eiecta eſt, tota nauis eo fulcro ſuſtentat, quod ipſum ſi tẽpeſtate urgente arenis impactũ hereat, aut à rudẽtibus nauticis auellatur, ita ut recipi intra nauẽ nõ poſſit, nihil reliqui eſt quo fulciri nauis poſſit, quo minus à uẽtis ſubuertaŧ, niſi procellarũ tẽpeſtate mitigata in portũ aliquẽ ſecũdo uẽto ac fato appellere cõtingat. Et propterea non niſi ſummo diſcrimine ea anchora eijciŧ, in alias neceſſitates alijs tribus aut quatuor paratis, quæ ſi etiã eiectæ recipi nõ poſſint, quãuis horrẽda res ſit, tamẽ non penitus deſperata, quũ aliarũ copia ſuperſit, quibus rebus urgẽtibus eiectis rurſus nauis ſtabiliri queat. In ſumma Sacra nõ eijcitur, niſi in reliquis parũ fiduciæ ſit, & diſcrimẽ ultimũ cogat, adeò ut quũ ego ſexies Oceanũ magnũ tum orientalẽ, tum occidẽtalẽ, ultra citraq; trãſmiſerim, nõ niſi ſemel eijci uiderim, in Amaſis oſtiũ, nautis eò deſugere ex immẽſo Oceano cõpulſis, quũ iam unã ex uulgaribus anchoris abruptã reliquiſſent, & in duabus reliquis tantũ præſidij nõ ſperarẽt. Hoc itaq; loco Galen. medicos affectiõis rudes ad pharmaca ultima, uelut ad ſacrã anchoram, mox feſtinare ait, quũ tamẽ ea ipſa non niſi in frigida intẽperie uel ꝑ ſe, uel etiã ſimiliter frigidis humoribus ammixtis, adhibẽda ſint, & tamẽ ſic per ignorantiã eoſdẽ ſæpe proficere ait, atq; hoc ꝓpterea ꝙ plerięq; homines ob uitiatã diætã in huiuſmodi affectiones collabãtur. Eiuſdẽ Archigenis amuleta quæ capiti coronę modo circũpoſita. περιάμματα itemq; περίαπτα dicunŧ quę corporis partib. quibuſcũq; circũligata, eas à noxa tutantur, malaq; amoliũtur, ut περίαμμα id ſignificet quidẽ quod latinis Amuletũ, ſed tamẽ Amuleti uox nõ ἐκ τοῦ περιάμματος, ſed ἐκ τοῦ ἀποτροπαίων facta eſt. Sunt enim ἀποτροπαία magis ſpeciali uoce appellata, ea quæ appenſa alligataq;, incãtamenta magica & uenenorũ inſidias arcent aut inefficaces reddunt. περίαπτα uero generalẽ ſignificationẽ habent, à circũligando aut circũponendo, atq; in hoc amplius ab ἀποτροπαίων differũt, ꝙd hęc mirabili quadã cõtrarietate, quę homines lateat, ſuũ effectũ prębẽt, illa uero iuxta medicã rationẽ. Quomodo ſanè hic Gal. ex Archigene adducit περιάμματα ad dolorẽ capitis ſedandũ efficacia, ſi capiti obligentur aut coronę modo imponãtur, Reprobat enim ipſe Galen. ex his quæ Archigenes tradit, ea quæ nõ medica aliqua ui, ſed portẽtoſa amoliẽdi ratione ab illo ſunt ꝓdita, atq; propterea περιάμματα quę obligamẽta ſonant, in dolore capitis rectiſſime per coronas latinis reddũtur, Nã ipſe Galen. ea ϛέφειν & ϛεφανοῦν iubet, hoc eſt circũdare, & coronæ modo imponere, ut planè generalẽ quandã medicã rationẽ in his corollis eſſe indicet, quę per cõtactũ capitis cõtingat, & nõ mirificã amoliẽdi uim, per ꝑſentis rei utcũq; appenſæ naturalem contrarietatẽ contingentẽ, quæ ut ſuperſtitioſa, eſt à Galeno reprobata. Quin & Dioſcor. lib. 4. de Hippogloſſo quũ ait, δοκεῖ δὲ ἡ κόμη περίαμμα εἶναι χρήσιμον κεφαλαλγοῦσι, nihil aliud uult ꝙ Hippogloſſum coronæ modo impoſitã aut obligatã capitis doloribus ꝓdeſſe, & rectiſſime eũ locũ Plin. intellexit & uertit li. 27. c. 11. Capitis dolorẽ corona ex his impoſita minuit. περίαμμα enim coronã dixit, Nã hãc ſignificat potius ꝙ mõſtroſam amolitionẽ, atq; hoc modo etiã de philanthropo idem Plin. 24. c. 19. dixit. Ex hac corona impoſita capitis dolores ſedãtur, ꝙd auxilium etiã Gal. hoc loco ex Archigene producit, ἔπι, inquit, μετ᾽ ὀλίγου τῇ φιλανθρωπέιῳ βοτάνῃ ϛέφειν κελεύει, hoc eſt philanthropo herba coronari iubet. Cęterũ mirificę amolitionis ſignificatione περίαμμα ipſe Dioſcor. eodẽ libro de uerbenaca ſupina uſurpauit. καλοῦσι δὲ αὐτὴν ἱερὰν βοτάνην διὰ τὸ εὔχρηστον ἐν τοῖς καθαρμοῖς εἶναι εἰς περιάμματα. hoc eſt appellant ipſam herbam ſacram propterea quod commoda ſit in expiationibus ad amuleta. Hoc enim loco non aliqua medica uis uerbenacæ oſtẽditur, ſed planè ſuperſtitioſa efficacia, qua externas incantationes expiet &

amoueat. Cuius efficaciæ res, frequentissime apud Plinium amuleta appellantur.

Deinde philanthropo herba coronari iubet, & palmulæ masculæ cortice sum mo.] Philanthropos herba est quę & Aparine Dioscoridi, Galeno, itēq; Plinio dici tur. Verū quē ego hic palmulę masculę corticē summū dixi, φοίνικος ἄῤῥενος σεβένιον Archigenes uocauit, est enim σεβένιον, τὸ ἐπ' ἄκρῳ τῷ φοίνικι φλοιῶδες γεννώμενον, ut Hesychius tradit, Hoc est, Sebenium est corticosum id quod in summa palmula enascitur. Quibus uerbis indicatur, σεβένιον plane id significare quod ἐλάτη siue σπάθη in palma dicitur, quod ipsum Dioscorides περικάλυμμα, id est, operimentum fructus palmæ recentis & adhuc florētis esse dicit. Galen. uero. 8. simp. phar. ἀμφίεσμα, hoc est, indumentū seu tectoriū uocat, quanquā in exēplari uulgato ἀφέψημα, pro ἀμφίεσμα corrupte legatur. Videturq; σεβένιον diminutiua forma ἀπὸ τῆς σαβάνης factū esse. σάβανον enim pannus asperior qualis est qui à balneis circūdatur ad corpora abstergenda, à medicis græcis appellatur, Oribasio & Aetio ser. 12. cap. 11. item Marcello latino medico, ac Palladio. Quanquā apud Hesychiū non σάβανα sed σάγανα legantur, exponanturq; σκεπάσματα & περιβόλαια, hoc est, operimenta et amicula, ut ex Sago latino facta uideantur σάγανα. Verū ad similitudinem σαβάνου uelamenti à balneo, σεβένιον operimentū palmulæ dictum esse diminutiua forma apparet. Porrò nō solū hic summus cortex palmulę ἐλάτη appellatur, sed ipsum adeo recens palmulæ fructus germen ut Galen. ait, ὃ δὲ καλοῦσιν ἐλάτην τὸ ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τοῦ φοίνικος. Idem Dioscor. καὶ ὁ περιεχόμενος δ' ὑπὸ αὐτῆς καρπὸς ἐλάτη καλεῖται. hoc est, contentus in ipso cortice fructus itidem elate dicitur. Cæterum quod à Galeno ἐγκέφαλος in eadem palmula dicitur, id ab eodē. 2. de alimentis, uertex & summitas palmæ appellatur. καθάπερ ἔνιοι inquit, ἐθίζουσι τὴν κορυφὴν τοῦ φοίνικος, ἣν ὀνομάζουσιν ἐγκέφαλον αὐτοῦ. At uero quod à Dioscoride ἐγκάρδιον uocatur, omnino aliud est, medium uidelicet in eius ligno, tertium à cortice. ἐγκάρδιον enim uocabulo etiā alias mediū alicuius rei, & quasi corculū aut medulla appellatur, quomodo græci medici etiam ἐγκάρδιον τῆς σκίλλης scillæ internam partem uocant. Ipse autem Plinius palmulæ ἐγκέφαλον, cerebrum dixit.

Amplius uero & Oesypū, hoc est, lanæ sordes, atq; ipsæ adeò lanæ sordibus sudoris succidæ.] Oesypus & Oesypum neutro genere ut Plinius dixit, sunt sordes pecudum sudorq; fœminum & alarum adhærentes lanis, Quæ lanæ succidæ propterea appellatur quod sudoris sordibus & succo sint imbutæ, Græcis autem ἔρια οἰσυπηρὰ & ῥυπαρά, hoc est sordida, & Oesypo imbuta, ἀπὸ τοῦ ῥύπου καὶ οἰσύπου appellationibus factis. Sonat autem ipsa uox οἴσυπος ouium sordes, quæ quo modo ex ipsis lanis eluantur Dioscorides lib. 2. docet, & Plinius lib. 29. cap. 2. Cæterum quod annotatu dignissimum uisum est. Apud græcos medicos ferè omnes, & in plerisq; omnibus locis in quibus οἰσύπου mentio fit, ὑσσώπου legitur, & similiter ὑσσωπηρὰ ἔρια legūtur pro οἰσυπηρά. Neq; apud græcos solū, sed etiā apud Latinos, Pliniū inquā & Celsum, hyssopū aliquot locis pro Oesypo legitur, magno omnino errore, si quis hyssopū herbā, pro Oesypo lanę sordibus accipiat, aut uicissim Oesypū pro hyssopo exhibeat, quū diuersissimæ res sint genere, forma, uiribus, & tota natura. Et tamē Interpretes omnes qui nobis hactenus græca transtulerunt, ubiq; ex uitiatis exemplaribus græcis hyssopum pro Oesypo reddiderunt, neq; quisquam in hunc diem admonuit de suspecta lectione, sed simpliciter ὕσσωπον pro οἴσυπον, falsò in græcis exemplaribus excusum, itidem Latinis tradiderunt, ut uidelicet etiam Latini hyssopum pro Oesypo legamus, sed magno omnino errore usurpemus, si ita contingat uti. Ego aliquot saltem locos indicabo, quos maxime cupiam emendatos, & qui excusari queant per exemplarium græcorum corruptionem, sed tamen ut Interpretes se uix à supinitate & festinabunda negligentia defendere possint, etiā si ignorantiæ suspicionē effugiāt.

Apud

Apud Galenum itaq; lib.11.simp.pharm. περὶ ἐρίων ὑσσωπηρῶν legitur falsò pro οἰσυπηρῶν, & ibidem διὰ τὸν ὕσσωπον, & rursus, ἔχοντα τὸν ὕσσωπον falsò habetur pro οἴσυπον, quod utrinq; est substituendũ. Sic etiã apud eundẽ 13. Meth. legit ὁ χεῖρον ἢ αὐ ἔν καὶ τὸ ἀττικὸν ὕσσωπον τῷ τε καταπλάσματι καὶ ταῖς κηρωταῖς μιγνύναι, ubi pro τὸ ἀττικὸν ὕσσωπον legendũ est τὸν ἀττικὸν οἴσυπον, uelut ex eiusdẽ operis lib.14. apparet, ubi ait ὅτι ἢ ἀμείνων ὁ ἀττικὸς οἴσυπος ἁπάντος ἄλλου, κἂν ἐγὼ μὴ λέγω, γινώσκεις, quanquam ibidem paulò post etiam ὕσσωπον pro οἴσυπον sit excusum. Sic etiã hoc opere de comp.pharm. secundũ locos, frequẽtissime ὕσσωπος pro οἴσυπος expressum est, uelut infrà lib.9.cap.6. in pharmacis sedis aliquoties, & hoc adeò loco quem iam interpretamur, habetur ἔτι δὲ ὑσσώπος, quod nos diximus amplius autem & Oesypũ, &c. Porrò apud Paulum & Aetiũ itemq; Oribasiũ quem tamen totum nondũ uidi, tam frequens est ὕσσωπος pro οἴσυπος, ut ex tam multis locis nõ libeat paucos indicare, admonitos tantũ uolumus medicinæ studiosos, eamq; exercentes, ut si in has uoces incidant, diligenter perpendant utra ex his duabus ad præsentem & subiectam tractationẽ cõueniat, Quũ hac parte etiam Plinius non sit integer, atq; haud scio an alicui alteri quàm illi ipsi ea fraus sit imputãda. Nam ut apud Græcos facile fuerit οἴσυπος in ὕσσωπος ob literarũ uicinitatem prolabi: Ita non est in eum lapsum in latinis procliuitas, quũ hyssopus planè aliter quàm Oesypus scribatur, nisi quis omnino per temerariam ignorantiam incitatus, pro Oesypo sibi ignoto, hyssopum substituisset, Verum eò magis inclinat suspicio ipsum Pliniũ ex ὕσσωπος in græcis lecta ac iam tum eius æuo corrupta uoce, hyssopum bona fide uertisse, hoc est errorẽ ex errore propagasse, nõ quidẽ per ignorantiam, Nam etiã aliquot locis integre Oesypũ descripsit, sed per supinitatẽ & oscitantiã, aut certe præscriptæ lectionis reuerentiam, quam mutare religio ipsi fuit. Sic itaq; lib.29.cap.9. habes. Medicorũ aliqui admixto anseris adipe, taurorumq; seuo & hyssopo ad podagras uti iubent. Quo loco Oesypo pro hyssopo substituendũ est. Nam hyssopi herbę hoc loco nullus est usus. Et eodẽ lib.cap.19. Mulierũ purgationes adiuuat fel taurinũ lana succida appositũ, Olympias Thebana addidit hyssopũ & nitrũ. Hic rursus Oesypum pro hyssopũ substituẽdum est. Oesypus enim ἔμβρυα καὶ ἔμμηνα ἐν ἐρίῳ προστιθέμενος ἄγει, inquit Dioscor. hoc est fœtus & menses in lana appositus ducit. Et lib.29. cap.6. fel anserinũ sanguis anatũ, contusis oculis, ita ut postea hyssopo & melle inungantur. Quo loco item Oesypo pro hyssopo legendũ est, ut ex eodẽ Dioscoride itẽq; Galeno patet, qui in hunc usum Oesypũ & non hyssopũ habent. Et lib. 26.cap.14. Sicut ad ulcera manantia hyssopũ. legendũ est Oesypũ. Verũ suffecerint hi loci his qui Plinium studiose legũt, & aliquãdo imitari solent. Neq; enim cũ his sentio qui Pliniũ penitus è medicorũ numero reijciunt, de quibus tamẽ ipse Plinius non multũ sit sollicitus, Verũ ego sentio pleraq; esse apud Plinium quæ rectissime possint in usum assumi, & quæ felicius quis æmuletur, q̃ uulgares aliquot practicos, ut hodie uocant, quũ omnia sua ex grecis medicis descripserit, & pleraq; in his Galeni libris reperiantur, prius à Plinio tradita. Nimirũ quũ uterq; & Plin. & Gal. alter latine, alter grece, ex prioribus medicis sua trãscripserint, uelut ambo ingenue testatur. Quin & Cor. Celsus eadem labe contaminatus est, sed quæ nõ ipsius Celsi culpa, sed alicuius transcribẽtis & temere mutãtis uitio cõtigit. Celsus enim ex professò medicinam scripsit, neq; Oesypum ignorare potuit. Locus est lib.5.cap.19. in Enneapharmaco emplastro, ubi ait, Constat ex nouem rebus, cera, melle, seuo, resina, myrrha, rosa, medulla uel ceruina uel uitulina uel bubula, hyssopo, butyro, &c. ubi pro hyssopo nullius in hoc emplastro usus, Oesypo locandum est. Quemadmodum inter easdem nouem res per rosam, rosaceum accipiẽdum est,

forte

forte quod integram uocem scriba aliquis decurtarit, qui satis manifestum putauit, hoc loco rosaceum accipiendum esse, etiam si non integre scribatur. Quanquam rosa pro rosaceo nõ solum hoc loco, sed per totum Celsi itemq; Scribonij opus legatur & aliquoties etiam apud Pliniũ, eodem scribẽdi compẽdio, quamuis satis dispendioso, quũ etiã doctis rosam ipsam conijciendam esse uideri aliquoties possit. Porrò ex Oesypo pharmacum compositum fit, quod Græci medici aliquando οἰσύπου φάρμακον, aliquando οἰσύπου κηρωτὴν, aliquando οἰσύπου κηρωτοειδῆ, aliquando οἴσυπον ὑγρὸν uocant, atq; hæ appellationes omnes à forma medicamenti, quod ad cerati liquidi modũ paratur, sunt deductæ. Componendi autem modum docet Paulus lib. 7. Sed tum in hoc Pauli loco, tum in alijs plerisque omnibus itidem ὕσσωπος pro οἴσυπος falsò legitur. Sunt autẽ promiscui usus Oesypus per se, & pharmacum ex eo constans, uelut Galen. lib. 14. Meth. tradit his uerbis. καὶ τοίνυν καὶ ἡ δι' αὐτοῦ κηρωτὴ τῶν ἅπασι γινωσκομένων ἐστὶ φαρμάκων, καὶ χρῶνταί γε πάμπολλοι κατὰ τῶν ἐν ὑποχονδρίῳ φλεγμονῶν ταύτῃ, καὶ ταύτης οὐκ ἐμβάλλων ὅταν οἴσυπον μὴ παρῇ, τὸ δίεον ἐργάζῃ. Quin & hodie in aliquibus pharmacopolijs hyssopus humida habetur pyxidibus inscripta, & humidam ad differentiam hyssopi herbæ aridæ dictã uolunt, qui forte de re ipsa nihil sciunt, quũ non hyssopus humida ea res, hoc est lanarum sordes sit appellãda, sed Oesypus liquidus, ut iam plus satis est ostensum. Hippocrates porrò lanas succidas etiã ἔρια πινόεντα uocat, & ἔρια πινώδη, Nã & πίνος uox Oesypi ac sordiũ significationẽ habet.

Et per suturæ adductionem, tanquam non sit denudatum curabimus.] Duplicem hoc loco Galenus capitis uulnerum adducendi modum ostendit, quorũ alterum ἀγκτηριασμὸν appellat, alterum κατὰ ῥάξιν. Modus per ἀγκτηριασμὸν, hamulis seu fibulis impositis fit, Nam his caro hians adducitur, uelut etiã supra ex Celso ostendi. Modus uero κατὰ ῥάξιν, quem per suturæ adductionẽ appellauimus, per acum fit quæ uulnerum oras propius iungit, unde etiam κατὰ ῥάξιν, quasi dicas iuxta acum siue acus admotionẽ, fieri is modus dicitur. Est enim ῥάξις à uerbo ῥάσσω, quod acuo & acum trãsigo significat, & nõ à θίγω per iota, quod tango est, unde etiam θίξις tactus uel cõtactus, quæ uox hoc loco nullum locum habet, quod tamen uetus existimauit Interpres. Porrò si suturę non teneant, nec permaneant, tertium curationis modum κατὰ συσσάρκωσιν adhibendum præscribit, qui fit aridis pharmacis carnẽ gignentibus inspersis, uelut itidẽ suprà indicaui. Quæ uero sint talia, & qua facultate prædita, eorumq; differentiam, Galen. lib. 3. Meth. & Paulus lib. 7. cap. 13. habet. faciũt enim omnino ut caro concrescat, & cicatrix inducatur, unde quoq; appellationem hæc curatio accepit. Appellatur autem & συσσάρκωσις, ubi in uitio herniæ carnosæ, quã σαρκοκήλην Græci, & uulgus chirurgorum nostrate Carnoffel uocãt, partes scroti, tunicæ uidelicet, aut uasa, aut testes, cum carne enata coalescunt & concrescunt. uelut Paulus lib. 6. cap. 63. declarat. Quin & naturalis ossiũ συσσάρκωσις, Galeno in libro de ossibus appellatur, quando carnium interuentu ex natura coalescũt. Etenim iuxta σύμφυσιν, quæ est naturalis ossiũ unio, ossa quædã inuicem uniuntur ac coalescunt, fungosiora uidelicet, & molliora. Quædam uero aliorũ corporũ interuentu eam ipsam unionem habẽt, atq; hoc tripliciter, aut carne, aut neruis, aut cartilagine mediãte, quarum συμφύσεων prima συσσάρκωσις, altera συννεύρωσις, tertia συγχόνδρωσις appellatur: concarnationem & conneruationem ac conchartilaginationẽ ad græcorum imitationem nobis appellare liceat. De naturali autem συμφύσει ac unione hæc accipienda sunt, & nõ eã quæ in fractis fit, quæ callo superinducto reduniuntur.

Linamentum conuulsum cum aceto & oleo imponito.] Linamentum cõuulsum Galenus hoc loco τιλμάτιον dixit, alias etiam μοτὸν τιλτὸν apellat. Sunt au-

tem

tem μοτοὶ καὶ μοτὰ linamenta quæ in uulnera induntur, & quibus oræ uulnerum ulcerumq́ ac sinuum obturantur. Verum medicamenta quæ his ipsis linamentis excepta simul induntur ἔμμοτα appellantur. Galenus lib.5. τῶν κατὰ γένη. διδόντες τὰ καλούμενα πρὸς τῶν ἰατρῶν ἔμμοτα, διὰ μοτῶν ἐγχριομένων προσφερόμενα. Ab eis etiam uerba formantur μοτῶσαι ac διαμοτῶσαι, linamentis & penicillis inditis curare. Et ἔμμοτος cui eiusmodi μοτοὶ & penicilli inditi sunt appellatur, hoc est, qui uulneratus est, & alias τραυματίας dicitur. In libello εἰσαγωγῆς inter Galeni spurios connumerato, quinq́ μοτῶν recensentur species ex ipso Galeno hinc inde collectæ, de quibus infra lib.3. agam.

Aliud. Myrrhæ trientem, euphorbij trientē, &c.] Hoc loco uetus interpres, Euphorbij drach. IIII. uertit, atq́ hoc modo etiam legi debere suspicor, quum nimium uideatur euphorbij rei adeo uehementer calidæ & urentis pondus, trientis uidelicet, hoc est quatuor unciarum. Nolui tamen mutare lectionem, sed tantum suspicionem meam indicare, ut si quis uti uelit, in tam fortium medicamentorum usu considerate agat. Quin & oleum hoc loco quod his rebus temperandis additur, in ueteri interprete recens legitur, tanquam πρόσφατον, & non γλεύκινον, ut nostrum exemplar habet, legerit, ut forte λευκοῦ pro γλευκίνου legendum sit.

Resinæ frictæ sesquilibram.] Resinam frictam officinæ hodie colophoniam appellant, quāquam à colophone hoc nomen habeat, unde quondam aduehebatur Dioscoride teste, sed liquida, nō tosta siue fricta, ad quam hodie colophoniæ appellatio est contracta. Græci citra resinæ additionem, φρυκτὴν, hoc est frictam, simpliciter appellare solent. atq́ hoc ob fricturam siue tosturam quam accepit, uelut etiam Galenus hoc loco facit. Porrò quomodo urere ac torrere conueniat omnem resinam liquidam, docet Dioscor. lib.1. At uero liquida resina tum pinus tum piceæ, non solum ex colophone, sed etiam ex Gallia Tyrrheniaq́ apportabatur, eodem autore attestante. Quare Galenus subinde τὴν ἐκ τῶν κεραμίων ὑγρὰν appellat. Hoc est liquidam ex dolijs siue amphoris resinam. Nimirum quod in dolijs ac amphoris afferretur. Sic Methodi lib.6. inopia terebinthinæ, ammisceri posse ait liquidam ex dolijs, itemq́ frictam. καὶ μέντοι inquit, καὶ μὴ παρούσης τερμινθίνης, ἡ τὲ ἐκ τῶν κεραμίων ὑγρὰ, καὶ ἡ φρυκτὴ καλῶς ἂν μιχθείη. Verum interpres Linacer, humidam pineam τὴν τῶν κεραμίων ὑγρὰν uertit. humidam pro liquida ut assolet, dicendo. Nam etiam ceratum humidum pro liquido reddit, uelut alibi commemini. Et Galenus sanè liquidam pini seu piceæ resinam pro terebinthina succedere uult. ut in re non sit aberratū ab interprete, sed tamen adijcere oportebat, ex dolijs uel doliorum, uelut Galenus appellat, de quibus quum siluerit, uidetur ἐγγίνης τῶν κεραμίων appellationem non intellexisse. Meminit autē eiusdem Galen. lib.4. de sanit. tutela. ubi item reliquarum penuria hac utēdum esse ait his uerbis. ἀπορῶν δὲ τούτων, ἤτοι τὴν ἐκ τῶν κεραμίων, μιγνύειν πιτυίνην, ἢ τὴν φρυκτὴν ὀνομαζομένην. Palladius eam ipsam resinam locularem appellauit, lib.3. cap.25. de Cydoniorum arbore loquēs. Si arbor ægra est, inquit, amurca aquæ æqualiter mista radicibus debet affundi, aut calx uiua temperata cum creta, uel resina locularis pici liquidæ mista trunco arboris adlini. Quanquam pro loculari, legendum suspicer Laguncularì, ut uidelicet ἡ ἐκ τῶν κεραμίων, hoc est, doliaris siue ex dolijs, resina lagunculariś ab ipso sit appellata.

Saponem betæ succo dilutum.] Hoc medicamentū est quod supra lib.1. Paulum ex Galeno transcripsisse demonstraui, quanquam in Pauli exemplari græco uulgato lib.1. cap.46. σίνηπι pro sapone legatur. Verum saponem legendum esse ex hoc loco patet, quē ad uerbū Paulus transcripsit. Amplius aūt & ex Copi translatione manifestum fit, qui Saponem in suo exemplari legit & conuertit.

Ob id

Ob idipsum ne consterneris.] In græco est μὴ ξενισθῇς, quod ne cõsterneris diximus. Significat enim ξενίζομαι peregrinus & alienus fio, ac quasi mentẽ à re aliqua abalieno, & proinde cõsternor, animoq́ uelut renouor, quę significatio non temere reperitur apud autores, quũ alias ξενίζεσθαι hospitio excipi, & muneribus donari significet. Constantinus Cæsar actiua uoce usus est lib. de agricultura 2. cap. 46. ξενίζει γὰρ καὶ παράδηλα ἡ ἐπὶ τὰ χείρω μεταβολὴ τοὺς μεθισταμένους. Et passiua item lib. 9. cap. 5. Δεῖ πάντῃ ἴσον εἶναι τὸ φυτώριον τῇ φυτευθησομένῃ γῇ, οὐ ποιότητι μόνον καὶ σχήματι, ἀλλὰ καὶ ἀέρων καταστάσει, ἵνα μὴ ξενίζηται τὸ μέλλον ἐν αὐτῷ κατατίθεσθαι φυτ. ne consternetur ob nouitatem & perturbetur.

Id autem alternis diebus facito.] παρ᾽ ἡμέραν, hoc est alternis diebus fit, quod per uices dierum contingit. Idem etiam significat παρὰ μίαν, ad intelligitur enim ἡμέραν. Aetius serm. 9. cap. 6. παραιτησόμεθα δὲ τὰς μακρὰς ἀσιτίας καὶ τὰς παρὰ μίαν, hoc est, Inediam alternis diebus. Dicitur & ὑπὲρ μίαν eodem sensu, Paulus lib. 3. cap. 10. καὶ τρέφειν ὡσαύτως ὅτε μὲν καθ᾽ ἡμέραν, ὅτε δὲ ὑπὲρ μίαν. Quin & μίαν παρὰ μίαν eodem sensu accipiendum est. Aetius serm. 8. cap. 67. καὶ διδόναι μίαν παρὰ μίαν. Idem Aetius serm. 12. cap. 37. hoc ipsum παρὰ μίαν idem significare indicat quod τριταϊκῶς, id est, tertio quoq́ die. Sic enim ait, γιγνομένου δὲ τοῦ παροξυσμοῦ σφοδροτέρου μὲν παρὰ μίαν, τριταϊκῶς, hoc est, alternis & tertio quoq́ die. Eodem modo παρὰ δύο significat τεταρταϊκῶς, id est, quarto quoq́ die, uel etiam anno, si ἔτη explicentur. Constant. Cæsar. lib. 4. cap. 1. παρὰ δύο ἔτη σπείρεσθαι.

In calidæ solium ægrum immittet.] Solium hoc loco dixi, ἔμβασιν uocatã Galeno ab inscensu & desessu, alias labrum, ac lauacrũ, & piscina, atq́ uulgo medicorum etiam Tina appellatur, Nimirum uas in quo aliquis desidens lauari potest, qualia etiam hodie in balnearum ædibus habẽtur. Græci etiam κολυμβήθραν dicũt ab innatãdo, quanq́ hęc longior & spatiosior piscina fuerit, & τῷ πυέλῳ μικρῷ, id est, alueolo uel solio paruo opponitur à Galeno, qui alias etiã δεξαμενὴν & paulò post μακρὰν uocat. Sic enim exẽplar ipsum habet κάθιζε εἰς μακρὰν καὶ ἀπόνιπτε, hoc est ut ego uerti, In calidæ labrũ demittito ac lauato. Sed μακρὰν pro cista siue arca, aut potius alueolo panario, usurpat etiã Artemidorus de somniorũ interpr. lib. 5. ubi ait, ἔδοξέ τις ὑπὸ μακρᾶς τῆς λεγομένης καρδόπου, μεστῆς αἵματος ἀνθρωπίνου βασταζόμενος φέρεσθαι. Verũ pro solio balnearũ itẽ accipit Damocrates, citante Galeno, infrà lib. 10. huius operis. σμικρᾶς δὲ νοτίδος γενομένης εἰς τὴν μακρὰν καθεὶς. Potest tamen & κάρδοπος solij usum præbere. Apud Gelliũ porrò 13. cap. 24. μάκτρα & nõ μακρὰ legitur, in uersu ex Aristophane citato, χρῆσόν σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει κάρδοπον, Ita etiam apud Pollucẽ lib. 2, quum tamen uersus Democratis μάκτραν non ferat, & μακρὰν æque ut μάκτραν senarius Aristophanis admittat. Quare arbitror μάκτραν ab illis legi, qui uocẽ à uerbo μάκτω deducũt, quod subigere massam ac emollire significat, quod ipsum in Mactra illis appellata fieri solet. Contra autem μακρὰν legendũ esse, Galeni & Artemidori lectio testatur, & mihi quidem uidetur μακρᾶς appellatio figuram rei oblongiorem referre.

Quæ Aeneas per experientiam pituitam detrahentia tradidit.] Videtur hic Aeneas medicus Galeni sodalis & amicus fuisse, à quo se pharmaca subscripta per manus accepisse fatetur, ab eodem per experientiam cognita. Verum in primo pharmaco, Saponis lib. 6. id est, σάπωνος λιτ. ς. legũtur. Vetus tamen Saponis sesquilibram habet, & sic etiam legendum existimo, quum sex librarum pondus nimium uideatur reliquorum comparatione: potuitq́ fieri ut ex uera quondam scriptura σάπωνος λιτ. α ς. qua Saponis sesquilibra significatur, primum perierit α & postea character ς. qui dimidium significat, in eum transierit, qui senarium numerum refert ς, ob similitudinem ut apparet.

Aquam

Aquam mulsam sæpe gargarissandã prebeto.] ἀνακογχυλιαζέσθω hic Galen. habet, quod dixi gargarissandam præbeto. Videntur autem κογχυλιάζειν & κογχυλίζειν itemq; ἀνακογχυλιάζειν uerba facticia esse à sono ipso qui fit dum aliquid gargarissamus. Nam & gargarissare facticia uox est latinis itidem ut græcis qui γαργαρίζειν dicunt. Paulus lib.3.cap.5. κόψας, σήσας, μίξας, ἐν ἡλίῳ κογχυλίαζε. hoc est, tusa cribrata ac mixta in sole gargarissa. & cap.18, eiusdem libri, ὠφελεῖ δὲ καὶ ἀνακογχυλισμὸς διὰ τῶν δριμέων, id est, gargarismus rerum acriũ. Porrò alia uerba sunt græcis ἀνακογχύζειν & ἐκκογχύζειν, ne quis similitudine aliqua decipiatur, quæ significant concha aut testa excipere, κόγχη enim testam ac conchã græcis sonat. Dioscor.lib.1.de Sicyonio oleo. ψύξας ἐκκόγχυσον τὸ ἔλαιον. hoc est, refrigeratum oleum conchis excipito, aut in testas diffundito ac reponito.

Atq; ita sensim in eorũ usu progredior.] ἐκ προσαγωγῆς fieri dicũt græci quod sensim ac pedetentim fit, & semper cum ulteriore progressu ac additamento. Sic hoc loco Galenus οὕτως ἐκ προσαγωγῆς χρῶμαι, ait, hoc est, ita sensim progrediendo utor. Hippoc.1.epidem. καύματα μεγάλα οὐκ ἐκ προσαγωγῆς, ἀλλὰ συνεχέα, καὶ βίαια.

Porrò parabili sæpe pharmaco usus sum &c.] Hic locus ad uerbũ à Paulo lib. 1.cap.46. trãscriptus ex Galeno, quanquã corruptus legatur in exemplari greco uulgato, & corruptius adhuc exẽplar Copus habuit, qui pro εὐπορίστῳ, hoc est, parabili, conuertit euphorbio. Legit enim εὐφορβίῳ δὲ πολλάκις ἐχρησάμην. uelut supra lib.1.cap.1. indicaui.

In caput III. De Hemicrania.

HEmicrania dimidiæ partis capitis affectio est, uelut etiam ipsum nomen indicat à uoce ἥμισυ & κρανίον compositione facta. Eadem etiam ἑτεροκρανία appellatur, ob alterius tantum partis affectionem. Pharmaca porrò quæ huic malo adhibentur, priuatim etiam hemicranica dicuntur.

Porrò de euphorbij facultate iam mihi relatum est.] Supra lib.1. cap.1. de euphorbij facultate retulit, quem locum hic in memoriam nobis reuocat.

Laseris siue succi Medici drach. III.] In græco exemplari hic habetur ὀποῦ μηδικοῦ δραχ. γ. hoc est, succi Medici drach. III. Ego autem ad certiorem rei intellectum, etiam laseris uocem adieci, quæ item succum Medicũ significat, sed tamen ut optimum Laser Cyrenaicum sit, unde etiam succus Cyrenaicus appellatur: secundo autem loco Medicus & deinde Syriacus succus, siue Laser Medicum & Syriacum habeatur, uelut Dioscor. lib.3. tradit. Hodie in pharmacopolijs Asa fœtida appellatur, & dulcis asa eiusdem generis est, sed minus graui odore prædita. quidam asam dulcem succum silphij, fœtidã uero gummi eiusdem esse purant. Sicut contra alij, omnes illos succos perijsse constanter credunt, neq; nos quicq; certi asseuerare possumus, aut uolumus, nihilo minus tamen utraq; asa pro occasione, illorum succorum loco usuri, maxime quum etiam Aristophanis interpres εἰς ἱππέας silphio ingratum & iniucundum odorem tribuat. Verum quod indicare hoc loco operæpretiũ uisum fuit, hoc est. Vox ὀπὸς se sola posita, quasi per excellentiam de Cyrenaico, Medico ac Syriaco dicitur. Sicut contra in neutro genere, uox ὄπιον solitariè posita succum papaueris significat, per prælarionem ita græcis usu facto. Quare uetus Interpres hoc loco deceptus est per ὀπὸν enim μηδικὸν, ipsum papaueris succũ, hoc est, opium intellexir, quod falsissimum esse apparer, quum opij papaueris succi hic ineptus sir usus, & ὀπὸς μηδικὸς nihil aliud sit quàm Silphij succus apud Medos siue Parthos, unde aliquando etiã Parthicus succus dicitur, nascentis, qui Cyrenaico debilior est, ut etiam Plin. lib. 19. cap.3. ostendit.

Verum in corporibus molli ac tenero sensu præditis.] In græco exemplari le

gitur corrupte, ὑπὸ δὲ τῶν ἀναισθήτων σωμάτων, Legendũ eſt aũt εὐαισθήτων, id eſt, mollibus & tenero præditis ſenſu, uelut res ipſa oſtẽdit, quũ minus in his curãdis de euphorbio addi iubeat, et cõtra amplius de eo conijciendũ eſſet, ſi ἀναισθήτων legeretur, qua uoce ſenſus expertes & ſtupidi corporis ſignificãtur. Quanquã etiãſi de pondere euphorbij augẽdo Galen. dixiſſet non tamen ἀναισθήτων, ſed δυσαισθήτων legendũ eſſet, hoc eſt, hebeti ſenſu prẹditis. Nam hi εὐαισθήτοις opponuntur, & alias in ἀναισθήτοις curatio ipſa penitus eſt deſperata.

Quod ad finem huius libri admonere operẹpretiũ uiſum eſt, iam ſubſcribam. Ordinem in ipſo tum capitum generalium, tum titulorum particularium confuſum eſſe, & nõ ſingula ſuo loco poſita. atque ea confuſio nõ nuper facta eſt, quum etiam Vetus Interpres hunc ordinem græci Veneti exemplaris habeat, Titulus enim de his qui ob bilioſum humorem caput dolent ; & qui ſequitur, De dolore capitis per conſenſum ; & qui deinde eſt, De capitis in febribus dolore, & quod deinceps ſequitur caput, de Cephalæa capitis dolore antiquo, quod totius libri huius ſecundi generale caput eſt, uſque ad Titulũ ſequentem, Archigenis de Apophlegmatiſmis: Hæc omnia iuſtum & ſibi propriũ non habẽt hic locum, ſed poſt Titulũ Archigenis de apophlegmatiſmis, & cataplaſmata in capitis dolore eiuſdem Archigenis, & poſt titulum, Archigenis de his qui ex ebrietate caput dolẽt, & titulum Eiuſdẽ Archigenis Amuleta quæ capiti coronæ modo &c. & poſt titulum, Archigenis de fiſſuris & cõtuſionibus in capite factis, & poſt ea Quæ Aſclepiades ad capitis dolorem in primo exteriorum ſcripſit, & poſt omnia ſternutatoria, & Quæ manſa caput purgent, & poſt titulũ, Quæ Crito in primo de pharmacis ſcripſit, & poſt titulum, Quẹ Aeneas per experientiam pituitam detrahentia tradidit, & poſt titulum, De uſu omnium fortium pharmacorum, tandem locari debent, ita ut poſt finem capitis de Cephalæa, mox ſequatur Caput generale huius libri Tertium, de Hemicrania. Eo uero loco quem titulus occupat, de his qui ob bilioſum humorẽ caput dolent, mox ad præcedentes Archigenis irrigationes ac illitiones, Archigenis Apophlegmatiſmi ſequi oportet, quod ipſum Galen. manifeſte oſtendit, mox in principio ubi apophlegmatiſmos hos expendit, quum ait, Archigenes autem calidã & flatuoſam affectionem ſe curaturum pollicitus eſt non frigidam & pituitoſam. Hæc enim uerba indicãt hos apophlegmatiſmos ad ſuperiorem affectionem, quam dicit ipſe calidam & flatuoſam pertinere, & non ad Cephalæam, quæ proximo loco falſò antecedit.

Finis ſecundi libri commentariorum medicorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DECEM LIBROS GALENI DE COMPOſITIONE MEDICAMENTORUM ſECUNDUM LOCOS CONſCRIPRORUM, LIBER III

In caput primum de Aurium affectionibus.



T quibuſdam medicatis aquis oboriuntur.] Medicatas aquas hic dixi τὰ φαρμακώδη ὕδατα, hoc eſt, quæ aliqua medicamentaria qualitate participant, uelut ſunt ſulphurulentæ, aluminoſæ, nitroſæ, bituminoſæ & quæ tum æs, tum ferrum olent, de quorum uſu compendio, ut omnia, Paulus lib. 1. cap. 52. tradit. Plinius lib. 8. epiſtolarum ad Gallum de lacu Vadimonis: odor ſaporque

saporq; medicatus, inquit Plin. in naturali historia 31. cap. 6. Nec uero omnes quę sunt calidæ, medicatas esse credendum est.

Prodest etiam amaracinum oleum eis infundi, & optimum nardum.] Optimum nardū Galen. hic ἄρισον νάρδον dixit, sed nō pro ipsa Nardo herba, uerum pro ungento nardino, quomodo etiam alias sæpe solet, uelut lib. 1. ostendi.

Idem etiam Tetrapharmacum appellatur.] Emplastrum Basilicū, hoc est regium, quod apud maximos & præstantissimos quosq; homines in usu esset, appellatum fuit. Idem etiam Tetrapharmacū uocari hic Galen. ait, uelut etiam Paulus & Aetius, itemq; apud nos Celsus ac Scribonius uocāt, à quatuor nimirum simplicium ipsum cōstituentium æquali mixtura, ceræ uidelicet & colophoniæ, picisq; ac adipis taurini. Ex his enim simul coctis emplastri forma cōficitur apta inflammatis, puri uidelicet mouendo, ut Celsus ait, & ex hoc loco satis apparet. Est autem aliud adhuc pharmacum nō emplastri forma, aut usu, sed delingibile, item Tetrapharmacum appellatum, & alias etiam ἀντίδοτος διὰ τεσσάρων, itemq; Mysteriū dictum, quod item ex quatuor rebus cōstat, gentiana uidelicet & myrrha, aristolochia, & baccis lauri tritis ac melle exceptis, ut Aetius 8. cap. 68. tradit, quanquam falsò zingiberi pro myrrha legatur, tum hoc loco, tum plerisq; alijs, exemplaris quod sequuti sumus uitio. Verum apud eundem 12. cap. 47. integra lectio ac compositio eius est, quod annotare operæpretium duxi, ne quis hoc ad emplastrum, & antidotum æquiuoco decipiatur.

Vt per aurisusoria specilla ad lucernam tepefacta infundi possint.] Specilla aurisusoria Galeno ὠτεγχύται hic dicuntur, uelut μητρεγχύται, ac ῥινεγχύτης ab eodem, & medicis omnibus uocantur, quæ nos uterisusoria, & narisusoria appellare possimus. Celsus ὠτεγχύτας, alias strigiles, alias oriculares clysteres appellat. Tradit autem Celsus inter alia medicamenta aurium, etiam hoc ipsum, quod hic Galen. habet, ex castorei ac opij: quod papaueris lachrymā uocat, paribus portionibus contritis affuso passo. Nisi quod Galenus pro passo & uinis dulcibus, sapam ad dolorem leniendum probat, quæ fit musto ad tertias decocto, ut alibi ostendi. Porrò differūt ὠτεγχύται à μηλωτίσι, quæ paulò post auricularia specilla dixi, quod hæc aurisculpia expurgandis à quacunq; re illapsa, auribus apta sint, illa uero ad infundendum aliquid & instillandum comparata.

Quemadmodum illi faciunt qui spissamenta, stymmata græcis appellata addunt, quo uidelicet per multum tempus ipsum rosaceum odoratū permaneat.] Stymmata esse oleorum ac succorum spissamenta odorata lib. 1. ostendi, uerū alia quam quæ hedysmata appellantur. Hæc enim uox aliquando pro quibusdā odoramentis, aliquādo pro tota composita re, ex aromatibus & oleis siue succis constante, hoc est, pro ipsis ungentis accipitur. Illa uero ad spissandum quidem assumuntur, uerū itidem odoris gratia, & ut diutius integra & illæsa permaneant, in ungenta induntur, uelut Galenus hic docet, & 2. lib. κατὰ γένη ubi ait. τὰ ἐλαιώδη τὰ ἁπλῶς ἐσκευασμένα χωρὶς συμμάτων, ἅπερ προστιθέασιν ἤτοι δυσωδίας ἕνεκεν ἢ τοῦ μὴ πλείονα χρόνον διαμένειν ἀπαθῆ τὰ σκευασθέντα. Videntur itaq; proprie hæ res stymmata dici, quæ præter odorem, etiam adstrictoriā uim in ungenta deponūt, quo diutius incorrupta perseuerent. Sic Aetius 9. cap. 49. in pastillo magno, spissamenta ex decocto rubi, myrti, florum mali punici, radicis capparis, folijs salicis, & alijs quibusdam habet. Et eodem capite non longe post, Spissamenta arida in puluerem redacta habet, item flores mali punici, gallas, malicorium, myrtum, lentiscum, & alia eius genera adstringendi ui prædita: atque hoc sane modo stymmata in oleo rosaceo sunt, lentiscus, calamus, & aspalathus iuxta Dioscoridis traditionem.

Aut Casiam illo non præsente, tum eam quæ zigeros, tum quæ Motodes appellatur.] Duas species Casiæ Galenus hic indicat, quæ commode in auricularia pharmaca miscentur, alteramq; zigeron, (uel ut exemplar habet γίζηρον) appellari dicit, barbara uidelicet appellatione, uelut etiam Dioscorides testatur, qui ait quòd μέλαινα καὶ ἐμπόρφυρος παχεῖα ζιγὶρ, id est, nigra & purpuram colore referens, crassa, ziger uocetur, Alteram uero Motode uocat, haud scio qua nominis ratione; Nam hanc appellationem neq; Dioscor. neq; Plinius, neq; quisq; alius, quod sciam, habet: Nisi ipse adeò Galen. lib. 1. de antidotis, ubi genera cassiarum recensens, maxime laudari ait eam quæ gizi disyllabo barbaro nomine uocat, inde eam quæ Moto appellatur. ἐπειδὴ inquit τὴν μὲν γίζι μάλιστα ἐπαινοῦσιν. ἐφεξῆς δὲ τὴν μοτῶ καλουμένην. Ex quo loco apparet utranq; appellationem barbaram esse, & isthic Moto barbara uoce, hic Motode greca inclinatione dictũ esse. Imò Galen. eodem loco γίζι, & non ζιγὶρ, legendũ esse docet contra Dioscor. lectionem, sed in hac parte nihil contentiosius asserendũ, quũ alterutra uox barbara, alterutrius tempore in usu fuisse possit, & postea in exemplaribus corrupta esse. Quod si non esset, uehementer dubitem an hoc Galeni loco, μωτώδη recte legatur & non potius βαλσαμώδη legendum sit, uelut Plinius. 12. cap. 19. habet. Alia est Balsamodes, inquit, ab odore simili appellata, sed amara, ideoq; utilior medicis, sicut nigra ungentis. Procliue enim fuit ex oblitteratæ uocis βαλσαμώδη uestigijs, substituere μωτώδη, quæ quum græca terminatione dicta sit, barbaram esse non suspiceris. Possit autem & μωτώδη uox, pro μοσυλίτην suppositītia esse, Nam & hanc Dioscorides habet, & Plinius. 6. cap. 29. ex portu Mossylico deuehi cinamomum testatur: & supra citato loco Casiam iuxta cinamomi campos nasci tradit, unde sanè tum Casia Mosylitis, tum cinamomum Mosylon, à Dioscoride appelletur. At uero si casia Motodes, omnino non uidetur barbara aliqua uoce fuisse appellata, malum sanè ego βαλσαμώδη pro ea legere, ac substituere hoc loco, sed in re incerta nihil statuo. Porrò quod Casia duplo pondere pro cinnamo conijciatur, frequens sit mentio apud Galenum. Verum quod Carpesium item duplum pro eodem indiderit Quintus medicus, in septimo simplicium pharmacorum Galen. tradit, uelut nos etiam supra ostendimus.

Quãquam & huiusmodi capitis dolores necesse sit primum communibus generibus causarum dolores efficientium subiectos esse.] Communia genera causarum dolores inferentiũ sunt, solutio continuitatis, & intemperies, Quum enim omnes morbi ad hæc duo genera, insuperq; tertium, compositionem uidelicet uitiosam, referantur; ad priora sanè duo genera omnes dolores referuntur. Omnis enim dolor aut ex intemperie aliqua corporis, aut ex soluta cõtinuitate eiusdem oboritur, Tertium uero morborum genus, compositio uitiosa, dolorẽ per se non facit: potest enim & deesse & redũdare corpori pars aliqua, itẽq; in situ figuraq; ac magnitudine iuxta naturam aberrare, citra omnem dolorosam corporis affectionẽ. Porrò de his causarũ tum morborũ, tum dolorũ generibus, & de his quæ hæc genera producũt, tota methodus curãdi à Galeno cõscripta hinc inde agit, cuius lectionẽ ante hos libros necessariã esse Galen. hic ait, sicut etiã simpli. phar. libros ante illam, uelut etiam in principio horũ cõmentariorum sumus præfati.

Propterea quod in eiusmodi affectionibus uẽtosi flatus ac frigidi humores generentur, excerni autem prohibeantur, propter continentis corporis condensationem, citra inflammationẽ factam.] Hoc loco Galen. sic dixit, ἐκκρίνεσθαι δὲ κωλύεσθαι, διὰ τὴν τοῦ περιέχοντος πύκνωσιν, ἄνευ φλεγμονῆς γιγνομένην. quod nos uertimus, Excerni autẽ prohibeantur propter continentis corporis condensationem citra inflammationem factam. Ambiguum autem uideri poterat, an περιέχοντος

uox

uox, de ambiēte nos aere ab ipso dicta esset, an de corpore cōtinente ipsos flatus ac frigidos humores, propterea quod quū ὁ περιέχων, & τὸ περιέχον, aerē nos circūdantem ferè semper apud Galen. significet, etiā hic nihil aliud significare uideri possit, quod tamen nō est, Nam necessariò σώματος aut μορίου uox ad intelligitur, ut uidelicet corporis, aut partis, cōtinentis flatus & humores, cōdensationem factam citra inflammationē accipiamus. Etenim si nō ad τῶν περιεχόντων πύκνωσιν adiectum esset, ἄνευ φλεγμονῆς γενομένην, Poterat utiq; de ambiente nos aere intelligi, qui ob densitatem flatus & humores excerni uetaret. Verū quum inflāmatio nō nisi in corpore facta intelligi possit, necessariò σώματος aut μορίου uoce, in περιέχοντος ad intellecta, sententiā quā ego reddidi elicimus atq; sectamur. Vsurpauit aūt & Artemidorus περιέχοντος uocem, nō aeris significatione, sed cōtinentis corporis, lib. 2. cap. 16 in hoc somnio. καὶ ἡ γυνὴ δὲ γαστρὶ ἔχουσα ἰχθὺν εἰ ὑπολάβοι τεκεῖν, ὡς μὲν οἱ παλαιοὶ λέγουσιν, ἄφωνον γεννήσει. ὡς δὲ ἐγὼ ἐτήρησα ὀλιγοχρόνιον. πολλάκις δὲ καὶ νεκρὰ ἔτεκον, ἔξω γὰρ τοῦ περιέχοντος γενόμενος πᾶς ἰχθὺς ἀποθνήσκει. Hoc est uelut nuper in latine conscribendo id opus reddidi, Omnis enim piscis extra cōtinens suum, ipsam uidelicet aquam, positus moritur.

Castorij atq; papaueris succi par pōdus in testa Attica, aut si haberi nequeat, Romana torrefacito.] Videtur Apollonius hic testas figulinorū Atticorum, & Romanorū, reliquis omnibus præferre, non ob aliā causam, quàm quòd torrēdis in ipsis rebus maxime idoneę fuerint, fortassis propterea, ut opinor, quòd exacte in fornace excoctæ iustā habuerint firmitatē, ut ne uel facile frangerētur, uel ex cruditate aliquid pharmacis in ipsis torrendis affricarent. De utrorūq; figulinorū præstantia meminit item Plinius lib. 35. cap. 12. Atticorum Dioscor. de cerusa.

Sufficiens itaq; est etiam papaueris succi facultas, si ex eo quod eorū cōpositio diu ante præparata, & iam inueterata sit, ipsius uires leniantur, torrefactis enim efficaciā perdit, Si uero castorio mixtus ad tempus aliquod inueterascet.] Hic sanè locus in græco exemplari penitus corruptus est, Nos hanc sententiam eruimus, aliquibus uocibus additis, aliquibus etiam mutatis, atq; græca ita restituimus, ut nostræ interpretationi respondeant, hoc modo. αὐτάρκης δ᾽ οὖν ὅμως, καὶ ἡ ἐκ τοῦ μηκωνίου δύναμις, εἰ ἐκ τοῦ κεχρονίσθαι τὸ συντεθὲν ἐξ αὐτῶν, πραΰνῃ τὸ μηκώνιον. Vides planè quantum librarij culpa hic locus corruptus sit, in quo primum desunt hæc uerba, à nobis inserta, δύναμις, εἰ ἐκ τοῦ, deinde τοῦ μηκωνίου, pro τὸ μηκώνιον scriptum est. Quid quod omnium corruptissime postea τῷ δραστηρίῳ pro τῷ καστορίῳ legitur: Ita enim lectio ipsa corrupta habet. αὐτάρκης δ᾽ ἐστὶν καὶ ἡ ἐκ τοῦ μηκωνίου κεχρονίσθαι τὸ συντεθὲν ἐξ αὐτῶν πραΰνῃ τοῦ μηκωνίου. φωγνύμενον γὰρ ἀπόλλυσι τὸ δραστήριον, εἰ δὲ μιχθῇ τῷ δραστηρίῳ χρονίσει, &c. Apparet autem etiam ueterem Interpretem, Nicolaum Calabrum, aut quisquis is fuit, hunc locū non integrum habuisse. Nam primam huius sententiæ partem satis commode reddidit. Sufficit igitur ut mitigetur opium ex diuturna compositione ipsorum, &c. tanquam legisset, αὐτάρκης οὖν πραΰνεσθαι τὸ μηκώνιον ἐκ τοῦ κεχρονίσθαι τὸ συντεθὲν ἐξ αὐτῶν, quæ lectio rectam sententiam refert, sed tamen alijs uerbis quàm exemplar græcum uulgatū ostendit, quæ nos iuuare, non penitus reijcere ac alia substituere uoluimus. Verum posteriorem partem itidem iuxta corruptū exemplar reddidit, sic. Si uero opio permisceatur & diu steterit, &c. penitus nullo sensu, Nam τῷ δραστηρίῳ, opio uertit, quum τῷ καστορίῳ legi oporteat atq; uerti. Nisi quis opium cum opio misceri uelit, quod nō aliter nobis uetus Interpres expressit: ut qui raro aliquam sententiam integre reddat, & nullius utilitatis sit, nisi quod ex pessime uersis, lectionem quam sequutus est deprehēdere licet, à qua aliquando græcum exemplar quod nos habemus discordat, ut sic aliquā tandem rectam sententiam eruamus. Porrò

inferius paulò rursus corrupta est lectio græca, habet enim. ἀλλ᾽ ἐπεὶ πάλιν ἐν τῷ φωχθῆναι τὸ ὀρασήειον αὐτοῦ φαίνεται. Sed legendum est τὸ ὀρασήειον ἀμαυροῦσθαι φαίνεται, hoc est, ut reddidi. Verum quum rursus in torrefaciendo efficacia ipsius persundari uideatur. Est enim αὐτοῦ pro ἀμαυροῦσθαι, quod fortassis obliteratum fuit, temere à quopiam suppositum.

Aut nucum amararum succum, aut cassiæ ungentũ, aut simplicem nardum.] Amararũ nucũ succus est qui ex amygdalis amaris exprimitur, uelut etiam Celsus habet, quem hic ἀπόθλιμμα dixit, quum alias retrimentum à succo expresso reliquũ sic appelletur, ut alibi ostendi. Casiæ autem ungentum uidetur appellare Archigenes, quod Casiam inditam habet, uelut supra etiam ipse Galen. ostendit in ungenta auricularia Casiam, cinamomum & carpesium addi. Nisi forte eius peculiaris cõfectio ungenti ex Casia, uelut ex cinamomo fuit, sed tamẽ eius Dioscorides non meminit. Nardum deinde simplicem τὴν νάρδον ἁπλῆν reddidi, non ut herba nardus, sed ut ungentum nardinum accipiatur, uelut sæpe iam dixi. simplicem autem addidit, ut ostenderet nardinum oleum simpliciter sine ullis spissamentis ac odoramentis præparatum, se probare.

Tepidum per strigilem infunde.] Suprà memini Celsum ὠτεγχύτας strigiles uocare, & aliquando oricularios clysteres. Verum strigilis uox uidetur plane ex ξύστρα facta esse, Nam uelut hæc ἀπὸ τοῦ ξύειν, Sic illa à stringendo deducta apparet, & pro aurifusorio specillo ambæ accipiuntur. Quod itaq; Archigenes hic ξύστραν dixit, ego strigilem cõuerti, qua uoce etiam Plinius, & Scribonius, & Marcellus utũtur hac significatione. Nam alias tum strigilis latinis, cum ξύστρα græcis, destringendi instrumentum est, cuius usus in balneis existit, & quod etiam στλγὶς & à Galeno στλεγγὶς, appellatur. Artemidorus lib. 1. cap. 66. de balneis loquens. ἴδιως δὲ αἱ ξύστραι καὶ βλάβοις εἰσὶ σημαντικαὶ, διὰ τὸ ἀποξύειν τὸν ἱδρῶτα, καὶ μὴ προστιθέναι τῷ σώματι. Et idẽ paulò ante στλγίδες ἢ ξύστραι ἢ καταμάγεια θεράποντας σημαίνουσι.

In quibus deinde post fomentum, specillum lana obuolutum intingitur & imponitur.] Græcum exemplar hoc loco uitiatum est, habet enim ἔπειτα μετὰ τὴν πυρίαν περὶ τὴν ὀξέιαν ἔριον περιειληθὲν ἐμβάπτεται καὶ ἐπιτίθεται. Verum si pro τὴν ὀξέιαν substituatur μήλην ὀξέιαν integra fiet lectio, & sensus quem ego reddidi.

Aut Garum Hispanum calfactum per strigilem instillato.] Garum Hispanum hic Archigenes appellat, quod infra Asclepiades Sociorum, itemq; Nigrum uocat. Hoc enim ex omnibus laudatissimum & ingentis pretij fuit, è scombro pisce, uelut Plinius. 31. cap. 8. restatur. Quin & idem Plinius 32. cap. 7. hoc ipsum pro aurium medicamento prodit his uerbis. Suntq; qui præcipue cõtra omnia uitia laudent, Gari excellentis sociorum cyathum, mellis dimidio amplius, &c.

Quod si ex plaga, externa pars auriculæ doleat, ad micam thuris lac affundito.] Mica thuris quæ sit lib. 1. in mannæ thuris explicatione diximus, Hoc uero loco eam micã Archigenes χόνδρον λιβάνου appellauit, nihil aliud indicans quàm quod Plinius granum & micas dixit, & quod alias Dioscor. & Galenus omnesq; medici græci mannam thuris uocant, Hoc enim est quod Dioscor. dixit, μάννη δὲ λιβάνου δόκιμος ἐστιν ἡ λευκὴ καὶ καθαρὰ καὶ ἔγχονδρος, hoc est, Manna thuris probatur quæ alba est, & pura, & grumosa siue granulosa. Vnde sanè Plin. lib. 29. cap. 6. χόνδρον λιβάνου ἕνα, non granũ, neq; micam thuris, sed mannã thuris unã dixit, ubi ait. Viperam uiuam in fictili nouo cõburere, addito fœniculi succo ad cyathum unũ, & thuris manna una, &c. Id quod ex Marcello medico ostẽditur qui idem remediũ sic habet. Vipera uiua mittitur in uas fictile, & adijcitur ei succi fœniculi cyathus unus, & thuris granum unum.

Tertiam auricularem huiusmodi conscripsit.] Tertia hæc auricularis compositio

fitio Andromachi, est etiam apud Celsum lib.6. à quo non ad Andromachũ, sed ad Themisonem refertur his uerbis. Licet etiam compositione uti Themisonis, quæ habet castorij, opopanacis, papaueris lachrymę ex aceto, singulorum. *. II. spumæ lycij pondo. *. IIII. Quæ contrita passo excipiuntur donec cerati crassitudinem habeãt, atq; ita reponuntur. Vbi usus requiritur, rursus idem medicamentum adiecto passo teritur. Euariant ut uides pondera paululum, alias eadem res est. Verũ in Celso uulgato, medicamentum adiecto specillo teritur, habetur, ubi passo pro specillo substituendum est.

Blattas detractis pennis XII.] Blattarum genera Plinius lib.30. cap. ultimo recenset, eaq; item auribus mederi scribit, similiterq; alijs quibusdam malis, partim capite detracto, partim pedibus & pennis: quemadmodum etiam hic Andromachus σίλφας ἄνευ πτερῶν probat, & infra lib. 5. Archigenes eas quibus caput detractum est, ut ibidem amplius demonstrabo.

Vrinæ suis syluestris tantundẽ, fabæ Aegyptiæ uiridis internæ amaræ drachmas. IIII.] Vrina suis syluestris, hoc est, apri siue capri, quem hic σύαγρον appellat Andromachus, calentissimum est pharmacum ac acerrimo odore prẹditum, uim habens extersoriam fortem. Velut Galenus 10. simpl. pharmacorũ testatur. ἰσχυρὸν δὲ καὶ inquit, τῶν ἐν τοῖς ὄρεσι κάπρων ὡς καὶ διὰ τῆς ὀσμῆς φαίνεται δριμυτάτης οὔσης. Videtur itaq; puris & sordis extergendæ gratia, ab Andromacho in hoc pharmacũ assumpta esse. Verum ipse Galenus huiusmodi impura medicamenta, ut ingenuo & honestæ mundiciei studioso uiro merito abominanda, improbat: præsertim circa caput & faciem adhibenda, quo magis indigne ferendus est aliquarũ urinarum, uel etiam humanarum potus, ex quo tamen pestilentia grassante in Syria, quidam conualuisse uidebantur, Galeno eodem loco tradente, ac asseuerante item orthopnœæ gratia, pueri urinam bibere, non esse necesse, quum alia sint multa pharmaca huic mala commoda, & quidam etiam eo poto opem non senserint. Verũ tam abominanda medicamenta etiam hodie durant apud aniculas quasdã, & uulgus forte potioribus & purioribus indignum, non modo in peste, & orthopnœa, ac anhelosis, uerum etiam in alijs tum uentris, tum intestinorum morbis, & præsertim in doloribus Coli, utpote quod uomitus irritando, & deiectiones concitando, omne uitium ualenter expurgent, uelut etiam Marcellus cap. 27. testatur. Cæterum urinam suis feræ simpliciter aurium dolores lenire Dioscorides lib. 2. ait. τὸ δὲ ταύρειον σὺν σμύρνῃ inquit λειανθὲν καὶ ἐνσταγὲν ὠταλγίας παρηγορεῖ. καὶ τὸ σύαγρον δὲ τῆς αὐτῆς ἔχεται δυνάμεως. Porrò fabam ægyptiam uiridem internam amaram, hoc uidelicet quod in medio eius uiride & amarum existit, in aurium doloribus prodesse, etiam Dioscorides confirmat his uerbis, καὶ πρὸς ὠταλγίαν δὲ ποιεῖ τὸ ἐν μέσῳ χλωρὸν αὐτῶν, πικρὸν δὲ κατὰ τὴν γεῦσιν. hoc ipsum modo pulpam, modo interiora fabæ, Marcellus appellat, cap. 9. Porrò in fine huius 21. compositionis in græco exemplari corrupte legitur, καὶ κροκίδα ἐντίθει προπυελῶν, id est, tomentum fomento prius admoto inditо. Non enim προπυελῶν hic legendum est, quum fomenti nullius, præterquam pharmaci cum rosaceo instillandi mentio fiat. Quare πορφύρων pro προπυελῶν legendum est sic, καὶ κροκίδα ἐντίθει πορφύρων, hoc est, lanæ purpura infectæ tomentum indito. Velut supra etiam Archigenes dixit, ἐμφρασσομένου τοῦ πόρου πορφύρας μαλλῷ, hoc est obturato meatu per purpuræ lanam: quanquam etiam eo loco μάλλον pro μαλλῷ, id est, aduerbium magis, pro lana legatur. Lanam autem mollem à fomento & instillamẽtis, auri indendam esse supra in principio huius libri Galenus dixit, Præstat tamen hanc ex purpura aui conchylio infectam esse, ut paulò post demonstrabo.

Auricularis ad desperata, uelut zoilus.] Hæc cõpositio XXII. Andromachi corrupta est, legitur enim in græco, ὀπίου προσφάτου κοχλιάρια τρία, quod opij pondus ut longe ineptissimũ & nocentissimũ nemo exhibere audeat, iuxta tantulam reliquorum ammixtorũ proportionem. Quare nõ ὀπίου hic legendum est, Nam hoc antea habet, μηκωνίου τριώβολον, hoc est succi papaueris obol. III. cõijciendos dicens, Verum οἴνου pro ὀπίου substituendũ. Vult enim uini recentis cochlearia tria addenda esse, ut eius lenitate urinæ suis feræ acrimonia aliquãtulum castigetur, & pharmacũ etiam humectius redditum melius cogi possit. Sequitur autem in fine cõpositionis, Cõchylio aurem obturato, quo nihil aliud uult quàm quod in præcedenti cõpositione dixit, tomentũ lanæ purpura infectæ indito. Est enim conchylium quoq; ex purpurarum gente.

Passi protropi quantum sufficit.] Passum à uino dulci differre, sicut etiam mustum ab utroq;, alibi memini. Est enim passum proprie quod uuis diutius in uite à sole adustis, aut sponte defluit, aut exprimitur, quod tamen Mustũ item uocari potest, uelut Plinius 14. cap. 9 habet. Sed inter hæc genera potuũ, inquit, ponere debeo & protropum, ita appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequã calcẽtur uuæ. Potest & uinũ appellari ratione generis, ut Dioscor. lib. 5. ὁ ἐξ τῆς θηλοπεδευθείσης σταφυλῆς, ἢ ὑπὸ τῶν ἑλκυσμάτων ὀπτηθείσης καὶ τριβομένης γενόμενος γλυκὺς καλούμενος κρητικὸς, ἢ πρότροπος ἢ πράμνιος. id est, uinũ quod siccata uua, aut in uite assata & trita fit, passum creticũ, aut protropũ, aut pramniũ appellatum. & Aetius 9. cap. 24. de passo Scybelite. σκυβελίτης δὲ οἶνος ἐστιν, inquit, ὁ αὐτομάτως ἀποστάζων, ἐκ τῶν πεπτηθεισῶν σταφυλῶν, καὶ τὸν οἶνον ἀποβαλλουσῶν. hoc est, Vinum Scybelites est quod sponte destillat, ex passis uuis ultro uinum effundentibus. Sunt enim πεπτηθεῖσαι σταφυλαὶ, non quæ calcatæ sunt, sed eędem quas Plinius dixit in uite à sole diutius adustas. Nimirũ quod ex hac patientia calcatis similes uideantur, appellatæ. qua ratione idem Plinius pateton palmæ speciem dixit, quæ græcis item πατητὸς est, uelut alibi ostendi. Neq; uero alia est θηλοπεδευθεῖσα σταφυλὴ apud Dioscoridem, quàm solem passa, non quidem in uite, sed à uite detracta, & loco calorifico exposita. Significat enim θηλοπεδεύομαι exsiccor loco calorifico expositus ac uersatus, quod tum in crate, tum super cãnas, commode fieri posse ostendit Columella libro 12. cap. 16. & 39. Sic idem Dioscorides in uino myrtite, οἱ δὲ προθηλοπεδεύουσιν ἐν ἡλίῳ, hoc est exsiccant & exuccas reddunt in sole. Porrò appellatio protropi siue musti, siue passi, seu uini dicere uelis, græcis ab eo deducta apparet, quod calcaturam & prælum sponte effluendo præuertat. ἀπὸ τοῦ προτρέπειν τὸ ἐκπιέζεσθαι, quod ipsum ex Plinij item uerbis suprà citatis clarũ est, ne quis à populo appellatum existimare inducatur. Columella hoc ipsum Mustum lixiuium appellauit. lib. 12. cap. 41. & 37. Græci etiam aliqui πρόχυμα uocãt, uelut Florentius, apud Constant. Cæsarem lib. 6. cap. 16. testatur.

Optime conuenit & in pesso appositum.] Medicamentum hoc non auribus solum, sed & uuluis commodum esse perhibet Asclepiades, in pesso subditum. Est autem pessus itemq; pessarium, medicamenti forma ad tali similitudinem redacta, quæ genitalibus fœminarum partibus inditur, unde etiam appellationem habet. Paulus lib. 3. cap. 61. lanam cõcerptã & ad digiti figuram rotundã factam, in qua pharmaca excipiantur ac contineantur, pessum appellari ait, quũ tamen non semper lana excepta pharmaca indantur, sed aliquando aptis humoribus, gummiq; ac resinis additis, ad talem formam cogantur. Pauli uerba hæc sunt. πεσσὸς δὲ ἐστὶν ἔριον διεξασμένον καὶ σφαιρωθὲν, δακτύλου σχῆμα εἰληφὼς, ἐν ᾧ ἐγκατέχεται τὰ φάρμακα. Verũ de usu & differentijs pessorũ, idem Paul. lib. 7. c. 24. abũde tradit. Cæterũ in hoc medicamẽto in græco exẽplari ὑοσώπου, δραχ. δ. falsò habẽtur.

Nam

Nam οἰνόπτου legendū est, qui error frequēs est in græcis medicis, ut alibi ostēdi.

Cōpositio Hispanorū appellata. Gari nigri, quod Romani Sociorū appellāt.] Hoc loco exēplar græcū γάρου μέλανος ῥωμαϊσὶ λεγομένου ὀπτόρω, habet sed falsò, Nā σοκιόρωμ legi debet. Nulla est enim in Romana ac latina lingua Ocitori uox, uerum garum optimū Hispanū ac Carthaginense, Sociorum Romæ fuit appellatū, unde sanè etiam hæc cōpositio Hispanorū appellata uidetur, quod ob Gari copiam in Hispania frequēs esset, aut etiam quod Sociorū garum quod recipit, Hispanū esset. Sociorū autem appellatum opinor, quod ganeones & gulæ dediti lurcones, sociatim eo uterētur, ipsumq; in maximis delicijs haberent. Plin. 9. cap. 17. de mullo loquēs: M. Apicius ad omnem luxū ingenio mirus in sociorū garo (Nam ea quoq; res cognomē inuenit) necari eos præcellens putauit. At uero mirū uideri possit, hodie garo penitus exoleto, hoc liquoris genus præsertim è scombro pisce, ob præcipuā quæ inter socios caperetur uoluptatem, Sociorum appellatū esse. quando sanè Plinius alias intestinis pisciū, cæterisq; quæ abijcienda essent sale maceratis id fieri prodit, ut sit illa putrescentiū sanies: quæ utiq; res non uidetur adeò magni luxus esse, maxime quū Plin. eodem loco, lib. uidelicet 31. cap. 7. florē salis appellari dicat, rem odore quoq; ingrato ceu gari. & Martialis poeta ungenti odorem in gari fœtorem corruptū per olfactum Papili, lib. 7. epigram. ait, his uersibus, Vngentum fuerat quod onyx modo parua gerebat, Nunc postquam olfecit Papilus ecce garum est. Verum eodem item Plinij capite, apparet hunc liquorē certo salis condimentarij genere præparatū fuisse, ut ex eo & iucūditas, & gulæ inuitamenta sint quæsita. Et quid adeò mirum sit gari ita expetitum fuisse liquorē, quū etiam hoc nostro seculo, multa salsamentorū genera apud septentrionales maxime, et ultra citraq; Oceanū magnum habitantes in delicijs sint, quæ mediterranei homines, & superior adeò Germania penitus nō expetant, imò etiam fastidiāt. tanta uidelicet est palatorū diuersitas, Et ut reliqua omittam, Aringarum muria conditarū esu crudo superior Germania abhorret, qui tamē proximis Oceano & mediterraneis Germanię populis, æque diuitum ac pauperū mensis expetitur, & à Liuonibus ac Ruttenis unà cum muria uoratur, ac quanto putridior est, tanto magis appetitur ac probatur. Plinij uerba hæc sunt, De sale. Cōditur etiam odoribus additis & pulmentarij uicem implet, excitans auiditatem, inuitásq; in omnibus cibis, ita ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta. Ita est in mandendo quęsitus & garo. Ex his uerbis Plinij uelut dixi, apparet garū certo salis condimentarij genere pręparatū fuisse. Cæterū Martialis poeta ex scombri sanguine primo, quem adhuc spirans effudit, garum Sociorum quod fœcosum nominat, cōstare dixit, in Xenijs. Garum Sociorum. Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo, Accipe fœcosum munera cara garum. Quare quod Nigrū hic appellat Asclepiades garum, idem esse uidetur quod Martialis dixit fœcosum: à colore uidelicet cruoris appellationibus deductis. Videtur autem Paulus Aegineta 3. capite 59. hoc ipsum garum πρωτεῖον, hoc est, primarium appellare, reliquorum ex alijs piscibus respectu. Nam ad infinitū gari genera creuisse Plinius testatur, fuisseq; quoddā colore mulsi ueteris, atque adeò dilutæ suauitatis, ut bibi potuerit. Dioscorides autem non piscium tantum, sed etiam carniū garum dixit. Democritus apud Constantinum Cæsarem locustarum quoque garum dixit, tanquam generalem muriatum nomenclaturam, quæ postea tamen sit ad certum liquorem contracta, ex scombri uidelicet sanguine & certo salis condimentarij genere constantem. adiectæque certę postea distinguendi gratia uoces, ut scilicet Hispanum, Nigrum, Sociorum, fœcosum, & primariū uocaretur. Constantinus certe Cæsar libri 20. de agri-

de agricultura sine αἱμάτιον γάρ ex thynno habet, sic appellatũ quod unà cum branchijs ac intestinis thynni, etiam cruor saniosus ac sanguis sale condiatur, ita ut ex his omnibus emanãs liquor, Garum hæmatiũ appelletur. Quo loco etiam Liculmen barbara ut opinor uoce, appellatũ garum habet, ex intestinis piscium & paruis pisciculis atherinis, mullis, mænulis, lycostomis, aut alijs quibuscunq; paruis salitis ac insolatis cõstans, ita ut fit liquamentũ ex uase in cophinũ perstillans, & quod restat crassius retrimentũ Alex uocetur. Quanq́ sociorũ pro liculmen legi debere suspicarer, nisi ex scombro non fieret, & Bithynũ ac hæmatium ipsi præferretur. Verũ antea quàm à garo digrediamur locum ipsum Plinij supra citatũ emendabimus lib. 31. cap. 8. Nunc è scombro pisce laudatis. in finibus Carthaginis spartariæ & cetarijs. Ita sane in omnibus exemplaribus quæ ego uidi legitur, uerum corruptã lectionem existimo sic restituendam. Nunc è scombro pisce laudatissimũ in finibus Carthaginis & Hispaniæ cetarijs: atq; ut ita legendũ putem ex eiusdem Plinij loco lib. 9. cap. 15. adducor, ubi de scombris loquens ait, Hispaniæ cetarias his replent. Neq; enim placet quod quidam Spartariam epitheton Carthaginis esse uolunt, ob sparti abundantiam, de qua idem Plinius testatur. Quod si quis autem hanc lectionem non admittat, & tamen cõiecturæ locum ampliorem concedat, ausim credere Scombrariæ pro Spartariæ legendum esse. Scombrariam enim Strabo lib. 3. ait insulam à noua Carthagine stadijs 24. sitam, quæ à scombrorũ captura, ex quibus optimũ garum fit, nomen acceperit.

Porro non aliud q́ Sociorum garũ esse opinor, quod Martial. lib. 7. arcanum appellauit. Sed coquus ingẽtem piperis cõsumet aceruũ, Addet & arcano mista falerna garo. Sequitur cõpositio Charixenis ad corruptiones & fœtores, quę in græco exẽplari penitus est corrupta, à nobis autẽ iuxta ueterẽ interpretem, qui tamẽ mancus & corruptus hic est, sic restituta, ut pro συπηρείας μηλησίας λι.α. legatur μηλίας δραχ.γ. & pro χαλκάνθου λι.κ. ponantur δραχ.γ. & postea pro οἴνου μυρτίτου. ξ.γ. legatur. ξ.ς. quemadmodum ego conuerti. Nam quod ad pondera attinet chalcanthi & aluminis melij, cuiq; statim apparet extra modum esse aucta. uini autem mensura sextarij dimidij suffecerit ad hoc pondus quod nos restituimus. At uero quod συπηρείας μηλίας, hoc est aluminis Melij legẽdum sit, ex Dioscoride & Plinio patet, qui in Melo insula hoc generari tradunt, & non in Mileto. Plinius lib. 35. cap. 15. Ad omnia quæ in cæteris generibus diximus, efficacius intelligitur ex Melo aduectum.

Aut croci & myrrhæ utriusq; drach. II. nuces amaras decorticatas XXXV.] Exemplar græcum hic neq; pondus neq; numerum nucum amararũ habet. Imò pro amaris nucibus, tenues, hoc est, κάρυα λεπτὰ leguntur, qua uoce non amaræ nuces, hoc est, amygdalæ significantur, sed nuces auellanæ & ponticæ appellatæ, ut Dioscor. testatur. Sũt hæ nullius in aurium uitijs usus. Amaras autem iam ante etiã sæpe in hac tractatione habuimus. Quare pro corrupta lectione, κάρυα λεπτὰ λεπτυσμένα λεῖας, &c. substituẽda est integra, hæc κάρυα πικρὰ λελεπισμένα. λε. τὰ κάρυα λεῖας, &c. Hic enim numerus in ueteri interprete expressus est, & sane sufficere uidetur ad mellis & succi mensuram, quam tamen in totum non habet uetus Interpres.

Probe facit ad omnẽ auris affectionem adeps uulpinus inueteratus, liquatus & instillatus.] Hoc loco Archigenes ἀλώπεκος στέαρ τεταριχευμένον habet, quod adipem uulpinum inueteratum uerti, quãquam τεταριχευμένον non inueteratũ tantum, sed & sale conditũ ac afficcatũ significet, ut diligenti animaduersione opus sit græcos medicos legẽtibus, qua significatione singulis locis usurpetur, quum non leuis differentia sit, quod ad usum medicum attinet, salsa aut insulsa, & simpliciter

pliciter assiccata aut inueterata re aliqua uti. Hoc itaque loco uidetur mihi sanè adeps uulpinus inueteratus simpliciter indicari, non sale seruatus & conditus. quomodo etiã Dioscor. de anserino & gallinaceo dixit δίχα ἁλῶν τεταριχευμένον, quandoquidem & μεθ' ἁλῶν fieri ταρίχευσις possit, ut ibidem Dioscor. indicat. Et Plin. 28. cap. 9. de adipe suillo. Inueteratur duobus modis, aut cum sale, a[illegible]ice-rus. Verũ cum sale inueterati adipis uulpini usum, in auriũ affectionibus ineptũ puto. Sicut contra aptũ suillum salsum ad malignas duricies, & maligna ulcera, Dioscor. capite de glandibus dixit. στὼ ἔστι δὲ ταριχηρῷ χοιρείῳ πρὸς κακοήθεις σκληρίας, καὶ πρὸς πονηρευόμενα ἕλκη ἁρμόζουσι. Potest tamen tum hic, tum ad aures pro affectionis ratione, quispiam aut salso aut simpliciter inueterato uti. Quod uero ταριχεύω & ταρίχευσις, ac aliæ eiusdem coniugij uoces, ambiguam hanc significationem habeant, aliquot locis amplius indicabo. Idem Dioscor. de Scinco, ταριχευόμενος ἐν καρδάμῳ inquit, hoc est in nasturtio siccatur ac seruatur, quãquam nihil uetet etiam hic intelligere sale conditum Scincum in nasturtio seruari, quandoquidem Plin. 28. cap. 8. salsos afferri dixit. Nam salsos eum uidisse, non ex τεταριχευμένοις uertisse apparet. Itaq; siue salsos, siue simpliciter in nasturtio assiccatos accipias Scincos non multum aberraris, quũ utrumq; recte fieri possit, & nasturtij ustoria ui Scincum siccare potente, sicut sales eundem conseruant. Nolo tamen studiosos suspicionem meam de hoc loco cælare, Nam mihi sanè ἐν καρδόπῳ legendum uidetur, pro quo facile potuit ἐν καρδάμῳ à quopiam substitui, cui καρδόπου uox fuit ignota, quam ego alibi μάκτρας significatione accipi ostendi, hoc est pro cista siue alueolo panario, Talis enim Scinco maxime integro saliendo conuenientiss. esse uidetur. At uero idem Dioscor. quum de cepis inquit, δριμύτερον τὸ ὠμὸν τοῦ ὀπτοῦ καὶ ταριχηροῦ, inepte quis acceperit acriorem esse crudam quàm assatam ac sale seruatam, quum cepas sale simplici asperso cõdire ac asseruare non sit usitatum, Quare ταριχηρὸν κρόμμυον hic pro cepa assiccata simpliciter accipiendum est. Sic enim inueteratæ asseruantur absq; salis conditura: quanquam etiam acida muria, uel etiam solo aceto cepas asseruari Galenus 2. de alimentis tradat, more nobis hodie ignoto, loco ubi de fœniculo agit: eundem autem conditurae ceparum modum docet etiam libro 12. cap. 10. Columella, ut de cepa hoc modo seruata, Dioscor. potius dixisse uideatur. At uero Galen. 9. Methodi de diatritarijs medicis loquẽs, ait ipsos hominem triduo fame assiccatum, quarto tandem die nutrire incipere, ἐκεῖνοι inquit, προταριχεύσαντες τὸν ἄνθρωπον ἄρχονται τρέφειν, quo loco certe nulla alia quàm simpliciter assiccandi significatione προταριχεύσαντες accipi potest. Rursus quum idem Dioscor. ait ὁ δὲ ὠμοτάριχος λεγόμενος σάρξ ἐστι θύννου τεταριχευμένου, necessario salsam Thynni carnem accipimus, quum no[illegible]liter asseruari soleat. Quod si quis enim sole siccatum inueterascere sinat, quemadmodũ quædam piscium genera etiam hodie siccantur, inepta sanè erit Thynni caro ad hos usus, quos hic Dioscorides præscribit, supra hoc quod ταριχεύειν de solis siccatura priuatim non dicitur, sed ἐν ἡλίῳ ξηραίνειν, atque σκελετεύειν, hanc significationem & usum habent. Quare omnino salsa Thynni caro, ὠμοταρίχου & τεταριχευμένου uoce accipienda est. Quod ipsum ex Galeni uerbis aperte colligitur libro secũdo de alimentorum facultate, de cucurbita ubi ait, κατὰ αὐτὸν λόγον εἰ καὶ μετὰ τινὸς ἁλικοῦ προσενεχθείη, καθάπερ ἐν Ἀντιπάτρῳ μετὰ ταρίχου αὐτὴν ἔνιοι σκευάζουσιν, ἁλικὸν ἐν τῷ σώματι γεννήσει χυμόν. ἥδιστον δ' ἔδεσμα τὸ οὕτως σκευασθὲν, εἰ τὸ τάριχος εἴη τῶν ποντικῶν ἐκείνων, ἃ καλοῦσι μῆλα. Hic planè uides τάριχον pro salsa pisciũ carne accipi, & nõ solum Thynnorũ, sed etiam aliorũ pisciũ & maxime ponticorum, quos μῆλα, id est, ouiculas, appellari dicit: quas ego non alias esse puto, quàm quæ κορδύλαι ab Aristot. & Plinio dicuntur, qui

tur, qui Thynnos non alibi fœtificare quàm in ponto tradunt, atq; eum partum cordylam appellari, qui poſtea à luto Pelamis uocari incipiat, & tandem quum annuum exceſſit tempus, Thynnus, ut Plinius 9. cap. 15. habet. Sic etiam ἅλμη τῶν ταριχηρῶν ἰχθύων ab eodem Galeno 11. ſimpl. phar. dicitur. hoc eſt, Muria piſcium ſale cōditorum, quam certe ſimpliciter inueterati & aſſiccati piſces non habent. Porrò Plinius 32. cap. 10. quum inquit, Pſilothrum eſt Thynni ſanguis, fel, iecur, ſiue recentia, ſiue ſeruata: alterã τεταριχευμένων ſignificationem palàm reddidit. Seruata enim Inueterata dixit, uitauitq; ſalem adijcere, quum tamen ſale condita, & non ſimpliciter aſſiccata ſeruentur, ad hunc præſertim uſum; uelut ipſe 9. cap. 15. dixit, cætera parte plenis pulpamentis ſale aſſeruantur. Verũ ſuffecerint hi loci quibus manifeſte, uelut dixi, τῶν τεταριχευμένων uocis ambiguitas indicatur. Quin & aceto cōdire ac aſſeruare, ταριχεύειν ſignificat. Sic infrà lib. 5. τὸ ὑγρὸν ὄξει δριμυτάτῳ ἐφ' ἡμέρας μ. ταριχεύσας τρῖψον.

Quod ſi uero auriculæ os corroſum ſit.] In græco exemplari habetur εἰ δὲ λελιπασμένον τὸ τοῦ ὠτὸς ὀστέον τύχῃ, hoc eſt, Si uero impinguatum auriculæ os fuerit, quod omnino obſcuro ſenſu diceretur. Videtur autem poſt uermiũ mentionem habitam, corroſionis per ipſos inductæ curam tradere uoluiſſe, quam ſane tum ſcalptura, tum uſtura ipſius oſſis perficiendam eſſe dicit. Quare ego λελυμασμένον pro λελιπασμένον ſubſtituendum ſuſpicor. Significat enim λελυμασμένον, læſum & corruptum, hoc eſt διεφθαρμένον. quanquam frequentius actiuæ ſignificationis reperiatur, & τὸ διαφθείρειν ſignificet. Niſi quis omnino λελιπασμένον, attenuatum & mollitum ſignificare uelit, quod impinguata ferè omnia attenuentur & mollita reddantur, atq; ita corrumpantur, ſed mirum cur in hac re ſignificantiore uerbo uti noluiſſet. Iſta uero ſignificatione λιπαίνειν & λιπαίνεσθαι reperiri ſatis uulgatum eſt, & alibi etiam à nobis dictum, ut per me utrũuis legas licet.

Quæ Apollonius ad ſonitus & ſuſurros, &c. conſcripſit.] In his pharmacis ungētum Arabicum ad ſemen lini diluendum, haud ſcio an recte legatur, & non potius ῥοδίνῳ, aut ῥαφανίνῳ, aut ἀμαρακίνῳ, aut ἀβροτονίνῳ ſit legendum, pro eo quod ἀῤῥαβικῷ habetur expreſſum. Deinde rutam & cuminum pari menſura trita, & aceto diluta, ammixto melle infunde, conuerti. ſed in græco eſt πήγανον καὶ κύμινον ἴσα τρίψας καὶ διεὶς καὶ εἰς μέλι μίξας ἔγχει. quæ uerba quum non plenam ſententiam exhibeant, pro καὶ διεὶς καὶ εἰς μέλι, &c. ſubſtituendum puto καὶ διεὶς ὄξει καὶ εἰς μέλι, &c. Nam liquor quo hæc diluenda ſunt deeſt, quem ego acetum eſſe debere arbitror, & alias procliue fuit καὶ εἰς, pro ὄξει καὶ obliterato ut ſuſpicor, ſupponere. Poſtea autem Viticē & ſtellionis caput pari pōdere trita ammixto oleo inſtilla, reddidi. Nam in græco legitur ἄγνου καὶ ἀσκαλαβώτου κεφαλὴν τρίψας δὲ ἴσον καὶ μίξας ἔλαιον ἔνσταζε. Qua tamen lectione quis decipi queat, & agnini capitis partem adijciendam putare, ita ut latina agni uoce Apollonius uſus eſſe crederetur. Sed Plinius libro 30. cap. 9. ad uerbum idem medicamentum habet, non tamen ad aurium ſonitus, aut alia uitia, ſed ad pedum clauos, ut quis ob id ſuſpicari poſſit, ſuppoſititium hoc loco eſſe, maxime quum neq; uetus Interpres hoc habeat, ſicut neq; ſuperiora duo, cæteris tamen ab eo utcunq; conuerſis. Verum huic non tutò creditur, ut qui ferè ſemper non intellecta relinquat. Verba Plinij ſunt. Stellionis caput cum uiticis pari modo tritum ex oleo.

Pinguitudinem caſeo in figulinũ uas recens coacto ſuperſtantem tepefactam inſtillato.] Hanc caſei recens coacti pinguitudinem ſic græce deſcribit. τὸ λίπος τὸ ἐπιγινόμενον ἐπὶ τοῦ τυροῦ τοῦ ἐν τοῖς κεραμέοις συγκειμένου. Eſt autem ἐπιγινόμενον quod ſuperſtat & innatat, ex caſei coagmento reſultans, quod ipſum in rebus quæ coquuntur, & ipſo adeò lacte ἐπίπαγος aliàs græcis medicis appellatur.

Ac caput

Ac caput resiccandum est.] Ita quidem Græcum exemplar habet. καὶ κεφαλὴν ξηραντέον. Verum ego uehementem suspicionem habeo, ξυρδυτέον legendum esse, hoc est attondendum, ut Celsus lib. 6. ad grauem auditum ait, quanquã sanè sub ξηραντέον utpote generaliori uerbo, etiam ipsa capitis rasura comprehendi queat. Nam & ipsa caput resiccat.

Similiter & per fermentum in ueru assatum fomentũ adhibendum est.] Inter reliquas fomentorũ species, etiam hanc per fermentum in ueru assatũ Apollonius recenset. Ita eñ habet, ὡσαύτως δὲ πυελιατέον καὶ στέατι ποδὶ ὀβελίσκου ὀπτημένῳ. Accipio enim hic στέαρ non pro adipe & pinguedine, quæ alias significat, sed pro fermento seu farina aliqua aqua subacta aut panis massa, qua significatione tum στέαρ in singulari, tum στέατα in plurali, Hesychius exponit. Inquit enim στέαρ λίπος, καὶ ζύμην, καὶ ἄλευρον. Et στέατα ἄλευρα, ζύμη. & uocem ἀπομαγδαλιὰ exponens ait esse, στέαρ ἐν ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ἐν τοῖς δείπνοις, βαλόντες δὲ τοῖς κυσὶν ἀνελύοντες ἀπὸ δείπνων, hoc est, panis massam in qua manus detergebant in cõuiuijs, & discedentes inde canibus proijciebant. Intelligit autem quadras ex pane, in quibus obsonia diuidebãt, & digitos tergebant, uelut etiam Pollux testatur, qui de apomagdalijs lib. 6. ait, ἀεὶ ἦσαν τὸ ἐν τῷ ἄρτῳ μαλακὸν καὶ σταιτῶδες, εἰς ὃ ἐπιψησάμενοι, τοῖς κυσὶν αὐτὸ παρέβαλον. De his etiam Virgilius sentit quũ ait: Heus etiam mensas consumimus inquit Iulus. At uero στέαρ de quo dicere institui, & Dioscorides, Galenus, Aetius, ac Paulus, & reliqui medici Greci sic frequenter usurpant, ut στέαρ nihil aliud quàm σαῖς significet, quod ipsum locis aliquot adductis indicabo, ut manifestum fiat perperam facere eos qui στέαρ pro σαῖς positũ commutant, quum utraq; uox, pro fermento & farina aqua subacta accipiatur: grauius uero adhuc delinquere eos, qui στέαρ pro fermẽto dictum, nobis latine adipem aliquando præter omnem rei rationem & usum conuertunt, à quo delicto neq; ipse Plinius se tutari potest, à se per incogitantiã admisso. Nam quod apud Diosc. lib. 2. de Scilla legit. στέατι δὲ ἢ πηλῷ περιπλάσσεται καὶ δίδοται εἰς κλίβανον, &c. Plinius 20. cap. 9. conijcitur in clibanum aut furnum uel adipe aut luto illita conuertit, & quod Diosco. lib. 5. de stibio dixit, ὀπτᾶται δὲ στέατι περιπλασθὲν, καὶ ἐγκρυβὲν εἰς ἄνθρακας, ἄχρις ἂν ἀνθρακωθῇ τὸ στέαρ, Plinius lib. 33. cap. 6. sic reddidit. Quidam non fimo utuntur coquentes, sed adipe, quum non adipem hic sed fermentum uox στέατι indicet, pro qua σταιτὶ ex antiquorũ codicum lectione supponere non est necesse, uelut alij Diosc. interpretes faciunt. Sic idem Dioscorides de Erysimo ἐνδεθὲν εἰς ὀθόνιον καὶ ὀπτηθὲν στέατος περιπλασθέντος, hoc est linteo illigatum & fermento oblito assatum. Neque est quod etiã hic ueterum codicum fidem imploremus, qui σταιτὸς habeant, quũ στέατος lectio sit recta, & idem quod σταιτὸς significans. Sic idem Dioscorides de fici utriusque succo. καὶ μυρμηκίαν αἴρει στέατι περιπλασθείσης τῆς ἐν κύκλῳ σαρκός, hoc est, fermento uel farina aqua subacta, aut etiam panis massa molliore, interna uidelicet medulla, oblita circumsita carne. Nam si de adipe intelligi uoluisset, adiecisset utiq; cuius animalis eum esse uellet, sed nullus est qui hanc muniendi, & ab exulceratione tutandi uim habeat, quemadmodum hanc optime fermenti & farinæ tectorium præbere potest. At uero sicut in his locis atq; adhuc alijs, pro fermento στέαρ recte intelligitur, Sic multis alijs pro adipe ab eodẽ usurpatur, quos tædiosum foret producere, quũ hi suffecerint ad στέατος æquiuocationẽ ostendendã. Verũ hæc ipsa adhuc euidentius ex Paulo Aegineta apparet qui lib. 3. cap. 28. in quadã arteriaca, ᾠοῦ ἐν στεατίῳ ὀπτημένου τὴν λέκυθον habet, hoc est oui in fermento assati uitellũ. Nam quum diminutiua uoce στεατίῳ dixerit, certum est non suppositiciam esse, quum ἀπὸ τοῦ σταιτὸς nulla similis formet. quod uero non adipe ouũ assari uelit, utpote ad hũc usum inepto, sed fer-

mento, Aetius ostendit qui 8. cap. 51. in eiusdem arteriacæ cõpositione ἀλεύρου ὀπτοῦ ἐν ζύμῃ τὴν λέκυθον dixit. Porrò plures ex autoribus locos adducere non est opus, quando ex his palam fit, στέαρ fermentum significare, & non recte facere qui στῆς pro eo supponunt, & adhuc peius delinquere, quia adipem conuertunt in his locis ubi pro fermẽto, aut farina aqua subacta, aut panis massa accipitur, uelut etiã hoc Galeni loco, & alijs pluribus infra, quos tempestiue ostendam.

Veratrũ nigrũ erui magnitudine in cocto melle indito, ac donec quod impedit erodat finito.] Hoc loco καὶ ἔα ἕως ἂν τὸ ἐμποδίζον διαφράγῃ habetur. Vetus aũt interpres διαφάγῃ legit, quæ lectio etiã mihi probatur. διαφάγω enim exedo & erodo significat, quæ significatio, ueratro cũ melle nõ male cõuenire uidetur. διαφράττω autẽ obturo & obstruo, penitus contrariũ exhibeat sensum, nisi obsepire et sic dissparare & intercipere accipere uelimus, quam torturã haud scio an hæc uox patienter sit latura. Diosco. idem auxilium alijs uerbis habet. ὠτὶ καὶ δυσηκοοῦντι, inquit, καθίεται εἰς τὸ οὖς ἐώμηθεν ὦτι. β. ἢ. γ. ἡμέρας.

Si uero perfectę ætatis quispiã ita fuerit affectus, ipsum in tabulã secundũ affectam aurẽ reclinatũ.] Hunc concussionis in tabula modũ Celsus li. 6. paulò aliter tradit his uerbis. Tabula quoq; collocatur media inhærens, capitibus utrinq; pendentibus, superq; eam homo deligatur in id latus uersus, cuius auris eo modo laborat, sic ut extra tabulã emineat. Tum malleo caput tabulę, quod à pedibus est, feritur, atq; ita concussa aure, id quod inest, excidit. Hactenus Celsus, lectione ut ego suspicor corrupta, & satis ambiguũ concussionis modum indicante. Nam si extra tabulam auris emineat, ut inquit, malleoq; caput tabulę à pedibus feriatur; motus aurem non cõtinget neq; concutiet. Placetq; magis Archigenis doctrina qui caput ad ipsam tabulam firmare iubet, ut ea qua firmatum est caput parte leuata & demissa, auris ipsa concutiatur, atq; ita quod illapsum est elabatur, & ad hanc rem etiam accõmodatior est tabula simpliciter iacens, non pensilis utrinq; qualem Celsus indicare uidetur. Porrò in Græco exemplari paulò post ἢ πευκεδάνου πλεῖον legitur, quod aut peucedani succum dixi. ὀπὸν enim pro πλεῖον puto legendum, sensu & re ita expostulante.

Aut Cinnabarin uiridẽ instillato.] Hoc loco in Græco exẽplari ἢ κινναβάρεως χλωρᾶς ἔνσταζε habetur, hoc est, Cinnabarim uiridẽ instillato. Verũ dubito an Cinnabarim auribus instillari cõueniat, siue res metallica, quæ & minium & miltos Plinio dicitur, siue draconis sanguis ea uoce accipiatur. Aequiuocam enim esse cinnabaris uocẽ Plin. 33. ca. 7. apertis uerbis tradit, unde etiã error natus sit apud quosdam medicos indico Cinnabaris nomine miniũ accipientes, quum minium uenenum sit, & indicũ Cinnabari sanies draconis elisi elephantorũ morientium pondere, permixto utriusq; animalis sanguine existat, quę antidotis medicamentis utilissima est, & non Cinnabari quod etiã miniũ uocatur. Idem Plin. 29. ca. 1. inquit. Comperiq; uulgo pro Cinnabari indica, in medicamenta miniũ addi, inscitia nominis, quod uenenũ esse docebimus inter pigmenta. Ex his itaq; Plinij locis patet, Cinnabari quod etiã miniũ dictũ fuit, in medicamenta non recipi, sed solũ pictoriæ seruire, quod ipsum etiã Diosc. lib. 5. testatur, qui tamen capite in quo de Cinnabari agit, miniũ falso idẽ quod cinnabari putari ait, atq; miniũ in Hispania ex lapide quopiã parari scribit, cinnabari uero, sed adscribã ipsius uerba, τὸ δὲ κιννάβαρι τοῦτο κομίζεται μὲν ἀπὸ λιβύης, πιπράσκεται δὲ πολλοῦ, καὶ τοσοῦτόν ἐστιν ὡς μόλις ἐξαρκεῖν τοῖς ζωγράφοις εἰς τὴν ἐν ταῖς γραμμαῖς ποικιλίαν. ἔστι δὲ καὶ βαρύχρουν ἢ βαθύχρουν, ὅθεν ἐνόμισάν τινες αὐτὸ εἶναι αἷμα δράκοντος. Quibus uerbis nõ ostendit quæ res sit Cinnabari, sed coloris tantũ indicio facto, ait quosdam eius gratia draconis sanguinem esse ipsum existimasse, atq; ita incertũ relinquit an metallica res sit, an

sit, an aliquis liquor, quando sanè draconis sanguinē esse ipse non putat. At uero idem Diosc. qui miniū falso idem quod cinnabari putari dixit, mox in capite de argento uiuo minium etiam cinnabari abusiue appellatū fuisse testatur. Verba eius sic habent. ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομένου, καταχρηστικῶς ἢ καὶ τούτου κινναβάρεως λεγομένου. Et subdit, θέντες γὰρ ἐπὶ λοπάδος κεραμέας κόγχον σιδηροῦν ἔχοντα κιννάβαρι, &c. Vbi palam cinnabari pro minio dixit. Quare satis obscure Dioscorides quod uoluit docuit: ut forte non immerito à Galeno quum alibi, tum lib. II. simp. phar. notatus sit, tanquam qui linguæ græcæ non fuerit adsuetus: Videtur autē uoluisse docere, miniū à cinnabari, quam indicam Plinius dixit, rem diuersam esse, non tamen se negare, quin miniū quoq; abusiue cinnabari uocetur. Verū in eo longe obscurissimus est, quod quæ res sit cinnabari non ostendit, sed solum ex Affrica apportari, dicere contentus fuit: & magno uendi, ac exigua copia esse, ut uix pictoribus sufficiat ad lineas uariegandas. Esseq; amplius grauis aut profundi coloris, unde putarint quidam ipsam sanguinē draconis esse. Atqui quū hoc neget, conueniebat uel maxime ipsum quæ res esset cinnabari ostendere, quando etiā hodie sanguis draconis appellatus, non aliud esse putetur quàm uerus draconis sanguis, iuxta ipsam adeo Plinij opinionem. Cæterum quum Diosc. inter metallica de cinnabari agat, uidetur nō aliam rem quàm metallicam esse ostendere, & præsertim quū ipsi uim eandem cum hæmatite lapide tribuat, sed magis intentam. Quin & Galenus lib. 9. simpl. phar. Cinnabari inter metallica recenset, facultatem ei tribuens acrem, ita tamen ut etiā quid adstringens complectatur, sed neq; ex ipso clarum fit, quæ nam res sit cinnabari. At uero qui hodie sanguis draconis dicitur, & à plerisq; omnibus iuxta Plinij, & eorum quos Diosc. reuellit, opinionem: uerus sanguis creditur, non aliud esse uidetur quàm cinnabari inter metallica à Diosc. & Galeno relatum. Vires enim easdem habet, & in medicamētis usum adstrictorium ac cohibendi sanguinis, sicut etiā in picturis eodem modo ut Diosc. & Plinius tradiderūt usurpatur. An uero metallica res sit, aut draconis uel alterius cuiuspiā animalis sanguis, aut cuiusdā herbæ succus, neq; hodie certo constat, sed ab omnibus ignoratur quando sanè qui ex Vlyssippone Lusitaniæ regni emporio amplissimo, nobis aduehūt pharmacopolæ, constanter pro uero sanguine draconis extrudunt, & nos ita recens in grumum coactum ac concretum uidimus, ut nihil aliud quàm sanguis putari possit, quibus si cum Plinio & alijs quibusdam ueteribus quos Diosc. reuellit, fidem habeamus, Dioscoridis & Galeni autoritas uilior reddetur, quod haud scio an honeste tolerari possit. Auicennæ sanè ac Serapionis aliorumq; Barbarorum ac uulgo medicorum ineptias merito à nobis explodi puto, qui hūc sanguinem draconis appellatum, succū sideritidis herbæ esse tradunt, quod haud dubie etiā Diosc. Galenusq; ac Plinius tradidissent, si res ita haberet. Verum error inde ortus apparet, quod Sideritidis herbæ ea uis in glutinandis uulneribus, ab illis traditur, quæ in sanguine draconis appellato cognoscitur. Neq; satis scio quantum Aetio hac parte credendum sit, qui serm. 15. cap. II. inter emplastra cruentis uulneribus cōmoda, purpuram appellatum emplastrum describit, quod sanguinē draconis recipit, & ad eius finem, sanguinem draconis in India ex herba Dracontia colligi asserit, quum neq; ipse Dioscoridis, aut Galeni, aut alicuius ueteris autoritate nitatur, qui sanè in Dracontij descriptione nō uidentur fuisse prætermissuri succū eius sanguinē draconis appellari, si res ita haberet. Videtur aūt & hæc opinio ex consimili ui Dracontij ad cinnabarim enata esse, quando utrisq; acris & adstrictoria uis à græcis medicis adscribatur. Porrò miniū quondam cinnabari etiam fuisse appellatū ipsa uernacula nostra lingua indicat, quę ipsum berckcinnaber, quasi montanū cinnabari uocat, ex quo sanè argentū uiuum fieri Diosc.

dixit, ſicut rurſus ex argento uiuo & ſulphure factitium fit, cinnabari etiã uulgo appellatũ, quæ ambo ſoli picturæ conueniunt, & in medicamenta non adſumuntur. Quod itaq; ad præſentẽ Galeni locum pertinet, quem ex Apollonio adſcripſit, dubito ueluti dixi, an cinnabari Dioſcoridis & Galeni, hoc eſt, quod nos ſanguinẽ draconis dicimus (neq; enim aliud quicquã cinnabaris uoce apud græcos medicos accipiẽdũ eſt) auribus inſtillari cõueniat, & an hic κιννάβαρεως uox recte legatur, maxime quũ aſteriſcus adiectus indicet typographum circa lectionem hæſiſſe, & alias imperfecta oratio ſit κιννάβαρεως χλωρᾶς ἔνσταζε, deeſt enim aut ſuccus, aut liquor, aut tale quiddam, ut uidelicet eius rei liquorem inſtillandum accipiamus. Et ſane ſuſpicio eſt mihi pro κιννάβαρεως legi debere χυλὸν μωρέας, ut mori uiridis ſuccũ inſtillari iubeat, quando certe Galenus 7. ſimpl. phar. omnes huius arboris partes uim adſtringentem ac purgatoriam ſimul habere tradat, & radicis maxime corticem etiã habere quid amaritudinis, qua latum lumbricum occidat, ut non ob aliam cauſam etiam hic mori ſuccũ inſtillari Apollonius uelit quàm uermibus & pulicibus in auribus occidendis. Verum nihil decerno; poſſit forte & cinnabaris, hoc eſt, ſanguinis draconis, ut nos hodie appellamus, ſuccus recte inſtillari, ob acrem uim quã ipſi Galenus uelut dixi, tribuit, ſiue tandem rem metallicam, ſiue uerum draconis ſanguinẽ, ſiue ſideritidis, ſiue dracontij ſuccum, illum ipſum eſſe credamus. Modo uitemus ne propter æquiuocationem ad minium delabamur uenenum, quod in medicinam non recipitur, quæ cauſſa nobis fuit longioris commentationis.

Aut mali punici nucleo carentis dulcis & acidi ſuccũ.] Duo genera malorum punicorũ tum Theophraſtus, tũ Plinius agnoſcit, alterũ ἀπύρηνον, cui lignoſus nucleus abeſt, ut Plin. 13. ca. 19. ait, ſed candidior ei natura & blandiores ſunt acini minusq; amari, diſtincti membranis. Alterũ nucleos habẽs, cuius ſpecies Plin. 5 recenſet, dulcia, acria, mixta, acida, uinoſa. Galenus uero mixtum & uinoſum genus ſub reliquis tribus comprehendit, & quæ Plinius acria dixit, ipſe auſtera appellat. Has autem differẽtias nucleos habentiũ non ſolum eſſe, ſed etiã ἀπυρήνων id eſt nucleis carentiũ, uel ex hoc loco apparet, in quo Apollonius ῥοιᾶς ἀπυρήνου γλυκείας καὶ ὀξείας χυλὸν coquere iubet, uelut ego, tum hic, tũ infra inter nariũ exulceratarum medicamẽta, ubi idem medicamentũ Galenus ex Apollonio adducit, conuerti. Quare quum in utroq; genere tum dulcia tum acida ſint, Plin. 23. ca. 6. quum ait, ex his dulcia quæ apyrina alio nomine appellauimus, &c. corruptus eſſe uideri queat, aut certe eorũ quæ lib. 13. cap. 19. dixit oblitus, quando iſthic apyrinon non dulce, ſed cui lignoſus nucleus abeſt, uocarit. Verum ea uerba indicare uidentur apyrenũ proprie malũ punicũ dulce dictũ eſſe, etiamſi uox ipſa enucleatum ſignificet. Porrò per ἀπύρηνον punicũ non eſt accipiendum quod grana omnino non habeat, aut quod ſit exacinatũ. πυρὴν enim granũ & acinũ præſertim blandiorem non ſignificat, ſed nucleum lignoſum à Plinio dictũ, quẽ aliqua punica habent, aliqua uero eo carent: & apyrina etiã grana habere ex Plinij uerbis patet, quando blandiores eorum acinos eſſe dicit. Et Gale. lib. 8. cap. 4. huius operis quod exponimus, ſtomachicis ῥόας ἀπυρήνου κόκκους, hoc eſt acinos mali punici nucleo carentis in alica incoquere iubet, quos X. Meth. ſimpliciter ῥοιᾶς κόκκους appellauit. Vocantur itaq; grana & acini, κόκκοι ac γίγαρτα Græcis, nucleus uero ille lignoſus Plinio dictus πυρὴν appellatur, atq; ita etiã Dioſc. lib. 1. accipere uidetur, quũ ait, τῆς δὲ ὀξείας ὁ πυρὴν ξηρανθεὶς ἐν ἡλίῳ καὶ ἐπιπασσόμενος, &c. Verũ aliqui adhuc acinos exponere malunt, quod tamen nõ niſi hac ratione recte fieri poteſt, ut uidelicet πυρῆνας dicamus, ipſos lignoſiores acinos, nucleos Plinio dictos, neq; enim ſingularem aliquẽ nucleũ apud Pliniũ, aut etiã Dioſcoridem intelligere oportet; ubi uero hi ipſi nuclei ex malo punico fuerint per artẽ excluſi,

aut in blandiores acinos conuersi (nam apyrena acinis nō carere iam satis ostendi) tunc sanè iam nō πυρῆνας, sed κόκκους & γίγαρτα illos ipsos acinos appellemus. Cæterum quomodo quis ῥοιὰν ἀπύρηνον facere possit, per medullæ uideicet ex trunco arboris extractionē, Constan. Cæsar lib. 10. agriculturæ docet cap. 31. Meminit etiā lib. 4. cap. 6. ex Aphricani ac Democriti traditione. Meminit etiā Palladius lib. 3. cap. 29. At uero Plin. quū lib. 23. ca. 6. ait, de punicis aūt loquitur: Quin & nucleos ipsos acinorū experiri non piguit, to sti tusiq; stomachum iuuant, cibo aut potioni inspersi, nucleos pro internis edulibus acinorū blandiorū nucleis dixit, & nō pro lignoso nucleo, q in aliquibus punicis malis est acinorū blandiorū loco. Et sanè ipsa etiā Diosc. uerba supra citata, non de alio nucleo quàm acinorū interno, mihi sentire uidentur, quorū sententiā Plinius loco iam citato expressit.

Et tomentum lanæ conchylio infectæ indito.] Habet hic Crito καὶ γνῦθι ἐριοκόλλα κογχυλίου, quod idem est quod supra Andromachus compositione auriculari XXI. dixit, καὶ ἐριοκόλλα γνῦθι πορφύρων, hoc est tomentum lanæ purpura infectæ indito. & compositione XXII. conchylio aurem obturato, hoc est, κογχυλίῳ ἐμφράσσε τὸ οὖς. quo nihil aliud uult quàm lanam conchylio imbutam ac tinctam indendam esse. Hanc enim ut in primis cōmodam sæpe iam habuimus. & Marcellus medicus conchyliatā lanā appellat, cap. 9. quanquā etiā simplici & quacunq; lana, auris obturationē fieri posse in principio huius libri Gale. tradiderit. Quin Plin. 32. cap. 7. inter auriū remedia sic ait. Et per se cō chylio infecta lana magnopere prodest. Vbi sanè ἐριοκόλλα κογχυλίου, lanā conchylio infectā est interpretatus; ut eo minus dubitandum sit per ἐριοκόλλα κογχυλίου aut πορφύρας accipi tomentū aut floccum lanæ ex purpura aut conchylio infectæ. Quo magis mirum uideri potest quendam ex recentioribus sibi permittere, ut tradat purpuras & conchylia ipsa lanis uestita esse, quæ lanæ in usum medicum sint accipiendæ, atq; hoc ex Dioscor. lib. 2. uerbis de lanis ustis confirmat, ubi ait. τὸν δ' αὐτὸν τρόπον καὶ ἐριοκόλλας καίονται θαλασσίας πορφύρας, quod interpretatur, Cremantur eodem modo & quæ in marinis purpuris ueluti stuppæ sunt, & exponit Dioscoridem præter pecoris lanas, etiā quæ in marinis purpuris stupparum imagine sunt uellera cremanda docere, quæ alij tomenta, alij licia, alij fimbrias dixerint. Hæc sunt admirandi illius interpretis uerba, quibus ignarū uulgus ignorantissimus ipse persuadere conatur, purpuras & cōchylia lanas habere. Et subdit. Quid aūt in marinis purpuris hæ stuppæ sint, nouerunt qui ad mare habitant: quotidie enim ex hoc genere capiuntur, quæ superiori sui parte uillosæ sunt, tam tenui & sequaci uellere, ut in filum lini modo trahi ac confici possit. Quod aūt bonus uir hæc omnia fingat & ementiatur, neq; re ipsa, neq; ullius autoritate attestante, uel ex eo loco apparet, quem dogmatis sui confirmandi gratia, ex Paulo non intellectū à se adducit. Pauli uerba hæc sunt lib. 3. cap. 26. fine. λινοῦν ἀπὸ πορφύρας θαλασσίας περιδεθὲν ἐχίδνης τραχήλῳ, καὶ πνίξαν αὐτήν, εἶτα περιαπτόμενον, θαυμαστῶς πως ὀνίνησι παρίσθμια τε καὶ ὅσα περὶ τράχηλον, ὡς μαρτυρεῖ γαληνός. His Pauli uerbis funiculum ex marina purpura, qui uiperę collo circundatus eam strangulauerit, plerisq; oris et colli affectionibus prodesse suspensum ex collo, aut homini adalligatum, doceri ait, quæ sanè Pauli sententia non est. Nam uerba quæ præcedunt καὶ ὅλας ποιεῖ, cū his non sunt connectenda, sed ad præcedens medicamentū pertinent, quod Paulus & ad gingiuas facere dicit. quare Pauli uerborū sentētia hæc est ad uerbum: filum à purpura marina quod obligatū est collo uiperæ, eamq; strangulauit, deinde pro amuleto appensum est, mirifice quodāmodo iuuat tonsillas & colli affectiones, ut Galenus testatur. Quod itaq; λινοῦν ἀπὸ πορφύρας θαλασσίας Paulus & Galenus dixerunt, non accipiendum est tanquā ipsæ purpuræ marinæ lanas habeant, unde filum decerpendū sit in hunc usum, sed filū lanæ purpura marina in-

fectæ, uelut etiã hoc loco ἐριοκύδια κογχυλίου reddidi tomentum lanæ conchylio infectæ. Ipsas enim purpuras & conchylia nullis lanis uestita esse certum est, nec quae ullum aliquem res habet autorem uel αὐτόπτην testem, præter admirandum illum grammaticũ, qui non uisa, non audita, nullius autoritate tradita cõminiscitur, atq; hoc addit tandem. Neq; cuiquam absurdum uideri debere, quando & alia in mari hirta uillosaq; passim uideatur, quod ipsum ut in alijs quibusdã non penitus negauerim, ita in purpuris merum cõmentum existit. Quod autem neq; admiranda illa purpurarum lana etiam si in rerum natura esset, præcipuũ hunc usum ad colli affectiones habeat, ex Plinio patet, qui idem amuletum inter strumarum remedia recenset, lib. 30. cap. 5. his uerbis. Aliqui uero circunligant eas lino, quo præligata infra caput uipera pependerat donec exanimaretur. Hic simpliciter linum dixit pro filo cuiuscunq; generis, non addendo quod ex lana purpura infecta id esse uelit, aut ex lana (si dijs placet) purpurarũ natiua, ut ille somniat: quando neq; Dioscorides de alijs floccis comburendis tradat, quàm lanarum marinæ purpuræ cruore tinctarum. Lanas autẽ purpura conchyliorumq; ac muricum cruore imbui ac tingi solitas, notius est quàm ut longioribus uerbis ostendere libeat, etiam si tum lanæ, tum uestis purpuræ usus hodie sit abolitus. Plinius 9. cap. 36. ex Aristotelis ut apparet, lib. 5. de histor. animal. de eo hæc uerba tradit. Sed purpuræ florem illum tingendis uestibus expetitum in medijs habent faucibus. liquoris hic est minimi in candida uena, unde preciosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens, reliquum corpus sterile. & cap. 38. quinis lana potat horis, rursusq; mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. Hasitaq; lanas & Diosc. & Gale. & Paulus & Aetius, omnesq; medici græci ac latini tum ustas, tum non ustas in usu medico habent, & aliquando alia medicamenta his uelut adstringentibus & obturandi ui præditis excipiunt, neq; aliud per ἐριοκύδιας πορφύρας & κογχυλίου nobis ostendunt. Sic Paul. 3. cap. 37. fine. ταῦτα λεαινόμενα ἀναλαμβάνεται πορφύρᾳ ἢ ἐρίῳ καὶ ἐπιτίθεται τῷ στομάχῳ, id est, lana purpura infecta aut simplici excipiunt. Sic Galen. 7. Meth. ἀλλὰ καὶ τὴν χίαν μαστίχην ἐν ὀποβαλσάμῳ λειώσαντες, ἢ μύρῳ ναρδίνῳ, κἄπειτα ἔριον δεύσαντες ἐπιθήσομεν τῇ γαστρί. κάλλιον δὲ τὸ δευόμενον, ἄριστον εἶναι πορφύραν, οἵαπερ ἐστὶν ἡ τυρία. Et paulo post ἐν ναρδίνῳ μύρῳ λειώσας μαστίχην χίαν ὡς λιπαρωτάτην, ἀναλαμβάνων πορφύρᾳ χρῶ. Hic manifeste lanam tingendam medicamento, purpuram optimam esse debere docet, & addit optimam purpuram tyriam esse, hoc est, quæ cruore purpuræ ad tyrum captæ sit imbuta. purpurarum enim & cõchyliorum præcipua nobilitas apud tyrios fuit, ueluti alibi indicaui. Sic etiam apud Aetium 9. cap. 35. πίλημα πορφύρας ἐρίου, & 36. ἐρίου πορφυροῦ habetur, pro nulla alia lana, quàm quę purpurę cruore sit infecta. Dixit autem πῖλυμα Aetius, quod paulò post Crito πλάκα dixit, ubi lana conuoluta excipito uerti, quod græce habetur, ἀναλάμβανε πλακὶ ἐρίῳ. Eadẽ enim sunt significatione, πλάξ, πῖλυμα, πίλημα, σφαῖρον, uelut alibi memini. Verũ hæc omnia longius exquisita adducenda duxi, ut palàm fieret, dicere purpuras lanas habere, idem esse quod canes fœnum esse.

Quidam absinthium pro cerusa scribunt.] Hoc quidem procliue fuerit facere græcis, ob uicinitatem scripturæ utriusq; uocis, ut ἀψίνθιον pro ψιμμύθιον scribatur, Nobis contra ob diuersitatem in hunc errorẽ prolabi non est facile, quanquam hoc sanè loco non fuerit magnum delictum altera re pro altera uti. Absinthium enim propter resiccandi uim ac aliquantulum adstringentem, non incõmode cum melle cõtusis auribus adhibeatur, atq; ego sanè malim ad hunc usum absinthium & apij semen cum melle oblinere quàm cerusam. Sicut contra paulo infra ubi ait. Solanũ cum absinthio illinito, hoc est, στρύχνον μετ᾽ ἀψινθίου ἐπάλειφε, malim solanum cum cerussa illinito, hoc est, στρύχνον μετὰ ψιμμυθίου legere, atque

ita etiam lego, nempe solanum cum cerussa illinito. Nam non longe post ita ex Apollonij traditione habetur, sed tamen isthic ea cōmonitio nō est adiecta, quod scilicet quidam cerusam pro absinthio scribunt. Habet autem ψίμμυθιον, hoc est cerussa facultatē obstruendi oblinendiq; ac inducendi cicatrices, quæ res per absinthium cum solano expleri ac perfici non possunt.

Verum in auriū uulneribus & fissuris, cartilagine probe coaptata fibulas imponito.] Hoc loco Archigenes dixit ἐγχονδρίζεις ἐπιμελῶς ἀγκτηρίαζε, quod conuerti, chartilagine probe coaptata fibulas imponito. Accipio enim hic ἐγχονδρίζειν pro chartilaginem coaptare, hoc est, τὸν χόνδρον ἐναρμόζειν, quo fibulæ cōmode imponi uulneribus ac fissuris possint. Ipsa enim chartilago nō glutinatur neq; coalescit, uelut Hippoc. 6. Aph. 19. ait ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται, carne tamen circa increscente locus solidatur, ad quā rem fibulas imponere uel maxime conducit, quod ἀγκτηριάζειν græce dicitur, uelut alio loco ostendi. Possit tamen & ἐγχονδρίζειν pro χόνδρον ἐπιπάττειν aut καταπλάττειν, hoc est chondrum inspergere aut cataplasmatis modo imponere, dictum esse. Habet enim chondrus, hoc est alica, ut alibi ostendi, uim obstruendi ac oblinendi, ut commode auribus fissis adhiberi queat. Et sanè Paulus libro tertio contusis & fractis auribus, præsertim inflammatione subsequuta, alicam ex aceto coctam, hoc est, χόνδρον σὺν ὄξει ἑφθὸν imponere iubet. Quin ἐγχονδρίζειν etiam pro χόνδρον λιβάνου ἐπιπάττειν dictum uideri queat, quando sanè χόνδρος λιβάνου, micæ sunt & grana à Plinio dicta, & ea quam paulò ante dixit mannam, similiter ut ipsum thus auribus fractis commodam ad uulnera ipsarum glutinanda. Verum quando sequitur, deinde inflammationem arcentibus, & reliquo glutinatorio ductu utitor, magis placet mihi prima sententia: in his enim uerbis generaliter dictis, etiam chondrus tum alicæ, tum thuris comprehenditur. Porrò χόνδρος uox græcis præter alicæ significationem, de qua abunde in proximo libro dixi, & chartilaginis significatum, quod ubique occurrit, in generali grumum ac granum significat, uelut iam & paulò antea etiam de thuris micis ac granis dixi. Sic Aetius 9. cap. 37. λιβάνου χόνδρον κυαμιαῖον, hoc est, thuris granum fabæ magnitudine dixit, & de grumo salis idem eodem libro capite 39. ἁλῶν χόνδρον ἐν τῷ στόματι κατεχέτωσαν, id est, salis granum in ore detineant, & 13. cap. 46. πηγάνου φύλλα. κ. κάρυα βασιλικά. β. ἰσχάδας. β. ἁλὸς χόνδρον. α. id est, salis grumum unum habet. At uero χόνδρος ξιφοειδὴς apud Galenum ac omnes medicos Græcos, os pectoris appellatur, à capitis gladij figura appellatione deducta.

Inflammationes in superficie cutis ex humorū impressione aut plaga obortas.] In græco habetur ἐξ ἐπιφορᾶς ἢ πληγῆς. Est autem ἐπιφορὰ non peculiaris morbi oculorum nomen, sed omnium humorum ad quascunque corporis partes impetuosior impressio & influxus ἐπιφορὰ appellatur, & propterea loci ad quos eiusmodi fluxiones impressionem faciunt, aliquando adijci solent. Sic Plinius Epiphoras uteri, & uentris, & testium ac aliorum membrorum dicere consueuit, quanquā fluxiones oculos impetentes ferè simpliciter epiphoras appellet. Paulus tamen lib. 3. ubi de oculorū epiphoris agit, non nudo modo ἐπιφορὰς, sed τὰς τῶν ῥευμάτων ἐπιφορὰς dixit. & infra lib. 4. Nectarium Marci πρὸς ἐπιφορὰς ῥεύματος λεπτοῦ habetur, ex quo apparet non modo pituitæ impetum ad oculos irruentem ἐπιφορὰν dici, uelut quidam prodiderunt, sed omnium humorum ad quascunq; partes tum internas, tum externas impressionem, cuius rei exempla frequētiora sunt apud medicos autores, quàm ut pauca producere libeat, aut sit necesse. Sequitur paulò post, aut glandis ungentariæ succum & resinam liqui

dam tepidam affunde, quod Graecè habetur, ἢ βαλάνῳ πίσυμα καὶ ξηρὸν, &c. hoc est glandis succum. Non uidetur aūt de alia glande mentionem facere, quàm ea quæ cū adiectione μυρεψική appellatur. Ea eñ autore Galeno, uim συνακτικὴν & πλαστικὴν, hoc est conglutinatoriā & oppilatoriā habet, quarū hoc loco usus cōmodus uidetur. Per πίσυμα aūt hic succus accipiendus est, quanquā alias etiā retrimenta à succo expresso reliqua eo uoce indicentur, ut alibi ostendit.

Et conchylij partē internam.] Apollonius græce sic, καὶ κογχυλίς τὸ ἔνδον, hoc est conchylij internū, ut uidelicet μέρος seu μόριον, aut ὀστέας, aut tale quid intelligamus: uerum μόριον omniū maxime mihi arridet, atq; propterea conchylij partem internam conuerti. Galenus enim 11. simplicium pharmacorū de buccinis ac purpuris agens, seorsim de ipsorum testis, hoc est, περὶ ὀστράκων agit, quibus se nō nisi ustis ob duriciem uti asserit, indeq; earum facultatem reficcatoriā recenset, non longe autem deinceps περὶ σωμάτων πορφυρῶν hæc tradit. σώματα πορφυρῶν δ' ὅσα ποθεῖν τα ἀπλῶς διαλιπὸς ἐγράψαν τίνες ἰᾶσθαι, θυμιώμενα δὲ τὰς πνιγμώδης ὑστερικὰς ὠφελεῖν, ἐκβάλλ τε καὶ τὰ κατεχόμενα χορία. In his uerbis quanquam non habeat Galenus, quod ad κογχυλὶς τὸ ἔνδον pertineat, apparet tamen in purpuris, itemq; conchylijs, quæ generis purpurarū sunt, ut ex Plinio supra ostendi, non aliud esse ὄστρακον, id est externā testam, & aliud σῶμα. ut sane mihi libeat suspicari hoc Galeni loco non κογχυλὶς τὸ ἔνδον, sed τὸ ἐκτὸς legendum esse, atq; accipiendum testam siue operculū conchylij pharmaco cōmiscendum esse, quam ob uim reficcatoriam citra mordacitatem præcipue, uelut alijs humidis ulceribus, ita ad aures contusas ac fractas imponi expedierit. Videtur aūt hoc ipsum Plinius 32. cap. 10. purpuræ cauū uocasse, quū ait: Neruos præcisos purpurarū cauū quo se operiūt, tusum glutinat. At uero si quis omnino conchylij testam ammiscendam non putarit, per κογχυλὶς τὸ ἔνδον conchylij internā partē, hoc est, ipsam conchylij cutem cum carne intelligemus, quæ ipsa sane uim glutinandi habet, quemadmodum etiā carnes cochlearū, quibus Paulus hoc loco utitur, & Diosco. attestatur.

In caput Secundum de Parotidibus.

Melius utiq; etiā tunc uidebitur naturā adiuuare, per humorū ex loco in locū impetuosum illapsum, febres curantem.] Impetuosum illapsum humorū ex loco in locum, ἀπόσκημμα Galenus hic dixit. Est autem ἀπόσκημμα omnino aliud quàm ἀπόστημα, quē latine abscessum dicimus. Verū quomodo inter se hæc differant ex Galeni uerbis optime edocemur, lib. 2. artis curatiuæ ad Glauconē, ἀποστήματα inquit, ὀνομάζουσι τὰς διαθέσεις ἐκείνας, ἐν αἷς ἀλλήλων ἀφίστανται τὰ πρότερον ἀλλήλων ψαύοντα σώματα. χώραν οὖν ἀναγκαῖον ἐν τῷ μεταξὺ γενέσθαι κενὴν, ἥτις ἤτοι πενδυμα τοῦθ᾽ ἤ τινα ὑγρὰν, ἢ ὑγρὰν, ἢ ἐξ ἀμφοῖν συνθέτον περιέξει. & paulo inferius. ἀποσκήμματα δ' ὀνομάζουσι τὰς διαθέσεις ἐκείνας ὅταν χυμοί τινες, ὥσπερ κατασκήψαντες, ἐκ πρότερον ἑτέρου μορίου, καταλιπόντες ἐκεῖνο, εἰς ἕτερον μετασκήψωσιν. Ex quibus uerbis differentia manifeste apparet. Verum non parum sæpe euenit, ut per incuriam scribentiū, alterius iniuria, altera uox supponatur. Sic Gal. 4. Meth. γεγράφθω γοῦν ἕλκος ἐξ ἀποσκήμματος, ἀλλ᾽ ὅ τῶτο, ἄλλον ὡς ἐκ μοχθηρῶν χυμῶν. ὅτω γὰρ εἴωθεν ἡ φύσις ἐν νόσοις ἐκκαθαίρεσθαι τὸ σῶμα, τὸ περιττὸν ἅπαν ὠθεῖν ὑπὸ τὸ δέρμα. καὶ τούτω μὲν ἑλκωθῆναι συμβαίνει, τῷ δ᾽ ὅλῳ σώματι ἐκκεκαθάρθαι, hoc est, ponamus itaq; fieri ulcus ex humorum de loco in locum impetuoso illapsu, &c. Legendum est enim ἀποσκήμματος, & non ἀποστήματος, uelut exemplar uulgatum habet. Nam & Interpres Linacer ἀποσκήμματος legit ac uertit, quanquam sententia obscurius expressa. Finge ex eo quod in partem aliquam procubuerit, natum ulcus esse, &c. Hippoc. 4. de diæta acutorum μιμάδη καὶ δὲ μακροὶ οἱ πυρετοὶ οἵδε γίνονται, ἐν ἀποσκήμματι ἰσχεῖν, ἢν μὲν τὰ κάτω ψυχρὰ ᾖ τοῦ ὠτὸς καὶ τραχῆλον, ἢν δὲ μὴ ψυχρὰ, ἄλλας ἰδεῖ μεταβολάς. Sic sane is locus legendus est, uelut nuper in editione Frobeniana iuxta uetus exemplar restituimus. Interpres

tamen Copus abſceſſus uertit, ut qui ἀποςήματα legit, & alias ſententiã non eſt aſſequutus. Exempla plura adſcribere nolo, quãdo frequentis ambo ſint uſus in medicis græcis: cõmonuiſſe ſuffecerit, ut genuinam lectionem alterutrius uocis in ſingulis locis, ſtudioſi rerum medicarum diligenter expendant.

Aut ſanè per acre pharmacum abſceſſum rumpere, quale eſt Smilium appellatum, & quod ex allijs conſtat.] Hæc pharmaca inter emplaſtra Paulus lib. 7. deſcripta habet. Videtur autem σμίλιον emplaſtrum appellatum, quod inſtar ſcalpelli ſeu aciculæ abſceſſum rumpat.

Aut fuluũ, aut nigrũ aut albũ, uinũ eſſe.] Inter reliquas uini differẽtias Gal. hoc lóco differentiã iuxta colorẽ indicat, tria eius genera recenſens, fuluũ, album, ac nigrum, quæ κιῤῥὸν λευκόν τε καὶ μέλαν uocat, atq; tam leuiter eas differentias hic indicare ſatis eſſe duxit, quòd alijs locis abunde hanc rem tractauit. Nimirũ XII. Meth. libro, & in libris de tuenda ſanitate, præſertim quinto & tertio de alimentis & 3. cõmentariorum in librum Hippoc. de uictu in morbis acutis, quos locos hic indicare uiſum eſt, de his differentijs amplius cognoſcere uolentibus. Verũ quod prætereundum nõ puto, Omnes uinorũ colores ad quatuor genera reduci poſſunt, λευκὸν, κιῤῥὸν, μέλαν, ἐρυθρὸν, hoc eſt album, fuluum, nigrum & rufum, quanquam & quintũ addat Galenus ξανθὸν, hoc eſt flauũ, quod tamen aliquandocum κιῤῥῷ idem eſſe ait, aliquando autem κιῤῥὸν in ξανθὸν tranſire, & ſextum ὠχρὸν, id eſt pallidum, quod mediũ eſt inter album & fuluũ. Sicut κιῤῥὸν medium eſt inter album & nigrũ. Neq; enim per κιῤῥὸν alius color uini accipiendus eſt, quã quem latine fuluũ dicimus. Is eſt enim de quo Gale. ait εἰ δὲ ἄλλως ἐθέλεις ὀνομάζειν τὸ κιῤῥὸν χρῶμα, δύναιο ἂν λέγειν πυῤῥὸν ὠχρόν, hoc eſt, ſi uelis aliter nominare fuluũ colorem, poſſis utiq; igneũ ſeu rufum pallentẽ dicere, quod propterea refero, quod uideã pleroſq; per uinũ κιῤῥὸν, rubeũ accipere, quod proprie ἐρυθρὸν græcis appellatur. Sicut etiã per μέλαν, hoc eſt nigrum intelligere quoſdam audio quæ ſunt rufa excellenter, & quodammodo craſſa, ad taurini ſanguinis diluti ferè ſimilitudinẽ, ſicut rufa Maſſilienſia apparent. Verũ res non ita habet. Sunt enim μέλανα uina, partim dulcia & craſſa ad ſapæ modum, quemadmodũ Theræũ & Scybelites eſſe à Galeno traduntur, & hodie uina cretica uidentur, partim auſtera, uelut in Aſia Perperinũ & Aegeates idem eſſe dicit. Plin. 14. cap. 9. Colores uini quatuor, albus, fuluus, ſanguineus, niger: per ſanguineũ ἐρυθρὸν indicauit, in reliquis nihil diſſonũ græcis eſt. Porrò præter hanc uinorũ iuxta colorẽ differentiã, Sunt & aliæ quatuor differentiæ, una iuxta ſaporem, altera circa ſubſtantiã ſiue compagem, tertia circa odorẽ, quarta ſecundum facultatem, iuxta quã aliud uinum forte, aliud debile, aliud medium, atq; adhuc aliud inter mediũ & utrunq; extremum medium exiſtit. Imò & ſexta differentia eſt, ſed per accidens, ea uidelicet quæ contingit ſecundum ætatem, quas omnes: præter tertiam & quartam: Galenus hic pauciſſimis indicare contentus fuit, propterea quod in alijs locis, uelut dixi, hanc rem fuſiſſime perſequatur.

Vt totus ſermo eiuſmodi fiat.] Hic Archigenis ſermo in græco exẽplari corruptus eſt, atq; hoc modo reſtituẽdus, uelut ex præcedentibus palàm eſt. θαυμαστῶς διαφορεῖ καὶ χοιράδας πολλάκις τῷ προσωτίδας ἥτε συνεχὴς καταιόνησις τοῦ θερμοῦ, καὶ ἡ συνεχὴς ἐπίθεσις τῆς ὠμῆς λύσεως, hoc eſt mirabiliter diſcutit & ſtrumas, &c. uelut nos reddidimus.

Aut calcem uiuã cum ſtrigmẽtis eodem modo.] Strigmenta Archigenes hic γλοιὸν dixit ſic, ἢ ἄσβεστον μετὰ γλοιοῦ ὁμοίως. Dioſc. & Gale. & alij medici græci etiã ῥύπον appellare ſolent. Sunt autem trium generũ ſtrigmenta, balneorũ, paleſtræ, & parietum atq; ſtatuarum gymnaſiorum. Balneorum ex ſudore, oleo, & ſordibus in balneo defrictis ab hominibus conſtant. Paleſtræ ex ijſdem rebus componuntur, accedente inſuper puluere, qui partim ab olei illitione luctaturis inſpergebatur

gebatur ac affricabatur, partim à luctantibus in arena mutuo manibus ingestus, itemq́ ex lucta excitatus, corporibus inhærebat. Prior sanè puluis πάτος, & Atticis κονίσαλος uocabatur, autore Galeno: eiusq́ affrictus aliquando solius, aliquãdo præmissa olei illitione, densandi ac corroborandi corporis per oleũ emolliti gratia fiebat, uelut secundo & tertio ὑγιεινῶν Galenus tradit. Quanquã & ob emendandam gracilitatẽ, crura puluere conspergere eiusdem operis lib. 5. doceat, & affuso oleo confricare, sed ita ut is puluis tenuis & pinguis sit, κόνιν λιπαρὰν appellat, in quo uidelicet nihil asperi, neq́ acris insit. Extenuãt enim inquit, magis quàm incarnant, qui pumicosa aspritudine, aut nitrosa acredine participant. Quin & refrigerãdi & sudoris reprimendi causa idem puluis adhibebatur, quũ uim habeat obducendi meatus, refrigerandiq́ ac repellendi, uelut octauo simpl. phar. Galenus testatur. At uero puluis qui in arena iam à luctantibus mutuo ingerebatur, uelut prædicta cõmoditate non carebat, Sic officij ergo non inspergebatur, sed molestè & insidiose gallorũ more euerrebatur, ad uisum uidelicet præpediendum, & uelut Anacharsis apud Lucianũ de gymnasijs loquens arbitraẽ, ut facilius alter alterũ prehenderet, arena & puluere lubricitatem ceromatis & olei eximente, quanquam alias etiã causas & cõmoditates substratę luctantibus arenæ Solon ibidem recenseat, quod scilicet nõ tam procliue sit in ea uelut in cœno labi, et quod adspersa sudorem reprimat, uentorumq́ impetui obsistat, ampliusq́ sordes eluat, & candorem inducat. Quare Plin. lib. 35. cap. 11. quũ ait, Alcimachus Dioxippum qui pancratio Olympia citra pulueris iactũ, quod uocant aconiti uicit, coniti Nemea, de hac insidiosa pulueris & arenæ iniectione loquitur, qua Dioxippũ Nemea uicisse dicit: Hoc enim coniti significat, sicut contra aconiti pancratio Olympia idem uicit, hoc est, citra pulueris iactum, hoc est citra pugnam & molestiorem congressum. Neq́ uero me latet eos qui docti uel inter primos huius seculi censentur, hunc Plinij locum temere corrumpere, dum tactum pro iactum legunt, ad ἀφὴ suũ respicientes, quod scilicet tactũ non iactum significet, & quod puluerem esse dicunt, quo post unctionẽ inspergebantur luctaturi, ut corpora ceromate & sudore lubrica mutuas luctantiũ prehensiones admitterent. Quibus uerbis & utiliter affrictum puluerem, & uiolenter ac hostiliter ingestum, inter se confundunt, imò neutrius rationem habent certam. Et de uiolento sanè ac insidioso pulueris iactu, etiam Ouidius loquitur li. 9. Metamorphoseon, ubi Achelous cum Hercule commissus ait.

Ille cauis hausto spargit me puluere palmis
Inq́ uicem fuluæ iactu flauescit arenæ.

Flauescit inquit, tactu fuluæ arenæ, eius uidelicet quã ipse in illum iecerat. Porrò de utroq́ genere, Plinius lib. 35. cap. 13. simul mentionem facit. Non multum inquit, puluere puteolano distat è Nilo harena tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusq́ frangendos, sed ad debellanda corpora palestræ studijs. Inde certe Patrobio Neronis principis liberto aduehebatur. Quin & Leonato & Cratero ac Meleagro Alexandri magni ducibus, sabulum hoc portari cum reliquis militaribus cõmercijs reperio. Plura de hac parte non sum dicturus, non hercules magis quàm de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo iuuentus nostra corpora, uires animorũ perdidit. Hactenus Plinius. At uero tertium genus Strigmentorũ est parietum atq́ statuarum in gymnasijs quę sordes sunt ex oleo magna sui parte cõstantes, quæ ex materia cui inhærent aliquid assumunt, uelut æruginẽ ex statuis æreis. His eñ itemq́ parietibus oleum quo se oblinebãt palestritæ, inter illinendũ inspergebatur, quanquã etiã statuas quasdã fuisse in gymnasijs, itemq́ uasa ærea quæ oleũ ipsum, quo se luctaturi oblinerẽt, continerent, ex Pauli ac Galeni uerbis apparet. Ait eñ Paul. li. 7. ῥύπος ἀπὸ τῶν χαλκῶν ἀνδριάντων ἢ σκευῶν

ἢ σκευῶν, ἐν οἷς ἄφθονον ἔλαιον ἐναποτεθῇ, ἔχει τι καὶ ἰοῦ, διαφορητικός ἐστι καὶ ξηραντικὸς μετρίως καὶ μαλακτικός. ἀπεπτῶν γοῦν φύματα διαφορεῖ, hoc est, sordes ex æreis statuis ac uasis, in quibus largum oleum remanet, quod & æruginis quippiam contrahit, discussoriæ sunt & resiccantes moderate ac mollientes, quare tubercula cruda discutiunt. Ob hanc itaque uim uidetur etiam Archigenes hic ea strigmenta cum calce ad discutiendas parotidas probare. Verum Galeni lectio lib. 8. simp. phar. περὶ ῥύπου corrupta uidetur, habet enim sic. ῥύπος ὁ μὲν ἀπὸ τῶν ἐν γυμνασίοις ἀνδριάντων, ἐν οἷς ἄφθονον ἔλαιον κέκται, hoc est, sordes à statuis in gymnasijs, in quibus largum oleum situm est. Legendum enim uelut Paulus habet existimo, hoc modo. ῥύπος ὁ μὲν ἀπὸ τῶν ἐν γυμνασίοις ἀνδριάντων ἢ σκευῶν χαλκῶν ἐν οἷς ἄφθονον ἔλαιον κεῖται. Nisi ipsos ἀνδριάντας, hoc est, statuas ita factas intelligamus, ut oleum uelut dixi, continerent. Cæterum exemplar Græcum κέκται habet, pro quo ego κεῖται lego, ut sit quod Paulus ἐναποτεθῇ dixit, hoc est, situm est, & continetur, nempe à palestræ lucta & certaminibus finitis relictum. Vetus autem interpres uidetur καίεται legisse, uertit enim uritur, quod minime huc conuenit, & magis adhuc mirum est idem fecisse Hermol. Barbarum, quum hæ sordes non lucernarum aut lychnorum æreorum sint, sed statuarum ac uasorum æreorum ex oleo & ærugine ut dixi constantes, aut etiam ex materia parietum aliquam qualitatem indeptæ. Oleum uero lucernarum, neque sordium, neque strigmentorum appellationem assumit, sed oleum dicitur, cum additamento lucernarum & contractæ item æruginis, sicut non longe ante hunc locum Galenus, item ex Archigene medicamentum ex eo oleo adscripsit his uerbis. τὰ δὲ φλεγμαίνοντα τρήματα τῶν λοβῶν ὤτων παίδων ἐλαίῳ ἐν χαλκῷ λύχνῳ ἰωθέντι καταχρίων ὑγιάσεις, hoc est, inflammata in aurium puerorum pulpis foramina, oleum quod in ærea lucerna æruginem contraxit, illinendo, persanabis. ἰωθὲν enim æruginosum & quod æruginem contraxit, dixit. Porrò γλοιὸς uox non solum strigmenta significat, uelut hoc loco Archigenes usurpat, & Paulus lib. 7. in uoce γλοιὸς exponit, & lib. 4. cap. 28. usurpat ubi ait, γλοιὸν ἀπὸ ζεύγους ἤθμου ὡς καθαρὸν γενέσθαι, &c. Sed à quibusdam etiam uiscum, hoc est, ἰξὸς exponitur magna rerum differentia, quanquam etiam uiscum διαφορεῖν καὶ συμπέττειν φύματα καὶ παρωτίδας Diosco. tradat, ut uel ob id procliue sit errare etiam doctis alteram rem pro altera accipere potentibus. Minor uero lapsus contingere potest in uoce γλοιώδης, hoc est strigmentitius, uelut ego in proximo ante hoc medicamento conuerti, ubi Archigenes νίτρου ἢ σινωπίδος τὸ τρίτον μετὰ κυπρίνου γλοιῶδες ποιεῖν, id est, ad strigmentitiam crassitudinem reducere iubet, nam ad uisci crassitudinem, quis interpretari possit, quemadmodum non semel ipse Celsus fecit. quod propterea admonere uolui, ut diligentem æstimationem faciant græcorum studiosi, utra tandem significatio uocis γλοιὸς in singulis locis sit reddenda, quum apud medicos raro aut nunquam aliter quàm pro aliquo ex tribus generibus strigmento accipiatur.

Deinde ad chirurgiam perueniendum est & crudi abscessus sectionem.] Quod crudi abscessus sectionem dixi, in Græco ὠμοτομητέον est. Significat autem ὠμοτομεῖν, crudum & nondum maturum abscessum secare, quo uidelicet quàm celerrime fluxus foras euellatur. Declarat id manifeste Paulus li. 6. cap. 34. cuius uerba adscribere non pigebit. ἴστον δὲ inquit, ὅτι καὶ πρὸ τελείας εἰς πῦον μεταβολῆς ἐνίοτε ὠμοτομοῦμεν τὰ ἀποστήματα, διὰ τὸ πλησιάζειν ἢ ἄρθροις, ἢ κυρίοις μορίοις, ἵνα μὴ τῇ ὑπομονῇ σὺν αὐτῷ συνδιαφθείρηται συνδεσμὸς, ἤ τι τῶν ἀναγκαίων. Hactenus Paulus. Sed & continenter eodem loco idem tradit Hippocratem uicina digitis apostemata ante perfectam maturationem cruda secare præcipere. Verum quum lectio eius loci sit corrupta, etiam ipsum in gratiam studiosorum integrum adscribam.

καὶ τὰ

καὶ τὰ πλησίον δὲ τοῦ δακτύλου ἀρξάμενα πρὸ τῆς τελείας πεπάνσεως ὠμοτομεῖν ἱπποκράτης παρακελεύεται, τὸν εἰς διάτρησιν ὑποδειδιότα φόβον, hoc est ob timorem perforationis. Consimile porrò huic uerbo est & illud medicis Græcis itidē frequenter usurpatum ὠμοτοκεῖν uidelicet, quod non simpliciter abortum parere significat, sed crudum partum expellere uiolenter, ob maioris periculi fugā, nimirum quum mater sic habetur conceptum perficere non possit, aut perfectum citra uitæ periculum edere non ualeat, de qua re palàm Aetius lib. 16. cap. 16. & sequentibus docet. Vbi inter cætera auxilia crudum partum procurantia, & capillorum uiri suffitum habet. Quanquam mihi uideatur pro ἀνδρὸς legendum esse γυναικὸς, quum experimento constet muliebrium capillorum suffitum fœtorem de se præbere grauiorem. Sed & Constantinus Cæsar lib. 5. cap. 46. de agricultura, ad hanc rem muliebrium capillorum suffitū probat, ex Africano sic prodens. ἀπελάσεις δὲ ὁμοίως τὰ θηρία καὶ γυναικὸς τρίχας θυμιάζων, καὶ τὰς ὠμοτοκούσας θεραπεύσεις, hoc est Abiges similiter bestias muliebris capilli suffitu, atq; inde etiam mulieribus difficulter & periculose parientibus, & ob id crudum partum ac abortū expetentibus opitulaberis.

Laxatoria appellata omnibus nota sunt. Exempla ipsorum sunt Emplastrum Mnaseæ, & quod ex succis constat & quod ex Ptisana.] Horum emplastrorum descriptiones sunt apud Galenū de comp. phar. κατὰ γένη lib. 7. item Paulum lib. 7. Estq; etiā hodie in usu myropolijs descriptio una atq; altera emplastri διὰ χυλῶν, ex succis, seminis lini uidelicet, & fœni græci atq; altheæ quos recipiunt nominatæ, uerum uulgo diaquilon corrupta uoce appellantur. Laxatoria autē, id est, χαλαστικὰ uocantur, quod distentas partes laxent ac remittant.

In caput Tertium de narium affectionibus.

Primum itaq; de Ozænis sermonem faciam.] Ozænarum quidem appellatio à graueolentia & fœtore est, uerum non omnia nariū ulcera graue olent, nec omnia ex putrescibili influxu generantur, sed aliqua ex acribus tantum humoribus producuntur, atq; hæc ob humorū acredinem ægre curabilia Galenus esse dicit, non illa ex putrescibili humore producta & graueolentia. Corne. Cels. lib. 6 cap. 8. contra, quæ crustas plures, inquit, & odorem fœdum habent, quod genus græci ozænam appellant, sciri quidem debet uix ei malo posse succurri. in quibus uerbis ostendit se parum diligenter humoris noxij & ulcerationem producentis rationem habuisse, & magis ad fœtorem ac putrescentem humorem respexisse, quem tamen non ita male curabilem, uelut acrem solum, rectissime Galenus prodidit.

Et per sternutatoria facta concussione, tectoria ulceri obducta excutito.] Tectoria ulceri obducta dixi, quę græci ἐφελκίδας uocāt. Est enim ἐφελκὶς quod ulceri increuit tectorium siue crusta, ut Celsus uocat, qui loco supra citato, eandem sententiā sic expressit. Sub his enim crustæ resoluuntur, inquit, quæ tum per sternumenta elidi debent. Paul. 3. cap. 37. διαγνώσῃς δὲ τὸ ἕλκος ἐκ τοῦ αἷμα, ἢ πύον, ἢ τὰς ἐφελκίδας ἐμεῖσθαι. Gal. 5. Meth. συνεχέχυθη δ' αὐτῷ μετὰ τοῦ βηχὸς ἣν ὀνομάζουσιν ἐφελκίδα.

In polypode nasturtij tenuis chemam, siue drach. dimidiam, cum ueratri albi obolis duobus, nare attrahere iube.] Hoc medicamentū etiam supra recensuit, sed sine certo ueratri albi pondere, dicens, aut ueratrum album cum seminis nasturtij chema quotidie insuffla. Nasturtij enim mensuram etiā tunc, sicut hic expressit, chemam accipiendam dicens, sed hic ueratri pondus duorum obolotum addidit, ampliusq; chemæ mensurā siue capacitatem explicauit, χήμην ἤτοι δραχ. S dicens, tanquam idem sit chema, quod drachmæ dimidiæ pondus, aut tanquam chemæ mensura non plus quàm dimidiā drachmam capiat, hoc est, obolos tres,

utita

ut ita oboli tres nasturtij cum obolis duobus ueratri, nari insufflētur, aut per eandem attrahantur. Et uidetur sanè aptum hoc pondus esse ad præsentem rem & usum. Verum an Chema idem sit quod drachma dimidia, & nō plus capiat, consideratione indiget. Chemam itaq; seu Chamam ostreorum generis esse Aristot. & Dioscor. testatur. pro mēsura uero accipi apud græcos medicos frequens est, sed quanta, adeò incertum est in diuersa traditione eorum, quorum de ponderibus & mensuris scripta extant, ut mihi credere libeat, penitus nullam certā mensuram, neq; pondus, per chemam, sed simpliciter aliquam capacitatem indicari, quæ chamæ testam mediocrē non excedat, Sunt enim & hæ magnitudine ac capacitate inter se differentes. Inducor aūt maxime per hunc locū ubi ex Archigenis traditione καρδάμου λεπτοῦ χήμη, ἤτοι δραχ. ς. habetur. Videtur enim uelle ostendere nasturtij tenuissime triti chemæ capacitatem accipiendā esse, de qua tamen si quis dubitet, quantum capiat, si ad manum non sit, drachmam dimidiam eius loco sumere iubet, quod sanè pondus nasturtij triti rei leuissimæ, facile cheme capacitatem explere potest. Inducor amplius ex eo loco qui infrà lib. 5. cap. 7. habetur, ubi Crito ait λιθαργύρου χήμη ἤτοι δραχ. γ. quo item Crito uidetur ostendere uelle spumæ argentei chemæ capacitatem sumendam esse. quū autem & hic dubium sit, quantum capiat, si quis chemam non habeat ad manū, addit siue drach. III. quum enim spuma argenti res metallica grauissima sit, per dimidiam drachmam eius, chemam replere non possis, quemadmodum per dimidiā drachmam farinę nasturtij chema facile expletur, sed per III. drach. id optime facere poteris, atq; ita sextupla copia spumæ argenti eandem capacitatem quam dimidia drachma nasturtij triti explebit. Paulus Aegineta in his quæ de ponderibus & mensuris ad finem lib. 7. & ultimi adiecit, inquit cyathū habere chemas paruas aut mystra parua duo, nihil inter mystrum paruum & chemam paruam distinguens, & postea in mensurarū apponderatione, Mystrum paruum olei drach. VI. uini scrupulos XX. olei drach. IX. habere tradit, iuxta proportionem uidelicet secundum quam tradidit uinum & mel grauitate oleum superare, uelut nos conuertimus lectione eiusdem in integrum restituta, quę ad Aetium à nobis conuersum est adiecta. Inter spurios Galeni libros de ponderibus & mensuris habentur traditiones diuersissimæ & corruptissimæ, quarum prima διδασκαλία σοφωτάτη inscribitur, quæ planè eadē est cum Pauli traditione, nisi quod adhuc corruptior est in Galeni quàm Pauli exēplari lectio. Altera penitus obscuri autoris est. Tertia Cleopatræ ex libris eius de ornatu, quos etiam Galenus suprà lib. I. huius operis citauit. Quarta rursus incerti autoris est, & Quinta itidē obscuri autoris est de mensuris & ponderibus Mulomedicorum. & Sexta Dioscoridi attribuitur posteriori Alexandrino, non Anazarbensi, qui de medica materia scripsit. Cleopatra itaque chemam magnam drach. III. habere, paruam II. ait. Obscurus qui sequitur, chemam magnam drachmarū IIII. esse tradit, paruam duarum. Dioscorides uero chemam quartam cyathi partem esse inquit, & pondere drach. III. scrupulum unum habere. Quæ omnia incertitudinē mensuræ arguunt, & quod non unum certum pondus chema cōplectatur, atq; ob id me credere uelut dixi, fateor: simpliciter aliquam capacitatem indicari, quæ chemæ mediocris testam non exuperet, cuius unum certum pondus exprimi non possit, ob rerum diuersam grauitatem: quemadmodū etiam hodie cochlearis capacitatē incerto modo uulgo usurpari uidemus, præsertim in rebus ubi nō multū refert plus an minus paulò quis sumat. Quare nō tutum est tam obscuris autoribus & maxime corruptis ita passam exemplaribus, per omnia fidem habere. Si enim Paulo Aeginetæ etiam rectissime prodenti, chemę pondus in oleo drachmarum sex esse, crediderimus, &

ad eum modum etiam hic ratiocinati fuerimus, chemam ſex drachmas naſturtij habere, contingeret, ut non δραχ.ς. hoc eſt, drach. dimidiam putabimus legendum eſſe hoc Galeni loco, ſed δραχ.ς. id eſt, drach. VI. atq; ad hoc characterum ſimilitudinem producemus, ob quam committi potuerit hic error. Sed nos in priore noſtra ſententia perſeueramus, quam nos recte amplecti confidimus, rerum leuitate ac grauitate atteſtante, Inſuperq; re ipſa hoc loco ac uſu, quæ ambo inepta eſſent, ſi drachmę ſex naſturtij triti ad duos obolos ueratri ammiſcerentur.

Scobis æris rubri unciam unam.] Scobem dixi quæ ῥινήματα græcis ſunt, hoc eſt, quæ lima deterũtur. Sunt enim ῥινήματα itemq; ῥινίσματα à uerbis ῥινᾶν & ῥινίζειν deducta, quæ limare & lima deterere ſignificant. Eandem ſignificationem habent & πρίσματα, hoc eſt, ferramenta à uerbo πρίζειν. Theophraſt. lib. 5. τὰ δὲ χλωρὰ λίαν συμμύει, ὃ γὰρ δέχεται ἐν τοῖς ὀδοῦσι τὰ πρίσματα, id eſt, inter ferræ dentes ramenta recipiunt. Plin. 15. cap. 17. Sunt qui malunt uuas in ſcobe ramentis ue abietis, populi, fraxini ſeruare. Dioſcor. etiam πρίσματα dixit ſcobem à uermibus eroſam, de ſtyrace. δολίζουσι δὲ αὐτὸ τοῖς ἐκ τοῦ δένδρου πρίσμασιν, ἅπερ ὑπὸ τῶν σκωλήκων ἀνατιτρῶται. Aetius ſimili forma ac ſignificatione πελεκύματα uſurpauit, 8. cap. 3. πελεκύματα κυπαρίσσου καὶ πρίνου ἐν ἐλαίῳ ἑψήσας. ἄλειφε, à uerbo πελεκίζω. quanq; omnia præſegmina, & omnino per bipennem à quacunq; materia deciſa ac reſecta, πελεκυμάτων uoce ueniant. Conſtantinus Cæſar lib. 9. cap. 11. de agricultura, τινὲς ἐκ τῶν κατὰ γῆς μερῶν τοῦ πρέμνου ἐκκόψαντες πελεκύματα μετὰ τοῦ φλοιοῦ τετραπώλουσα. Eadem Hippocrates ἰχθυήματα appellat περὶ ἑλκῶν, ubi ἰχθυήματα τοῦ λωτοῦ habet: quanquam Galen. λεπίσματα φλοιῶν, id eſt, corticum fragmẽta ἰχθυήματα exponat. Nec alia ſunt à Dioſcor. τορνεύματα dicta, de fraxino. τὰ δὲ τορνεύματα τοῦ ξύλου ποθέντα φασὶν ἀναιρετικὰ εἶναι. Porrò in hoc pharmaco, æris rubri ſcobem unà cum alijs medicamentis, etiã in uas æris rubri transferri iubet, & cum radio item æris rubri agitari, quo ex ipſo ære medicamẽtum magis efficax reddatur, ad carnem ſuperfluam reſiccãdam ac cõſumendam. Dixit autem radium κερκίδα. Non eſt autem aliud κερκὶς quàm piſtillum, quod ſæpe & δοίδυξ, cochlearis alias ſignificatione, itemq; τριβείδιον atq; ὕπερος à medicis græcis appellatur. Radiũ autem etiam Plinius appellauit.

Scribonij Largi facit ad omnia extubetantia.] Hoc medicamentum eſt quidem in eo libello Scribonij Largi, qui latine circumfertur, ſed ita confuſe ac corrupte, ut dubitem eum libellum latine à Scribonio eſſe ſcriptũ: ſuſpicorq; Scribonium gręce ſcripſiſſe, eaq; quæ in illo libello adhuc ſuperſunt, quondã ante mille annos tranſlata à quopiã non indocto adeò fuiſſe, ſed qui tamen nõ ad plenum græca ſit aſſequutus, Niſi quis Aſclepiadæ potius hoc crimen imputare uelit, quod latine à Scribonio ſcripta male intellecta uerterit in græcũ, quod apud me piaculum ſit credere, ſi modo exemplar Galeni nõ eſt corruptum. Legitur itaq; in Scribonio ſic compoſ. LI. Ad polypos Miſy uſtũ, chalcitis uſta, æris flos, uſtũ ſori, æris ſquama, tuſa cribrata. In his ſanè uerbis quinq; res exprimuntur, quæ itidem Galeno recenſentur. hoc modo. μίσυος κεκαυμένου, χαλκίτεως κεκαυμένης, χαλκάνθης κεκαυμένης, σώρεως, λεπίδος χαλκοῦ, ἀνὰ δραχ. η. ξηρῷ προσάπτου. Verum in hoc diſcordant, quod in Galeno χαλκάνθης κεκαυμένης legitur, in Scribonio uero eius loco æris flos habetur, & κεκαυμένης uox ad ſori, nõ ad æris florem relata eſt, Aut igitur χαλκάνθην æris florẽ interpretatus eſt Scribonij interpres, Aut æris florem rite à Scribonio ſcriptũ, Aſclepiades χαλκάνθην male conuertit, quod tamen religio ſit opinari: atq; ſic alteruter deliquit quod χαλκοῦ ἄνθος pro χαλκάνθης, aut uiciſſim hoc pro illo expreſſit, ſimilitudine uocum græcarum deceptus, quum res ſint quidem diuerſiſſimę, ſed quæ tamen ambæ poſſint in hoc medicamentũ ammiſceri

misceri. χαλκοῦ ἄνθος enim uim habet reprimendi extuberantia, & ut Dioscor. ait, ἐκτήκει τὰ ἐν μυκτῆρσι σαρκώματα, ut uideri possit nō male à Scribonio traditus flos æris ad polypos consumendos. χάλκανθος autem siue χαλκάνθη rursus uim habet corrodendi & crustam inducendi, in quem usum & in sequenti apud Galenum Philoxeni chirurgi pharmaco assumitur, ut etiā ipse non male ab Asclep. expressus hic uideatur, & recte ex Scribonio transcriptus. atq; ad hanc partem omnino inclinat nobis animus, pharmacū hoc ex græco Scribonio, Asclep. transcripsisse, & recte χαλκάνθης κεκαυμένης legi, Contrà male in Scribonio latine translato legi æris florem, quem interpres eius ex χαλκάνθου intellecto pro χαλκοῦ ἄνθους male reddidit. Sequitur autem in Scribonio latino, si eo medicamento per pinnam sæpius nares tactæ, eiusmodi uitia attenuata cotidie emendantur, cum sint à cerebro. quæ uerba penitus nullum sensum huc pertinentem referentia, delenda censeo, uel ad superius medicamentum referenda, & quæ mox sequuntur: Paribus ponderibus sicca benefaciunt: cum superioribus connectenda, ut ita legatur. Ad polypos, Misy ustum, chalcitis usta, æris flos, ustum sori, æris squama, tusa cribrata, paribus pōderibus sicca benefaciūt. Efficietur enim sic ea sentētia quam Galenus hic habet, nisi quod Asclep. certum pondus VIII. drachmarum singulorum expressit, quod in Scribonio est relictum. Porrò pergit deinde Scribonius ad grauedinis remedia, sic inquiens. Prodest igitur quies unius diei, & ab omni re abstinētia, perungēdæ nares erunt bitumine liquido, aut myrrha stacte, uel pice liquida, &c. quæ uerba Asclepiades ad præsens medicamentum retulit dicēs, δεῖ γὰρ προαναπαύειν πρὸ μιᾶς ἡμέρας, τῇ δ' ἐπιούσῃ τὸ φάρμακον ἐπιτιθέναι μετὰ τὴν τροφήν. πρότερον δὲ δεῖ ὑποχρίσαι τοὺς μυκτῆρας ἀσφάλτῳ, ἢ πίσσῃ ὑγρᾷ, ἢ σμύρνῃ στακτῇ. Quare & hic apparet, uel Scribonium male translatum esse, uel Asclepiadem non intellexisse Scribonium: quod tamen absit suspicari: aut certe exemplar alterum corruptum esse, quod tamē de Scribonij quàm Galeni exēplari credere malo. Nam integram Galeni lectionem puto, nisi quod προανατρίβειν dubia sententia legitur, pro quo substituendum puto προαναπαύειν, ut sit quod Scribonius dixit, Prodest quies unius diei. Vetus Galeni interpres hic sicut sæpe alias omnia ea reliquit, ut inde nihil opis ferre possimus. Marcellus autem hunc locum ex Scribonio ut apparet, paulò integrius prodit cap. 10.

Asclepiadæ ad ozænas quo usus est Meges.] In horum pharmacorū primo myrrhæ drach. IIII. habētur, hoc est, ut græcum exemplar habet σμύρνης. δραχ. δ. Verum uetus Interpres zingiberi pro myrrha conuertit, haud scio qua occasione, quū myrrha recte legatur. At uero quod hoc loco admonere operæprecium uisum est, non raro, neq; in uno, sed frequentissime, ac in omnibus græcis medicis, zingiberi pro myrrha legitur, atq; hoc tam frequens fuit in exemplari Aetij manu scripto, quod ego in his quæ ex eo autore latina feci, sequutus sum, ut ex innumeris non libeat paucos locos referre, atq; ea etiam causa fuit cur non ausus fuerim lectionem mutare, etiamsi nō semel hoc libenter tentassem, re palàm indicante, zingiberis inutilem usum esse, & myrrham necessariò accipi, quæ tamen non tantum decurtata uoce hoc modo, ζζ. sed etiā integris literis ζιγγιβέρεως prodita esset, ut ne uestigium quidē ueræ lectionis, hoc est, uocis σμύρνης offerretur. Quæ autem fuerit describētibus occasio hunc errorem propagandi in tam multa exemplaria, haud promptū sit dicere, Nisi quod Hermol. Barbarus lib. I. corollariorum annotauit myrrham duabus his notis. ζζ. à medicis Græcis scribi solere, propterea quod ζμύρνη æque ueluti σμύρνη dicatur. De quo admonendū tantum hoc duxi loco, quòd uetus Interpres etiam hic ζζ. in græco exemplari uidetur legisse, atque ita zingiberi pro myrrha transtulisse. Quare qui græca medica

menta in usum uersuri sunt, curiosissime ea expendant, ne in huiusmodi errores impingant. Porrò in altero sequenti mox pharmaco, rhois rubri drachmæ ij. habentur, hoc est, ῥοῦ ἐρυθροῦ δραχ. β. sed uetus interpres non hic solum, sed multis etiam alijs locis, eius loco rubiam tinctorum uertit, quod semel admonere uolui, quum magnus sit error ἐρυθρόδανον quam rubiam dicimus, pro ῥοῦ ἐρυθροῦ sumere, quẽ etiam Latini Rhun siue Rhoem dicimus, quum latinum nomẽ non habeat, ut alibi dicemus.

Plumbi usti & loti drachmas VIII. uini rosati quantum sufficit.] Hoc loco in græco exemplari legitur μολίβδου κεκαυμένου καὶ πεπέρεως δραχ. η. manifesto errore, quum piperis hic nullus sit usus, & si etiam esset, necessarium fuisset adijcere ante pondus δραχ. η. uocem ἀνὰ, ut utriusque plumbi uidelicet usti & piperis, drachmæ VIII. accipiendæ indicarentur. Sed uelut dixi, piperis nullus est hic usus, & πεπέρεως pro πεπλυμένου falsò habetur, qui error ex decurtata utriusq; uocis scriptura apud græcos irrepsit. πεπερ enim sic scribũt $\frac{\epsilon\epsilon}{\pi\pi}$. πεπλυμένου uero hoc modo $\frac{\epsilon\lambda}{\pi\pi}$. atq; hic error paulò infra bis rursus admissus est, ubi μολίβδου κεκαυμένου καὶ πεπέρεως δραχ. δ. ψιμυθίου κεκαυμένου καὶ πεπέρεως δραχ. η. habetur, πεπέρεως uoce utrinque pro πεπλυμένου supposita. Neque uero apud alios græcos medicos hic error deest. Sic enim apud Paulum 3. cap. 59. καδμίας καὶ πεπέρεως ΓΟ β. legitur, quum καδμίας κεκαυμένης καὶ πεπλυμένης legi debeat, typographo lectionem ueram nõ assequuto, quæ opinor sic habuit. καδμίας $\frac{\alpha\upsilon}{\kappa\kappa}$. καὶ $\frac{\epsilon\lambda}{\pi\pi}$. Cæterum consequenter apud Galenum, quod ego uini rosati quãtum sufficit uerti, legitur οἴνου, ῥοδίνου τὸ αὔταρκες, quod uetus interpres uertit uini & olei rosacei quod sufficit. Verum per ῥοδίνου uocem rosaceum oleum non esse accipiendum hoc loco, ex eo palàm fit, quod sequit̃ mox olei myrtei quod satis est. Quare ego diastolen amouendam censeo, & οἴνου ῥοδίνου uel ῥοδίτου legendum, accipiendumq; uinum rosatum, quod leuiter adstringendi ac fluores siccandi uim habet, ac propterea ad ulcera narium cõmodum existit, oleo rosaceo ut superfluo relicto, quum myrteum quod satis est eius loco sequatur.

Quandoquidẽ uero perpetuo tolerare collyriũ molestũ est.] Hęc periodus in græco exemplari corrupta est, quam duabus tantũ uocibus restitutis redintegrauimus in hanc sententiam quam expressimus. Pro χαίροντα enim χαίνοντα legendum est, & pro μήλη ἢ διπυρήνῳ legendum μήλῃ τῇ διπυρήνῳ: quanquam utrumque rectè legatur, ut ex Galeno mox declarabo. Cęterum περὶ μηλῶν & de specillorum formis uarijs alibi abũde à nobis dictum est. Hîc addendum hoc est, διπύρηνον μήλην dici quæ duas cuspides siue nucleos aut capitula habeat. πυρῆνα enim μήλης, extremum & summam cuspidem appellant. His itaque cuspidibus lana obuolutis commode pharmacum excipi potest, ac intra os illini ea parte qua nasus ad palatum perforatus est. Galenus secundo de semine μυρίοις οὖν ἤδη σαφῶς ἐπέδειξα τὰ καλούμενα διπύρηνα διεμβαλλόμενα διὰ τῶν σπερματικῶν ἀγγείων, &c. Ex hoc loco patet τὰ διπύρηνα, instrumenta esse utroq; extremo in cuspidem abeunte, & tum singulariter, tum pluraliter, citra additionem ὀργάνου ἢ μήλης dici, quod apertius ex 9. ἀνατομ. ἐγχειρ. patet, ubi ait, ἔστω σοι τι παρεσκευασμένον σῶμα λεπτὸν καὶ πρόμηκες οἷα τὰ διπύρηνα καλούμενα. Et paulò post. εἰ δὲ μὴ παρείη τοῦτο διπύρηνον, ἢ σμίλην ἢ σπαθομήλην, κατὰ τὸ ἕτερον πέρας, ἐν ᾧ τὸν πυρῆνα κυκλούμενον ἔχουσι, καθεὶς εἰς κοιλότητα, &c. Sequitur paulò mox collyrium ipsum arefactum contũdi ac cribrari & leuigari posse, atque ita insufflari: ubi quod nos cribrari uertimus διαπτώμενον in græco exemplari legitur, sed corrupte. Est enim διαττώμενον legendũ, à uerbo διαττῶ quod incernere ac cribrare significat. Non longè post mentionem facit corporum mollium humidorum atque δυσελκῶν, hoc est, ut ego redidi

didi, quibus ulcera ægre ſaneſcunt. Opponuntur enim δυσαλθεῖς eis qui εὐαλθεῖς appellantur, hoc eſt quibus facile ſaneſcunt ulcera, utrorumq; autem mentio fit à Galeno Meth.lib.6.

Per paſtillos curaui, Androniũ uidelicet & paſionis, & polyidæ, & bithynũ, & per eum quem ego compoſui.] Horum paſtillorum deſcriptiones ſunt apud Galenũ in libris κατὰ γένη, & Paulum lib.7. ſuis proprijs locis. Habet etiam Celſus lib.5. paſtillum Andronis, itemq; polyidæ qui etiam ſphragis appellatur. Verum in Celſo non polyidæ ſed polybij legitur, Ita etiam lib.6. cap.7. Porrò paſtillus quem ſe compoſuiſſe Galenus inquit, ex charta conſtat, ſupraq; citatis locis habetur ὁ διὰ χάρτου inſcriptis. Subdit paulò poſt ſe etiam hedychroi uſum excogitaſſe, ex uino falerno diſſoluti in ozænarum curatione. Hedychroi uero deſcriptionem circa Theriacam à ſe relatam dicit, ueluti etiam factum eſt, tum lib.1. de antidotis ex Andromachi uerſibus, tum ad Piſonẽ ex Magni traditione. Habet autem eam & Aetius 13. cap. 89. & Paulus 7. cap.11. uariantibus tamen paululum inter ſe deſcriptionibus. Dioſcorides lib.1. eius deſcriptionem reliquit, inquiens eandem eius uim ac præparationem eſſe, quę Amaracini eſt ungenti. Apparet itaque hedychroi uſum non ſolum in Theriaca quondam fuiſſe, ſed etiam ungẽti loco uſurpatũ eſſe, & ozænis odoris gratia illitum à Galeno, Sicut etiam pulmonis per odorem reſiccandi gratia, cuidam ſe idem exhibuiſſe refert locorum affectorum 4. fine. Qua gratia etiam medicamentis ad fucum comparatis inditum fuit.

In caput IIII.

AVt linamentum ex ellychnio contortum.] Hoc loco Heraclides trium generum linamentorum ex ordine mentionem facit. Primi ex ellychnio contorti, Secundi priapi pudendi forma, Tertij raſilis, Quarti autem generis infrà Aſclepiades meminit torti: quanquam in exemplari uulgato τρεπτὸν pro στρεπτὸν legatur. Eſt autem & quintum genus cõuulſum aut cõcerptum appellatum, hoc eſt πιλτὸν, cuius item ſuprà mentionem fecimus. Atq; tot ſanè linamentorum genera in libello εἰσαγωγῆς inter Galenicos relato habentur. μοτῶν δὲ, inquit, εἴδη πέντε, στρεπτὸς, ξυστὸς, πιλτὸς, ἐλλυχνιωτὸς, πριαπισκωτός. Verum hoc loco Galeni in græco exemplari ter χιστὸς pro ξυστὸς legitur, & πριαπίσκω pro πριαπισκωτῷ. Cæterum hæ linamentorum ſpecies ad medicamenta excipienda aptæ, ut in uulnera ac ulcera indantur, & in nares eruptioni ſanguinis ſiſtendæ, partim à formis ac figuris quibus effinguntur, partim à materia ex qua formantur, nomen habent. ξυστὸν enim, id eſt, Raſile à materia linteolorum deraſa, Sicut πιλτὸν ab eadem concerpta, nominatur. Quare etiam aliquando ſimpliciter ξύσμα ἢ τίλμα τῶν ὀθονίων, id eſt, raſura aut uulſura, hoc eſt quod linteolis deraſum ac diuulſum eſt, pro ijſdem linamentis dicuntur. atq; hoc eſt quod Plinius dixit libro 19. cap.1. Deraſaq; linteorum lanugo, è uelis nauium maritimarum maxime in magno uſu medicinæ eſt. Sed in exemplaribus omnibus, Repertaq; falsò pro Deraſaq; habetur. στρεπτὸν uero à figura torta dictum eſt, Sicut etiam ab eadem πριαπισκωτὸν quod ad priapi ſeu mentulæ figuram formatum eſſet. ἐλλυχνιωτὸν autem non quod ad lychni ſeu funiculi lucernarum ſimilitudinem contorqueretur appellatum eſt, ut aliqui exiſtimauerunt, ſed quod ex ellychnijs conficeretur. Cæterũ certũ quoddam genus fuiſſe quod ellychnion priuatim appellaretur, propterea quod εἰς τοὺς λύχνους, hoc eſt ad funiculos lucernarum aptiſſimum eſſet, ex Galeno apparet, qui eiuſmodi ellychnio etiam ſpongiæ loco uti iubet 14. Meth. his uerbis. καὶ σπόγγον καινὸν προσοιστέον, εἰ δ᾽ οὐκ ἔχοις καινὸν, ἄμεινον χρῆσθαι τούτῳ δὴ τῷ καλουμένῳ πρὸς τῶν πολλῶν ἐλλυχνίῳ, μαλακὸν δ᾽ ἔστω πρὸ πάντων, ὁποῖον τὸ ταρσικόν. εἰ δ᾽ ἐκείνου τις

εὐπορεῖν, θαῤῥῶν χρῆσθαι· βέλτιον γὰρ ἐνεργήσει τοῦ σπόγγου. Quare ἐλλυχνιωτὸν linamentum accipiendum est, non tam quod ad similitudinem funiculorum lucernarum sit effectum, quàm quod ex materia illa constat, quæ priuatim ἐλλύχνιον uulgo Galeni tempore fuit appellata, quod ex eodem Galeno 13. Meth. apparet ubi ait, ἔξωθεν δ' ἀρκεῖ μοτὸς ἤτοι ξηρός, ἢ δι' οἴνου, καὶ μᾶλλον ὁ ἐκ τῶν μαλακῶν ἐλλυχνίων, οἷάπερ ἐστὶ τὰ ταρσικά. & subdit eiusmodi linamenta etiam uim quandam habere ad superexcrescentẽ ulcerum carnem cõsumendam. Qualis autem ea materia ellychniorũ fuerit, quæ ex Tarso aduehebatur, haud facile quis dixerit, quũ res & nomen hodie perierint. Plinius 23. capite quarto, Ellychnia claritatis præcipue ex uua ricini fieri tradit. Vocat autem uuam propterea quod Dioscorides lib. 4. de ricino, καρπὸν ἐν βότρυσι τραχέσι ipsum habere tradit. Libro uero 28. cap. 11. Ellychnij papyracei meminit. & libro 25. cap. 10. Tertia, inquit, phlomis lychnitis uocatur, ab alijs thryallis, folijs ternis aut cum plurimum quaternis, crassis pinguibusq́; ad lucernarum lumina aptis. quæ uerba ad uerbum ex Dioscoride transcripsit. Libro autem 35. cap. 15. quarto sulphuris generi usum ad ellychnia conficienda maxime esse dicit. Verum ellychniorum Tarsensium generis nusquam, quod sciam, mentionem facit, forte quod nondum Romæ in usu fuit. At uero suspicionem meam aperiam, Suspicor Tarsensia hæc ellychnia ex fungorũ terrestrium genere fuisse, eorum uidelicet qui similitudinem quandam ad marinas spongias habent, & quibus etiam hodie ad ignis scintillam ex silice ad chalybem impacto excussam, excipiẽdam utimur, quum cõmodissime ignis in his fungis seruetur. Quondam autem eosdem, & præsertim qui ex Tarso afferrentur, non solum igni excipiendo, sed & seruando in usu fuisse, ad aliorũ ellychniorum modum uerisimile est, quum fungorum in lucernis usum Plinius 18. capite ultimo palàm ostendat, his uerbis. Pallidi nanq; ignes murmurantesq́; tempestatum nunciũ sentiuntur, pluuiæ etiam in lucernis fungi. & 28. cap. 11. emendat & raritatem superciliorum cum fungis lucernarum, & fuligine quę est in rostris eatum. Cæterum & hoc non leue argumentum est Ellychnia Tarsensia ex fungorum genere fuisse, quod Galenus loco supra citato, ipsorum eundem planè usum esse dicat, qui est spongiarum, atque etiam potiorem, præsertim si spongia non sit noua, ad tumores pituitosos absque dolore consistentes reprimendos, si posca dilutiore sint imbuta. Nam ego in spongiæ penuria, non dubitem eiusmodi fungo præsente ad hanc rem uti. Nõ minus enim hoc præstiterit eiusmodi terrestris, maxime non inueteratus fungus, quàm spongia noua, de qua etiam Dioscorides hoc testimoniũ præbet, sicut contra uetustum damnat. ὁ καινὸς δὲ inquit, καὶ ἀλιπὴς, τραυματικός τ' ἐστὶ καὶ οἰδήματα στέλλει, καὶ τὰ νεότρωτα κολλᾷ σὺν ὕδατι ἢ ὀξυκράτῳ. ὁ δὲ παλαιὸς ἄχρηστος. Verum ut credam horum fungorum eum usum esse posse, qui fuit Ellychniorum Tarsensiũ, Imò Ellychnia Tarsensia huiusmodi fungos fuisse, tum funiculis lucernarum aptos, tum spongiarum maxime nouarum loco usurpatos, ex Plinio inducor, qui lib. 22. cap. 23. fungos suillos iunco transfixos ac afficcatos è Bithynia uenisse asserit, qui planè hanc uim habuerint, qualem Tarsensibus ellychnijs Galen. tribuit, ut sanè amplius suspicer, de ijsdem Plinium loqui, de quibus Galenus sentit, atque Plinij tempore eos ipsos ex Bithynia uenisse, Galeni uero seculo ex Tarso Ciliciæ. Sed adscribã ipsa Plinij uerba, quibus tota res notior fiet. Siccantur pendentes suilli iunco transfixi, quales à Bithynia ueniunt. Hi fluxionibus alui, quos rheumatismos uocant, medentur, excrescentibusq́; in sede carnibus, minuunt enim eas & tempore absumunt. Item lentigines & mulierum uitia in facie leuant. Lauantur etiam ut plumbum, in oculorum medicamenta, sordidis ulceribus & capitis eruptionibus, canum

num morsibus ex aqua illinuntur. Hactenus Plinius, & de ellychnijs quidem satis, ex quibus sanè etiam linamentum ἐλλυχνιωτὸν appellatum conficiebatur. Porrò Corn. Celsus. 7. cap. 28. Linamentum in longitudinem implicitum, λημνίσκον græcis uocari ait, ut non solum ea quinque genera linamentorum esse putandum sit, quæ in libello εἰσαγωγῆς sunt relata. Nam & hoc Heraclidæ loco, cum alijs tribus generibus mentio fit linamenti longi Lycio imbuendi, quod μακρὸν μοτὸν dixit, λημνίσκον autem etiam Aetius usurpat 14. capite 7. de abscessibus sedis. Διόπερ συμφέρει inquit, λημνίσκον ποιήσαντα καὶ ἐμβάλλοντα τῷ τετραφαρμάκῳ ἀναλελυμένῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸς τὴν θεραπείαν ἐπιτηδείων, ἐντιθέναι εἰς τὴν ἕδραν. Vsurpat item Paulus quū alibi, tum libro 6. cap. 34. μεγάλου δὲ ὄντος τοῦ ἀποστήματος καὶ πλειόνων διαιρέσεων ἐπὶ διάσυρτόν τινα λημνίσκον δι᾽ αὐτῶν ἀγάγωμεν. Sed & idem σφηνίσκον, hoc est cuneolum, pro linamento usurpat, eiusdem lib. capite 4. καὶ ξύσαντες τὸ ὀστέον, σφηνίσκον ἐκ ῥάκους ἐμβαλοῦμεν τοῖς τραύμασι. & cap. 91. δεῖ σφηνίσκους στρεπτοὺς ἐκ ῥάκους εἰληθέντας ἐντιθέναι τῇ ῥινὶ δύο. Quod autem non sit aliud σφηνίσκος, quàm linamentum ad cunei parui similitudinem intortum, ex eiusdem lib. cap. 7. apparet, ubi ait γυμνωθέντος δὲ τοῦ ὀστέου, σφηνίσκοις ἢ μοτοῖς πλείοσι χωρίσομεν ἀπ᾽ ἀλλήλων.

Brachia item & manuum iuncturas, fœmoraque & inguina atque genua cōstringere in his qui mœsto ac deiecto sunt animo.] In græco hic habetur ἐν τοῖς συνεσταλμένοις, quod reddidi, in his qui mœsto ac deiecto animo sunt. Sunt enim συνεσταλμένοι animo cōtracti & συγκεχυμένοι, hoc est, confusi, & qui spem abiecerunt.

Finis tertij libri commentariorum medicorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DECEM LIBROS GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORUM SECUNDUM LOCOS CONSCRIPTORUM, LIBER IIII

In caput primum. De affectionibus quæ in oculis fiunt.



QVOD enim cum compressione, aut tensione, aut obturatione, aut corrosione, aut quibusdā pulsationibus dolent, nobis aperte indicatur.] Oculorum dolores cum his affectionibus, & ex his fieri, Galen. aperte indicari nobis ait: quanquam esse etiam dicat, qui hęc discrimina neque ab ægris neque à medicis cognosci posse scribant, præsertim si fluxus ex partibus intra craneum, aut etiam extra, & ex arterijs ac uenis in oculos feratur; cuius signum sit quod ægri neque distentionem, neque obturationem, neque aliud quoddam symptoma se sentire dicant, de nulla re queruli quàm de doloris uexatione, atque hoc non solum in oculorum dolore, sed etiam aliarū corporis partium contingere. Nam quum aliqua externa causa dolorem excitauit, in hac ipsa non adeò difficilis sit cognitio neque doloris, neque affectionis, At uero internum affectum doloris causam cognoscere operosum est, & exercitatum artificem requirit. Quare quum Galenus paucissimis transcurrat has dolorum causas, ut qui uelut ipse meminit, libro 12. Methodi de doloribus & eorum causis egerit, ex 13. Methodi amplius ad oculorum affectus cognoscendos conferentia ostenderit; Visum est no

bis e re studio sorum fore, etiam hic de doloribus summam quandam adscribere. Omnis itaque Dolor aut ob alterationem aliquam uehemẽtem & acervatim ingruentem fit, aut ob continuitatis diuisionem. Continuitatem diuidunt Ruptio, Contusio, ac Corrosio. Hæc uero aut ex Distentione, aut grauitate, aut mordaci qualitate producuntur. Si itaque externum nihil sit, quod aut distendat, aut grauet, aut corrodat, Distẽtio sane ex interno humore multo, aut ex flatu concluso, aut ex multa siccitate oritur. Grauitas à dura aliqua magna aut graui mole corpori extra illapsa contingit, aut etiam ab interno aliquo magno aut graui tumore; Mordax qualitas ex humoribus acribus ac mordacibus prouenit. Alteratio autem per uehementem contingit calfactionem ac perfrigerationẽ, siue spirituum, siue humorum, siue partium solidarum. Quare in omni dolore considerandum an multus humor, aut flatus exitum non habens, aut immodica siccitas, aut grauis rei illapsus, aut grauis tumor, aut mordax humor adsit, aut caliditas aut frigiditas occupauerit. Atque hæc est summa omnium affectionum dolores producentium, quam per longum Galenus 12. Methodi exequitur. Oculorum uero dolores præsertim in inflammatione, Aut ex acrium humorũ influxu mordaci, aut ob distentionem tunicarum repletarum uel crassis humoribus, uel flatuosis spiritibus, generantur, uelut idem XIII. Methodi refert.

De pharmacis mordacitatis expertibus ac lenibus.] Mordacitatis expertia sunt quæ græci ἄδηκτα uocãt, Celsus Lenia dixit. Sunt autẽ eiusmodi pharmaca non solum lenia per se & acrimoniæ exortia, Verum partes etiam quibus adhibentur leniunt, & à mordacitate liberant, qua gemina significatione etiam ἄφυσα & ἀφλέγμαντα dicuntur, uelut alibi memini. Recenset autem pro leni oculorum medicamento pompholygem, uel imprimis tenuibus & acribus fluxionibus leniendis sistendisq; ac resiccãdis cõmodam. quas uires item spodio & amylo esse dicit. Cæterum quatenus Pompholyx à spodo seu spodio in neutro genere differat, Dioscorides libro 5. & Galenus 9. simpl. pharm. docent, Vnius enim generis Dioscorides esse ait, specie tantum differre. Galenus autem neq; spodio neq; antispodio, quod eandẽ uim habet, se usum esse dicit, propterea quod semper pompholyge abundarit. Ocularij medici hodie uulgo Tutiam uocant, quanquam alij Cadmiam hac appellatione accipiant, de qua alio loco retuli. sed in pharmacopolijs Nihil appellatur, unde et dictum uulgatum, Nihil oculis commodissimũ esse, quo ambigue tum pompholygem oculis utilem, tum oculos non multis medicamentis contingendos esse innuunt. Estq; Nihil album appellatum uera pompholyx, Sicut gryseum aut nigrum dictum, uerum spodium metallicum à Dioscoride & Galeno descriptum. Nam quod alias hodie Spodium officinę uocant, cum metallico nihil commune habet, uulgoq; ebur ustum esse creditur, Auicenna radicum cannarum exustarũ cinerem spodium esse dicit. Quare qui metallicum græcorum medicorum spodium in usum uertere uelint, recte pompholyge, quod nihil nigrum uulgo uocatur, utentur. Contra qui Spodio Arabum medicorum uti uolunt, aliquãdo cinerem eum officinarum, siue usti eboris, siue radicum cannarum exustarum, aut cuiuscunq; tandem rei ustæ hæ reliquiæ sunt, (ossis autẽ esse palam apparet,) assument, aliquando contra metallicũ illud in usum adhibebunt. Nam sicut illum cinerem, aut ossium ustarum reliquias, greci medici ignorant, Ita Arabes de utroque quidem tradunt, Verum ita inter se confundunt, ut spodio iuxta ipsorum præscriptũ usuros, diligenter expẽdere oporteat, utra res ad subiectum accommodatior existat.

Ericæq; fructus, &c.] Ericam fruticosam esse arbusculam myricę similem, sed multo minorem Dioscorides tradit. Eius fructum inter adstringentia oculorum pharmaca

pharmaca Galenus hoc loco recenset. Dixi autem fructum καρπὸν græcè dictum: quanquam sciam quosdam malle semen uocare. Verum quũ καρπὸς proprie fructum significet, malim ita interpretari, quamuis aliquando, & fortassis etiam hic, nihil referat, semen an fructum eandem rem appellemus uelut etiam alibi commemini. Quatenus autem differant καρπὸς & σπέρμα explicauit Aristoteles primo de generatione animalium his uerbis. σπέρμα δὲ καὶ καρπὸς διαφέρει τῷ ὕστερον καὶ πρότερον. καρπὸς μὲν γὰρ τὸ ἐξ ἄλλου εἶναι, σπέρμα δὲ τὸ ἐκ τούτου ἄλλο. Quibus uerbis indicat, Semen à fructu secundum prius ac posterius differre: fructus enim ex alio quidem est, Semen autem ex hoc ipso aliud est. Velut exempli gratia, Pomum quidem fructus ex arbore est, Semen autem pomi ex eo ipso est, & quidem posterius fructu, hoc est, ipso pomo. Verum hanc differentiam clarius explicat Galenus libro secundo de alimentis, cuius uerba grçce adscribam. νῦν δὲ ἀπὸ τῶν καρπῶν ἄρξομαι, διορίσας πρότερον αὐτῶν τὰ σπέρματα, καὶ μάλιστα ὅτι πολλοῖς ἔδοξε διαφέρειν οὐδὲν, ἢ καρπὸν εἰπεῖν, ἢ σπέρμα. τὰ μὲν οὖν ἤδη λελεγμένα σπέρματα βραχύ τι καρπῶν διαφέρει. τῶν δὲ νῦν ῥηθησομένων οὐκ ὀλίγον ἀφέστηκε. καρπὸς μὲν γάρ ἐστι συκῆς τὰ σῦκα, ἡ δὲ ἐν αὐτῷ κεγχραμὶς σπέρμα συκῆς. ὥσπερ καὶ τῆς ῥαγὸς ὅλης οὔσης ἀμπέλου καρπὸς μόνον ἐστὶ, τὸ δὲ γίγαρτον ἀμπέλου σπέρμα. κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ ἀπίου καὶ μηλέας ὁ μὲν καρπὸς, ἄπιόν τε καὶ μῆλόν ἐστι, τὸ δὲ σπέρμα τρεῖς ἢ τέτταρες ἐν μέσοις αὐτῶν κόκκοι. Cæterum uetus Interpres ubique ferè Tamariscum interpretatus est pro erica, quum tamen Tamariscus myricam proprie significet, corrupta uoce ex uera latina Tamaricis, qua & Plin. & Columella usi sunt. At uero Tamaricem Plinius contra Dioscoridem & Galenum nullum fructum ferrè dicit lib. 16. cap. 26. his uerbis. Fructum arborum solæ nullum ferunt, hoc est, ne semen quidem, tamarix scopis tantum nascens, populus, alnus, ulmus, &c. quod itaq; Dioscorides dixit καρπὸν ὥσπερ ἄνθος φέρουσα βρυώδης κατὰ τὴν σύστασιν, idipsum Plinius, tum semen, tum fructum esse, aut dici posse non putauit. Porrò calices fieri ex trunco myricæ arboris solitos, qui splenicis essent in usu commodi Dioscorides prodit. Sed ea gratia hodie uina ex tamarisci uirgultis cõcinnantur in superiori Germania cisrhenana, quæ splenicis utiliter bibuntur, Tamariscina uulgo appellata. quod ut nouitium inuẽtum adscribere uolui, quum factitij huius uini Dioscorides inter tot genera non meminerit, & Democritus apud Constantinum Cæsarem lib. 19. cap. 7. ad eandem rem uinum prunis myricæ superfusum, & sic potatum magis probet.

Siue cũ erosione corniformis tunicæ, & prolapsu uuiformis appellatæ.] De oculorum tunicis & humoribus, earundemq; utilitate Galenus 10. de utilitate partium abunde tractat: quanquam exemplari ita corrupto, ut uix certam sententiam eruere possis. Nos huc nomina tantum adscribemus, ut tum huius, tum aliorum locorũ, in quibus ipsorum nomenclatura contingit, facilius intellectum capiamus. Sunt itaq; oculorũ tunicæ quas χιτῶνας uocant septem: quanquam ex toto quatuor tantũ sint, sed ita ut tribus ex his in duas partes, anteriorẽ uidelicet & interiorẽ diuisis, septem fiant. Prima itaq; interior est ἀμφιβληστροειδὴς, hoc est, Retiformis appellata, quam tamen Galen. neq; colore, neq; substantia, tunicam esse ait, sed partem cerebri putari uidentibus posse. Huius itaq; pars anterior ἀραχνοειδὴς, id est, Araneoformis appellatur. Secũda interior χωροειδὴς uocatur, hoc est Secundiformis, cuius anterior pars ῥαγοειδὴς, id est, Vniformis dicitur. Tertia κερατοειδὴς, id est, Corniformis anteriore sui parte nominatur: interiore uero σκληρὸς, id est, dura uocatur. Quarta aũt, siue diuisionis partiũ superiorũ respectu, Septima tunica, ἐπιπεφυκὼς χιτὼν appellat̃, hoc est, tunica agnata, propterea quod, ut infrà de lippitudine Galen. ait, alijs quæ oculum ipsum cõstituunt tuni

cis

cis forinsecus sit adnata, uulgo coniunctiuam dicũt. Appellatur autem & περιόστεος & περικράνιος ὑμὴν, uelut ibidem Galenus ait. Ex his itaq; tunicis ac tribus humoribus, totus oculus constituitur. Humorum nomina κρυσταλλοειδὴς, ὑαλοειδὴς. hoc est glacialis & uitriformis. Et glacialis quidẽ intra tunicã corniformem continetur. Vitriformis intra retiformem. Nutritur autẽ crystallinus ex uitriformi, Vitriformis uero ex retiformi corpore ipsum continente. Retiformis enim itemq; secundiformis tunica uenis ac arterijs plenæ sunt, pluribus ac maioribus quàm pro sua mole ac magnitudine, atque hinc etiam Secundiformis appellationem altera sortita est, quod ad secundæ similitudinem uenis ac arterijs sit intertexta, quemadmodum Galenus primo de semine, & in libello de uteri dissectione docet, quos ambos nuper latine conscripsimus. Tertium postremum humoris oculorũ genus albugineum, à similitudine ad liquorem oui album appellant. Nam ut Galenus lib. 10. de utilitate partium corporis ait, λεπτὸν καὶ καθαρὸν, οἷόν περ τὸ ἐν τοῖς ὠοῖς ὑγρόν ἐστι. Quare etiam ὠοειδὲς græcis medicis uocatur. Aliqui uero Aquosum uocant, uelut in εἰσαγωγῇ Galeno inscripta habetur, ubi ait hæc uerba. ὑγρὰ δὲ περιέχουσιν οἱ ὑμένες αὐτοῦ τρία. τό τε ὑδατοειδὲς, καὶ τὸ ὑαλοειδὲς, καὶ τὸ κρυσταλλοειδὲς. Addamus porrò & hoc, quod, non omnium intimus crystallinus est, iuxta quorundam traditionem, sed uitriformis in retiformi corpore, ut dixi, contentus. crystallinus uero intra corniformem continetur uelut dixi, estq; primum organum uisus, cuius signum Galenus esse dicit suffusiones, quæ intra crystallinum humorem & corniformem tunicam mediæ consistentes uisum impediunt. At uero quod quem Albugineum dixi, quidam eũdem esse putant cum crystallino, ex Cor. Celso uidentur decepti lib. 7. cap. 7. quũ ait. Deinde infrà rursus tenuissima tunica quã Herophilus ἀραχνοειδῆ nominauit: ea media subsidit, eoq; cauo continet quiddam, quod à uitri similitudine ὑαλοειδὲς græci uocant, Id neq; liquidum neq; aridũ est, sed quasi concretus humor, ex cuius colore pupillæ color uel niger est, uel cęsius, cum summa tota tunica alba sit, Id autem superueniẽs ab interiore parte membranula includit. sub his gutta humoris est, oui albo similis, à qua uidendi facultas proficiscitur, κρυσταλλοειδὴς à græcis nominatur. Hactenus Celsus. In his sanè uerbis humor oui albo similis cõfusus est cum crystallino, & locus apertè est uitiatus, uelut ex Galeno & reliquis medicis græcis conuinci potest. Nam & Aetius, lib. 7. palàm tradit de tribus oculorum humoribus, cuius uerba eò libentius adscribam, quod totam eorum humorum rationem euidẽtissime explanent. ὑγρὰ δὲ ἐστιν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τρία. ἔνδοθεν μὲν πάντων τὸ περιεχόμενον ἐν τῇ κοιλότητι τοῦ ἀμφιβληστροειδοῦς χιτῶνος, ὑαλοειδὲς λεγόμενον, προσέοικε γὰρ καὶ τῇ χροιᾷ καὶ τῇ συστάσει τῇ κεχυμένῃ ὑάλῳ. τούτου δὲ ἐξωτέρω κεῖται κατὰ τὸ πέρας τοῦ ἀμφιβληστροειδοῦς χιτῶνος, τὸ κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν, ὃ καὶ δισκοειδὲς καὶ φακοειδὲς καλεῖται. προσέοικε γὰρ τῇ μὲν χροιᾷ κρυστάλλῳ, τῷ δὲ σχήματι φακῷ. ἔξωθεν δὲ περικέχυται τούτῳ τὸ ὠοειδὲς ὑγρὸν, προσέοικε γὰρ τῇ χροιᾷ καὶ τῇ συστάσει, τῷ ἐν τοῖς ὠοῖς ὑγρῷ τῷ λευκῷ καὶ λεπτῷ. τὸ μὲν οὖν πάντων ἔνδοθεν τὸ ὑαλοειδὲς ὑγρὸν, πρὸς τὸ τρέφειν τὸ κρυσταλλοειδὲς παρεσκεύασται. τὸ δ' ἔξωθεν αὐτῷ περικεχυμένον τὸ ὠοειδὲς πρὸς τὸ ἀντέχειν τοῦτο γεγένηται, καὶ μὴ συγχωρεῖν αὐτὸ ἀδικεῖσθαι ὑπὸ τῆς τοῦ ἡλίου αὐγῆς. Verum ut hæc & alia ignotiora sint hodie, artis sectoriæ corporum negligentia facit, quum centesimus quisque eorum qui medicinam exercent, & speciosis etiam doctrinæ titulis se uenditant, uix semel corpus in superficie saltẽ secari uiderit κατὰ περίπτωσιν uidelicet, & τραυματικὴν θέαν, ueluti Galen. dicere solet. Deinde quod hodie penitus segregata sit ocularis medicina, maxime quę manus opẽ postulat, à reliquis artis partibus, uelut etiã tota chirurgia, quã tamen ueteres unà cũ pharmaceutica atq; diætetica communiter exercuerunt. Quanquam etiam Galeni seculo ocularios medicos quosdam seorsim fuisse

sim fuisse appareat, quum ex alijs locis, tum ex 13. methodi, ubi nobilis cuiusdam ocularij qui arterias temporũ exciderit, mentionem facit. Porrò de hodierna medicorum etiam in publicis gymnasijs secta, dubito an alia quàm Empirica uocari mereatur, quum maxima pars eorum neq; ex sectoria corporum arte, neq; ex rationali speculatione, neq; ex ulla methodi cognitione, neq; adeò ex medicorũ scriptorũ lectione: nisi hi sint Arabes aut Barbari, atq; adeò etiam ipsi Empirici, sed ex solis experimentis, atq; his non per se, sed per priores, eosq; obscuros indiligẽter atq; incõstanter factis, ad medicandũ progrediatur, ut ne dicã titulos doctrinę & doctoris (eo enim nihil speciosius, neq; ad imposturã faciendam aptius hæc ætas in studijs habet) uendi aliquãdo rudibus fere omniũ literarum, æque ut rei medicæ, ac meris Thessalijs asinis, uelut Galenus eiusmodi uocare solet.

Aliqui quidem specilli concauo superficiem deradentes.] Specilli cõcauum τὸν κυαθίσκον σμίλης dixi, quam partem auersum specillum Celsus & Scribonius dicunt, non solum ad fundendum aliquid ex eo, sed ad deradẽdum etiam aptam. Sicut contra aduersum specillum πυρῆνα μήλης uocãt, hoc est cuspidem, uelut suprà ostendi. Videntur tamen græci medici inter se confundere κυαθίσκον & πυρῆνα. Suprà enim lib. 3. de narium polypo, arida pharmaca nõ semel per specilli extremum ac nucleum, hoc est, διὰ πυρῆνος μήλης, admouenda ac indenda esse naribus dictum est, quod ipsum fieri commode non possit, si per pyrena cuspidẽ acutam accipiamus, uelut suprà in διπυρήνοις appellatis accipi indicaui. Quare illis locis πυρὴν pro extremo quidem dicitur, sed non acuto & in cuspidem abeunte, uerum cauo & ad fundendum aliquid ex eo apto, hoc est pro ipso κυαθίσκῳ. quomodo etiam 13. Methodi Galenus usurpauit, ἐπὶ μὲν τὰ χείλη τοῦ ἕλκους inquit, διὰ μήλης πυρῆνος ἐπιτιθέντας τῶν ξηρῶν τι φαρμάκων. Hoc ipsum est enim quod Celsus lib. 5. cap. 28, de Theriomate dixit. Quicquid autẽ inspergitur, auerso specillo infundi debet, ut paulò post Galenus, καὶ τὸ τῷ ἀφαιρήσεις ὕστερον μόνῳ τῷ ξηρῷ φαρμάκῳ χρώμενος ἐφ᾽ ὅλον τοῦ ἕλκους ἐπικυλιομένου τοῦ τῆς σπαθομήλης πυρῆνος. Sic etiam 5 simp. pharm. χνοώδη γὰρ ἀκριβῶς τὰ τοιαῦτα φάρμακα διὰ τοῦ τῆς μήλης πυρῆνος ἐπικυλιομένα ταῖς σαρξὶν, εἰς οὐλὴν ἄγει τὰ ἕλκη. His itaq; locis πυρὴν non pro cuspide, sed pro caua specilli parte ex qua aliquid fundi potest, & pro rotunda non acuta accipitur, quum in ulceribus uolutari debeat, Atq; hanc significationem uariantem subindicare uidetur Galenus 9. ἀνατομ. ἐγχειρ. Vbi post διπυρήνων specillorum siue instrumẽtorum descriptionem ait, εἰ δὲ μὴ παρείη τὸ διπύρηνον, ἢ σμίλην ἢ σπαθομήλην κατὰ τὸ ἕτερον πέρας, ἐν ᾧ τὸν πυρῆνα κυκλούμενον ἔχουσι, καθεὶς εἰς κοιλότητα, &c. Etenim πυρῆνα κυκλούμενον dixisse uidetur ad differentiam acuti, aut concaui, id est, ὀξέος κυαθίσκου: quanquã suspicer καλούμενον pro κυκλούμενον debere legi. Quod si etiã sic habeat: tamen non longe post, hanc πυρήνων significationis uarietatem declarat, his uerbis. λέγεται δὲ οὐκ ἔτι αὐτὴ σπαθομήλης πυρῆνα διὰ στενότητα. τῶν λοιπῶν οὖν τι πυρήνων ἢ μηλωτίδων διεμβάλλειν πειρῶ. Et rursus infrà καὶ χρὴ πυρῆνα μήλης ἢ τὸ πλατὺ μέρος τῶν καλουμένων σπαθίων ἢ καὶ σπαθομήλης, &c. Quare planè manifestũ fit πυρῆνα extremũ specilli, siue acutum, siue cauum, siue rotũdum sit, significare. Nos autem quodcunq; ex illis pro rei propositæ aptitudine intelligere oportere. Porrò Galenus paulò post marinorum quorundam animalium coria, eũdem usum præstare ait, quem specilla concaua siue auersa. Intelligit autem Herinaceorum cutem, itemq; squatinarum, ἰχθύαν appellatam, uelut alibi explicaui. Celsus ad hunc usum, etiam folium ficulneum probat, atq; asperatum specillum, & interdum scalpellum laudat, quod sanè βλεφαρόξυστον Paulus dixit.

In caput

In caput II de lippitudine siue ophthalmia.

PORrò collyria Monohemera appellata, quædã priuatim feculẽta dicta, multam acaciam in se habent.] μονοήμερα collyria dicta sunt quod una die efficaciam suam declararent, feculenta autem, hoc est τρυγώδη ab acacia quã recipiũt, sunt appellata. Eorum descriptiones uariæ infrà recensentur à Galeno, item Celso lib.6. & Paulo lib.7. cap.15.

In caput III de ulceribus oculorum.

VLcera oculorũ eandem secundum genus curationem requirũt quam alia ulcera. Omnia ulcera eandem secundum genus curationem desiderãt, Nimirum ut siccentur & expurgẽtur, Verum hæc ratio immutatur pro partium in quibus ulcus est natura, quũ aliæ magis, aliæ minus hæc genera requirant. Quare hic lenissima esse oportere ait pharmaca, quæ oculorum ulceribus adhibẽtur, quorum tamen uim iuxta affectionis uehementiam augere semper cõuenit. Sic uero etiam aliæ partes suam indicationẽ habent, & ut Galenus ait siccissima medicamenta in humidis maxime glandis ulceribus requiruntur, propterea quod siccior eius partis natura existat: quæ omnia uidere est apud Galenum lib.3.4. ac 5. methodi affatim tradita & declarata.

Quidam etiam polygoni succum ammiscuerunt. Polygonum frigidæ esse facultatis in principio tertij ordinis, itemq́ adstringendi uim aliquã habere, Galenus 8. simpl. phar. ait. unde sanè ad ulcera inflammata, & fluore impetita, cõmodum pharmacũ fuerit eius succus, uelut etiam hic tradidit. Latini sanguinariam ac sanguinalem appellant, quod sanguinis reiectionem, & fluorem undecunque feratur sistat. Verũ græcis πολυγόνου appellatio ex geniculorũ multitudine esse uidetur, & quod ut Dioscor. ait γόνατα συνεχῆ ἔχει ἐγκείμενα ἀλλήλοις ὥσπερ σάλπιγγος, aut à multitudine seminis, ut Plin. ait, hoc est, ὅτι πολὺ ἔχει γόνον, quod item Dioscor. de eo præsertim masculo testatur. Sed Scribon. cap.47. uel herbam, inquit, quæ quia multa est, & ubique nascitur, polygonon appellatur, non ἀπὸ τῶν γονάτων, neq́ ἀπὸ τοῦ γόνου ἤτοι σπέρματος, sed ἀπὸ τοῦ πολλὴν γίγνεσθαι πανταχοῦ τὴν πόαν, appellationem deriuans: quod haud scio an non sit ab interprete eius libri effictum & adiectũ. Habet tamen sic etiam Marcellus cap.10. sed uerbenæ latina appellatione præscripta, quam ego expungendam existimo, & pro uerbenam herbam, Vel herbam quæ quia, &c. scribendum: quanquam idem multis herbis polygoni appellationem tradat, ueluti millefolio & rubiæ cap.1. & amplius cap.9. dicat, herbam quam Græci polygonum, nos aliquot uocabulis, sed præcipue sanguinalem dicimus: ut forte & uerbena polygonos sit appellata. Quin & cap.17. herbæ inquit, polygoni quæ ut opinor Tiniaria uocatur, sed eum locũ ex Scribonio sumpsit, apud quem falsò πολιὸν pro πολύγονον habetur.

Quapropter etiam aspritudines extirpat nõ paruas modo, sed magnas quas sycoses græci à granorũ ficus similitudine appellant.] Aspritudines palpebræ internæ si paruæ sunt τραχώματα uocantur, Si uero augescant, ut uelut incisuras quasdam habeant, συκώσεις dicuntur, quod ferè κεγχραμίδων, hoc est, ficus granulorum similitudinem referãt. Quum uero eiusmodi aspritudines inueteratæ iam in callum abeunt, τύλωσις uitium appellatur, Nos antiquos callos conuertimus. Sicut πτερύγια quæ mox sequuntur, oculorũ ungues reddidimus, Celsum in hoc imitati, qui lib.7. hoc malũ sic describit, Vnguis inquit, quod πτερύγιον græci uocant, est membranula neruosior oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoq́ peruenit eiq́ officit. Paulus libro 3. cap.22. fere eadem uerba habet, τὸ πτερύγιον inquit, νευρώδης ἐστὶ τοῦ ἐπιπεφυκότος ὑμένος ὑπεροχή, ἐκφυομένη μὲν ἀπὸ τοῦ κανθοῦ, προϊοῦσα δὲ μέχρι τῆς στεφάνης, ὅταν δὲ ὑπεραυξηθῇ, καὶ τὴν κόρην καλύπτει. Idem tamen

Paulus

Paulus eodem loco non πτερύγιον unguem, id est, ὄνυχα græcis appellari tradit, sed ὄνυχα, hoc est unguem uocari, ubi corniformi tunica in superficie suppurata, pus ipsum figura ungui simile apparet. Est autem & πτερύγιον circa ungues digitorum, tum in manibus, tum in pedibus, uitiū, in quo caro exulcerata ab ungue recedit. Sunt præterea πτερύγια etiam nasi partes, quas Alas conuerti libro primo de difficultate spirandi, ex Galeno nuper à me cum aliis quibusdā eius argumenti libellis edito. Nam idem lib. 11. de utilitate partium πτερύγια τὰ κάτω πέρατα τῆς ῥινὸς λυνόμενα nominari scribit. Est autem & σύκωσις non tantum palpebrarū oculorum aspritudo, sed & podicis ulcus, ex nimia attritione generatū, quod & marisca, quæ alias species ficus est, appellatur. Iuuenalis poeta quū dixit, Cædun tur tumidæ medico ridente mariscæ, ad obscænam & libidinosam earū partiū attritionem respexit. Sicut Martialis ad attritionem ex equitatione, in apophoretis. Ephippium. Stragula succincti uenator sume ueredi, Nam solet a nudo surgere ficus equo. Quare uel his locis redarguuntur qui Mariscas hæmorrhoidas interpretantur. Neq; enim uerisimile est tam crudelem medicum fore, ut risurus sit in hæmorrhoidibus amputandis, quæ locales sunt uenarum in sede dilatationes, quandoq; in callum transeuntes, nō ex pathica libidine inductę uelut mariscæ, quæ proinde medico ridente pertūduntur, quum sint alias etiam ulcus σαρκωματικόν, id est, carnosum. Vocantur præterea σῦκα & συκώδεις ὄγκοι atq; συκώδη ἐξανθήματα, in capite & mento, itemq; reliquo corpore tubercula, ulcerosa, rotunda, subdura, rubicunda, cum dolore, ut Aetius 8. cap. 14. ex Oribasio & Critone tradit, & infrà Galenus huius operis quod exponimus libro quinto.

In caput IIII. De ocularium pharmacorum uiribus.

IN hoc genere esse existimandum est tum gummi, tum tragacantham.] Gummi & tragacanthæ aqua maceratarum eundem usum esse posse, qui est liquoris albi ouorū, ac lactis muliebris, ac fœni græci decocti, Galenus docet, ad collyria nimirum cogēda, atq; etiam ad serosos humores ex oleis eluendos. priorem utilitatem etiam Celsus indicauit, his uerbis. Gūmi quum quasdam alias facultates habeat, hoc maxime præstat, ut ubi collyria facta inaruerūt, glutinata sint neque frientur. Cæterū quum multa sint gummi genera ex diuersis arboribus prouenientia, quando solum κόμμι reperitur scriptum, de eo quod uulgo etiam hodie gummi simpliciter, & aliquando Arabicum dici solet, intelligendum est. Enascitur autem ex Acacia arbore Aegypti, ut Dioscor. lib. 1. ait. καὶ κόμμι δὲ inquit, ἐκ τῆς ἀκάνθης γεννᾶται. Vnde etiam Marcellus cap. 14. gummi acanthinum uocauit. atq; hoc est quod Plinius 13. cap. 11. ait. Gummi optimum esse ex Aegyptia spina conuenit, uermiculatum, colore glauco, purum sine cortice, dentibus adhærens. Primas duas differentias, uermiculati uidelicet & coloris, non tamen glauci, sed albi, etiam Aetius expressit 9. cap. 37. ubi κόμμεως σκώληκος τοῦ λευκοῦ mentionem facit. Scribonius inter ocularia pharmaca gummi Alexandrinū probauit, infrà uero in Hæmatitino collyrio gummi Thebaicū laudatur, quæ omnia nihil aliud sunt quàm ipsum Arabicum gummi.

Ex pharmacorum ad scabras in palpebris affectiones conuenientium numero, sunt Sales ammoniaci, & lapis Asius tum ipse, tum flos ipsius, &c.] De sale ammoniaco & reliquis medicamētis ocularibus hoc loco à Galeno adductis, si quis amplius desyderat cognosse, habet Dioscoridem itemq; Galenum in simpl. pharm. libris, in quibus ea requirere potest, Nos quum difficiliores tantū locos exponere instituerimus, eos modo prosequemur, quemadmodū etiam hactenus fecimus. Quare hoc loco de lapide Asio, eiusq; flore, etiam hoc commonefaciemus studiosos, quod non ita apud illos autores, neq; apud alios quosuis expo

situm est. Asius itaq; lapis appellationem ab Asia in qua nascitur habere uidetur. Galen. autem. 9. simpl. pharm. Assium lapidem uocat, & ab Asso oppido in quo nascitur uocari dicit, & planè eundem describit, quem Dioscorides Asium uocat, eiq; florem eundem tribuit, ut nulla suspicio relinquatur, alium esse lapidem Asium Galeni, alium Asium Dioscoridis, sed eundem & Asium & Assium uocari, altera appellatione ab Asso oppido, altera à tota regione Asia, in qua et ipsum oppidum est, deducta. Cæterum Plinius Asium lapidem lib. 36. cap. 17. describens, eundem penitus indicat qui à Dioscor. & Galeno describitur, Verum in principio eius loci, In Asso inquit, Troadis Sarcophagus lapis fissili uena scindit, corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra 40. diem, exceptis dentibus. Et libro 2. cap. 96. At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora, Sarcophagus uocatur. quibus uerbis indicare uidetur, Sarcophagum alium lapidē esse quàm quem postea Asium dicit. Sarcophagū enim lib. 2. inter miracula recenset, sed lib. 36. palàm inter sarcophagum in Asso nascentem, & Asium distinguit, quum de utroq; seorsim tradat. Ego autem Sarcophagū lapidem eundem esse quem Asium constanter contra Plinium sentio, quem deceptum ex eo puto, quòd apud alios græcos autores, unde sua transcripsit, de Assio lapide in Asso nascente legit, & rursus apud alios de Asio simpliciter, quæ occasio fuit ei Assium alium ab Asio lapide putandi ac prodendi. Est autem hoc uel maximum argumentum, quod neq; Dioscor. neq; Galen. neq; Aetius, neq; Paulus, sarcophagi seorsim mentionem fecerūt, quem haud dubie seorsim explicassent, si alium ab Asio putassent. atq; Galenus sanè Assium ob id maluisse appellare uidetur, ut non alium esse putandi cuiquam occasionem daret, quàm Sarcophagum, qui uidelicet in Asso nascitur. Quod autem corpora defunctorū Asius lapis absumat, Dioscorides itē dixit, καὶ σοροὶ, inquit, σαρκοφάγοι γίνονται, hoc est, loculi defunctorum carnes absumentes ex eo fiunt, quanquam is locus mire sit ab interpretibus corruptus. Galen. uero id ipsum de eo testificatum reliquit, solum ea tradens quæ ex ipso ad rem medicam conducūt. Est itaq; idem lapis Asius & Assius, ac Sarcophagus appellatus. Cuius rei testimoniū ex Celso lib. 4. cap. 24. abunde suppetit, ubi ait, Lapis etiam qui carnē exedit quem σαρκοφάγον græci uocant, excisus sic ut pedes capiat, demissos eos quum dolent, retentosq; ibi leuare consueuit, ex quo in Asia lapidi Asio gratia est. His uerbis Celsus palā ostendit Sarcophagum Asium lapidem esse, Nam eandem uim Dioscorides Asio adscribit, κατασκευάζονται δὲ καὶ πύελοι ἐκ τοῦ λίθου, εἰς ἃς οἱ ποδαγρικοὶ τοὺς πόδας ἐντιθέντες ὠφελοῦνται. Quin ipse etiam Plinius hoc auxilium de Asio lapide prodidit. Asius inquit podagras lenit, pedibus in uase ex eo cauato inditis, Sed tamen sarcophagū aliū esse putauit, deceptus ex eo quod etiā Assium aliū ab Asio esse putaret, quū uelut dixi, iam de Assio, iam de Asio apud græcos medicos reperiret.

In cap. V. de aridis medicamentis oculis conducentibus.

EXcrescentem item iuxta nasi angulum carnem encanthida appellatā, &c. ἐγκανθίδα incrementum supra iustum modū carunculæ naturalis, circa magnum oculi angulum esse, Paulus lib. 3. ait. Idem μίλφας quæ mox sequentia palpebrarū defluuia exposuimus, μαδάρωσιν appellat. Idem enim esse μαδάρωσιν ac μίλφωσιν dicit, & exponit ἀπόπτωσιν τῶν τοῦ βλεφάρου τριχῶν τὸ τοιοῦτο πάθος esse. Ad hęc itaque uitia, alia atque alia ex aridis collyrijs commoda esse dicit, & inter ea quæ propterea quod lachrymas proliciant, & fluxiones repellant, ἀποδακρυτικὰ & ἀποκρουστικὰ appellantur. ἀποδακρυτικὰ enim delachrymatiua, & cientia ipsas lachrymas dixit, quanquam uice uersa etiam pro supprimentibus, & intercipientibus ἀποδακρυτικὰ dici possint, Sicut ἀποφλεγματισμοὶ etiam dicuntur, qui pitui-

cam

tam detrahunt, atque ita fluorem eius sistunt ac intercipiunt. Habent enim aliqua uerba ex ἀπὸ composita, tales contrarias ferè sibijpsi significationes, uelut etiam ἀπολαμβάνω pro recipio & recupero usurpatur. Paulus 3. de uteri strangulatu, καὶ οὕτως ἀπολαμβάνουσι τό τε νοεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι. Et rursus pro extraho & euello apud eundem lib. 4. cap. 46. εἰ δὲ καὶ ἰερσὸς ἐπιπέμπων τοῖς σκέλεσιν, ἐν τούτοις τοῦ ἕλκους τυγχάνοντος, ἐκ τοῦ ἀπολησπτέον, &c. Hippocrates quum alibi, tum. 2. prædictionum ἀπολήψιες οὔρων dixit, Galenus ἐπισχέσεις exponit. Galen. infrà in Monohemero Sergij ophthalmici, μετὰ τὸ ἀποδακρῦσαι dixit, post prolectas lachrymas. Scribonius uero aut eius interpres, ad delachrymationem, dixisse uidetur pro μέχρι τοῦ ἀποδακρῦσαι, cap. 37. Deinde inquit, hoc medicamento suffricatur curiose ad delachrymationem, Sic etiam usurpat Marcellus cap. 8. ex quo etiam Scribonij lectio corrupta eo loco, restitui in integrum potest. Plinius 34. cap. 11. de ærugine. Vis eius collyrijs oculorum aptissima, & delachrymationibus mordendo proficiens, sed ablui necessarium penicillis calidis, donec rodere desinat.

Aut aliquo fuluo & odorato, uelut est Tmolites, Ariusiūque & Lesbium.] De horum uinorum facultatibus Galenus 12. Methodi abunde docet, & nos etiam supra mentionē fecimus, Meminit & Plinius 14. cap. 7. sed Aruisium pro Ariusium legitur quemadmodum, &c. apud Virgil. ecloga. 5. Aruisia legitur, & à plerisque omnibus exponitur, in uersu. Vina nouū fundam calathis Aruisia Nectar.

Aeris usti unciam unam quod est drach. VIII. piperis albi tantundem, folij malabathri tandundem, stibij hemiolium, quod est drach. XII.] Vnciam drachmas VIII. pendere frequens est apud Galenum quum in his, tum in alijs medicamentarijs libris, quanquam quinto περὶ ὑγιεινῶν, plurimos septem & dimidiæ drachmæ, aliquos septem tantum, aliquos octo drachmarum statuisse unciam dicat, quæ dissensio denarij Romani respectu facta putanda est, quum Denarij septem unciam Romanam constituant iuxta Celsum ac Scribonium. Quare qui septem drach. in uncia esse dixerunt, denarios Romanos intellexisse putandū est, quum drachma pro denario aliquando ab ipso etiam Galeno usurpetur, ut alibi ostendā. Qui uero unciam septem drachmarum & dimidiæ dixerunt, itemque qui octo, ad expensum pondus mihi respexisse uidentur, iuxta quod discordare alteros ab alteris, dimidia plus minus drachma, non est mirum, quum fieri potuerit, ut alteri minus ponderosos denarios, itemque drachmas expēderint. In cōmuni autē omnes qui de ponderibus apud græcos tradiderunt, unciā drach. VIII. faciunt. Sicut Celsus & Scribonius, itemque Plinius, eandem septem denariorum statuūt. Celsi uerba sunt lib. 5. cap. 17. Sed & antea sciri uolo, in uncia pondus denariorum septem esse. Scribonij autē præfatio sic habet. Erit aūt nota denarij unius pro greca drachma. æque enim in libra denarij octoginta quatuor apud nos sunt, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Quāquam Marcellus medicus antiquus nuper à nobis editus, eam ipsam epistolam Cornelio Celso adscribat, Sicut & aliam ab eodem Celso ad Pullium Natalem scriptam, in qua idem traditur his uerbis. Græci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt, quę quia ad denarium nostrum conueniunt, octoginta enim & quatuor in libram incurrunt, pro nota græcæ drachmæ quæ est figura .z. notam denarij latinam, quam nostri posui, id est, hanc. ✱. & ad eius pondus græcas drachmas redigēs. His itaque locis drachmam argenteam accipere oportet, non Atticam siue medicam, quarum octo unciam efficiunt, uelut alibi uberius ostendi. Plinius porrò quāquam lib. 21. cap. ult. Atticam drachmam & medicam, cum argentea ac denario confundat, tamen lib. 33. cap. 9. palàm declarat, Denarios septem in uncia esse, his uerbis: Miscuit denario triumuir Antonius ferrū, Miscuit æri falsæ monetæ, Alij è pōdere subtrahūt,

quum sit iustũ octogintaquatuor è libris signari. Si itaq; ex libra argenti denarij LXXXIIII. sunt signati, uncia omnino denariorũ septem fuit, quum duodecim unciæ libram cõstituant. Cõuenitq; huic rationi hodiernus argenteus nummus, qui ad aurei unius Rhenani ualorẽ percutitur, & uncialis existit, & septem denarios æquiualẽtes habet, Saxoniæ principum monetę, Schreckenbergos dictos. Duodecim enim Vnciales argentei nũmi, eorũ denariorũ LXXXIIII. ualent. Et nos sanè iam sæpe expendimus denarios ueteres iustè signatos, planeq; idẽ pondus in Denario & Schreckenbergo, siue Angelico appellato grosso inuenimus: atq; inde adeò æstimare licet etiã Denarij ualorẽ, itemq; assis, quorũ decem denarius ualebat. Quo autẽ res in hunc diem à nemine ex tot qui de ponderibus nuper scripserunt ad plenum intellecta clarior fiat, explicabo & Martialis poetæ locum huc pertinentẽ, in quo indicatur aperte, sed tamen uerbis satis obscuris, etiã aureum nummũ septem denariorũ fuisse, & nõ octo, ut ferè omnes tradunt. Pondere autem etiam drachmalem, non ut ab ijsdem proditur didrachmalem perpetuò. Locus Martialis sic habet lib. 10.

Natales mihi Martiæ calendæ,
Lux formosior omnibus calendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ.
Quinquagesima liba, septimamq;
Vestris addimus hanc focis acerram.
His uos si tamen expedit roganti
Annos addite ter precor nouenos.
Vt nondum nimia piger senecta
Sed uitæ tribus aureis peractis
Lucos Elysiæ petam puellæ.
Post hæc tempora nec diem rogabo.

Dicit poeta se quinquagesima liba, septimamq; acerrã addere focis, quo innuit, se iam septimũ supra quinquagesimũ annum agere, & precatur deinceps sibi ad hanc transactã ætatem addi annos ter nouenos, quorũ omniũ annorum summa excurrit ad annos LXXXIIII. quos ubi impleuerit, post hęc tẽpora nec diem amplius se rogaturũ dicit, utpote qui satis diu uixerit, & pigram ac decrepitã senectam nõ expetat. Esse enim hoc tẽpus uitæ tribus aureis peractis, hoc est implesse se tum tot annos, quot sestertios nummos tres aurei ualent. Iam quum dixerit se optare uitam nõ ultra LXXXIIII. annum, palàm est LXXXIIII. sestertios, tres aureos ualuisse. Si igitur supputaueris, in aureo uno denarios VII. reperies, & in denario sestertios IIII. atq; ita continget ut in tribus aureis sestertios LXXXIIII. inuenias, quot annos poeta uiuere optat. Porrò ex his locis intelligis, unciam argenti habuisse ualorem drachmę auri, siue drachmalis aurei, quem etiam Plinius Denarium ex auro dixit, lib. 33. cap. 3. Cæterũ quod hemiolium stibij, drach. XII. faciat, palã est, Nam XII. drachmæ ad VIII. collatæ, eas in totũ, & insuper ipsarũ dimidiũ repræsentãt, quæ uocis Hemiolij significatio in rebus omnibus existit. Hemiola enim proportio est quæ totũ & dimidiũ eius ad q̃d collatio fit cõtinet. At uero quod Stibiũ dixi & græcis στίμμι est, hodie uulgo antimoniũ appellatur.

In caput VI. De aridis pharmacis ad oculos ab Asclepiade conscriptis.

EX libris Philoxeni aridũ achariston.] ἀχάριστον uidetur appellatũ hoc medicamentũ, quod digna gratia ipsi referri nõ queat. Habet & Celsus collyriũ Theodoti Acharistũ appellatũ, sed non est idem cum isto. Sicut neq; quod Marcellus refert cap. 8. ab Antigono inuẽtum, itidem Achariston Theodotiũ appellatum. Est autem & antidotus ἀχάρις appellata, cuius descriptionem recenset

Aetius

Aetius 13.cap.109.& Marcellus cap.20.qui mercedis quodcunque accipere iubet mox ubi data sit antidotus, Multi enim inquit, qui cito curati sunt, ingrati extiterunt, propter quod ipsum antidotum Acharistum appellatur, id est sine gratia.

Cadmiam cypriam ad polentæ magnitudinem confringimus, deinde Attico melle subactam in uasculum fictile coniicimus] Vas fictile hic κώθωνα κεράμεον dixit, quum aliàs κώθων poculum, sed tamen etiã figulinum significet amplum & capax, quo qui se largius inuitant κωθωνιζόμενοι. & κωθωνίζεσθαι dicuntur. Paulus lib.1.cap.59. κωθωνιζόμενος ἢ ὅλως μὲν ἄλλης τροφῆς μὴ ἄγαν ἐμπιπλάσθω. At uero Cadmiam Cypriam Capito hoc loco maxime probat, eiusq; urendæ modum pharmaco commodum ostendit. Est autem Cadmia fuligo quædam ex terra siue lapide; ex quo æs conflatur elata, & fornaciũ parietibus adhærens, probaturq; maxime in hoc genere Cypria, ex Cyprio uidelicet ære in caminis cõflato producta. Optimũ namq; Cyprium æs habitum est, & primum adeò inuẽtum, unde etiam adhuc hodie apud nostros æris appellatio Cyprũ refert, sicut quoq; Cupri uox, quæ à quibusdam pro latina usurpatur. Sic Palladius cupreũ clauũ κύπριον ἧλον dixit, id est, ex cyprio ære factum. Cęterũ non solum ex terra unde æs conflatur, sed etiam ex argentarijs metallis, & lapide pyrite, iuxta eundem modum in fornacibus Cadmiam fecerni, & Dioscor. & Galenus testatur. Imò nõ solum factitiam hanc cadmiam esse, sed in Cypro etiam natiuam reperiri, Galen.9.simpl.pharm. tradit, quam utiq; lapidem recte nominari fatetur, affirmatq; se eiusmodi lapides à metallorum præfecto accepisse, circa montes ac riuos repertos, magnamq; gratiam iniisse apud amicos, tum in Asia, tum in Italia, qui pro magno munere eos ab ipso acceperint, tanq̃ altera Cadmia præstantiorem. Et de hac Cadmia etiam Plinius loqui mihi uidetur lib. 34. cap. 1. quum de ære loquens ait. fit & è lapide ærosο, quem uocãt Cadmiam: celebritas in Asia, & quondã in Campania, nunc in Bergomatium agro, extrema parte Italiæ: feruntq; nuper in Germania etiam prouincia repertũ. & eiusdem lib.cap.10. Namq; ipse lapis ex quo fit æs, cadmia uocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis. Quanq̃ quod hic medicinæ inutilem dicit, paulò post coarguat ex Nymphodoro & Iolla, qui non Cadmiã ex Cypri fornacibus, sed ipsum lapidem quàm grauissimum spissumq; ac purissimum ussere, quomodo aliàs illa factitia à reliquis medicis uritur: quod ipsum etiã amicos Galeni fecisse probabile est. quomodo enim alias natiuam potiorem factitia iudicassent? Cæterum quod Plinius dicit, in Germania nuper repertum hoc lapidis Cadmiæ appellatione genus, uidetur mihi de nullo alio terræ siue lapidis genere ab ipso dictum esse, q̃ quod etiam hodie circa Aquisgranũ effoditur. Nam quod Plinius lib.34. cap. de ære Mariano ait: Summa gloria nunc in Marianum conuersa, quod & Cordubense dicitur. Hoc à Liuiano cadmiam maxime sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in sestertijs dupondiarijsq;, cyprio suo assibus contentis: Idipsum planè in ea ipsa terra usu uenire etiam hodie uidemus: uidelicet eodem quod Plinius indicat pondere, plus minus addito, quæ res eius opificij artificibus uulgo notissima est, ut aurichalcum quantũ quisq; uelit optimi coloris producatur. quanquã in Plinio locus mendo nõ careat, in certi ponderis quod ex ea terra æri accedat, expressione. Sed & ipsa uulgo eius terræ appellatio Calmey, palàm ex Cadmia corrupta apparet. Porrò tametsi natiuæ usus esse possit, uelut indicaui, tamen hoc loco factitiam in Cyprijs fornacibus per cadmiam cypriam accipiendam existimo, quod hæc loturam & eiusmodi præparationẽ maxime desideret, quo uim ab igne contractam deponat. Vtraq; autem est siccandi ui prædita inquit Galenus, quemadmodum etiam alia metallica, & lapidosa ac terrea, & ad hanc, uim etiam moderate detersoriam habent, ut tum oculorũ, tum

reliqui corporis ulceribus expleri indigentibus, commodæ existant.

Tomentorum purpuræ Laconicæ drach. VIII.] Tomenta purpuræ Laconicæ, hoc est ἐρεοχύδιας πορφύρας λακωνικῆς, non esse alia quàm quæ à lana purpuræ laconicæ cruore imbuta sint detracta, supra abunde ostendi, contra quorundam opinionem qui ipsas purpuras lanas habere affirmarunt. Cæterum hic Laconicam purpuram præaliis probat, quemadmodũ supra Tyrias laudauit. Optimæ autem purpuræ ubi in totum sint, Plinius 35. cap. 6. ostendit, quum de purpurisso inquit. Quare Puteolanum potius laudatur quàm Tyrium aut Getulicũ, uel Laconicum, unde præciosissimæ purpuræ. Idem lib. 6. cap. 36. tradit.

Pharmacum Calliblepharon exornandis palpebris accommodatum.] Calliblephara pharmaca dicũtur à pulchritudine & decore quem palpebris addunt, siue collyria siue smegmata alias ea ipsa appellare uelis. Cæterum in eo quod Seuerianum appellat, folij drach. II. hoc est φύλλου δραχ. β. habentur. φύλλον autem simpliciter hic dictũ est, quod suprà in suo arido pharmaco Galenus μαλαβάθρου φύλλον appellauit. Hunc enim morem ueteribus fuisse uideo, ut simpliciter φύλλον nominarint, quũ etiam reuera folium sit paludibus Indicis innatans, ut Dioscorides ait, ἴδιον γάρ ἐστι γένος φυόμενον ἐν τοῖς ἰνδικοῖς τέλμασι, φύλλον ὂν ἐπινηχόμενον τῷ ὕδατι, &c. At uero in hoc diligentẽ animaduersionẽ habere oportet, ne φύλλον de malabathri uel Indico folio, ut hodie etiã dicit, dictũ, pro phyllo accipiamus herba, quæ apud eundem lib. 3. describitur, aut uice uersa. Sequũtur mox in alio Calliblepharo, palmularum officula assanda siue cremãda esse in figulino, quod remedium etiam Plinius tradit 23. cap. 4. fine. Nuclei palmarum inquit, cremati in fictili nouo, cinere loto spodij uicem efficiunt, miscenturq; collyrijs & calliblephara faciunt addito nardo. habet & Dioscorides lib. 1. de palma.

In cap. VII. Liquidæ oculares compositiones.

Aliud Phędri Rhinion, id est Limula.] Rhinion appellatum uidetur hoc medicamentum, itemq; alia eius generis diminutiua uoce, hoc est limula. ῥίνη enim significat, quod ad limæ similitudinem deterat oculorum cicatrices & callos, atq; hoc propter alcyonium, & lapidis Asij florem, ac æruginem quę uim habet uelut Dioscorides ait ἀποσμᾶν τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς οὐλὰς, καὶ λεπτύνειν, ἐπὶ δ' ἀκρυον ἄγειν. Habet autem & Celsus unam atq; alteram descriptionem collyriorũ quæ Rhinia uocat, sed ab hac diuersas, quanq; nõ in aliũ usum paratas. Habet & Paulus lib. 7. quod Rhinarion uocat eadẽ ratione & usu compositũ. Refertur & infrà ῥίνημα inscriptum, eundem scopum & cõpositionis & appellationis habens.

Aegyptia ad callos & albugines, aufert etiam pelliculas confestim.] Albugines & cicatrices distinguit ita Paulus libro tertio, ut has in superficie consistere dicat, & non solum οὐλὰς, sed & νεφέλια appellari. Illas uero λευκώματα dictas, altius progressas cicatrices esse. Cæterum in prima compositione Aegyptia, Nitri nigri, hoc est μέλανος, sesquidrachma habetur, tametsi rosis concolor & album nitrum Dioscorides præferat. Verum in secunda compositione Aegyptia in græco exemplari, νίτρου μέρη β. corrupte legitur. Est enim legendum νίτρου μέλανος δραχ. β. uelut nos reddidimus. Sequitur compositio exacuens uisum, faciens & ad glaucedinem, in qua fellis perdicis syluestris partem unam, In alio exemplari, succi herbę perdicij legitur. atq; de hac lectionis diuersitate recte commonefecit uel Antonius Musa cui pharmacum inscribitur, uel ipse Galen. quum ualde diuersæ res sint succus herbæ perdicij, & fel perdicis syluestris, & ad præsentem usum fel longe accommodatius ac efficacius sit, (uelut etiam alia fellis genera, quorum supra ad suffusos Galenus mentionem fecit,) quàm perdicij succus. Apud græcos autem facilis fuit occasio substituendi, περδικίου βοτάνης χυλοῦ

νος χυλοῦ, pro πόρδιλικος ἀγρίας χολῆς, ob similitudinẽ scripturæ uocũ. Apud nos uero etiamsi perdiciũ latine dicamus cum Celso, ut Plin. testatur, quam Græci parthenium uocant, tamen fellis & succi non est ea similitudo, quæ est apud Græcos χολῆς & χυλοῦ. At uero glaucedinẽ & Suffusionẽ ueteres idem putasse Paulus ait; Verum posteriores discriminasse, qui γλαυκώματα humoris crystallini uitiũ censuerint ad glaucedinẽ transmutati: ὑποχύματα uero præterfusionẽ humorũ intra corniformẽ tunicã & humorẽ crystallinũ, qui condensentur. addit idem omnem glaucedinem incurabilem esse, Suffusiones autem curari, non tamen omnes.

Liquida Basilis, hoc est Regina, hanc Reparatricẽ appellamus.] Hæc liquida cõpositio Reparatricis nomẽ inde habere uidet; q̃d oculos hebetatos ac uiribus defectos recreet, & ad pristinũ statũ reducat. Id enim ἀναληπτικῆς uox significat. Sicut Reginæ à præstãtia & excellentia. Habet & Scribon. huiusmodi liquidum medicamentũ Hygran dictum, & ad suffusiones destinatũ, sed ab hoc diuersum.

Ad pilos pungentes in palpebris enascentes, Trichiasin appellant Greci, Antonij Musæ, fel auiculæ quæ Cinædus appellat.] τριχιῶντας dixit hic Asclepiades, quos nos pilos pungentes in palpebris producentes dicere possimus. Est enim hoc malum τριχίασις grecis medicis dictum, presertim quum eodem ordine cum reliquis exoriũtur. Nam quũ sub naturalibus pilis tales enascũtur, διστιχία & τριστιχία, itemq; phalãgosis, uitium dicitur, iuxta ordinum multiplicitatem. Ad hæc itaq; uitia palpebrarũ, fel auiculæ cinædi probat, quemadmodum idem infra Archigenes quoq; tradit. Existimo autẽ esse eam quam nos Motacillam ab assidua caudæ agitatione latine appellamus, quæ alias ἴυγξ græcis est; & apud Aristotelem à Theodoro Gaza Turbo ac Torquilla uocatur: græcis autem amplius facta ad latinorum imitationem uoce σεισοπυγὶς dicitur, uelut Theocriti scholiastes testatur. Nec aliam ab ea arbitror κίγκλου ijsdem appellatã, à qua κιγκλισμὸν uocem formauit Hippocrates in lib. περὶ ἄρθρων, quã Galen. breuem & assiduum motum exponit, propterea quod Cinclus auicula assidue mouet natiũ pennas, hoc est διότι κινεῖ συνεχῶς τὰ πυγαῖα πτερά. Sic enim legendum est in cõment. Galeni super eum ipsum locũ; & nõ ut uulgò habetur πυγαδεῖα πτερνα. Quemadmodum etiã in glossis Hippocraticis ab eodẽ enarratis corruptissime legitur. κιγκλισμὸς, βραχίων συνεχὴς κεκλημένος, ἀπὸ τοῦ κίγκλου τοῦ ζώου. pro quo iuxta fidẽ uetustiss. exemplaris, legendũ est uelut ego restitui, & ad Hippocratis græcũ exẽplar à me itidem restitutũ adieci, κιγκλισμὸς, βραχεῖα, συνεχὴς κινησις, ἀπὸ τοῦ κίγκλου τοῦ ζώου, hoc est cinclismus appellat̃ breuis assiduus motus, ab animali cinclo appellato. At uero Hippocratis uerba in libro citato sic habẽt, μικρὸς γὰρ ὁ κιγκλισμὸς τοῦ ἄρθρου ἐν τῷ σώματι. Porrò à uoce κίγκλος uerbũ factũ esse κιγκλίζειν, haud dubiũ uideri debere puto, cuius usus prouerbialis est in cinædos ac pathicos, quod auiculæ eius more caudã & nates moueãt: quanq; nõ ignorẽ ab Erasmo Roter. in prouerb. Coturnissare, alio eius uocis usum referri, q etiã κιχλίζειν, & nõ κιγκλίζειν eo loco legit, Insuperq; adagiũ cinclus, ad mẽdicos & errones ab eodẽ referri, nõ me clam est, qui uidelicet nihil proprij habẽtes se subinde moueãt, et in nouos locos trãsferãt: atq; id ex Aeliani autoritate, cui sit cinclus auis imbecillis & inualida, ita ut nõ possit ipsa sibi proprium nidum parare, & proinde oua nidis supponat alienis: Quo loco etiam κιγκλίζειν cõmoueri & obstrepere interpretatus est. quod ego in cinædos dictum existimo, maxime quum ea ipsa auicula cinædus hic à Galeno uocetur. Sequitur mox aliud pharmacum eiusdem usus, fel pagri piscis & aconiti dimidium, cum squama ferri lota, adipe subigito: quod ex græco reddidi hoc modo habente, ἰχθύος φάγρου τὴν χολὴν καὶ ἀκονίτου ἥμισυ, μετὰ λεπίδος σιδηρᾶς πεπλυμένης στέατι δεύσειν. Verũ pro μετὰ legitur ὑπὸ in uulgato exemplari. Ceterum eius

modi fellis genera præter cōmunem cum omnibus alijs acrem ac resiccatoriam uim, uidentur etiā aliquid à naturæ proprietate habere ad eiusmodi uitia sanāda, quemadmodū etiam sanguis uespertilionū, qui ibidem mox additur. De quo tamen quid in totū sentiendū sit, agit Galenus lib. 10. simp. phar. Porrò medicamentis ad τριχίασιν comparatis cōtraria sunt quæ defluos pilos glutinant, quæ mox subiungit, inter quæ pix & lithocolla habentur. Est aūt lithocolla non eadē quæ & ξυλόκολλα & ταυρόκολλα, & simpliciter κόλλα, hoc est, glutinū appellatur, sed glutinis cū marmore aut lapide pario mixtura, uelut Dioscorides lib. 5. tradit, ubi & hunc usum eius refert.

Ad paruos instar ordei oblongos, circa pilos palpebrarum abscessus, crithas & posthias Græci appellant.] κριθὰς græcis à similitudine ad ordei figurā dictas esse, palàm est. Sicut easdem ποσθίας appellarūt, nomine, ut equidem puto, à similitudine ad πόσθην, id est, præputium pudendi uirilis deducto. Paulus abscessum paruū oblongū esse crithen scribit, iuxta palpebræ summitatē, quam ipse ταρσὸν appellat. κριθὴ inquit, ἐστιν ἀπόστημάτιον κατὰ τὸν τοῦ βλεφάρου ταρσὸν ἐπίμηκες. Sic uero etiam Archigenes infra eam palpebræ partem ταρσὸν dicit, quam alam siue marginem palpebræ dicere possis. Galen. certe in glossis Hippoc. ταρσὸν appellari dicit πᾶν τὸ πεπλατυσμένον, id est, quicquid est dilatatum. Sequitur paulò post pharmacum ad χαλάζια, hoc est, instar grandinis in palpebris tubercula. Paulus χαλάζιον inquit, ἐστιν ἀργοῦ ὑγροῦ σύστασις κατὰ τὸ βλέφαρον, quibus uerbis concretionem lenti humoris in palpebra chalazion esse dicit. εἰσαγωγῆς Galeno inscriptæ autor χαλάζωσις inquit, ἐστὶ περιφερῆ τινα ἔνδοθεν τοῦ βλεφάρου ἐπάρματα περιγεγραμμένα ἐοικότα τῇ χαλάζῃ. Hoc est, Grandinatio sunt rotundæ quædam intra palpebrā eminentiæ, ad grandinis similitudinē circūscriptæ. Sequitur mox aliud ad Aegilopas. Describit autem Paulus Aegilopa abscessum esse inter magnū oculi angulum ac nasum, qui rumpatur & si negligētius tractetur, in fistulam abeat, usq; ad os ipsum progredientem. Prius quàm uero abscessus is in ulcus erumpat Anchilopa uocari. Porrò Illecebræ succus, cuius in pharmaco mentionem facit, est ex andrachne agria, id est, syluestri portulaca, quæ sic, illecebra uidelicet, latine appellatur, uelut etiam Plinius testatur. Est autē eadem quæ Aizoon tum minus, tum agreste, itemq; semperuiuum, & Telephium appellatur, uelut in glossis Hippocratis Galenus testatur.

Illitio Anthera eadem hora iuuans.] Græcū exemplar habet ἐπίχρισις αὐθηρά, adiecto asterisco indicante dubiam lectionem, & potest certe uideri ἀνθηρὰ legendum esse ut illitionem antheram, hoc est floridam accipiamus. potest item αὐθωρὸς legi, significatione quod hæc illitio eadem hora uel die opituletur (Nam non infrequens est & hoc græcis medicis, ut horā pro die dicant) atq; sic αὐθωρὸς idem sit, quod alias αὐθημερὸν, & suprà μονοήμερον dixit, & quod paulò inferius παραχρῆμα ἐπέχει dicit. Ceterū in ipsam illitionem cinnabari additur, illud uidelicet quod à Libya afferri Dioscorides dicit, de quo alibi tractaui, cui amplius uim eandem hæmatitæ lapidi idē tribuit ad ocularia medicamēta, sed intensiorē, cuius respectu fortassis Anthera illitio uocari possit, quū ipse Plin. 35. c. 6. inter floridos colores ipsum cinnabari recenseat. Ego utrāq; uocem reddidi, tametsi non multū retulerit, quo modo uocet medicamentū, modo de re & usu constet, quæ ambo alias sunt manifeste expressa. Porrò Antheras uocari cōpositiones non tantū stomaticas, sed etiam alijs partibus cōuenientes, & nō à floribus rosarū, uerum à floridis coloribus, qui in eas compositiones recipiuntur, & non solum siccas quæ pulueris specie inspergi possint, sed etiam melle exceptas ac permixtas, ex multis locis declarari potest, cōtra q; uulgò persuasum est, & quidā prodere nō dubitauerūt.

Et sanè hæc illitio quã hoc loco Galenus præscribit, Anthera appellata, nõ ulceribus oris destinata est, sed oculorum fluxionibus: deinde flores rosarũ non recipit, ut inde ἀνθηρὰ uocata uideri possit, sed cinnabari, quod ipsum inter floridos colores à Plinio uelut dixi, recensetur. Postremo nõ sicca inspergitur, sed trita ac modico melle excepta illinitur, quod tamẽ etiam in Antheris ori destinatis fieri posse Celsus lib.6.cap.11. testatur, & Aetius 8.cap.46. Sanãt enim, inquit Aetius, in totũ ulcerationes ipsas tum siccę adhibitæ, tum illitæ cum melle. Idem Aetius eodẽ loco non ita longe post floridam cõpositionem habet, qua ad putrefacta, & abscessus gingiuarũ sicca uti iubet, ad crustas uero cum melle: & in ipsam cõpositionem flores rosarũ addi quidem posse ait, sed non recipit, sicut etiam Galenus eandẽ referẽs infrà lib.6.cap.2. ut ἀνθηρὰ παρὰ τῶν ἀνθῶν τῶν ῥόδων appellata uideri nequeat, quũ rosarũ flores recipi & relinqui pro arbitrio usuri possint. & Paulus quidẽ lib.7.cap.13. pharmacũ ἀνθηρὸν, hoc est floridũ, habet penè idem quod Aetius, sed additis omnino rosarũ floribus. Verũ Galenus lib.5. compos. phar. κατὰ γένη, inter arida ab Andromacho prodita recenset duas Antheras compositiones, alterã qua se uti dicit, alteram Magni medici, sed in neutram rosarũ flores ammiscentur. Quare palam est hęc medicamenta nõ à floribus rosarũ Anthera, id est florida esse appellata, sed ut ego iudico, à florido colore quẽ habent, maxime ex sandaracha, quã omnes omniũ antherarũ descriptiones admixtam habẽt. Et quanquam Plinius Sandarachã inter floridos colores non recẽseat, tamen in his nihil aliud uidetur τὸ ἀνθηρὸν χρῶμα efficere, quàm ipsa sandaracha. Sicut in hac anthera Galeni illitione ad oculos, eundem colorem nihil aliud facit quàm cinnabari, cuius colorẽ etiã in Sandaracha Dioscor. probat. atq; ut hæc tota res clarior adhuc fiat, locum ex 5. libro Galeni κατὰ γένη adscribere non pigebit, ex qua omnino manifestum fit eiusmodi compositiones nõ aliunde quàm à colore florido, antheras appellari, quũ nõ solũ ἀνθηραὶ, sed etiam ἀνθίζουσαι, hoc est, floridum colorem referentes appellentur, & hoc maxime ex sandaracha. Galeni uerba sic habent. ἡ ἀνθίζουσα μάγνου πρὸς σηπεδόνας, νομὰς, ἄνθρακας, πτερύγια, ὦτα πυοῤῥοοῦντα, ποιεῖ καὶ πρὸς τὰς ἐν τῷ στόματι νομάς. στυπτηρίας σχιστῆς δραχ. η. χαλκίτεως δραχ. ς. σανδαράχης δραχ. γ. σιδίων ῥοᾶς ξηρῶν δραχ. β. χαλκάνθου δραχμὴν α. μίσυος δραχ. β. νίτρου δραχ. β ὀμφακίου ξηροῦ δραχ. β. χρῶ ξηρῷ ἢ μετὰ μέλιτος. Huc accedit quod Hesychius ἀνθηρὸν uocem τὴν σανδαράχην exponit. At uero cinnabari abusiue miniũ fuisse dictum, & à quibusdam creditũ, ex Plinio ac Dioscor. suprà ostendi, Quare quòd Celsus lib.4.cap.15. ad cancerem intestinorum miniũ glebam probat, & lib.6. in liquido Euelpidis collyrio minium combustum habet, de cinnabari dictum uideri possit, quam uidelicet abusiue etiam ipse Celsus miniũ dixerit. Sed malo ego Minium Sinopicum intelligere, cuius mentionem in Smilio collyrio paulò ante facit, Nam hoc in medicamẽta recipitur etiam Dioscor. ac Plin. testibus, atque à Celso eo loco ad sordida ulcera expurgãda proditur, ob resiccandi uim in ipso præcellentem. Veruntamen quum Minium hispanum uenenum in medicamenta non recipi, & Dioscorides & Plinius dixerint, Contrà uero Strabo libro tertio tradat ex Tudertania hispaniæ euehi miniũ sinopica terra non deterius, possit uideri alicui Celsus in hac opinionum diuersitate, ipsum Minium hispanum significare, & in horum numero esse, quos Dioscorides & Plinius in hoc errore uersari dixerunt, ut minium hispanum pro cinnabari accipiant, aut etiam pro minio sinopico appellato. Sed præstat in eiusmodi dubijs rebus ad optima mẽtem inclinare, & suspectis cautissime uti: atque hac parte Dioscoridis & Plinij autoritas præualere Strabonis opinioni debet, qui fortassis neque hoc ad rei medicæ usum respiciendo dixit, sed ad publicam in usum pictoriæ æstimationem.

Sequuntur

Sequũtur mox lychniũ & phloginũ ſpecioſæ medicamentorum inunctilium appellationes, à lucerna, & flamma deductæ, & phoſphorus a luce ferenda, Sicut à colore Pſittacus, euchrum, & phæon, & à rebus quas recipit, diaſmyrnum Glaucidanum, nimirum glaucio & myrrha ipſum ingredientibus, appellatur. Habet & Scribonius diaglaucij deſcriptionem non multũ ab hac diſſonantẽ, Omnia enim preter myrrham & hæmatiten habet, quæ fortaſſis exciderunt, ſed pondera ſunt iſtic ualde minuta. Paulus penitus eandem deſcriptionem habet, quam hic Aſclepiades, ſed gũmi drach. XVI. addidit, & uino, non aqua excipere iubet. Legitur autem διὰ σμύρνου τὸ κλαυδιακὸν in Paulo, tanquam à Claudio autore ſit nominatum. Ego aũt γλαυκιδιανὸν a glaucio nominatũ puto, & Pauli lectionẽ corruptã.

Roſarum uiridium reſectis extremitatibus drach. XLVIII.] Extremitates roſarum dixi, quas λοβοὺς Aſclepiades appellauit, ῥόδων χλωρῶν inquit, χωρὶς τῶν λοβῶν δραχ. μη. Appellantur enim λοβοὶ græcis, omnium rerum ſummitates, proprie uero auriũ infernæ partes pulpæ latinis dictæ. Quin & hepatis ſumma λοβοὶ Galeno & alijs appellãtur. In roſis autem hic λοβοὺς dixit, quos ὄνυχας, id eſt, ungues, Dioſcorides appellat, Sunt autem cãdidæ foliorum partes, quibus detractis roſæ ὠνυχισμέναι & ἐξωνυχισμέναι dicuntur, hoc eſt exungues, & reſectis unguibus uelut infra in collyrio ex roſis horeo conuerti.

Aqua excipito ac utitor cum lacte muliebri, Temperatura media eſt.] Temperaturam huius pharmaci mediam eſſe dicit, inter eam uidelicet quæ craſſa eſt, & rurſus eã quæ aquoſa penitus eſt & diluta, ita ut μέσην παχέας καὶ ὑδαρεῖς accipiamus, quarum temperaturarũ in ſequentibus aliquot pharmacis mentionem facit Scribonius quum ait, Aquato hoc medicamento uti oportebit, dicit plane id quod poſtea ἡ κρᾶσις ὑδαρής, in Sergij ophthalmici Monohemero uocat, Sic etiam Marcellus appellare ſolet.

Nectariũ Marci facit ad incipientem lippitudinem, facit ad illationem fluxus tenuis, ad chemoſeis, tumores, pellicularum eminẽtias.] Chemoſin, inquit Paulus appellant quũ ex inflammatione forti utraq; palpebra diſtorquetur, ut oculos uix oculere poſſint, & album oculi ſublimius nigro fit & rubrum, ac multam nigri partem occupat. Eadem deſcriptio & apud ἀσκληπιάδην Galeno inſcriptæ autorem habetur, Sed addit is, Chemoſin proprie dici quum album ab utraq; iridis parte inflammatur, iuxta irim uero cauatur, ſimili figura ad chemam, cõcharum uidelicet generis appellatã. Porrò ſequitur non longe poſt Neapolitæ collyrium in quo fere deſcribitur quæ affectio ſit Chemoſis. inquit enim: facit ad maximas epiphoras, maxime in his qui ægre rigantur, & ſubalbicant circa inflammationes, ut ſimile quiddam chemoſi appareat. Ad hunc itaq; oculorũ affectũ Nectarium Marci conferre dicit, ſicut etiam ad pellicularũ eminentias, hoc eſt, ὑμένων ἐπαναστάσεις, quas infrà in Artemonio collyrio ὑμένων ἐξοχὰς, hoc eſt, membranarum extuberantias dixit. Dicuntur autem & φλυκταινῶν ἐπαναστάσεις, hoc eſt, puſtularum ſeu papularum eruptiones, uelut in Philadelphio conuerti.

Scylacium pharmacum accõmodatum eadem die curans.] Quanquam non multum referat unde horũ collyriorũ appellatio ducta ſit, tamẽ nõ inutilis curioſitatis eſſe uidetur, & hoc ipſum indagare. Videtur itaq; mihi hoc pharmacum Scylacium dictum eſſe, quod eius experimẽtum in catulo ſit factum, uelut idem infrà de Phœnice appellato collyrio teſtatur. Cæterum quod accommodatum uerti hic & in omnibus alijs locis ἐπιτετευγμένον in græco eſt, quæ uox ſignificat feliciter experimento cognitum & accommodatum, dicitur & ἐπιτευκτικὸν à Paulo, eis'que opponitur ἀποτετευγμένον & ἀποτευκτικὸν. id eſt, infeliciter expertum, & ſucceſſu fruſtra expectato, à uerbis ἐπιτυγχάνω & ἀποτυγχάνω.

Paulus

Paulus lib.3.cap.78.de tofis in artubus. τὸ μέγιστον δὲ λεπτομερῶν πρὸς τὸ ἐπικεραστικόν εἶναι, καὶ τῶν δυσπορίστων ἐστί. At uero eadem die curans αὐθημερὸν hic dixit, quod idem est quod αὐθωρὸν, uelut paulò ante memini.

Aliud Trypheron, id est, delicatū inſcriptum ad inuſtiones, epicaumata græcis dictas.] Inuſtiones hoc loco & ſæpe in ſequentibus dixi ἐπικαύματα græcis medicis appellata, Non uideo enim quo modo hoc ulceris oculorū genus poſſit latine commode dici. Vſtiones autem ſimpliciter dixit etiam Scribonius in collyrio pſittacino, ut paulò poſt oſtendam. Verum ut quæ ſint inuſtiones illæ à me dictæ, & græcis ἐπικαύματα, melius intelligatur, Pauli de oculorum ulceribus uerba adſcribam, quorum ſententia hæc eſt. Vlcerū in oculis genus quidem unum eſt, particulares uero differentiæ plures. Etenim quod in corniformi ulcus eſt cauum anguſtum, & purū Bothriū, id eſt, foſſula cognominatur. Quod uero latius bothrio eſt, minus uero altū, Cœlonia uocatur. Argemon autem ulcus dicitur in iridis circulo obortum, circū circa occupans, ut circa externā iridis partem rubicundum appareat, circa internam uero album. Epicauma uero ulcus eſt ſordidum & impurum ac crúſtoſum, quod dum repurgatur, ſæpe humores in oculo effluūt. Sunt præterea plures aliæ ulcerum differentię: de quibus in communi dicemus. Hactenus Paulus. Apud εἰσαγωγῆς Galeno inſcriptæ autorē habetur, ἐπίκαυμα eſſe quū ſuperior tunicula in ſuperficie inuſta ulcerat, aut etiā paulò altior ulceratio fit, ob magni fluoris illationem, unde nō male adeò Inuſtio dici poteſt.

Collyrium ex cornu ceruino.] Hoc collyriū Celſus lib.6. item habet ferè ad uerbum, niſi quod thuris drach. XIII. nimis aucto pondere legūtur, quū hic IIII. drachmæ ſaltem habeantur. Paulus lib.7.cap.16. aliam deſcriptionē habet, quam tamē Galeni eſſe dicit. Eſt etiam alia quæ hoc loco mox ſequitur, Neapolitæ, ad cuius finem in græco exemplari corrupte habetur ὑοσκυάμου δραχ.γ. ἀφεψήματι pro quo legendum, ὑοσκυάμου ἀφεψήματι, deletis δραχ.γ. ut adintelligamus ἀναλάμβανε. Vult enim hyoſcyami cremore excipiendum ac cogendum eſſe collyriū. Sicut in ſuperioribus adiecit item nō plena ſententia ὕδατι ὀμβρίῳ, & ὕδωρ ὄμβριον, ut uidelicet uerbum congruum adintelligamus.

Ex libris Scribonij Largi pſittacinum inſcriptum.] Hoc collyrium in libello latino Scribonij Largi cōtinetur, ſed dimidio omnium pondere, & affectionum non eodem ordine, ut & hic ſuſpicer, Aſclepiadem ex græco Scribonij hoc pharmacū tranſcripſiſſe. Eum uero qui latinū fecit Scribonij libellū, & pondus decurtaſſe, & ordinē mutaſſe. Nam uelut etiā alibi dixi, nō credo Scriboniū latine ſcripſiſſe, ut Aſclepiades: unde hæc Galen. deſcripſit: putandus ſit eius uerba in græcum trāſtuliſſe. Quare ut ſtudioſi rerum medicarum promptius expēdere queant, quantum diſtent latina Scribonij ab his quæ Aſclepiades ex ipſo græco autore tranſcripſit, utriuſq; uerba adſcribā. Aſclepiades citante Galeno. ἐκ τῶν Σκριβωνίου Λάργου τὸ ψιττακινὸν ἐπιγραφόμενον πρὸς περιωδυνίας, φλυκτίδας, ἐπικαύματα, οὐλὰς ἀναλυομένας, προπτώσεις, συγχύσεις, ὅπου πολλὴ αἵματος παρέγχυσις ὑπάρχει. χρήσιμον δὲ ἐστὶ, καὶ πρὸς τὰς ἄλλας διαθέσεις, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν δυσαισθήτων ὀφθαλμῶν, ἐφ᾽ ὧν δάκρυον λεπτὸν ἀποκρίνεται. τὰ δὲ τῆς σκευασίας ἔχει οὕτως. καδμίας δραχ.η. κρόκου δραχ.γ. στίμμεως δραχ.η. ἀμύλου προσφάτου δραχ.γ. ὀπίου δραχ.δ. κόμμεως δραχ.δ. ὕδατι ὀμβρίῳ, ἡ χρῆσις δι᾽ ᾠοῦ. Scribonius latinus. Collyriū pſittacinū à colore ita dictū, facit ad epiphoras quæ cū tenui & acri lachryma cōſiſtunt. Itē ad uſtiones & ſolutas cicatrices, et uaſtū tumorē, quē quia à loco interdū uidet propellere oculū πρόπτωσιν uocant, cum ouí albo quod eſt tenue. Sed precipue facit, cum quaſi ſanguine ſuffuſi ſunt oculi, & ob id nullū niſi leuiſſimū collyriū patiūtur. Recipit autē hæc Croci ✱.P.IIII. cadmiæ ✱.P.IIII. ſtibis ✱.P.IIII. opij ✱.P.II. commis ✱.P.II. amyli & recentis

& recentis & dulcissimi *.P.IIII. Primum itaq; τὸ ψιττακόν in græco legitur pro τὸ ψιττακινόν, ut recte latinus Scribonius habet, nisi quis legendum putare malit, ὁ ψιττακός, eo enim nomine etiam supra Heronis ophthalmici collyrium Asclepiades produxit. ἐγκαύματα autē ustiones in latino Scribonio dictæ sunt. οὐλὰς deinde ἀναλυομένας, cicatrices solutas uertit, & προπτώσεις, uastum tumorem, quem quia à loco interdum uidetur propellere oculum proptosin uocant, reddidit, & addidit, cum oui albo quod est tenue, quod in græco ad finem adiectum est, ἡ χρῆσις δι' ᾠοῦ. Quod uero in græco συγχύσεις ὅπου πολλὴ αἵματος πρόσχυσις θέρει, haud scio an non corrupte legitur, Nō enim uideo cur θέρει sit adiectum, quum hyeme & aliis temporibus itidem contingere possit. hoc latine dictum est: Sed præcipue facit cum quasi sanguine suffusi sunt oculi. Quod uero addidit, & ob id nullū nisi leuissimum collyrium patiuntur, hoc in græco generalius habetur. χρήσιμον δὲ καὶ πρὸς τὰς ἄλλας διαθέσεις, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν δυσπαθήτων ὀφθαλμῶν, & additur, ἐφ' ὧν δάκρυον λεπτὸν ἀποκρίνεται, quod ipsum in latino Scribonio mox in principio dictum est, facit ad epiphoras quæ cum tenui & acri lachryma consistunt. Quare hunc turbatum ordinem malo imputare interpreti latino Scribonij, quàm credere Asclepiadem ex latino Scribonio in græcum transferēdo hanc confusionem fecisse: quod tamen omnino certū esset, si iuxta uulgatam opinionē Scribonius ipse latine scripsisset: quod mihi nō uidetur uerisimile, quū nec latina eius seculi dictio sit, & multi loci non ætatis iniuria, sed interpretis uitio corrupte legantur.

Collyrium Nili diarodon ex rosis.] Recenset Asclepiades aliquot ex ordine collyria ex rosis διάῤῥοδα uel διὰ ῥόδων appellata, ac primum Nili iuxta Andreæ medici traditionem, deinde alia ex ordine, inter quæ quintum etiam Celsus prodit, sed sine spodio, & ponderibus omnibus imminutis. Cæterū hæc omnia collyria & medicamenta à principio 6. capitis, usq; ad 7. initium Galen. ad uerbū ex Asclepiade ipso apposuit. de quo admonēdum duxi, ut ne quis putet Galenum hos collyriorū autores citare, tanquam eosdem uiderit ac nouerit, quod nō est: uixit enim sub Antoninis, Neq; uero Flori collyriū, quo in Drusi matre usus est, sic citatur ab Asclepiade, ut qui id temporis uixerit, Florumq; & Antoniā Drusi matrem nouerit, Nō enim id seculum attigit, sed sub Vespasianis & Domitiano floruit, uelut alio loco ostendi: quanquā non matrem, sed uxorem legendū existimem, hoc est pro μητρός quod in exemplaribus uulgatis habetur, γυναικός. Iuxta Suetonium enim itemq; Pliniū Antonia Drusi uxor fuit, Liuia uero mater, quę & uxor postea Augusti, qui Vitricus Drusi fuit: nisi per Drusum accipere uelis Germanicū ab eisdem appellatū, qui sanè fuit filius Drusi fratris Tiberij Cæsaris, ex matre Antonia iuniore. Tametsi aūt Historia hęc nihil ad pharmaci usum aut efficaciam cōferat, attamen quū ob autoritatem conciliandā ipsi pharmaco, hæc adiecta sit, non supine prętereundā esse uisum est. Cęterū in ipso pharmaco in Gręco exēplari, deest ὕδατος ὀμβρίου lectio, quę paris mēsuræ cū uino esse debet, ut ex sequētibus patet, & Aetio lib. 7. qui palàm habet. Quanquā in eodē etiam malorū Mandragorę drach. XII. habeantur, quū Galen. duas tantū habeat: quæ diuersitas facile admitti potuit, per ι. numeri denarij notæ, ad β. binarij notam uel istic additionem, uel hic detractionē. Habet præterea Aetius hyoscyami seminis drach. VI. tantū, quorū loco hic duo oxybapha, aut ut alij drach. XXIIII. leguntur. Habet porrò inter hæc collyria, unū διάῤῥοδον ἀνεγκλήτου inscriptū, quasi Anencletus propriū autoris nomen esset, Verū ego ἀνέγκλητον legendū puto, accipiendumq; tale esse collyriū, quod cōstanter efficaciā suā ostendat, atq; ob id neq; reprehendi, neq; accusari mereatur, & propterea sanè diarodon Inculpabile uerti.

Zoili pharmacū faciens ad lippitudines antiquas, myocephalos, staphylomata, &c.]

ta, &c.] In superioribus collyrijs aliquoties prolapsus uerti, quos græci προπτώσεις uocãt, id quod malũ esset, paulo ante ex Scribonij uerbis audiuimus, sed & Celsus non longe diuersum tradit. Inquit enim lib. 6. Nonnunq́ autẽ ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos sua sede propellat, πρόπτωσιν id quoniam oculi procidant, greci appellant. Verum quum hoc uitium modo grauius, modo leuius, alios atq; alios corripiat, inuentæ sunt etiã græcis medicis diuersæ appellationes, singulis affectionibus pro sua magnitudine accommodatæ. Quũ igitur iuxta Pauli traditionem, prolapsus siue proptosis uocetur prominentia & exertio tunicæ uuiformis, ex corrosione aut ruptura corniformis facta, si paruũ est hoc malum, ut similitudinem habeat capitis muscæ, Myocephalon appellatur. Si uero amplius augescat, ad similitudinẽ acini uuæ staphyloma dicitur. Plurimum uero auctũ, ut ultra palpebras excidat, Malum siue pomum nominatur. Quod si in callum abeat clauus dicicitur, sed ad scribã ipsa Pauli super hac re uerba. πρόπτωσίς ἐστι προπέτεια τοῦ ῥαγοειδοῦς χιτῶνος ἐκ διαβρώσεως ἢ ῥήξεως τοῦ κερατοειδοῦς γινομένη, ἥτις μικρὰ μὲν ἔτι οὖσα, ὡς προσεοικέναι μυίας κεφαλῇ, μυιοκέφαλον καλεῖται, ἐπὶ πλέον δὲ αὐξηθεῖσα παραπλησίως ῥαγὶ σταφύλωμα. ἐπὶ πλεῖον δὲ ὡς ὑπερεκπίπτειν καὶ τὰ βλέφαρα, μῆλον. εἰ δὲ τυλωθείη τοῦτο, ἧλος προσαγορεύεται.

Pharmacũ accõmodũ Nectariũ inscriptũ.] In hoc pharmaco κασσίας σύριγγος δραχ. δ. habentur, hoc est, cassiæ fistulæ drach. IIII. Dicitur autẽ σύριγξ & συριγγὶς id est fistula, quędam cassię species, nomine à cortice externo deducto, qui σύριγξ appellatur, estq; omnium cassiæ specierum hæc uilissima, ut Galenus lib. 1. de antidotis tradit, quum tamen Dioscorides τὴν τοῖς συριγγίοις πλήρη, hoc est fistulis plenam uel maxime probet, quanquam per fistulas foraminula quædam significari quibusdã uisum est, & non corticem, quẽ Galenus σύριγγα dici ait: Apponam autem ipsius Galeni uerba de cassia quæ in theriacam assumitur, quo tota res de cassijs clarior fiat. ἀναγκαιότατον δέ ἐστι διορίζεσθαι ποίαν ἐμβλητέον ἐστὶ κασσίαν, ἐπειδὴ τὴν μὲν γιζὶ μάλιστα ἐπαινοῦσιν, ἐφεξῆς δὲ τὴν μετὰ ταύτην καλουμένην. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὴν ἀρηβὼ καὶ τὴν δαφνῖτιν, ὅτι μὲν οὖν ἡ γιζὶ παραπλήσιον κινναμώμῳ ἐστὶ πάντα ἐστὶν, εἴρηται μοι καὶ πρόσθεν. ἡ γοῦν συνεχέστατα παρὰ τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα δεινῶν, ὡς κινάμωμον πιπράσκομένη, τοῦ ταύτου γένους ἐστὶν, ἀλλὰ τῆς γε συριγγίδος ὑπό τινων ὀνομαζομένης, ὁ νεώτερος Ἀνδρόμαχος ἐμβάλλειν ἀξιοῖ, πᾶσι δὲ αὕτη γινώσκεται, καὶ γὰρ καὶ εὐωνοτάτη πάντων ἐστὶ, τὸν μὲν ἔξωθεν φλοιὸν, ὃν τινές σύριγγα καλοῦσιν, ἰσχυρὸν ἔχουσα κατ' ὀσμήν τε καὶ γεῦσιν, τὸ δ' ἔνδον ἀσθενέστατον, ὡς μηδεμίαν αὐτοῦ χρείαν ἡμῖν γενέσθαι. διὰ μὲν οὖν τῶν προγεγραμμένων ἐλεγείων ἀδιορίστως εἴρηται τὸ τῆς κασσίας ὄνομα, ἐστὶ δὲ τὴν πεζῇ γεγραμμένην ὑπὸ τοῦ υἱέως αὐτοῦ, πρόσκειται τῷ τῆς κασσίας ὀνόματι τὸ τῆς σύριγγος, εἶτ' ἀπ' ἐκείνου μέχρι νῦν ἡμῖν παραδεδομένη διαδοχῇ τῶν σκευαζόντων ἀντιδότους, τὸ τῆς σύριγγος ὄνομα προσκείμενον ἐστὶ. Porro quæ hodie cassia fistula uulgo appellatur in oblongis ad fistularum, aut potius cornuum similitudinem, arundinibus contenta, fere uideri possit ea esse quæ à Galeno hic describitur & σύριγξ appellatur. Verum in ipsa cortex non est tam forti odore ac gustu preditus, & interna medulla nõ penitus inutilis est, ut Galenus ait, sed uentri leniendo ac soluendo apta usurpatur: quod Galenus non præterijsset de ea testificari, si de hac ipsa hic tradidisset. Quare alia est hæc nostra hodierna cassia fistula ab Arabibus inuenta & in usum producta, grecis medicis omnibus ex æquo ignota. & cortex quidem nullius usus est, medulla uero uulgatissimo usu exhibetur, ut male faciat qui pro cassia fistula apud græcos lecta, corticem cassiæ fistulæ hodiernæ exhibeant, quum cassiam ligneam hodie usurpatam ac uocatam accipere oporteat, quæ ex cassiarum à Dioscoride & Galeno descriptarum genere existit.

Ex libris Scribonij Largi Asclepios Machaonis.] Est & hoc collyriũ in libello latino

lo latino Scribonij uulgato, sed quarta tantum ponderum omnium hic ab Asclepiade expressorum parte, præterquã myrrhæ dimidia; & nardi ac opij ponderibus palam corruptis, additur autem & gummi pondere pro reliquorũ proportione, quod hic penitus deest. Cæterũ dicit hoc collyriũ Scribonius à quibusdã Athenippum, ab alijs diasmyrnũ, ab alijs ἰῶδες uocari. Quare mihi uidentur aliquot descriptiones Collyriorum Athenipporum & Asclepiorũ appellatorum à Scribonio fuisse traditæ, quarũ hic Asclepiades in fine huius Collyrij mentionem facit, quũ ait in libro de Athenippis Asclepijs opij drach. VIII. habentur. Et sanè Cornel. Celsus lib. 6. Asclepion Collyriũ descriptum habet, sed penitus ab hoc diuersum. At uero Scribonij uerba sic habent. Componitur autem ex his, Pompholygis lotæ * P. VIII. æris usti. * P. VIII. croci. * P. IIII. myrrhæ * P. III. nardi * P. sex semis & uictoriati, lapidis hæmatitæ * P. II. & uictoriati, piperis albi grana decem, opij * P. I. aut uictoriati, commis. * P. X. teritur uino Chio. Quod itaq; nardi et opij pondera corrupta esse dixi palàm est. Nardi enim denarij sex semis & uictoriati pondo, legitur: primũ nimio pondere reliquorum comparatione, quũ Asclepiades drach. VI. tantũ habeat, ad quadruplum reliquorum pondus. deinde semis & uictoriati male legit, tanquã diuersa sint pondera, quũ uictoriatus ipse denarius dimidius sit. quare semis aut uictoriati legendum est, ut uidelicet indicet idem esse pondus denarij semis, & uictoriati, quod ego sanè certissimũ esse puto, cum ex alijs, tum uel hoc unico Marcelli testimonio, ca. 9. ubi castorei obolos duos, id est duas partes uictoriati accipere iubet, quanquam & in ponderibus operi suo ab ipso præfixis àperte tradat, uictoriatus denarius dimidia pars est drachmæ. Neq; enim probabile est uictoriatũ duorũ obolorũ esse, iuxta quorundam opinionẽ, ut hic intelligendum sit, nardi denarios sex & dimidium ac obolos duos, hoc est, scrupulũ siue tertiã denarij partẽ accipiendos esse. Ad quid enim attinebat tam exacte appendere nardi pondus, maxime quũ tam magnũ sex denariorũ pondus præcedat? Quare pro sex semis & uictoriati, omnino legendum existimo, * P. I. semis aut uictoriati, exprimẽtur enim sic drach. una & dimidia, quæ quarta pars est sex drachmarũ ab Asclepiade expressarum, quę proportio ad reliqua item quarta parte accepta respondebit. Verum hæc res tota ex Marcello medico clara fiet, qui Scribonij descriptionẽ integram habet, cap. 8. hoc modo. Componitur autẽ ex his rebus. Pompholygis lotę * . VIII. æris usti * . VIII. croci * . IIII. myrrhæ * . IIII. nardi spicæ * . I. & pondus uictoriati, lapidis hæmatitæ * . II. semis, piperis albi gran. X. opij * . I. & pondus unius uictoriati, gummis * . X. teruntur hæc in uino Chio, &c. Quod si uero etiam uictoriatum pro obolis duobus, hoc est scrupulo, & tertia denarij parte accipiamus, ita ut aut particula nõ identitatem, sed diuersitatẽ significet, erit tamen etiam sic lectio recta, si pro sex denarijs, unũ cum additione semis aut uictoriati legamus, sed obolo uno pondus minuetur, si pro denario dimidio obolorum trium, uictoriatus duorum obolorum capiatur. Opij porrò pondus etiam corrupte legitur, * P. I. aut uictoriati: sed si pro aut, legetur &, efficietur itidem quarta pars ponderis opij ab Asclepiade expressi, hoc est, sesquidrachma, quæ quarta pars est drachmarum sex, aut denariorum sex, si eiusdem ponderis denarius & drachma statuantur.

Dyasmyrnum odorũ Synerotis, &c. Facit ad Rhœadas, hoc est angulos arrosos.] Opposita plane uitia oculorũ sunt ἐγκανθὶς & ῥοιάς. Nam sicut illa incrementum est supra iustum modum carunculæ naturalis, circa magnũ oculi angulum, Sic ῥοιάς eiusdem carunculæ imminutio est & decrementũ. Sequitur paulò post Hieracis Collyrium ad aspretudines, & mox, Apollonij phœnix Collyrium

Hieracium ad aſpretudines, per hoc catulo egregie medicatus eſt. Sic enim intelligo quod in græco corruptũ, hoc modo reſtituendũ eſt. ἀπολλωνίου σκυλάκιον ὤν σημείως ἰατροδύσαντος, τοῦτ' ἔστι τὸ ἱερακιόν κολλύριον τραχωματικόν, ὃ ἐπιγράφεται φοῖνιξ. Vult enim indicare hoc collyriũ eſſe quidem Hieraciũ, ab Hierace uidelicet compoſitum, uerũ ab Apollonio in uſum aſſumptũ eſſe, ad efficaciã ipſius probandã, atq; id in cane, cui quũ opem tulerit argumentũ eſſe & hominibus ſimiliter affectis profuturũ. Phœnicis autẽ appellatio ipſi item ab Hierace autore impoſita ui detur. Fuerunt itaq; uariæ compoſitiones Hieraci inſcriptæ. Plin. lib. 34. cap. 11. recenſet unã his uerbis. Hieraciũ uocatur Collyriũ quod ita maxime cõſtat. Temperatur aũt idem ammoniaci uncijs quatuor, æruginis Cyprię duabus, atramenti ſutorij quod chalcanthum uocant, totidem, miſyos uero una, croci ſex. Hæc omnia trita aceto Thaſio colliguntur in pilulas excellentis remedij contra glaucomatum initia & ſuffuſionũ, contra caligines & ſcabricias & albugines ac genarũ uitia. Porrò ut & de hoc ſemel admoneã, Collyria ſimpliciter prolata dicuntur, quæ in oblongam formam coacta effinguntur, quod Plinius hoc loco colligun tur in pilulas dixit. & non ſolũ ocularia pharmaca in eiuſmodi formã collecta ac coacta Collyria uocantur, ſed & glandulæ quæ ano, & peſſi qui uuluæ ſubduntur, & quæ naribus induntur, ἔῤῥινα alias appellata, collyria ſubinde medicis uocantur, atq; hoc ut dixi propter oblongam effingendi formã. At uero ocularia aliqua medicamenta nõ coacta ad eiuſmodi formã, ſed tum liquida tum arida, item Collyria nominãtur, ſed cum appoſitione liquiditatis aut ariditatis. Gręcis enim ξηροκολλύρια atq; ὑγροκολλύρια appellantur. Habet autem & Celſus lib. 6. Hieracis Collyrium ad aſpretudines, quod habet myrrhæ, P. ✻ I. ammoniaci thymiamatis P. ✻ II. æruginis raſæ P. ✻ IIII. cum aqua pluuiali.

Collyrium Harmation, id eſt, currus inſcriptum.] Hoc collyriũ habet & Scribonius, Harmation autem appellatum eſſe, ipſe, & Marcellus qui itidem cap. 8. prodit, ait, quia ex quatuor rebus, ut quadriga equis conſtat, & celeres effectus habet. Recenſent aũt ipſi quatuor res quas & hic Aſclepiades, ſed hic lapis Hæmatites adiectus amplius eſt, & pondera omniũ duplicata. Quanquam in exemplari ſcripto, ex quo inuulgauimus nuper Marcellum, hopla dici hoc collyrium ſcriptũ erat; quẽ errorem librarij puto, non adeo indocti, qui appellationẽ Harma non intelligens græcã eſſe, ſed latinã putans, Arma uidelicet, maluit græcam appellationẽ Collyrij amplecti, atq; Arma latina in Hopla græca conuertit.

Hermophili Collyriũ Thalaſſerum.] Hoc Collyriũ Thalaſſerũ, hoc eſt, marinum, fortaſſis appellatũ eſt, quod nauticis & in mari uerſantibus hominibus magis cõmodum exiſtat. Legitur autẽ in exemplari græco ὀπίου μηδικοῦ δραχ. δ. quæ res occaſionẽ dedit ueteri interpreti, opij drach. IIII. uertendi, quũ hic non opiũ, papaueris uidelicet ſuccus, accipiendum ſit, ſed ſuccus medicus qui ſecundus à Cyrenaico eſt, cuius in ſequenti Collyrio uſus habet. Quare ſucci medici drach. IIII. conuerti, legendum eſt enim ὀποῦ pro ὀπίου. Poſſint tamen etiã docti hic falli, quũ in pręcedentibus Collyrijs ſæpiſſime opium adſcriptũ fuit, opinaturi & hic ammiſcendum eſſe. Verum quũ forte ſit Collyriũ hoc, & in ſuffuſionibus ad corpora duriora & nautica accommodum, medicus ſuccus addendus eſt, qui hanc uim Dioſc. & Gal. teſtibus habet. Dixi aũt de eo etiã alio loco. Sequitur non longe poſt Euſtacton Collyrium appellatum, quod Scribonius Stacton, Paulus Stacticon, appellat. Variant tamen etiam parum deſcriptiones, maxime uero quod ad pondera attinet.

Collyrium fuluũ Panchreſton.] Supra à principio capitis ſeptimi, liquidum Collyrium Panchreſton Eraſiſtrati recenſuit. Legitur tamen in Græco exẽplari

πάγχρυσον, quasi totū aureum, sed falso, quū πάγχρηστον & isthic & hoc loco legendum sit, ab omnimoda utilitate ita appellatū. Nam & Aetius sermonis sexti cap. 98. & Paulus lib.3.cap.22. & rursus lib.7.cap.16. Panchreston Erasistrati habent liquidam Collyrij formā, quæ eadem est cum ea quā supra Asclepiades tradidit, quanquā non referat quibus nominibus appellentur, modo de re & usu constet. Sequitur & infra Panchrestum Athenippion appellatum, sed de Athenippis uel Athenippijs appellatis supra memini.

Tryphonis orbiculare sphæricon dictū.] Hoc equidem Collyriū sphæricon à figura efformatiōis dictū existimo, Celsus sphærion habet, sed est alia cōpositio. Sequitur deinde Isochryson quasi auro cōpar appellatū, quanquā ἰσόχρυσον in græco exemplari legatur, tanquā hæc uox autorē referat. Sequitur & Cinnabariū à Cinnabari quā recipit dictū, quod Stolo Britannico ophthalmico celebri inscribitur, ad corrosos angulos et lippitudines ad malū habitū perductas: ita enim intelligo quod dixit πρὸς καχεκτικὰς ὀφθαλμιῶν, siue ὀφθαλμῶν: ut exemplar habet. Ad intelligendum est em̄ διαθέσεις, utrū tandem legas, & significātur affectiones quibus oculi ad malum habitū peruenerūt, quales sanè à longis lippitudinibus proueniūt. Deinceps est Melinū atarachū à perturbationibus amoliendis dictū ut puto. Postea sequit̄ proteus, in quo pondus cadmiæ corrupte legitur δραχ. β. Est enim legendum δραχ. κ. uelut conuerti, uel certe. μ. uelut sequentium.

In Caput VIII. de remedijs ab Archigene conscriptis.

Quemadmodum totū 6. ac 7. capur ex Asclepiade adscripsit Gal. sic in hoc octauo ab Archigene prodita ad oculos affectos auxilia recēset. Refertur aūt primo diæta in qua corrupta est lectio in græco exēplari, καὶ πολλῷ ψυχρῷ τὸ πότε, εἶτα καὶ ὀλίγον μιγνύντος ὄξους, &c. Legendum est aūt restituta à nobis in integrū lectione, sic καὶ πολλῷ ψυχρῷ τὸ πρῶτον, εἶτα καὶ ὀλίγον μιγνύντος ὄξους, συνεχῶς τὸ πρόσωπον προσκλύζειν, hoc est ut uertimus, Et facies assidue primū multa frigida, deinde etiā aceto ammixto proluat. Porrò non longe post hunc locū inter pharmaca quæ fronti foris imponuntur σανδαράχη falso legitur. quid em̄ ad fluxiones oculorū sistendas sandaracha faciat, medicamentū forti extersoria atq; adeo ustoria ui præditū: qua gratia in præcedēti capite, in cinnabariū Stoli ad corrosos oculorū angulos fuit admixtū. Hunc aūt errorē & plerosq; consimiles, nemini imputari cōuenit q̄ operis castigatori, qui σανδαράχην pro ἀνδράχνη, ob similitudinē quandā substituit. Portulacā autē Andrachnem græcis dictā, oculorū & alijs inflammationib. imponi, Diosc. & experiētia testatur, ob frigidā uidelicet & repulsoriā facultatē.

Aut mali punici succus cum flore farinæ polentæ, aut ipsum malum in uino maris experte.] Hæc inter auxilia oculis foris imponenda ab Archigene numeranrur, satis nota, sed tamen de uino maris experte, ἀθαλάσσῳ Græcis dicto, pauca apponemus. Vina itaque ἀθάλασσα uocabantur, quibus marina aqua non esset ammixta. Sicut contra θαλάττια & τεθαλασσωμένα dicebātur, quibus marina esset addita. Quot modis uero hoc ipsum fieret, Diosc. li.5. & Plinius itemq; Columella docent. Corne. Celsus lib.3. in regij morbi cura; hæc uina græca salsa appellare uideri possit, integraq; uocare maris expertia, simul aūt utilitatē ipsorū docere, his uerbis. Oportet aūt uinum bibere græcū salsum, ut resolutio uentris maneat, tū altero triduo ualidiores cibos & carnis quoq; aliquid esse, intra aquā manere, deinde ad superius genus uictus reuerti, cū eo ut magis satietur, omisso græco uino, bibere integrum austerū, atq; ita per hæc uariare, ut interdum acres quoq; cibos interponat, interdum ad salsum uinū redeat. Hactenus Celsus. Verū non est idē salsum uinū quod mari mixtū, sed diuersum, & quomodo fiat utrunque Colu.12.cap.21.docet, item Const. Cæsar lib.8.cap.25, Quanquā uinū quoq; mari

mari mixtũ habere uim ducendi aluũ, etiã Diosc. testat. Quare Gale. XII. Meth. ubi uina quæ stomachũ roborant, ac digestionẽ alimenti in corpus iuuãt, recen-set, uina probat maris expertia οἴνους ἀπαραχύτους talia appellãs, λαμβάνειν δὲ inquit, ἀπαραχύτους, οὕτω δ᾽ ὀνομάζουσιν οἷς οὐ μέμικται θάλασσα, μεγίστην βλάβην ἡγούμενοι ἐφ᾽ ὧν μέμικται γνῶναι σαφῶς. οὐ μὴν οὐδ᾽ εἰώθασι τοῖς εὐγενέσιν οἴνοις, ὑπὲρ ὧν ὁ λόγος ἐστὶ, μιγνύναι τῆς θαλάσσης, ἐν λέσβῳ, καθάπερ οὐδ᾽ ἐν χίῳ τῷ ἀριουσίῳ. Meminit ἀπαραχύτων οἴνων etiam Diosc. lib. 5. sed à nullo adhuc interpretũ intellecto loco, quũ ἀπαραχύτους cum his qui sapam admixtã habent confundant. Videtur autẽ mare propterea fuisse ui-no mixtũ, tum ut gratius sapore fieret quod Plin. 14. cap. 7. ait, Nunc gratia ante omnia Clazomenio est, postquã parcius mari condiunt: tum ut celerem uetusta-tem acciperet, quod idem Plinius de thalassite appellato 14. cap. 8. testatur. thalas-siten autẽ inquit uocant, uasis musti deiectis in mare, quo genere præcox fit uetu stas. Et propterea sanè hoc uinũ etiam βίαιον fuit appellatũ, quod uidelicet esset ad uetustatem accelerandam coactũ, atq; hoc est quod Plin. lib. 23. cap. 1. dicit, Fi-ctitium non potest uideri quod biæon appellauimus, quũ sit in eo sola pro arte festinatio, &c. Quanquã idem Plinius priore loco originem marinæ aquæ uino miscendæ, à serui furto sic mensuram explentis ortam dicat.

Caseus item mollis ac nuper salsus.] Caseũ mollem repulsoria ui præditũ esse & meatus obducere ipsum per se, Galenus quũ in simp. phar. libris, tum infra lib. 5. cap. 1. de hypopijs tradit. Salitus uero recens etiã discussoriã & modice adstrin gentẽ uim acquirit. Quare in oculorũ fluxionibus ac inflãmationib. cõmode ad-hibendus hoc loco proditur. Nam & Diosc. hoc de eo testatur. ὠφελεῖ δὲ inquit, καταπλασσόμενος ὀφθαλμῶν φλεγμονὰς καὶ ὑπώπια ὁ νεαλὴς, ἀτροφώτερος ἐσθιόμενος, καὶ πρὸς καθαίρεσιν σαρκὸς τῶν ἰσχνῶν, κακοστόμαχος, λυπῶν κοιλίαν καὶ ἔντερα. ὁ δὲ παλαιότερος κοιλίας σταλτικός. Ita enim legendum est, ut recenti salso contrariæ uires attribuant ei qui præcedit insulso. Sed & Plin. eadem li. 28. cap. 9. tradit, sed lectione item cor-rupta, quã sic restituendam censeo. Stomacho utiles qui non sunt salsi, id est, re-centes. Veteres aluũ sistunt, corpusq; minuunt, stomacho inutiliores. In totum salsi minuunt corpus, alunt molles. caseus recens cũ melle sugillata emendar, ue-tus aluũ sistit, &c. Porrò quando in casei mentionẽ incidimus, obiter locũ apud Galenũ lib. 3. de alimentis expendemus, ubi de caseo sic legitur. κάλλιστος δέ ἐστι καὶ ὁ παρὰ τοῖς πλουσίοις εὐδοκιμῶν ἐν ῥώμῃ βαθὺς τοὔνομα, hoc est, optimus est etiã qui Ro mæ apud diuites in precio est Bathys nomine. Ego itaq; nõ βαθὺς legendum pu to, sed βατουσικὸς, atq; hoc ex Plinio inductus qui lib. 11. cap. 42. ait. Dalmatice Do-cleatem mittunt, Ceutronicæ uatusicũ, &c. Videtur eñ Vatusicus Plinio dictus esse, quẽ Galen. optimũ esse dixit, & βατουσικὸν Romana uidelicet uoce appellari.

Aut crudam ordeaceã uel triticeã farinã passo coctam.] Quod crudam farinã dixi ὠμὴν λύσιν Archigenes appellauit, quę uox quid proprie significet alibi à no bis relatũ est. Ad hæmalopas & hyposphagmata, hoc est cruentatos ocu-los et sugilatos.] Hæmalops cruenti aspectus suffusionẽ non solum in oculis, sed quacunque corporis parte significat, quales maxime à plaga ac ictu succedunt. Quin & homines hæmalopes, id est, cruentati aspectus uocantur. Diosc. etiã in adipe cruentas reliquias αἱμάλωπας appellat. τρῖβε inquit, κατ᾽ ὀλίγον ὕδωρ τῶν χει-ρῶν ἄχρις ἂν μήτε αἱμάλωψ ἐκκρίνηται. Galenus in glossis Hippocraticis, αἰθαλικώ-δεα uocari ait, ἃ πολλοὶ προσαγορεύουσιν αἱμάλωπα. Describuntur autem paulò ante ab eo αἰθάλικες, οἱ ἐπιπολῆς τοῦ δέρματος κύκλοι ὅμοιοι τοῖς ἀπὸ πυρὸς συνισταμένοις ἐρυθροῖς κύκλοις, ἀπὸ τοῦ αἴθειν ὠνομασμένοι. Archigenes porrò hoc loco ὑποσφάγμα-τα ad αἱμάλωπας adiecit. Dixit enim πρὸς αἱμάλωπας καὶ ὑποσφάγματα, hoc est ad cruenti aspectus suffusiones & sugillationes, quemadmodum etiã ipse cõsequen ter describit. Paulus aũt lib. 3. hyposphagma rupturam esse dicit uenarum tunicæ

agnatæ,ex plaga maxime obortã. Ad huiusmodi itaq; affectus sanguis columbinus ab Archigene prodit instillandus, præsertim is qui ex teneris pennis est expressus, habet enim αἷμα μάλιστα τὸ ἐκ τῶν ἁπαλῶν πτερῶν ἐκπιεζόμενον, quanquam pro πτερῶν uetus interpres legerit περιστερῶν, tanquam columbarũ tenerarum sanguis ab ipso maxime probetur; quod quidẽ uerum est, sed nõ alius quàm qui ex pennis teneris euulsis exprimitur, ut πτερῶν rectius omnino legatur. Ad eosdem terrã Aethiopicã cum nitro & myrrha, paribus portionibus probat. Verũ qualis fuerit terra Aethiopica dubiũ utiq; existit, quũ ut pleraq; alia hodie penitus exoleuerit, & neq; Diosc. neq; Galen. neq; Plinius Aethiopicæ terræ mentionẽ faciant. Opinor tamen eandem esse quæ Ampelitis & pharmacitis ab his autoribus appellatur, & non aliã esse puto quam supra li.3. idem Archigenes ad aures contusas, terrã nigram uocauit, & qua se aliquos tanquã smegmate cõfricare dixit, atq; hoc maxime propter discussoriã reficcatoriamq; ac perfrigerandi uim, quæ in ampelitide terra prædicantur, & in his affectionibus utrinq; requiruntur. Amplius aũt inducor ad hanc opinionẽ per colorem, qui ab ijsdem autoribus niger in ampelitide terra proditur. Et potuit sanè etiã ab ipsa Aethiopia hæc terra aduehi, ut inde habeat patriam appellationem, quanquã Dioscorides eam in Seleucia Syriæ nasci tradat.

Ad eos qui crassas, callosas ac rubras, glabrasq; ac pilis nudatas genas habent ptilos græcis dictos.] Ptilosin Paulus lib.3. hoc modo describit. πτίλωσις παχύτης δὲ τῶν βλεφάρων τυλώδης, ἐρυθρὰ, οἷς συμβαίνει πολλάκις καὶ τῶν τριχῶν ἀπόπτωσις. Quare ut explicaremus qui πτίλοι essent ac dicerentur, tam multis uerbis eos depinximus, quũ latinis non sit una aliqua uox quæ ptilos exprimat, tot malorum accessionibus hunc affectum constituentibus. Neq; enim simpliciter defluuia pilorum palpebrarum dicere licuit, quum hoc uitiũ μίλφωσιν paulò inferius appellet. Est itaque tum in Milphosi, quæ & Mãdarosis dicitur, tum in ptilosi, defluuium palpebrarum; sed in ptilosi amplius palpebræ crassæ callosæ ac rubræ fiunt. Galenus tamen 14. Metho. simpliciter eos qui perdiderunt ciliorum pilos, ptilos nominare uidetur. καὶ τοὺς ἀπολλύντας δὲ inquit, τὰς ἐκ τῶν βλεφάρων τρίχας, οὓς ὀνομάζουσι πτίλους.

Papias Laodicensis Autolyci medicus multa in his tentabat, euellebat primũ ipsos pilos, deinde locum diligenter cum dropace irritabat, &c.] Quisquis fuerit hic Papias medicus, itemq; Autolycus ab eo curatus, recenset sanè Archigenes eius conatus in trichiasi extirpanda, primum pilos euellendo, mox cum dropace locum irritando, deinde chamæleonẽ album tritũ cum ranarũ sanguine permixtum illinendo. Ita enim legitur in græco exemplari, δρωπακίζων τὸν τόπον ἐπιμελῶς, χαμαιλέοντι τε λευκῷ λείῳ πεφυραμένῳ αἵματι βατράχων χλωρῶν, οἳ ἐπὶ τῶν καλάμων γίγνονται, κατεχρίων. Plinius idem auxilium 32. ca.7. tradit, sed pro chamæleone albo, lachrymam uitis habet. Ranæ inquit, quas dryophytas & calamitas uocant, sanguis earum cum lachryma uitis, si euulso pilo palpebris illinatur. Et paulò post ranã ipsam describit, idem auxilium rursus repetens. Est parua rana in harundinetis & herbis maxime uiuens, muta ac sine uoce, uiridis, si forte hauriatur, uentres boum distendens. huius corporis humore penicillis derasum, claritatem oculis inunctis narrant afferre, ipsasq; carnes doloribus oculorũ superponunt. Ranas etiam coniectas in fictili nouo iuncis configunt quidam, succum earum qui ita effluxerit admiscent lachrymæ, quæ ex alba uite emanat, atque ita palpebras emendant, inutilibus pilis exemptis, acu instillantes hunc succũ in uestigia euulsorum. Hactenus Plinius. Cuius uerba propterea adscripsi, quod & ranarum notio manifestior ex ipsis fit, & quod utroq; loco lachrymam uitis albæ cum sanguine ranarũ permiscendam tradit. Hoc uero loco Chamæleo albus tri-

tus

tus ammiſcendus, haud ſcio an recte legatur, quũ neq; Dioſc. neq; Galen. neq; Plinius, hoc de chamæleone herba tradãt. De chamæleone certe animali Dioſc. tradit quod ſanguis eius æque ut uiridiũ ranarum pilos palpebrarũ denudet, ut ſuſpicio ſit mihi locũ corruptũ eſſe, & pro χαμαιλέοντί τε λευκῷ λείω πεφυραμένῳ, legendum eſſe, αἵματί τε χαμαιλέοντος πεφυραμένῳ, &c. Aut ut Plin. habet, βρυωνίας τε δακρύῳ λευκῷ λείω πεφυραμένῳ, &c. Nam uitis albæ lachrymã eam uim habere certum eſt, inde enim ipſa bryonia etiã pſilothrũ ipſi Dioſcoridi ac Galeno appellat. Nihil tamen decerno, poſſit fortaſſis & chamęleo albus recte cũ ſanguine ranarum confundi ac illini. Nam Paulus lib. 3. ex hoc tamen ut opinor loco, idem remedium prodidit ac tranſſcripſit, ubi cinerẽ uſti uidelicet chamęleonis illinendum cum ſanguine ranarũ ait, ἐπίχριε δὲ inquit, τὸν τόπον εὐθέως αἵματι βατράχου καθαυτὸ, ἢ μετὰ τέφρας χαμαιλέοντος λευκοῦ. Ego ſaltem ſuſpicionem meã pharmaco uſuris indicare uolui. Cæterum quod locum cum dropace diligenter irritabat uerti, δρωπακίζων in græco legitur. Eſt enim δρωπακίζειν dropacem adhibere, & per eum locum irritare ac præparare, ad ſanguinis ranarum ſucceſſuram illitionem. Eſt autem δρώπαξ medicamenti forma, quæ aliquando ad emplaſtri, aliquando ad malagmatis ſimilitudinem præparatur, imò & calida illinitur: uelut etiam hoc loco neceſſarium eſt: alias ex materia eadem conſtans, qua & acopa, & emplaſtra. Quare cataplaſmatis uice in diuturnis affectionibus adhibet, tum ante ſinapiſmos, ad corporis præparationem, tum poſt ſinapiſmos, ad reliquiarum affectionis extirpationem, quanquã ſimplicisſ. dropax nihil aliud ſit quàm picatio appellata, conſtans ex pice ſicca pauciſſimo oleo liquata, uelut Aetius 3. cap. 190. & Paulus lib. 7. cap. 19. prodit. Quin & depilatoria pſilothra, quorũ uſus ad omnes corporis partes depilandas, effœminato poetæ Martialis ſeculo erat, dropaces appellantur. Martialis 10. libro in Carmenionẽ. Leuis dropace tu quotidiano, Hirſutis ego cruribus geniſq;. Sunt tamen qui forcipem intelligere per dropacem malunt. Apud Lucianũ in Demonacte, ſalſum ac mordax Demonactis dictum legitur in huiuſmodi facto. Proconſul erat qui luxui licentius deditus, ungento & picatione per omne corpus delibutus eſſe ſolebat, hoc uitium cynicus quidam in ipſo publice ex ſuggeſto reprehendebat, tanquam parũ uirile & obſcœnum. Quare proconſul indignatus, Cynicum duci iubebat ſupplicium de eo ſumpturus: Verum quum fortuito interueniſſet Demonax, eius precibus cynicam libertatem aſſerentibus liberatus eſt, ſed tamen proconſule ita cum Demonacte paciſcente. In præſens inquit, hoc in tuam gratiã impune feret, ſi uero rurſus tale quid deſignauerit, quam pœnam illi ſtatuendam ducis? Ad hũc Demonax, tunc ſanè inquit, δρωπακισθῆναι, id eſt, dropace illini iubebis. Hoc enim dicto proconſulem pupugit, ei non minus quàm Cynicus ipſe mollicem exprobrans, quum Cynico in pœnam ſtatueret, quo ille in luxu uteretur, Sed hunc locum nuper quidam doctus citauit, & δρωπακίζεσθαι, forcipe uelli, uertendo, tum dicti, tum ſententiæ argutiam penitus euertit. Sicut alius quidam ex Galeno. ψυχθέντας, hoc eſt, perfrigeratos, à uirulenta beſtia afflatos, & γλυκύ, hoc eſt paſſum, polentam, & ταρίχους, id eſt, ſalſamenta, pilos, id eſt, τρίχας conuertit. De quibus obiter admoneo, ut ſtudioſi in uicinis maxime uocibus diligentẽ animaduerſionem habeant, ne alteram pro altera agnoſcant, ac cõuertant, Hircũ uidelicet pro hortulano, iuxta uulgare prouerbiũ. Sequitur paulò poſt, Ricini à cane fœmina adempti ſanguine ad eandẽ rem utendũ eſſe, ſed in græco exẽplari, κρίτωνος ἀπὸ κυνὸς θηλείας αἵματι legit, pro ἢ κρότωνος ἀπὸ κυνὸς, &c. Putauit enĩ is qui exſcripſit locũ autoris nomen eſſe, Critonis uidelicet, quod ſi credat, in ſequẽtib. uerbis ſanguis canis fœminę pro auxilio adhibẽdus indicabitur, qđ omnino eſt falſum. Nam caninus ſanguis hanc uim nõ habet; ſed ricini pręſertim à fœmina

cane, ut hic ait auulsi, quanquã Galen. x. simp. phar. etiam de ricini sanguine hoc neget, utpote frustra à se in hunc usum assumpto, quemadmodum etiã de ranarũ sanguine eundem effectũ sibi periculum facienti contigisse negat. Est autẽ Ricinus qui Græcis κρότων, & à ueteribus magis usurpato uocabulo, κυνοραιστὴς appellatur. Plinius & ricinum dixit, & animal cui cibi non sit exitus uocauit, itemq́ descripsit, & idem remedium ex eo lib. 30. cap. 14. habet. Aristo. tamen lib. 5. Hist. anima. Oues & capras Crotonas habere, Et Cynoraistas in canib. nasci tradit.

Ad glaucos oculos & Nyctalopas.] Nyctalopas quos latini Lusciosos uocãt Galenus in glossis Hippocraticis exponit, τοὺς τῆς νυκτὸς ἀλαούς, hoc est qui nocte non uident, atq; ita etiã 2. Meth. morbũ νυκτάλωπα dictũ esse ait, quod noctu non uidẽtes reddat, ὅτι τῆς νυκτὸς ἀποφαίνει μὴ βλέποντας. Paulus Nyctalopa dici ait, quũ die quidem uidere cõtingit, occidente uero sole obscurius, & nocte penitus nihil. Verum Hippocrates 2. prædictionũ penitus contrariũ dicit, uocari uidelicet Nyctalopas qui nocte uident, additq́ qui à morbo apprehendantur, & qui non, & quomodo liberentur. Quare eius uerba adscribam. οἱ δὲ τῆς νυκτὸς ὁρῶντες, οὓς δὴ νυκτάλωπας καλέομεν, οὗτοι ἁλίσκονται ὑπὸ τοῦ νοσήματος νέοι, ἢ καὶ νεανίσκοι, καὶ ἀπαλλάσσονται ὑπὸ τοῦ αὐτομάτου, οἱ μὲν τεσσαρακονθήμεροι, οἱ δὲ ἑπτάμηνοι. τισὶ δὲ καὶ ἐνιαυτὸν ὅλον παρέμεινε. σημαίνεσθαι χρὴ πρὸς τοῦ χρόνου, ἔς τε τὴν ἰσχὺν τοῦ νοσήματος ὁρῶντα, ἔς τε τὴν ἡλικίην τοῦ νοσέοντος. αἱ δὲ ἀποστάσιες, ὠφελέουσι μὲν τούτους, ἐπιφαινόμεναι τε καὶ ἐν τὰ κάτω ῥεόμεναι, ὑπογίνονται δὲ οὐ κάρτα, διὰ νεότητα. αἱ δὲ γυναῖκες οὐχ ἁλίσκονται ὑπὸ τοῦ νοσήματος τούτου, οὐδὲ παρθένοι ᾗσι τὰ ἐπιμήνια φαίνονται. οἷσι δὲ ῥεύμασι δακρύων πολυχρονίοισι, νυκτάλωπες γίνονται, τούτους ἐπανερωτᾶν, ἢν τὴν κεφαλὴν τι προηλγηκότες ἔωσι, πρὸ τῶν ἀποκηρυγμάτων τουτέων, hoc est: Qui uero noctu uident, quos sanè Nyctalopas appellamus, hi morbo hoc corripiũtur iuuenes, aut pueri, aut etiam adolescentes, et sua sponte liberantur, alij quadraginta diebus, alij septẽ mensibus, quibusdam uero integrum annũ durat. Signa temporis colligere oportet, tum uirĩũ morbi, tum ætatis ægri respectu. Abscessus porrò his cõmodant, qui superueniunt, & ad inferas partes repunt. Verũ ob iuuentutem non ualde superuenire solent. Mulierculę autẽ non capiuntur hoc morbo neque uirgines, quibus menses apparent. Qui uero ob diuturnas lachrymarũ fluxiones Nyctalopes fiunr, eos interrogare oportet, Num capitis dolor ante has querelas præcesserit. Hanc Hippocratis sententiã aliqualiter reddidit Celsus lib. 6. quũ ait. Præter hæc imbecillitas oculorũ est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernunt, quod in fœminam respondentibus mensibus non cadit. Videtur enim τῆς νυκτὸς μὴ ὁρῶντες legisse, ut uel ipso induci quis possit, ita in citato iam Hippocratis loco legendum esse, nisi in diffinitionũ Galeno inscriptarum libro manifeste legeretur, νυκτάλωψ ἐστι πάθος καὶ διάθεσις ὀφθαλμῶν δίχα φανερᾶς αἰτίας. συμβαίνει δὲ τοῖς οὕτω διακειμένοις ἡμέρας μὲν μὴ ὁρᾷν, νυκτὸς δὲ βλέπειν. Quibus uerbis Hippocratis sententia confirmatur, cui etiã compositionis ipsius uocis ratio suffragari uidetur, quanquam νυκτὸς ἀλαοὺς Galenus ut dixi exponat. Sed & in εἰσαγωγῆς eidem inscripto libello, utraque significatio νυκτάλωπος uocabulo attribuitur. Quare Nyctalopes tum qui die obscure aut nihil, & nocte bene, tum qui die utcunq;, noctu penitus nihil cernunt, dicuntur. Ad hos itaq; curandos cruor ex hepate hircino inter assandũ distillãs, hic ab Archigene, & ferè ab omnibus græcis ac latinis medicis scriptoribus illinendus probatur. ἰχὼρ hic cruor appellatur, Celsus sanguinẽ dixit, Plin. modo sanguinẽ, modo saniẽ appellauit, uelut alibi ostendi. Probat item esus eiusdem iocineris, & suffitus ex uapore ab eodem in olla inassato elatus. Neq; uero minus caprinũ iecur ab ijsdẽ probatur, si hircinũ haberi nõ possit, atq; hoc ipsum remediũ & ex iocinore Plin. lib. 8. ca. 50. inde esse putat, quod hoc animal noctu non minus quàm interdiu cernere tradatur.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI COMMENTARIORVM MEDICORVM IN DEcem libros Galeni de cōpositione medicamentorū secundum locos conscriptorū, Liber Quintus.

In Caput Primū de Sugillatione sub oculis, hypopion græci dicūt.



QVOD hypopion sub oculis fiat, ipsum nomē indicat: Idē em̄ est uelut si quis hypophthalmiū dicat, quod ipsum sub oculis sonat. Est aūt ex genere effusionū, ecchymomatū appellatarum.] Suffusiones quas proximo libro in oculis ex plaga aut ictu factas, hæmalopas & hyposphagmata Archigenes appellauit, si in facie cōtingant, ὑπώπια à loco scilicet in quo fiunt, uocantur, latini sugillationes & sugillata dicunt. atq; ita hæmalops & hyposphagma atque hypopion, ad unum genus effusionis sanguinis, ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσιν græci appellant, referuntur, quod nihil aliud est quàm χυμῶν ἔκχυσις, hoc est, humorum effusio sub contusum locum, uelut hoc loco Galenus & reliqui Græci omnes describunt. Contingit autem ut plurimum cum contusione & ruptione, aliquando etiam iuxta apertionem osculorum uasorum ἀναστόμωσιν appellatam, itemq; per persultationem, ueluti tum hic, tum quarto Methodi Galenus testatur. Fit autem ipsa persultatio, quam διαπήδησιν uocant, ex tunica quidem rarefacta, sanguine uero attenuato, itemq; aliquando osculorum uasorum paruorū apertione, quæ quum necessario per refrigerantia ac adstringētia curetur, atq; hæc tamen ipsa minime apta sanguini effuso in locū contusum discutiendo existant, fit ut mixti generis medicamenta, ex adstringente uidelicet & discussoria facultate, in principio requirantur, donec in suam naturā uenulæ redierint, ne scilicet non tantū qui effusus est sanguis discutiatur, sed ex cōtusa uena amplior etiā adtrahatur. Porrò cōfundi solent apud Græcos autores, atq; id errore ac ignorantia librariorum, ἐκχυμωμάτων atq; ἐκχυμώσεων uoces, cū his quę ἐγχυμώματα & ἐγχυμώσεις appellantur, & sanè hoc loco Galeni, ἐγχυμωμάτων falso pro ἐκχυμωμάτων legitur, quū tamen ita inter se differāt, ut ἐκχύμωσις contrariū planè significet τῇ ἐγχυμώσει. Illa enim sanguinis & humorum effusionem ex uasis, uelut dixi, significat. Hæc uero infusionem eorundem, qua uidelicet uenulæ pleniores redduntur, corpusq; coloratius euadit, atq; sic accipit lib. 2. Epidemion apud Hippoc. sectionis quartæ fine. Vbi περὶ τοῦ δεῖν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν, καὶ χρώματος ἀναλήψιος ἕνεκα, καὶ ἐγχυμώσεως iubet. Galenus enim lib. 3. de spirandi difficultate, hunc locum non aliter exponit. ἡ συνεχὴς inquit, ἀναπνοὴ ῥιπίσαι τε καὶ ἐκθερμαῖναι τὰ κατεψυγμένα δυνήσεται. κατὰ τοῦτον οὖν τὸν λόγον, κἀν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιδημίων συνεβούλευσεν ἐπιτηδεύειν, ὀξυθυμίην ἐμποιέειν, καὶ χροιῆς ἀναλήψιος εἵνεκα καὶ ἐγχυμώσιος, ὡς καὶ τῆς ὀξυθυμίας ἐπεγείρειν τὴν ἔμφυτον θερμασίαν δυναμένης; hoc est, uelut nos in nuper uulgata illorum librorum uersione diximus, cōtinens respiratio uentilare simul et excalfacere perfrigerata poterit. Iuxta hanc igitur rationē, etiam in secundo morborū popularium consuluit diligentiam adhibendam esse, ut excandescentia inducatur, & coloris reparandi & sanguinis in uasa subter cutem colligendi gratia. Cæterum ad effusum sanguinem ex uasis sub locum contusum discutiendum, inter reliqua auxilia uel in primis Collyrium Nili ex rosis laudatur, quo cum reliquis non proficiente, Collyrium ex sandyce cōmode adhiberi dicit, cuius item & Aetius & Paulus in hoc loco tractando mentionem fecerunt. Est autem sandyx non res naturalis per se, sed factitia, cerusa usta in eam transeunte, pharmacum alias tenuium partium & resiccandi

refricandi ui præditum, non tamen calfactorium. Ita enim Galenus nono simplicium phar. libro de eo tradit, ubi de cerussa agit, quanquam locus penitus sit corruptus, qui tamen ex Diosc. & ueteri intetprete sic restituendus est. Ψιμμύθιον, καὶ τοῦτο τὸ φάρμακον μαρτυρεῖ τῇ προειρημένῃ τοῦ μολίβδου δυνάμει. ὑπὸ γοῦν ὄξους δριμέος αὐτοῦ διαλυομένου γινόμενον, ὅμως οὔτε δριμὺ, οὔτε δακνῶδές ἐστιν, &c. & paulo post, καιόμενον δὲ ψιμμύθιον εἰς τὴν καλουμένην σανδύκα μεταβαλὸν, λεπτομερέστερόν γε αὐτὸ φάρμακον, οὐ μὴν ἤδη γέ πω θερμαῖνον. Diosc. uero lib. 5. de cerussa, si utere uelis inquit, cerussam, ipsam tritam in nouam ollam conijcito, & prunis impositā ferulā agitato, donec colore sandarachæ similis fiat, & ablata utere. quæ sic præparata est, sandyx ab aliquibus appellatur. Plinius autem lib. 35. cap. 6. sandycem ex sandaracha factitia, & rubrica æqua parte ammixta fieri tradit, quod non dissonum est à Dioscoridis traditione, nisi in rubricæ tantum additione. siquidem sandaracha etiam ex cerussa fit, colore in flammeum permutato: quanquam Plinij uerba sic accipi possunt, ut uerba, Hæc si torreatur, de cerussa intelligātur. Plinij uerba hæc sunt. Sandaracha quomodo fieret diximus. fit adulterina & ex cerussa nō in fornace cocta, colos esse debet flammeus, precium in libras asses quini. Hæc si torreatur, æqua parte rubrica admixta, sandycem facit, quanquā animaduerto Virgilium existimasse herbam id esse illo uersu.

Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnes.

Precium in libras dimidium eius quod sandarachæ. Nec sunt alij colores maioris ponderis. Inter factitios est & syricum, quo miniū sublini diximus. Fit autē ex sinopide & sandyce mixtis. Hactenus Plinius. Quod itaq; ait dixisse quomodo fieret sandaracha, hoc ipsum lib. 34. ca. ultimi fine fecit, ubi de cerussa ait, Et coquitur in patinis miscetur q; rudiculis donec ruffescat, & simile sandarachæ fiat. & non longe post. Postea cerussa ipsa si coquatur ruffescit, sandarachæ quoque propemodum natura dicta est. His enim uerbis & locis, & non alijs indicauit, sandaracham factitiam ex usta cerussa fieri, quanquam satis obscuris, & ut suspicor corruptis. Nisi & uerba lib. 35. cap. 6. paulò ante supra citatum locum ab eodem relata, de sandaracha ex cerussa factitia intelligenda esse putandum sit, quæ sic habent. Loquitur autem de cerussa in hæc uerba. Nunc omnis ex plumbo & aceto fit ut diximus, Usta casu reperta incendio Piræi cerussa in orcis cremata. His enim uerbis ferè idē quod Victruuius libro septimo architecturæ ait, indicat. Cerussa uero inquit, quum in fornace coquitur mutato colore ad ignem incendij sandaracha fit, id autem incendio facto ex casu didicerunt homines, & ea meliorem usum præstat, quàm quæ de metallis per se nata foditur. Quare iuxta Plinium & Victruuium ex cerussa usta sandaracha fit, & ex eadem tosta, iuxta eundem Plinium, cum æqua rubricæ parte, sandyx. iuxta Dioscoridem uero & Galenum, sandyx mox ex usta cerusa redditur. Porro quod Plinius Virgilium, sandycem herbam existimasse, se animaduertere dicit, haud satis diligenter Virgilij uerba expendit. Neque enim de herba Virgilius dixit, sed de coloris genere, de quo ipse adeo Plinius docet, uelut omnino ex præcedentibus uersibus palàm est. Eam enim seculi felicitatem ominatur poeta, ut tincturā lana non desideret, sed sua sponte dum in pratis oues pascuntur, non ex sandyce, quæ nulla est, sed quacunque herba, & murice, & croceo luto, & sandyce, uellera tincta acquirant. Ita enim ait.

Nec uarios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit uellera luto,
Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos.

Cæterum quod idem Plinius Syricum ex sandyce & sinopide fieri ait, neque Dioscorides, neque Galenus habet. Paulus tamen libro septimo & Aetius lib. 2. sandycem ac syricum pro eodem dixit, σάνδυξ inquit, ἢ συρικὸν λεπτομερὲς μέν ἐστι καὶ ξηραντικῆς δυνάμεως, ὅμως θερμῆς, quæ tamen uerba ex Galeni uerbis supra à me citatis prout assolet extraxit.

Summe facit ad recentia & liuida sugillata, spongia muria tincta, &c.] Muriam quæ Græcis ἅλμη est, eundem usum præstare, quem aqua maris, Dioscorides ac Galenus, itemque Plinius indicauere. Maris aūt aquā discutere liuida fotu Dioscorides testatur, διαφορεῖ inquit καὶ πελιώματα πυριώμενον, in quem sane usum hoc loco muria ab Archigene præscribitur. Est autem nihil aliud muria quàm aqua salsa, uelut etiā ipsum mare salsum existit, sed hoc ex natura, illa arte paratur, prout usus expostulat plus aut minus salsam esse. Quare differt etiam à salsugine uel salsilagine salinarum, quæ etiam ipsa natura salsa est, magis etiam quàm marina, & ad hoc etiam liquida, quum muria etiam dura fieri possit, certa quadam ratione prodita à Columella lib. 12. cap. 6. quanquam non duram sed maturam legendum esse credere malim, nisi tam sæpe & Columella, & Cornelius Celsus, & Scribonius, & Marcellus sic appellarent, ut uidelicet duram & maturam pro eadem accipiamus, cui cruda opponatur. Sic autem facere docet Columella. Quum salem per aliquot dies uidebis in aqua liquescere, ex eo intelliges nondū esse muriam maturā. itaque subinde aliū salem tamdiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur: quod quum animaduerteris, scias habere muriam maturitatem suam. & paulo post. Est aliud muriæ maturæ experimentum. Nam ubi dulcem caseum demiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam, si innatabit, maturam. Hunc autem muriæ maturæ parandæ modum etiam Galen. lib. 4. simplicium pharmacorum prodit, sed eam tamen cui ouum innatat σύγκρατον ἅλμην, hoc est temperatam & maturam ad salgama condienda appellat: eam uero quæ iniectum salem amplius colliquescere non permittit, uehementer salsam, hoc est, δεινῶς ἁλμυρὰν uocat: quum Columella hoc utrunque experimentum maturæ muriæ esse dicat, nisi quod dulcem caseum oui loco demittendum tradit. καὶ σοὶ inquit, καὶ αὐτῷ γεννῆσαι θάλατταν ἔξεστιν, ἅλας ὕδατι ποτίμῳ διατήξαντι, καὶ γνῶναι πόσῳ βαρύτερον ἀποτελεῖται τὸ τοιοῦτον ὕδωρ τοῦ γλυκέος. ἀλλὰ καὶ μέτρον ἤδη τι πεποίηνται τοῦ τὴν ἅλμην σύγκρατον ὑπάρχειν εἰς τὰς ταριχείας, ἐὰν φαίνηται κατ' αὐτὴν τὸ πλέον ᾠὸν, ὡς ἔτι γε καταφερόμενον καὶ μήπω περὶ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς ἅλμης ὀχούμενον, μᾶλλον ὑδατώδης καὶ γλυκεῖα ἐστί. δεινῶς δ' ἁλμυρὰ γίνεται τοσούτων ἐμβληθέντων, ὡς μηκέτι ἐγχωρεῖν ἐπιτήκεσθαι τοὺς ἐπιμβαλλομένους, καὶ τοῦτο σοι στήσαντι τὸ ὕδωρ, ἁπάντων ὑδάτων εὑρεθήσεται βαρύτερον. Duræ porro appellatio ex eo indita uidetur, quod aqua in ipsum salem uim suam exercere amplius non potest, quod liquida utique aqua & non indurata faceret, salemque colliquaret. Plinius sane duram non appellat, sed certam mensuram salis exprimit in aquam mergendi, quo dura aut moderata reddatur, trigesimi primi capite sexto in hæc uerba. Verum & hæc cura præuidit, inuenta ratione qua sibi quisque aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum est, si plus quàm sextarius salis cum quatuor aquæ sextarijs mergatur, uinci aquam, salemque non liquari. Cætero sextarius salis cum quatuor aquæ sextarijs, salsissimi maris uim & naturam impler. Moderatissimum autem putant, supradictam aquæ mensuram octonis cyathis salis temperari. Vsum autem Muriæ duræ præscribit Celsus libro quarto capite nono. Edenda inquit, sunt salsamenta, uel oleæ ex muria dura. & eiusdem libri capite 15. Themison muria dura quàm asperrima sic utendum memoriæ prodidit. & pluribus alijs locis. Scribonius cap. 185. uulgatæ editionis ad corian

coriandrum datũ. Adiuuari aũt debent qui biberũt, ex uino mero atque plurimo, uel aqua marina, uel muria dura pota. Constantinus Cæsar lib. 20. de agricultura cap. ultimo, eam ipsam muriam non duram, sed στακτὴν, id est, stillatitiam & liquidam siue percolatam appellat. ἅλμης inquit στακτῆς δεδοκιμασμένης οὕτως ὡς ᾠὸν ἐμβληθὲν ἐπιπλεῖν. ἐὰν δὲ βυθίζηται, ὅπως ἔχῃ ἅλας τὸ ἀρκοῦν. At uero quam Galenus ἅλμην λευκὴν & ἁλμυρὰν dixit, eandem Archigenes citante Galeno supra li. 1. cap. 7 ἄκρατον appellauit. Quare tres in uniuersum muriarum species existunt. ὠμοτέρα uidelicet quam Hipp. 1. γυναικείων, γλυκεῖαν appellasse uidetur, εὔκρατος & ἄκρατος, hoc est cruda, matura siue temperata, & dura siue meraca, uelut supra lib. 1. cap. 7. reddidimus, quem locum etiã Aetius transcripsit serm. 6. cap. 67. Verum interpres Italus aquam tepidam pro ἀκράτῳ conuertit, ἀκράτῳ uoce ab ἅλμης seiuncta. sed hoc minus mirum, quàm quod eodem capite filicẽ pro pipere, & scordium pro allio, haud scio quo Italice conuertit, πτέρεως nimirũ pro πεπέρεως, & σκορδίου, uocem pro σκορόδου contra omnẽ rationẽ & rerũ expensionẽ reddendo, ut mihi Germano eius autoris interpreti non parum gloriosum sit, quod me fortuitum collegam non est aspernatus.

33 Aut fabam fresam cõmanducatam imponito cũ melle.] Inter reliqua auxilia ad sugillatos facientia, Archigenes etiã fabæ fresæ aliquoties meminit. Quando uero alia sufficienter ab ipso Galeno declarantur, de faba fresa hoc adiiciendum esse uisum fuit, eandem esse fresam & fractam à Plinio dictã, quam Græci ἐρεγμὸν simpliciter uocant, ἀπὸ τοῦ ἐρεγμῆναι, quod uidelicet in minutas partes sit fracta, ut sit ἐρεγμὸς in faba, quod χόνδρος & πτισάνη in frumentis, uelut alibi dixi. Quæ uero molita est & in farinam redacta, lomentum fabaceum dicitur, & græcis κυάμινον ἄλευρον, itemque ἄλευρον ἐρεγμίνου, quod hoc loco Galenus etiã cum melle subactum, sugillatis commode imponi tradit, sicut Archigenes fabam fractam, commanducatam prius imponi iussit, propter saliuæ uires inde accessuras. At uero & ἐρεγμὸς uocem pro lomento & farina fabarum, non infrequens est reperire, sicut paulo infra, ubi cerusæ & spumæ argenti æquales partes tereræ cum melle iubet, & ammixta faba fresa, hoc est, ἐρεγμῷ ad cerati formam reducere. Non possit enim ἐρεγμὸς commode ammisceri in cerati formam, nisi in farinam redactus. Quin & ἐρεγμὸς non de faba solum dicitur, sed & de alijs leguminibus, itemque radicibus, eodem modo fractis. Paulus libro 3. cap. 25. ἴρεως καὶ πτισάνης ἐρεγμοῦ ἀνὰ ℥. α. ς. habet, hoc est irridis & ptisanæ fractæ seu fresæ utriusque sesquisextarium. Hippoc. περὶ γυναικείης φύσιος καὶ κριθὰς πεφωσμένας καὶ ἐρηριγμένας habet, id est ordeum tostum ac fresum. Galenus 1. de alimentis, Cicer fractum non ualde in cibo familiare esse dicit, sed magis farinam ipsius lacte coctam, quum non possit eodem modo, quo fabæ & pisa frangi, ut ex ipso ἐρεγμὸς fiat. Appellatur autem edulium ex cicere, & reliquis leguminibus fractis ἔτνος, sicut ex farina eorundem pulmentarium λέκυθος, uelut in libro περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας ipse Galenus declarat. ἔτνος οὖν ὀνομάζω, inquit, τὸ ἐκ τῶν ἐρεγμένων ὅσπρίων, τε καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον, λέκυθον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀλεσθέντων ἄλευρον ἑψόμενον ἐν ὕδατι, προσεμβαλλομένου τοῦ λίπους. Quare κυάμινον ἔτνος apud Græcos medicos nihil aliud est quàm faba fresa elixata, & κυαμίνη λέκυθος nihil aliud est quàm fabæ lomentum elixatum. Sic Paulus libro tertio cap. 80. ad clauos & callos ποιεῖ καὶ ἡ λέκυθος κυαμίνη μετ᾽ ὄξους ἑψηθεῖσα, hoc est facit & fabæ lomentum cum aceto coctum. Idem ὀρόβινον λέκυθον, id est, erui farinam siue lomentum habet libro tertio cap. 25. & Hippocrates πτισάνης λέκυθον in spurijs ad primum περὶ γυναικείων adiectis. πτισάνης inquit λέκυθον ἐμβαλὼν ἐς χυτρίδα ὕδατος, ἕψε μέχρι λιπαρὸς γένηται. Neque referre libet quid his locis interpretes uerterint.

Vnde

Vnde palam est neq; pisum, neq; putamẽ oui, λέκυθον appellari, uelut aliqui tradiderunt, sed aliquando quidem & simpliciter dictam, pro oui luteo ac uitello accipi, cum additione uero, eius rei quæ adijcitur farinã elixatam. λεκυθοπῶλαι itaque græcis appellantur, non qui pisa aut oua uendunt, sed qui eiusmodi pulmentaria, farinas uidelicet leguminum elixatas, et pinguedine aliqua cõditas uenum proponũt. Apud alios tamen scriptores λέκυθος etiam oui testam siue putamen significat. Sic apud Artemidorum lib. 5. somnio 85. ἔδοξέ τις δοῦλος παρὰ τῆς δεσποίνης ὠὸν λαβεῖν ἑφθόν, καὶ τὸν μὲν λέκυθον ἀπορρίψαι, τῷ δὲ ὠῷ κατακεχρῆσθαι, hoc est, uisus est sibi seruus quidam ouum ab hera accipere coctum, & putamen quidem abijcere, ouo uero uti. Nisi fortassis τὸ μὲν κέλυφος, pro τὸ μὲν λέκυθον, quod isthic habetur, est legẽdum. Paulus porrò lib. 6. cap. 21. à chirurgia hypochimatũ, lanam albo oui & rosaceo imbutam imponendã tradit, his uerbis. καὶ ἀπὸ θέντος ἔξωθεν λεκύθῳ ὠοῦ σὺν ῥοδίνῳ δεδευμένον ἐπιδήσωμεν. Verum lectio est corrupta, & pro λεκύθῳ legi debet λευκῷ. Non enim lutei, sed cãdidi ouorum eo loci usus expetitur. Quanquam aliàs nõ dissimilis & uitelli sit facultas, ut qui itidem medicamentis inflammationem arcentibus misceatur.

Aut cuminum linteolo illigatum in feruenti aqua tinctum pro fomento adhibe.] Hoc auxilium in græco exemplari paululum corruptum, sic legendum est. ἢ κύμινον ῥάκει ἐνδήσας εἰς ζεστὸν ἐμβαπτῶν πυρία. Est aũt & paulò ante hũc locũ lectio ipsa corrupta, ὁποῖα δὲ πελιδνῶν ἢ μέλαν τῶν ἤδη γεγονώτων &c. Vbi legendũ est, ὁποῖα δὲ πελιδνῶν ἢ μελάνων ἤδη γεγονότων &c. Sicut nos uertimus, qualia liuidis aut iam nigrefactis & inueteratis sunt adhibenda. Sed & paulo post quod dixi, Aut fœniculũ tritum impone, in græco μαλάβαθρον λεῖον ἐπιτίθει pro μάραθρον &c. habetur. Esse autem μάραθρον legendum tum ex subscriptis Apollonij pharmacis, in quibus idem habetur, apparet, tum ex Galeno constat, qui lib. 7. simpl. pharm. suffusis auxiliari testatur. Sequitur nõ longe post, Aut cicer eruinum eodem modo. Galenus duo ciceris genera facit, alterum κριός, id est aries siue arietinum appellatum, alterum ὀροβιαῖον, id est eruinum dictum, quod hoc loco ab Archigene ad sugillata commodum, ob uim discussoriã & extersoriam proditur. Plinius 18. cap. 12. ex Theophrasto, ut apparet, differentias ciceris magnitudine, figura, colore & sapore distinxit, & arietinum appellatum esse, quod arietino capiti simile sit prodit, dulcissimũ uero id quod eruo simillimũ, quod postremum mirum est si in illo rectè legitur, quum Galenus & Paulus caliditatem & amaritudinem eruino ciceri tribuant, ob quas qualitates facultatem & splenem, & hepar, & rhenes expurgãdi habet, ut hoc genus etiam ea gratia ictericis in cibo exhibere iubeat, infra lib. 9. cap. 1. Archigenes, in aqua maceratũ, à sumpto primum ipsius cremore. ὀροβίας autem ἐρεβίνθους ibidem appellat, uelut etiam Galenus 6. simp. pharmac. ne quis uocem corruptam ex ὀροβιαίους putet.

Cæterum ad uetustiores sugillationes smilacis fructus cum uua nigra tritus facit.] Smilacẽ tum asperam, tum leuem, Gal. lib. 7. simp. phar. in litera μ refert, μίλακα appellans, ad differentiam utputo σμίλακος arboris quæ & taxus uocatur. Idem facit eum in hoc, sicut in cæteris instar simiæ imitatus Paulus. Dioscorides tamen atq; alij σμίλακα, adiecto ad caput uocis σ uocãt, eiusq; fructum hic ob calidã & acrem uim, ad sugillata Archigenes probat. Porrò paulo post uox παραλειπτικῶς falso legitur, pro παρακειπτικῶς aut συγκριτικῶς, hoc est ut reddidi, comparatiue.

Quæ Crito ad sugillata recentia medicamenta scripsit.] In his Critonis auxilijs ad sugillata descriptis, primum cicutam tritam ex aqua impone, habetur. Verum cum cicuta, hoc est κώνειον excellẽter frigida ac repulsoria ui prædita sit; du

 bito an

bito an hic rectè legatur, quum scopus sit in sugillatis, ut sanguis collectus in loco contuso discutiatur, & ut ipse Galenus in principio huius tractationis dixit, ut primum parum quid ex adstringentibus ad discussoria addatur. Hanc hæsitationem auxit mihi uetus interpres, qui κύμινον pro κώνειον legit: & pro μεθ' ὕδατος, legit μετὰ μέλιτος. Et sanè cuminum etiam supra Archigenes inter sua auxilia recensuit, ut cumino etiam ipse uti malim, nisi planè in principio inflammationum ac influxionum repellendarũ gratia, cicutam adhibendam à Critone dictam accipiamus, qua gratia etiã Heras infra cicutam in medicamentũ compositum ammiscet. Inter eadem auxilia conuerti, bryoniæ radicem tritam cum melle imponito, aut rosaceo cerato exceptã adhibeto: sed in græco exemplari lectio est corrupta, βρυωνίας ῥίζαν τρίψας μετὰ μέλιτος ἐπιτίθει, ἢ τορισμένῃ κηρωτῇ ἀναλαβὼν ἐπιτίθει. Puto itaq; pro ἢ τορισμένῃ κηρωτῇ &c. legendum esse, ἢ ῥοδίνῃ κηρωτῇ ἀναλαβὼν ἐπιτίθει. Meminit aũt & infra cerati rosacei, ut hic non sit ineptũ putãdum.

Animaduertere aũt oportet diligenter ne cutis exulcereẽ.] Crito tum in hoc, tum in sequenti medicamẽto hanc cautionẽ adhibere iubet, ἵνα μὴ ἑλκωθῇ ὁ χρώς. id est ut dixi, ne cutis exulceretur, quanquã in sequenti simpliciter, ἵνα μὴ ἑλκωθῇ habetur, quod ego ne locus ulceretur, reddidi. Verti autẽ in priore loco cutem τὸν χρῶτα, nõ quod χρὼς proprie cutem significet, aut hanc solam, sed quod commodius uisum fuit dicere cutem, quàm corpus, aut carnem, quæ item χρῶτος uoce indicãtur, uelut Galen. lib. 2. commentariorũ in Hippocratis librum de fracturis tradit, his uerbis. χρῶτα καλοῦσιν οἱ ἴωνες, τὸ ἐκτὸς τοῦ σώματος ἡμῶν σαρκῶδες, ἐν ᾧ μάλιστα γένει, τὸ δέρμα καὶ οἱ μύες εἰσίν, ἐφεξῆς δὲ οἱ ὑμένες καὶ σπλάγχνα. τὸ δὲ τῶν ὀστῶν γένος, οὐκ ὀνομάζουσι χρῶτα, καθάπερ οὐδὲ τοὺς χόνδρους, οὐδὲ τοὺς συνδέσμους. Atq; ita etiã Homerum accepisse ait, quum inquit:

Ὡς σὺ μὴ κλαίουσα κατὰ χρῶτα καλὸν ἰάπτῃς.

Ne laceres tenerum plorans miserabile corpus.

Thuris integri nõ secti tantundem.] In hoc medicamento thus ἄτμητον probat Aristarchus, quod ego integrũ non sectum dixi. Est enim iuxta Dioscoridẽ thus optimũ quod masculum appellaẽ, & naturaliter rotundũ est, non sectũ. Nam sectum de industria rotundũ fit, nimirũ cum quadrangulari figura sectũ ac in figulinum coniectũ, tãdiu obuoluatur, donec rotundũ fiat, atq; hoc ἔντομον appellaẽ, illo deterius, ut cõtrariæ appellationis. Dicunẽ hæc genera etiã τμητὸν & ἄτμητον.

Glandis Aegyptiæ tantundem.] βάλανον αἰγυπτίαν hic non aliam dicere uidetur Crito, quàm eam quam mox sequenti pharmaco βάλανον μυρεψικὴν appellat, & quam glandem unguentariã Latini, itemq; myrobalanum Plinius uocant. Aegyptia autem dicitur patria appellatione, Dioscoride enim autore in Aethiopia & Aegypto & Arabia, & in Petra Iudeę urbe nascitur. Eius uero usus cõmodus existit sugillatis, ob uim extersoriã & incisoriã, ob quas etiã ad uaros & lentigines, cicatricesq; nigras efficax est, ut & Diosc. & Galen. produnt. Porrò cum hæc glans unguentaria μυροβάλανος dicta in Aegypto, uelut dixi, nascatur, & in eadem proueniat quoque palma, quæ fructum φοινικοβάλανον uocatum, hoc est palmæ glandem producit, error utique committi potest, ut μυροβάλανος pro φοινικοβαλάνῳ, aut uicissim hæc pro illa accipiatur, à quo neque Plinium immunem esse supra lib. 2. ostendi, nisi librario imputare quis malit delictum, qui pro phœnicobalano, myrobalanũ libro uigesimotertio, capite quinto, substituerit. Quanquam idem Plinius lib. 12. cap. 22. ubi ait: Myrobalano in ungentis similem proximumq; usum habet palma in Aegypto, quæ uocatur adipsos, uiridis, colore mali cotonei, nullo intus ligno &c. uideatur planè phœnicobalanum cum myrobalano cõfundere, quum tamen res sint diuersissimæ, & palmæ succus in ungenta com-

ta commodius nequaq; exprimatur. Quare quod Diosc.lib.1.de palmæ fructu dixit, παρεμφερῶν τῇ ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ, Plinius in ungentis similem proximumq; usum habere ait. cum Diosc. id non uelit, sed παρεμφερῶν de aliquali figuræ similitudine dicat, nō de usu in re medica ac ungentis, imò planè alias uires palmulis, quæ & dactyli hodie appellantur, & Diosc. & Galen. adscribunt, q̃ myrobalano siue ungentariæ glandi. Durat autē utrunq; pharmacum in hodiernum diem, & phœnicobalani quidē altero sui genere rari sunt, illo uidelicet quod Plinius nullo intus ligno esse dicit. Meminit huius generis exossis item Aetius 11.cap.30. Θηβαϊκὰς δὲ inquit φοίνιξ καρυωτὸς ὁ μὴ ἔχων ὀστέον, εἴτε φύσει τοιοῦτος ὤν, εἴτε ὑπὸ τεχνήσεώς τινι γεγονώς. quibus uerbis indicat non omnes hoc genus palmas ex natura osse carere, sed arte sic parari. καρυωτὸν aūt dixit Caryotam Varroni & alijs itemq; Plinio appellatam. Plinius autem lib.13.cap.4.ubi per longum de generibus palmarum agit: Sicciores inquit in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorū longitudinem faciunt &c. Eorundem uero & Paulus, cum alibi, tum lib.7.in epithemate ex uinaceis meminit, φοίνικας νικολάους δέκα in ipsum cōijcere iubens. appellationem autem eam à Nicolao Damasceno peripatetico philosopho, ipsis impositam, & primū quidem à Cæsare Augusto, cui is carissimus fuit, autor est Plutarchus in quæstionib. conuiualibus. Atq; hæc de palmulis obscuriora hic adijcere uisum fuit, de quibus tamen etiam alio loco egi. Porrò sicut cassia fistula & spodiū, itemq; sandaracha, aliæ res sunt apud Arabes medicos, aliæ apud græcos, uelut alijs locis à me est commonstratum: Sic myrobalanorum genera hodierna, ex Arabū scriptis in usum medicum producta, alia sunt q̃ myrobalani græcorum. Et sanè myrobalani Arabum uideri possunt ipsas inspicienti, esse ex palmarum genere, ut tum Diosc.lib.1.ubi similitudinē aliquam palmæ ad Arabicam myrobalanū esse dicit, tum Plinius lib.23.cap.5.ubi ait: palma quæ fert myrobalanū &c. uideri possint Myrobalanum pro genere palmæ agnouisse, & pro hoc adeo genere, quod nobis Arabes medici in officinas produxerunt. Verum Plinij locus corruptus est, uelut supra lib.2.ostendi. Myrobalanum uero Arabicam à Dioscoride dictam, non esse aliam q̃ βάλανον μυρεψικὴν ab codē lib.4. descriptam, uel hinc clarum esse arbitror, quod nunquam specialim myrobalanum describit, sicut neq; Galenus, neq; Aetius, neque Paulus, minime relicturi, si diuersa ab illa ipsa esset. Quare certum esse penitus mihi persuasi, myrobalanū græcorum medicorum nihil aliud esse quàm βάλανον μυρεψικὴν ab ijsdem medicis dictam. Sed & Aetius 10.cap.11.cum ait, ἀλλ' ἡ τῶν μυρεψῶν βάλανος, ἣν μυροβάλανον καλοῦσιν, εὐήμετος γίνεται, εἰ μὴ μετ' ὀξυκράτου ποθείη, planè indicat myrobalanos & myrepsicas balanos eandem rem esse. Quin & Celsus lib.6 cap.5.medicamentū Tryphonis recensens, in quo myrobalani magma habetur, de nulla alia re dicit, q̃ de retrimētis ab expressa myrobalano reliquis. Hoc enim retrimentum Tryphon μάγμα, sicut Diosc. ἐκπίεσμα appellauit. Velut alibi in his cōmentarijs abunde ostendi. Quo loco etiam alium ex Celso, & unū ex Galeno produxi locum, ex quibus apparet eandem rem balanon myrepsicā & myrobalanon esse. Sicut quoq; lib. 11. meth. ubi ait, μυροβαλάνου πίεσμα, καὶ ἴρεως τὴν ῥίζαν εὑρόντες ξύλον, καὶ κόψαντες καὶ διαττήσαντες, ἐπεμβαλλομένην ἅμα κηρῷ βραχεῖ τὴν μυροβάλανον καὶ τὴν ἶριν &c. nihil aliud q̃ balanon myrepsicā se accepisse ostēdit, quam sanè Arabes medici Ben appellatione describūt, rem ab eorundem myrobalano penitus diuersam. At uero quæ hodie nux muscata seu moschata uocatur, non alterius generis quàm myrobalanorum græcorum censendam puto: & fortassis ea est quæ chrysobalanos infra lib.8.appellatur. Neq; enim credere fusti neo ueterib. ignotā fuisse, in tanta hodie frequentia, nā quæ ab Arabibus medi-

cis ei adſcribũtur uires, magna ex parte Dioſc. βαλάνῳ μυρεψικῇ tribuit. Verum eſt bæc in ſuo genere magis aromatica, & ſtomacho cõmoda, tum corroborãs, ac concoctionẽ iuuans, quod Dioſc. de balano myrepſica negaſſe uidetur. κακοστόμαχος δὲ ὅσιν ἱκανῶς inquit. Ad olei certe ex ea expreſſionem reliquis generibus etiam accõmodatior uidetur. Succum aũt ex balano myrepſica expreſſum, olei uicem in ungentis precioſis præbuiſſe. Dioſc. lib. 4. teſtatur, & cum in alijs, tũ in amaracino ac cinamomino ungento lib. 1. meminit, eundẽ uelut Plinius quoq; facit oleum balaninũ ſæpe appellans. Nolo tamen hac parte in hac rerum obſcuritate, quicquã adſeuerantius aſtruere. Hoc ſolũ conſtanter credo Aegyptiã glandem hic à Critone nõ aliam eſſe dictã quàm ungentariã paulo poſt ab eodem appellatam, quanquã Plinius 23. cap. 4. fine, cũ de palmis ait, cũ cotoneis & cera & croco ſugillata emendãt, planè indicet palmarũ etiam uſum ad ſugillata cõuenire. Verum ego locum corruptũ puto. Verba enim quæ Dioſc. habet, Pliniũ ſiue ex ipſo Dioſc. ſiue ex alio græco autore, unde etiã Dioſc. ſua accepit, trãſcripſiſſe apparet, quæ ſanè hac parte cum Dioſc. non cõueniunt. Dioſc. enim habet, αἱ δὲ ξηραὶ ὠφελοῦσι βιβρωσκόμεναι αἱμοπτοϊκοὺς, στομαχικοὺς, δυσεντερικοὺς, καὶ τὰ περὶ κύστιν, καταπλασσόμεναι λεῖαι μετὰ κυδωνίου καὶ κηρωτῆς οἰνανθίνης. Quæ Plin. reddidit: ſanguinem quoq; excreantibus utilis in cibo maxime. Illinunt caryotæ ſtomacho, ueſicæ, uentri, inteſtinis, cum cotoneis & cera & croco ſugillata emendãt. Plin. itaq; duo diuerſa auxilia fecit, ex uno à Dioſ. prodito, quod ſic apud Pliniũ legi debebat. Imponunt caryotæ ſtomacho, ueſicæ, uentri, inteſtinis, cum cotoneis & cerato œnanthino. quanquã neq; ſic Dioſc. ſentẽtia integre fuerit expreſſa, ſed exempli tantũ gratia id produco. Neq; mirũ uideri debet etiã bãc culpam ipſius Plinij eſſe, cum nõ hic ſolum, ſed & in alijs locis κηρωτῆς uocẽ male reddat. Sic lib. 22. ca. 17 de helxines ſucco dixit: imponit & podagris cum caprino ſeuo ceraq; cypria, quod Dioſ. habet ὠφελεῖ καταχριόμενος καὶ ποδάγρας σὺν κηρωτῇ κυπρίᾳ ἀναληφθεῖσ᾽ ἢ τραγείῳ στέατι. & lib. 12. cap. 25. opobalſamũ cera cypria uitiari dixit, quæ penitus nulla eſt, nam cyprus ceræ laudẽ nõ habet. Verum ſic reddidit κηρωτὴν κυπρίνην Dioſc. dictã. Et lib. 27. cap. 7. de abſinthio, Peculiariter ilibus imponit cum cypria cera, aut cum fico. Vbi Dioſc. habet, καταπλάσσεται δὲ καὶ πρὸς ὑποχόνδρια συλλεαινόμενον κηρωτῇ κυπρίνῃ. & lib. 25. ca. 8 de buphthalmo. Hæc cum cera ſcirrhomata diſcutit: hoc eſt σὺν κηρωτῇ σκληρίας διαφορεῖ. id eſt, cũ cerato, & nõ ſimplici-

Ego uero nucem per ætatẽ oleoſam factã expertus ſum.] Hoc me- (ter cera. dicamentum Gal. ſe experimẽto cognouiſſe dicit ad ſugillata cõmodum, quanquam & Plin. eius mentionẽ faciat, lib. 23. cap. 8. Et quæ perueteres ſunt nuces inquit gangrænis & carbunculis medẽtur, item ſugillatis. Aetius 8. cap. 2 idem auxilium ex Galen. tranſcripſit, ſed κάρυον ἐλαιηρόν hic Galeno dictũ, ipſe ταγγίζον appellauit, hoc eſt nucẽ rancidam uelut ego in eo opere nuper à me cõuerſo reddidi. Eſt enim ταγγίζειν uerbum, ranceſcere & rancidum fieri ſignificans, à uoce ταγγὸν id eſt rancidũ, quam Paulus & Aetius ſæpenumero de nuce uſurpant, deductum. Paulus lib. 7 τὰ κάρυα ταγγὰ διὰ παλαιότητα ῥυπτικὴν ἔχουσι τὴν περὶ τὸ δέρμα δύναμιν, quibus uerbis planè indicatur facultas exterſoria, ob quam rancidæ ob uetuſtatem nuces ad ſugillata ſunt efficaces. Fit aũt & oleum ipſum ταγγὸν, id eſt rancidũ, quod quomodo curetur, Conſtantinus Cæſar lib. 9. cap. 22 docet. Porrò Gal. lib. 7 ſimp. phar. inter reliqua quæ de nuce arbore eiuſq; partibus habet, de fructu eius qui in cibi uſum uenit tradit, quod oleoſus ſit & tenuiũ partiũ, ut ob id etiã facile in bilem tranſeat, præſertim repoſitus & inueteratus. Verum lectio corrupta eſt. Legitur enim ἐκχυλοῦται, quod interpres recẽtior facile exprimitur uertit, nulla ſententiæ expenſione facta. Nihil enim tale Gal. docere uult, cũ pau-

lo poſt

lo post dicat; oleũ ex ipsa inueterata nuce exprimi posse, & quid adeo attinebat de exprimendi facilitate, re cõfessa scilicet, uel hoc uel altero loco mentionẽ facere: Legendũ est itaq; ἐκχολοῦται, hoc est in bilem mutatur, in cibo accepta uidelicet. Nam sic aperte Paulus lib. 7 habet, τὸ δ᾽ ἐδώδιμον αὐτῶν ἐλαιῶδες ὂν, ῥᾳδίως ἐκχολοῦται. Sed neq; eius interpres aliter q̃ ἐκχυλοῦται legit & uertit. Verũ in hoc minus mirũ id est, nempe homine & medicinæ & literarũ græcarũ ex æquo ignaro, ita ut ne titulos quidẽ & argumenta operi præmissa intellexerit. Quod aũt ἐκχολοῦσθαι legendũ sit, & experimento cõstare cuiq; potest. Et Diosc. palàm testatur, κάρυα βασιλικὰ ἐσθιόμενα χολοποιά, hoc est nuces regias comestas bilẽ facere, dicẽs. Vsurpat aũt idem uerbũ Gal. lib. 3 de alimentis, de melle loquens, ῥᾳδίως inquit ἐκχολοῦται ἐν τοῖς θερμοῖς σώμασι.

Eiusdẽ Heræ ad ęgilopas.] Videtur hoc loco Gal. post habitã mentionẽ pharmaci ab Hera ad sugillata cõscripti, eiusdẽ medicamẽta ad ægilopas prodita subiecisse, de quibus consequenter cap. 2 ueluti distinxi agit: possit tamen & titulus de ægilope his Heræ uerbis præponi; reliquis æque apte successuris. Habet aũt inter ea pharmaca, aut myrti recentissimas baccas cataplasmatis modo adhibe; sed in græco exẽplari ἢ σμύρνης νεαρωτάτῳ καρπῷ κατάπλασσε habetur, σμύρνης uoce pro μυρσίνης supposita, quod uel ex Dioscoride liquet, qui de myrti fructu, καὶ πρὸς αἰγίλωπας δ᾽ ἐπιπλάττεται, inquit. In cap. II de ægilope.

INter reliqua auxilia ad ægilopas ab Archigene prodita, etiã ægilopis herbæ succus probatur, cum melle illinendus, ob uim uidelicet discussoriã quam habet. Est autẽ ægilops herba à Theophrasto, Diosc. Galenoq; ac Plinio descripta, nulla alia q̃ quæ & hodie auena dicitur, sed tamen magis ea quæ sua sponte prouenit, atq; hordeo in eam degenerãte fit, atq; ob id frumenti uitiũ à Plin. dicta est lib. 18 cap. 17 ubi etiam non aliter hordeũ à festuca quæ uocatur ægilops enecari dicit, q̃ triticũ ab æra, id est lolio, et cicer ac eruũ, ab herba quæ inde orobãche appellatur: atq; hoc est quod Virg. Maro dixit. Infelix loliũ, & steriles dominantur auenæ. Steriles enim auenas, ægilopa appellauit. Porrò quæ à Diosc. lib. 2 itemq; 4 (quanq; eo loco suppositítiũ caput de bromo putem) describitur bromus, item auena est, sed satiua & nõ sponte proueniens, neq; ex hordeo degenerante producta, quanq; & hanc Theoph. ægilopa appellare uideatur. Quare inter bromon & ægilopa hæc differentia est, quod bromos auenã frumenticiã, satiuam, puram, & quam hodie albã appellamus, significat: ægilops aũt auenã ex hordeo degenerãte prouenientẽ, & inter frumentũ sua sponte: utpote eius uitiũ: atq; etiam alias enascentẽ, & quam hodie auenã syluestrẽ ac erraticã uocamus. Huic enim auenæ descriptio ægilopis apud Diosc. penitus conuenit. Plinius tamen iam Theoph. iam Dioscoridẽ secutus, ægilopa utrãque auenę speciẽ dixit.

Quæ Asclepiades ad ægilopas cõscripsit.] In priore ex his duob. pharmacis Asclepiadæ ad finem: mastichen uero improbamus, cõuerti. Puto enim legendũ esse τὴν δὲ μαστίχην παραιτούμεθα. Videtur nãque uelle indicare, ineptã esse eius misturam in hoc medicamentũ. Verũ exemplar habet, τὴν δὲ μαστίχην παραυτίκα, tanq; accipiendũ sit, mastichẽ è uestigio iniiciendã esse, ut cum succis coquatur: quæ lectio mihi non placet, tum quod asterisco adiecto à typographo mihi sit suspecta, tum quod mastichen in cocturã addere non cõuenit, sed probe terẽdo lento igne dissoluere, alias enim spissatur, & omnino ægre liquescit. Est aũt hic mos familiaris scriptoribus pharmacorũ, ut præscripto medicamẽto, ipsi ad finem iudicium suũ apponãt, de his quæ ritè aut secus in ipsum indantur. In cap. III de uaris.

VArum Galenus tuberculũ siue tumorem paruũ describit & durũ in facie, additq; eius originem & caussam, ostẽditq; simul pharmacorũ facultates, ad ipsum curandũ efficaces. Verum cum sint & alia genera tumorũ, qui faciem

occupare solent, mox eos omnes à uaris distinguit, primū ficosos tumores, mox lichenosos menti tumores, deinde menti eruptiones, postremum furunculos describens, singulorum causis, ac medicantibus facultatibus adiectis, quos omnes nos in singula capita distinximus, quartum, quintum, sextum, septimum, quanquam Galenus coniunctim quasi sub uno uarorū titulo de omnibus agat, & post communitatem ac diuersitatem singulorū ostensam, etiam consequenter specialia ad singulos auxilia mixtim tradat, quæ tamen singulis conueniant probe distinguens. At uero uaros latinis dictos, græci ἴονθυς uocant, itemq; ἀκνας, ut Aëtius habet. ἴονθους sane quod instar ἄνθε id est fimi faciem conspurcent, ac maculis fœdent, uelut etiam qui σπίλοι uocantur. ἄκνας uero quod nō sint pruriginosæ, & ob id ad scalpturam sui non stimulent. De ficosis autē tumoribus supra memini. Eruptiones uero in cōmuni græci ἐξανθήματα, latini pustulas ac papulas uocant, furunculos δοθιῆνας. Verum lichenosi tumores quos ex mixto humore, serosis uidelicet ac tenuibus succis cum crassis permixtis generari prodit, ac facile in psoram ac lepram transire, quales sint considerabimus. Lichenes itaq; nouum morbum putarū, Tiberij Claudij Cæsaris principatu Romam inuasisse, tradit Plinius lib. 26. cap. 1 qui græco quidem nomine lichen, latine uero cum à mento fere oritetur, ioculari primum lasciuia, mox & usurpato uocabulo, mētagra sit appellatus, occupans in multis totos utiq; uultus, oculis tantum immunibus, descendēs uero in colla pectusq; ac manus, fœdo cutis furfure. Quibus uerbis eundem fere etiā Crito paulo post citāte Gal. depinxit. Quod itaq; mētagra hic morbus Rhomæ uocatus sit, etiam Galenus infra testatur in excoriatorio Pamphili medici, sed in græco exemplari μελιτάγρας pro μεντάγρας falso legitur, estq; ipsa uox uiciosæ compositionis, ex græca ac latina parte constans, contra grammaticorum præcepta: unde etiam Plinius mox usurpato uocabulo dixit, tāquā quod neque ipse probet. Ex mento enim & ἀγρεύειν uerbo, cōpositio facta est, ad similitudinem uocum ποδάγρας & χειράγρας, quæ recte utraq; parte græca componuntur. Quod uero nouus hic morbus sub Claudij Cæsaris principatu cœperit, Galenus non meminit, neque omnino uerum est, quum plerique autores ex quibus hoc loco Galenus pharmaca citat, ante Claudiū uixerint, & impetiginis nomen longe ante ea tempora latinis notum fuerit, quod de nullo alio morbo accipi debet quàm de lichenibus à græcis appellatis, quos ipse etiam Plinius aliquoties impetiginem cōuertit. Quare de uiolenta & repentina eius mali impressione Plinij uerba intelligenda sunt, quando tum magis quàm ullo alio antea seculo lichenes inualuerint. Sicut etiā nostra ætate ab anno Christi quingentesimo supra millesimum, per iuges fere triginta annos per omnem Europam sæuissime grassati sunt. Neque enim alterius generis censendus est, qui uulgo hodie Gallicus & Neapolitanus morbus, & ab alijs Hispana scabies nominatur, quāquam hæc ipsa affectio multarum specierum existat, & non recens aut noua huius seculi, iuxta quorundam traditionem. Videntur autem λειχῆνες appellati, non quod linctura saliuæ humanæ curētur, ut quidam opinati sunt, cum tamen res se non ita nisi in admodum leuibus habeat, & hoc non ex linctura, sed pituitæ utcunque adhibitæ facultate, uelut Galenus tertio, περὶ φυσικῶν δυνάμεων testatur, τὸ γὰρ δὲ φλέγμα, τοῦτο τὸ ἐν τῷ σώματι καὶ λειχήνων ἐστὶν ἄλλο, καὶ σκορπίους ἀναιρεῖ πρᾶγμα. sed quod lambendo proserpant, uelut etiam licheni in petris solet.

Ex Critone ad uaros. Inter hæc Critonis ad uaros medicamenta, in primo statim habetur, Mellis Attici cyathum unum, siue drachmas duodecim, hoc modo. Μέλιτος ἀττικοῦ κύαθον α. ἤτοι δραχ. ιβ. uidetur itaque exponere, cyathi pondus drachmarū duodecim esse, quod de oleo quidem uerum est, sed mellis pondus oleum exuperat dimidia parte, sicut uinū quoque excedit quarta ampliusq; decima

decima parte: uinum uero exuperat oleum nona parte, iuxta Pauli traditionem, quam nuper à nobis latinam factam ad Aetij finem adiecimus. Verum & hoc loco non incommodum fuerit adscribere, quo singularum mensurarum pondera exacte cognoscantur, iuxta tres præcipuos liquores, olei, uini, ac mellis: atque id eo etiam procliuius faciemus quod lectio Pauli corrupta, à nemine adhuc est intellecta, quum tamen aliqui suas de ponderibus mensurarum rerum liquidarum traditiones, ipsius Pauli suffragio confirmare sint annisi.

Olei	Vini	Mellis
	Habet itaque Ceramium siue Amphora Italica.	
Libras LXXII	Libras LXXX	Libras CVIII
	Chus siue Congius habet.	
Libras IX	Libras X	Lib. XIII & dimidiã.
	Sextarius habet.	
Vncias XVIII	Vncias XX	Vncias XXVII
	Cotula siue hemina habet.	
Vncias IX	Vncias X	Vnc. XIII & dimidiã.
	Magnum mystrum habet.	
Vncias III	Vncias III. scrup. VIII	Vnc. IIII & dimidiã.
	Acetabulum habet.	
Drach. XVIII	Vncias II. scrup. XII	Vnc. III. scrup. IX
	Cyathus habet.	
Drach. XII	sesquunc. scrup. IIII	Vncias II. drach. II
	Paruum mystrum habet.	
Drach. VI	scrupulos XX	drachmas IX

Palàm itaque ostendit Paulus cyathũ drach. XII pendere, quo euenit ut sextarius uncias XVIII pendat, cyathis nimirum XII in sextario cõtentis, sed de olei liquore hæc Paulus tradit, quem mel dimidia ponderis parte uelut dixi, exuperat, ut cyathus mellis drachmas duodeuiginti pendat, non duodecim uelut hic Galenus ait, aut certe Crito quem ipse citat, ponderis ipsius mellis ratione, cum pondere olei leuissimi liquoris confusa. Sequitur mox in sequenti pharmaco, spumæ argenti chemam siue drachmas treis, tanquam chema drachmas treis capiatur: uerum hoc ipsum quomodo sit accipiendum supra indicaui. Additur autem ad finem huius pharmaci. Hoc pharmacum etiam à rugis liberam & mũdam faciem cõseruat, hoc est τετανὸν καὶ καθαρὸν διαφυλάττει τὸ πρόσωπον. τετανὸν enim extentum & erugatum significat, unde & τετανόω uerbum est, id est erugo. Dioscorides de radice uitis albę χρῶτα ῥύπτει καὶ τετανοῖ. Et τετανώματα ac τετάνωθρα, pharmaca erugaroria. Est autem & τέτανος conuulsionis species, qua nerui ac musculi totius corporis distenduntur, & quasi obrigent. Vnde tetanici qui hoc modo affecti sunt, Plinio dicuntur libro uigesimo, capite uigesimo secundo, ubi de sinapi ait. Vtũtur ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, tetanicos, opisthotonicos &c. sed pro tetanicos, legitur corrupte & falso lithanicos, quos quidam lapide laborantes exponunt, quorum Plinium hoc loco nullam mentionem facere, uel hoc maxime indicio est, quod opisthotonicos adiecit, qui cum lithanicis nihil commune habent, sed cum tetanicis, quorum media est affectio inter opisthotonicos & emprosthotonicos appellatos: quanquam & ex hoc quod lithanicorũ appellatio nusquam alibi est apud Plinium, satis declaratur: itemque per medicamenti ad calculosos ineptitudinem.

Ad uaros callosos saponis gallici drach. iiij.] Gallicũ saponem in hoc medicamento Crito probat: est enim sapo gallicũ inuentum, uelut Plin. lib. 28. cap. 12 ait. Gallorum hoc inuentũ rutilãdis capillis, fit ex seuo & cinere, optimus fagino &

carpinino,(legitur tamē uulgo & falso carpino, quanq̄ sint qui caprino legāt,nō ad cinerem, sed ad seuum sententiā detorquētes.) duobus modis spissus & liquidus, uterq; apud Germanos maiore in usu uiris q̄ fœminis. Quibus uerbis duo saponis genera, liquidū & spissum, Germanis in usu fuisse ostendit, quæ etiā hodie restāt, sed liquidū magis circa septētrionales populos in usu est. Spissus uero maxime uenetus apud plerosq; oēs primas habet, q oleo oliuæ addito parat, calce itē ac sale, aliquādo etiā odorib. quibusdā, præter cōmune præparādi modū.

Ad ficosas menti papularū eruptiones.] In his Critonis pharmacis in græco exemplari semper καταπλάσσε legitur, hoc est cataplasmatis uice impone. Verū cū pharmaca ipsa arida sint, ut apparet, minime ut cataplasma adhiberi possunt. Quare pro καταπλάσσε legēdū est καταπάσσε, id est insperge, quod & Crito ipse satis indicat cum ait, & cū specilli humecti extremo admoue, quo uidelicet pharmacum ipsum adhæreat.

Critonis ad lichenas in mento.] Describit Crito lichenas uelut Plin. quemadmodū supra indicaui. Verū quod cōuerti, nam & pruriginē inducit, & affectarū partiū circūtensionem, in græco habetur, ὁ γὰρ κνησμὸς ἐπιφορὰ καὶ περίστασιν τῶν πεπονθότων. Sed pro περίστασιν legendū puto περιτασιν, id est circūtensionē. Nam sic etiā Aetius legit lib.8 cap.16. Possit aūt & περίστασιν legi, nisi addidisset τῶν πεπονθότων, & uerba quæ sequūtur καὶ κίνδυνον οὐκ ὀλίγον, id est periculū nō modicū, idē plane q περιστάσεως uox indicaret. Significat enim περίστασις cladem & incōmoditatem ac afflictionē, hoc est κίνδυνον. Vnde etiā ἀπερίστατα ἕλκη Gal. lib.2 περὶ τῶν uocari dicit quæ nō sunt magna, et nulla grauiore incōmoditate uexātur: hoc est uelut ipse Gal. exponit, quæ neq; sordes, neq; inflāmationē simul habent, & neq; uitiosorū humorum influxū, neq; distemperatā circa cauitatē carnem, quod propterea adscribendū putaui, quod uideam locū hunc, sicut pleraq; omnia, mire ab interprete peruersum. Sequitur nō longe post. Ita ut ab inueteratis recentes disparemus, quod græce est, συγκείνονται ἀπὸ τῶν κεχρονισμένων τὰ νεοσύστατα, sed ex superfluo ὑπὸ uox, in græco exemplari est addita. Sunt autem νεοσύστατα recēs producta, νέως συστάντα καὶ κατειλεγμένα.

Pastilli lichenici.] Recēset uarias medicamentorū formas ex ordine, ad lichenas facientes, & primū pastillos, deinde ungenta siue illitiones, postea emplastra uaria, quorū usum etiam ungentis commodiorē esse dicit. Postremū etiam excoriatoria pharmaca, & ad eorū usum quędā preparātia prius corpus ac partes, ne quid illorū adhibitione lędatur. In illitionibus itaq; aliquoties myrrhæ aminneæ mentio fit, hoc est σμύρνης ἀμινναίας, sed falso, debet enim μιννάιας pro ἀμινναίας legi, qui error nō his solū locis, sed in multis alijs, nec in Galeno tantū, sed & Aetio, & Paulo, atq; alijs græcis medicis inoleuit. Μινναία autem à loco ubi nascitur appellata est myrrha, uelut Galenus lib.1 de antidotis testatur, eadem esse troglodyticam ac Minnæā prodens, his uerbis. εἰδέναι δὲ δεῖ ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς ἔργοις αὐτὴν αὐτὸς τὴν τρωγλοδυτικὴν λεγομένην σμύρναν, ἔνιοι δὲ αὐτὴν ὀνομάζουσι Μινναίαν ἀπὸ τῆς χώρας, καθ᾿ ὃ γεννᾶσθαι φασὶ τὴν καλλίστην. Quo magis mirum est Dioscoridem tradere, troglodyticam myrrham primas tenere, Minnæam uero reprobam esse, ἡ δὲ Μινναία ἐκκαλεῖται inquit, ἀπόδημος, quanquam & eo loco ἀμινία pro Μινναία falso legatur. Plinius certe lib.12. cap.16. troglodyticam primam facit inter myrrhæ genera, erythream uero & Minnæam secundā, quibus generibus adhuc alia quatuor deinceps annumerat. Sed & idem Plin. thus Minnæum, à Minnæorum pago dictum tradit, eiusdem libri cap.14. ut certū sit Minnæam & non Aminneam myrrham appellari, quum in ijsdem prouenīant locis thus & myrrha, eodē teste. Porro habetur in ijsdē illitionibus etiam amurca cōdensata, hoc est ἀμόργη συνεψημένη, quæ non alia est q̄ quæ per cocturam inspissata est. Vsurpāt enim medici græci

ci græci uerba συστρέφεσθαι, καὶ ἀναστρέφεσθαι, in his quæ liquidiora sunt, & coctura densantur ac coagmentantur. Sic paulo inferius ἕψε inquit, καὶ ὅταν μέλαν γένηται καὶ συνεστραμμένον, ἆρον &c. hoc est postquam nigrum factum fuerit & condensatum. & rursus non longe infra, ἕψε πίσσαν, ταυρόκολλαν, καὶ ὅταν συστραφῇ, ἐπίβαλλε ἰχθυόκολλαν. Aetius 9. cap. 9. ἕψε καὶ ὅταν ἀναστραφῇ, ἄρας ἀπόθου, ubi coacta fuerint reponito. At uero amurca ipsa hoc modo cocta etiam efficacior redditur, uelut & Plin. & Diosc. de ipsa testantur, & Galenus eam multò magis crassarum partium atque aridam fieri ait, ut secundi ordinis calfacientium & resiccantium quodammodo intense sit censenda, qua gratia etiam hoc loco assumitur. Porrò ἀπὸ τοῦ συστρέφεσθαι sunt etiam συστροφαί, quas φύματα καὶ σκληρίας Gal. in glossis Hipp. exponit. Diosc. lib. 1. de strigmento palæstræ, τὰς περὶ τοὺς κονδύλους συστροφὰς ἐπιτιθέμενος ὠφελεῖ, id est articulorum tubercula ac duritias iuuat.

Exemplum Lichenicum Philotæ.] Hoc emplastrum etiam Aetius 8. cap. 16. habet, sed uariante aliquo modo lectione, pro sulphure enim uiuo, hoc est θείου ἀπύρου, Aetius ἰοῦ habet, id est æruginis. & pro ἕως ἂν ξηρανθῇ τὸ φάρμακον. Aetius ἕως ἂν ὀξιωθῇ habet, quod & nos hic reddidimus, donec pharmacum redditum fuerit æruginosum. Deinde aristolochiæ rotundæ & longæ pondus ἀνὰ δραχ. α id est utriusque drach. 1 habet Gal. Aetius uero aristolochiæ simpliciter unciam unam habet. Postremum in liquescibilib. Gal. hic κηροῦ δραχ. ϛι. τερεβινθίνης δραχ. κ. habet. Sed Aetius κηροῦ δραχ. ϛ. τερεβινθίνης δραχ. σ legit, decuplo maiore resinæ pondere, nisi fortassis & hoc loco σ ducentarij numeri nota excidit, & pro τερεβινθίνης δραχ. κ. legendum sit τερεβινθίνης δραχ. σκ. id est ducentas uiginti, ut duplum pondus sit apud utrumque autorem terebinthinę ad ceram. Cęterum quod ad finem addit. Hoc pharmacum duplicem aspectum uidentib. exhibet: in græco dicit διπρόσωπόν ἐστι, quod unde contingat alio loco indicaui.

De excoriatorijs Lichenum.] In hoc primo excoriatorio medicamento græcum exemplar ualde est corruptum. Verum ex Aetio qui idem tradit, adiuti, omnia in integrum restituimus: uelut ex translatione nostra collaturis eam cum græco exemplari palàm apparebit. Nam singula adscribere maioris tędij quam utilitatis esset. Quæ uero alicuius momenti sunt non præteribo. Velut est quod κανθαρίδων κοιλιδίων δραχ. ας legit pro τῶν κοιλιῶν δραχ. ας. nisi diminutiua uoce κοιλίδιον dictum accipiamus. Nam uentres cantharidum accipiendos esse palam est ex eo quod Aetius hoc loco κανθαρίδων χωρὶς πτερῶν καὶ ποδῶν habet: sed adhuc clarius ex sequenti Apij Phasci excoriatorio redditur, in quo Aetius palam κανθαρίδων τῆς κοιλίας habet, & lectio in Gal. exemplari rursus corrupta est, nam κανθαρίδος τῆς κοίλης legitur. At uero cantharidum uentres solos accipiendos esse, reiectis uidelicet pedibus & alis, tanquam hic incommodis, utrinque recte legitur. quanquam recte Galenus lib. 11. simp. phar. se in pharmaca ad scabros ungues, & ad psoras ac lepras destinata, totas cantharidas inijcere fateatur: & hoc felici in his malis successu: imò non in eiusmodi tantum erosiuas & ustorias compositiones integras cantharidas se inijcere dicat, sed etiam in medicamenta urinam cientia, in quę alij corpus tantum, alij pedes ac alas solum coniicere solent, utrique ex Hipp. sententia ad suam opinionem inducti. Sunt autem Hipp. uerba hęc lib. 4. de dieta acut. πῶμα ὑδρωπιῶντι, κανθαρίδας τρεῖς ἀφελὼν τὴν κεφαλὴν ἑκάστης, καὶ πόδας, καὶ πτερὰ, τρίψας ἐν τρισὶ κυάθοις ὕδατος τὰ σώματα. His itaque uerbis confisum quendam medicum, corpora cantharidum hydropico cuidam bibenda dedisse Gal. ait, sed nihilominus ægrum mortuum esse. Cum uero idem medicus à quodam alio medico admonitus esset, Hippocratem iubere his uerbis, non corpora seu uentres, sed alas, caput ac pedes, in potu præbendas esse, rursus alteri hydropico ille audaculus medicus has partes bibendas dedit, ęgrumque similiter interfecit: ut non tutum sit aut uentres, aut has partes in potu exhibere, nisi medicamento alicui urinam cienti immixtas

mixtas

mixtas. Sic enim Cossinũ equitẽ Romanũ medicus ex Aegypto uocatus interemit, ut Plin. 29. cap. 4. tradit. Sunt tamen qui etiã hodie quodã alatorũ uermium genus, nigricãtis cum uirore coloris, ex scarabeorũ ut equidẽ puto gente, nõ minus certe q̃ ipsæ cantharides ueneno sum, tum hydropicis, tũ quibusuis in omni febriũ specie propinẽt. Appellationẽ aũt uulgo à uerno tẽpore, quo maxime apparet, habet, uernaliũ uermiculorũ. Cæterũ mixtura siue totarum cantharidũ ut Galen. se usum esse testatur, siue uentriũ solorũ, uelut hic in Pamphili excoriatorio habetur, minoris periculi est, imò certæ salutis in his morbis, quemdmodum Gal. tum hoc loco, tũ ii. simp. phar. lib. palàm asserit. Videntur aũt partes illæ pro pterea fuisse à quibusdã à corpore auulsæ, quod priuatim cõtra accepta cantharidum corpora auxilio sint, uelut Gal. eodẽ loco, & Diosc. itemq́ Aetius 13. cap. 49 testatur. Quin & Plin. cũ alibi, tum lib. 11. ca. 35. ubi ait. Venenũ hoc remedia secũ habet, alæ medẽtur, quibus dẽptis lethale est. Quãdo enim hoc præstãt, suspicio nẽ exhibẽt de se ne simul cũ corpore admixtæ illius uenenũ perimãt, aut certe minus efficax & inualidũ reddant. Quare eas partes etiã alibi Hipp. abijcit, uelut in lib. περὶ γυναικείης φύσιος, ubi sic ait. ἢν δὲ ὕστερον τῶν λυμιοισιν, ἢν μὲν αἷμα καταῤῥαγῇ, εἰ δὲ μὴ, πινέτω κανθαρίδας τέσσαρας ἀποκόψασα τοὺς πόδας, καὶ τὰ πτερὰ, καὶ τὴν κεφαλήν.

Cõpositio Menecratis quæ propter excoriatoriũ appellatur.] Hoc emplastrũ διὰ τῆς ἐκδορῆς, hoc est propter excoriatoriũ appellatũ est, propterea q̃d corpora præparet ad successuras excoriatoriorũ impositiones, tum squamas auferendo, tũ partes attenuãdo ac solidas reddendo, quo illa uim suã efficacius exerceãt, & partes ipsæ munitæ eandẽ patientius sufferre queãt. Iubet aũt cocturã liquescibilium in eo fieri ad splendidũ ignem donec nõ inquinent, hoc est μέχρις ἀμολύντου, hoc est donec pharmacũ aliquo modo spissetur, ut neq; manibus contactum hæreat, neq; uasa amplius inquinet, quibus effusum excipitur, neq; in frigidã aquã instillatũ diffluat, & paulo minus sit q̃ aridũ ac siccum. atq; hanc ἀμολύντου συστάσεως significationẽ esse, Gal. ipse declarat lib. 2. ad Glauconem, ubi de suo emplastro quod cõpage quidẽ liquidũ est, facultate aũt siccum, ait. ἄμεινον δ᾽ ἐν πεῖρᾳ γνῶναι ἐπιφανῶς αὐτὸ περὶ τὰς τοιαύτας διαθέσεις, ὅταν μὴ πάνυ τι σκληρὸν ᾖ, μηδ᾽ ἀκριβῶς ἀμόλυντον. hoc est, expertus sum efficacius id esse in huiusmodi affectionibus, cum neq; ualde durũ fuerit, neq; exacte cõpagem non inquinantẽ habuerit: & primo περὶ σκευῆς. ἡ δὲ ἕψησις εὔδηλος ἀπ᾽ ἀρχῆς μὲν ἑψομένων τῶν μεταλλικῶν ἐν ἡλίῳ μέχρι τοῦ γενέσθαι τελέως ἀμόλυντον, ἢ καὶ βραχὺ σκληρότερον, ut penitus nõ inquinet, aut etiã paulo durius euadat. Et ad hãc compagẽ etiam hodie coquũtur emplastra citrinũ, fuscum ac gryseum uulgo appellata: atq; ita coquere iubet Paulus emplastra uulneraria & cruentis uulneribus destinata, quæ ipse τραυματικὰ & ἔναιμα appellat. Neq; uero solũ emplastrorũ coctura ἀμόλυντος fieri cõsueuit, sed etiã arteriacarũ cõpositionũ, præsertim quę terebinthinã, tragacanthãq; & gũmi, itemq; mel recipiũt. Sic infra lib. 7. in Aromatica Mithridatis ĩquit. ἕψε μέλι, ῥητίνην, ὥστε ὁλκιμον γενέσθαι καὶ ἰνώδες καὶ ἀμόλυντον ἐνσταζόμενον εἰς ὕδωρ ψυχρόν. Et Aetius 8. cap. 51. τὸ κόμμι καὶ τὸ τραγάκανθον μετὰ τοῦ ἑψήματος μέχρι διαλύσεως λείωσον, εἶτα ἕψε ἕως μὴ μολύνῃ ἐνσταζόμενον ἐπ᾽ ὄστρακον.

In cap. VIII de dentiũ affectionibus.

Communis ferè omnium physicorũ doctrina est, ossa omnia sensus expertia esse, atq; ob id dolorẽ non percipere, quemadmodũ etiã cerebrũ, ac medullam, omneq́ in corpore adipẽ sensu carere. Quare pro ossiũ ratione, etiã dentes dolorẽ non sentire cõsequens est, aut si dolorẽ omnino perceptẽt, id nerui ad radicẽ dentis substrati gratia euenire, ut soli dentes inter omnia ossa dolore afficiantur, uelut Aetius 8. cap. 19. aperte testatur. At uero Gal. hoc loco ex suo illustri experimẽto asserit etiã dentes dolore affici, aliquãdo citra gingiuarũ, citraq; nerui eis

ui eis substrati affectionē, ita ut affectũ pulsatilem inflãmationi similē dentes sustineãt, uelut carnosæ partes. Potest tamen & gingiuarũ, & nerui dolor, imaginationem dolētis dentis exhibere, cuius exemplũ nobis proponit dolorē in neruo inflãmato restantē, exempto etiã iam dente. Verũ exemplaris græci lectio corrupta est, quã iuxta nostram uersionē sic restituendã puto, καὶ μὴν καὶ τοῦ κατεφυαμένου νεύρου τῇ ῥίζῃ τοῦ ὀδόντος ὀδύνην γίνεσθαι, ποτὲ τοῦ νεύρου φαντασίαν συγκεχυμένην καὶ ἀδιάρθρωτον τοῖς πολλοῖς φέροντος, ὡς αὐτοῦ ὀδόντος ἀλγοῦντος, εὔλογόν ἐστι. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο σαφῶς ᾐσθόμην συμβάντος μοι, καί τινος διαμένει ἔτι μέρος μικρὸν τῆς ὀδύνης ἐξαιρεθέντος τοῦ ὀδόντος, ἐπὶ τῇ τοῦ νεύρου φλεγμονῇ, κουφιζομένου μόνον ἐκ τοῦ μηκέτι τείνεσθαι ἢ πρὸς τὸ τεῖνον ὀστοῦν συμφύσεως, καὶ ἐλευθερωθὲν ἀναπνοήν τέ τινα χεῖν, καὶ τῶν προσφερομένων ἰαμάτων ψαύειν. &c. Colligit ergo cõsequēter Gal. in summa, dētes duabus affectionibus obnoxios esse, & his inter se cõtrarijs, indigētiæ uidelicet, & redundantiæ alimēti, quod ad eos deferẽ. Ex indigētia itaq; arefiunt & attenuanẽ, & cõsequenter laxanẽ, ac mobiles reddunẽ, atq; id malũ immedicabile eis cõtingit. Ex redundantia uero alimēti similis inflãmationi in carnosis partibus affectio in dentibus excitaẽ, similiter item curãda. Quod si acrior humorũ in eos sit influxus, ijdē etoduntur ac perforanẽ, aliquãdo etiã liuescunt: quorũ omnium curatio per localia auxilia resiccãtia contingit, si paucus sit humorũ influxus: si uero multus, etiã capitis & reliqui corporis rationem habere expedierit, quemadmodũ Gal. clara & perspicua doctrina refert, ut nõ opus sit lõgiore nostra cõmentatione: Nisi quod in similitudine perforationis dētiũ ad ulcera in cute, pro eo quod uerti: uerũ in cute id assidue & multis, in ossibus raro cõtingit, in græco exēplari legitur, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνοις μὲν συνεχῶς καὶ πολλοῖς, ὧδε δὲ ὀστῶν σπανιάκις. Nimirũ unius uerbi uitiata lectione. Pro ἐκείνοις enim legendũ est ἐκείνου, relatione ad δέρματος uocem factã. Porrò locellos dentiũ φάτνια appellat, hoc est capsulas seu præsepia, iuxta similitudinem quandã, sicut cõpagem & quasi conglutinationē eorundē ἐγγόμφωσιν uocat, hoc est cõsertionē. Cæterũ ἐγγόμφωσις hæc itemq; γόμφωσις, nihil aliud est q̃ quæ à Diosc. γομφίασις appellata est à uerbo γομφιάω, quod idē est quod γομφόω; hac uerbali forma facta, lib. 2. de cornu cerui. ἀφεψηθὲν ἢ μετ' ὄξους καὶ διακλυζόμενον παρηγορεῖ γομφιάσεις, hoc est feruefactũ cũ aceto & collutũ, dētium cõpagem mitigat, eã uidelicet quæ ex alimenti inopia laxior reddita est, adstringēdo. Nam hanc facultatē cornu ceruini esse in sequētibus frequenter habetur. Et Galen. 11. simp. phar. tũ ad splēdidos reddēdos dentes, tum ad gingiuas madore laxas coercendas ac cõstringēdas, cornu cerui itēq; capræ maxime ustũ prodesse testatur. Dentes aũt motos ac laxatos ob alimenti inopiã, non posse aliter opē ferre q̃ ex gingiuarũ confrictione Galen. hoc loco aperte docuit, ut certũ sit nõ esse aliã γομφιάσεως uocis apud Diosc. significationē, quanq; ut hoc ipsum clarius ex Diosc. uerbis appareat, legendũ suspicer προσστέλλει pro παρηγορεῖ, quod mihi ualde uerisimile fit in hac exemplariũ corruptione. Vt sensus sit, cornu ceruinũ aceto feruefactũ & collutũ dentiũ compagē adstringit. Neq; enim placet quod γομφιάσεις à dentitione molariũ dolores, interpretes ferè cõuerterunt. Hac enim significatione solũ pueris dentiētibus hoc pharmacũ commodũ esset, qui tamen ob ætatem collutione hac uti nõ possunt, imò neq; ferũt. Quare γομφιάσεις nõ sunt dolores à dentitione molariũ, sed ueluti dixi γομφώσεις, id est dentium compages, & quasi commissuræ. Aut si quis omnino γόμφωσιν & γομφίασιν distinguere uelit, γομφίασις idem est quod γομφιασμός, hoc est, ut Hesychius exponit συνθλασμός, ἢ σύντριμμα, ἢ αἱμωδιασμός, id est cõfractio aut fragor aut contritio aut stridor dentium, quæ significatio itidem Dioscoridi bonam sententiã exhibet, ut cornu ceruinum aceto feruefactum ac collutum dentium fragorem ac stridorem leniat.

Et uide-

Et uidetur tamen etiam fragor ac stridor dentium, nihil aliud quàm leue quoddam laxamentũ compagisq; dentium cõcussio esse. Plinius utranq; sententiam simul expressit lib.28.cap.11. Dentes mobiles inquit, confirmat ceruini cornus cinis, dolorESq; eorum mitigat, siue infricentur siue colluantur.

In caput IX de gingiuarum curatione.

QVum uicinæ sint gingiuarum affectiones dentium affectibus, similiaq; ferè auxilia utraq; pars sibi commoda sentiat, uelut infra in titulo de gingiuarum doloribus aperte uidere est: Galenus mox etiam post dentes de ipsarum curatione subiũgit, & postea rursus ad dentium tractationẽ redit, donec ad titulum de doloribus gingiuarum perueniat, in quo paucis auxilijs ad gingiuas relatis, mox iterum de dentibus repetit, ut possit alicui hic ordo perturbatus uideri, maxime quum uetus interpres hęc omnia de gingiuis seorsim ad finem totius libri, post absolutam de dentibus tractationem habeat: nisi uicinitas affectionũ & auxiliorum faceret, ut integrum hunc ordinem esse credam. Cæterum inflammatis gingiuis dolentibus, Galenus hoc loco commodissimũ pharmacum oleum lentiscinum recens calidum ore detentũ esse tradit, insuperq; modum calfaciẽdi eiusdem docet in duplici uase, quo nihil etiam hodie myropolijs familiarius est. Vocatur autem à Galeno frequenter, itemq; reliquis græcis medicis διπλωμα, aliquando etiam διπλοῦ ἀγγείου, & διπλοῦ σκεύους, de quo ut non dubitemus quale sit hodie, uel olim fuerit, ex hoc loco euidẽtissime docemur. Nam diplomatis significationem aperte declarat his uerbis. ἐνιστάσθω δὲ τὸ ἀγγεῖον ἐν ᾧ θερμαίνεται τὸ σχίνινον, ἑτέρῳ μείζονι, θερμὸν ἱκανῶς ὕδωρ ἔχοντι. Sed idem apertius adhuc infra lib.7 in arteriacis Critonis facit, ubi omnes arteriacas mitigatorias & cõcoctorias in duplici uase coquere iubet, nimirum ut uas quod pharmaca habeat, in aliud uas siue lebetem aqua plenum imponatur, quod ipsum sit prunis impositum: sed adscribam etiã ipsa Galeni uerba, quo magis cognoscatur error Dioscoridis interpretum, qui quid diploma illi significaret, ex æquo omnes ignorauerũt. οὕτω μὲν ἐνταῦθα προσέθηκεν μόνον τὸ ἐν διπλώματι, κάλλιστα δ' ἄν τις ποιεῖ αὐτὰς ἁπάσας τὰς ἀρτηριακὰς, ὅσαι τὸ παρηγορικὸν, καὶ πεπτικὸν, καὶ πραϋντικὸν ἔχειν ἐπαγγέλλονται, διὰ διπλώματος ἕψων, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' ἀγγείου διπλοῦ, καθὰ τὸ οἱ μυρεψοὶ τὰ μῦρα σκευάζουσιν, εἰς μέγαν τινὰ λέβητα θερμὸν ὕδωρ ἐγχέοντες, δεύτερον ἐνιστάντες τὸ ἔχον ἐν αὐτῷ τὸ ἑψόμενον φάρμακον, εἶτα προδιακεκαυμένοις ἄνθραξιν ἢ ξύλοις ἀκάπνοις ὑποκαίοντες. Hæc Galen. At uero Diosc. lib.2. de curãda medulla, ἔπειτα ἐν διπλώματι τακὲς, hoc est postea in duplici uase liquefacta, habet, sed Hermolaus in dupondiario uase uertit, tanquã tale διπλώματος uox significaret. Marcellus autem grammaticus planè Dioscoridis interpres, & in hac arte non satis etiam detritus, Hermolaũ reprehendit ob id quod nulla necessitate ad uasculi mensuram respexerit, quum tamen etiã ipse quid sit διπλωμα ignoret, & uasis quidem esse genus, ignotam uero nostra ætate eius formam & nominis rationem dicat, quum nihil notius officinis & medicis hodie, uelut dixi existat. Duplum enim uas omnes pharmacopolæ norũt, quod non aliud est quàm quod διπλωμα græci medici dicunt. Sed ille ut Dioscoridem rarissime, sic Paulum quem unicum sæpissime citat, nõ multo pluries intelligit. Nam si locum lib.1.cap.83. à se ex Paulo citatum intellexisset, facile de uasis duplicitate diuinasset, in quo oua cruda garo uinoq; ac oleo subacta modice condensarẽtur, πνικτὰ id est suffocata inde appellata. ταῦτα δὲ γίνεται inquit Paulus, ὠὰ δευθέντα ὠμὰ μετὰ γάρου καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου, καὶ ἐν διπλώμασι συμμέτρως πηγνύμενα. Verũ Galenus libro tertio de alimentis clarissime docet, quomodo πνικτὰ oua fiant, cuius uerba ut Pauli locum declarantia nõ pigebit adscribere. πνικτὰ δὲ inquit σκευάζονται τὸνδε τὸν τρόπον, ἀναδεύσαντες αὐτὰ μετ' ἐλαίου καὶ γάρου, καὶ οἴνου βραχέος, ἐν

χέος, ἐντιθέασι τὸ ἀγγεῖον ὕδωρ ἔχον ἢ κακάβη θερμὸν, εἶτα πωμάσαντες ἄνωθεν ὅλην αὐτὴν ὑποκαίουσι μέχρις ἂν συστάσεως μετρίας, &c. Hactenus Galen. ex quo abunde ostenditur duplum uas esse διπλῶμα, altero uidelicet in alterum locato, quod etiam ab eodem. 4. lib. ὑγιεινῶν abunde declaratur. Reliqui græcorum medicorum interpretes diploma etiam latinis conuertunt, quemadmodum sane etiam ego tum in Galeno, tum in Aetio aliquoties feci, aliquando tamen conduplicatum uasculum reddidi, Sed in Aetio. 8. cap. 20. & 44. conduplicato linteolo, pro conduplicato uasculo typographus expressit, de quo admonere obiter uolui, ut locum studiosi emendent, neque nobis errorem adscribant, quum sit linteolum tum simplex, tum duplicatum, ad calfaciendum in ipso oleum penitus ineptum. Plinius duplicia uasa διπλώματα dixit, 13. cap. 2. de ungentis. Sol inquit, inimicus his quamobrem in umbra coquuntur duplicibus uasis. sed locus per aliquem semidoctum temere, sicut plerique alij corruptus est, qui plumbeis pro duplicibus à se non intellectis supposuit: quum plumbea uasa ad ungenta coquenda sint inepta, & ungentarios duplicibus ad ungentorũ præparationem uasis uti, ex Galeni loco lib. huius operis septimi supra citato, didicerimus.

Eodẽ modo utere pentaphyllii siue quinquefolij, quæ ab aliquibus Eupatorium dicitur, radice.] pentaphylli radicis decoctum dentium dolores sedare in ore detentum etiam Dioscor. tradidit. Verum eam herbam Eupatoriũ item dici, nemo alius, quod sciam, tradit, præter Archigenem hoc loco. Dioscorides folia quidem Eupatorij herbæ in quinque aut plures fissuras diuisa esse tradit, ad similitudinem pentaphylli aut magis cãnabis, unde fortassis quondam utraque est pentaphyllon appellata. At uero Eupatorij herbę radicis neque Galenus, neque Paulus, neque Plin. neque Dioscorides mentionem fecerũt, hic tamen continenter tum de Eupatorio, tum de pentaphyllo libro. 4. scripsit, ut non siralia radix quàm ipsius ueri pentaphylli accipienda. Sequitur non longe post medicamentum, Aut halicacabi corticis, & tedæ aceto feruefactæ decocto large incocto colluito. Sed in græco exemplari corrupta est lectio hoc modo. ἢ ἁλικακάβου φλοιοῦ, ἢ δᾳδὸς ἐναποζεσθησομένου ὄξει, διακλύζου ὑπὸ πολὺ ἐψηθείσης ἀφεψήματι. quam ego sic puto restituendam, uelut etiam conuerti. ἢ ἁλικακάβου φλοιοῦ, καὶ δᾳδὸς ἐναποζεσμένου ὄξει, διακλύζε ὑπὸ πολὺ ἑψηθέντι ἀφεψήματι. Paulò ante etiam corrupte legitur, καὶ εἰς τὸν ξέστην τοῦ ὄξους βαλών. pro quo ego legi ac conuerti, καὶ εἰς ζεστὸν ὄξος βαλών. Non longe post legitur. καὶ κουφίζει τὸν τόπον, pro quo lego ac reddidi, κουφίζει τὸν πόνον. Sequitur deinceps medicamentum. Aut sycamini, id est, mori arboris lac in uinum infunde, &c. quod in græco habetur, ἢ συκαμίνου τουτέστι μωρέας γάλα εἰς οἶνον ἐγχέας, &c. Vocat autẽ γάλα, id est, lac, succum qui ex radice arboris mori circumfossa & incisa colligitur, uelut Dioscor. lib. 1. testatur. ὀπίζεται δὲ inquit, περὶ τὸν πυραμητὸν τῆς ῥίζης περιορυχθείσης καὶ ἐγκοπείσης, εὑρίσκεται γὰρ τῇ ὑστεραίᾳ ἐπίπαγός τις, ὃς πρὸς ὀδονταλγίας ποιεῖ. De eodem etiam Plin. 16. cap. 38. ait. Mirum hic in moro medicis succum quærentibus ferè hora diei, secunda, lapide incussus manat, altius fractus siccus uidetur. Sed hæc uerba Plinij, Dioscorides non de moro arbore sed de sycomoro habet, quæ omnino alia est, & in Aegypto nascitur, uelut alibi ostendi. At uero sycomori arboris succum hic non debere accipi ex eo declaratur, quod συκαμίνου, τουτέστι μωρέας, ipse Galenus exponit, atque id propterea quod & mori, & sycomori arbor & fructus συκάμινον appelletur. Cæterum Cels. lib. 3. cap. 18. mori lachrymam ignorasse uidetur, cuius uerba studiosis expendenda adscribam. Alij uel amomum, uel sycamini lachrymã fronti inducunt. Hoc nomẽ apud medicos reperio, sed quũ Græci morũ συκάμινον appellãt mori nulla lachryma est, sic uero significatur lachryma arboris in Aegypto nascẽtis, quã ibi συκόμωρον appellant.

O Apollonij

Apollonij e uestigio dolores sedat.] In hoc medicamento Myrti ramulos longitudinis duorum palmorum duos Apollonius habet, hoc est, μυρσίνης κλωνία δύο παλαιστὰ δύο. Est enim δίπαλαιστον, τὸ δύο παλαιστὰς ἔχον, id est, quod duos palmos habet. Est autem παλαιστὴ mensura quatuor digitorum, quæ palmus paruus latinis appellatur. Nã magnus palmus σπιθαμὴ græcis est, habetq; digitos. XII. seu pollices nouem, hoc est, paruos palmos tres. Vocatur autem palmus magnus etiam δοχμὴ atque δῶρον græcis, ut Plinius. 35. cap. 14. testatur, ubi didoron lateris genus longũ sesquipede esse ait. Habet enim sesquipes omnino palmos magnos duos, qui & dodrantes dici possunt: ut sit dodrans in pede pollicũ nouem, siue digitorum XII. quemadmodũ unciæ nouem sunt dodrans libræ, hoc est tres partes eius in quaternas diuisæ. Sunt enim æque XII. pollices in pede Romano, sicut in libra XII. unciæ. Plinius 7. cap. 2. Super hos extrema in parte montium Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes. Est itaq; Spithame, & Dodrans, & palmus magnus, & Spansa uulgo à manus expansione dicta, eadem mensura. Vsurpantur autem etiam reliquæ libræ partes de pedis partibus, & primum omniũ uncia ipsa pro pollice uno reperitur, Sextãs pro duobus, Quadrãtes pro tribus, Triens pro quatuor, Quincunx pro quinq;. Sexunx pro sex. Septunx pro septem. Bes pro octo, dodrãs pro nouem. Dextans pro decem. Deunx pro undecim pollicibus, hoc est, pede integro cui deest unus pollex. Atq; ita accipiendi sunt loci aliquot apud latinos autores, Liuium, Plinium, Vitruuium, Gellium & reliquos. Plin. 21. cap. 18. de iunci generibus. Amplitudine iuxta maritimas alpes tanta, ut inciso uentre impleant pene unciarum latitudinem, hoc est, pollicum. Et 33. cap. 8. de coticula siue lapide Lydio. Sunt autẽ modici quaternas uncias longitudinis, binasq; latitudinis non excedentes, hoc est, longitudinis pollicum quatuor, latitudinis duorum. & 7. cap. 16. procerissimum hominem ætas nostra diuo Claudio principe Gabbarã nomine, ex Arabia aduectum, IX. pedum & totidem unciarũ uidit. At uero sicut apud latinos palmi uox iam pro quatuor digitorum mensura, iam pro XII. digitorum dicitur, Sic apud grecos, tum παλαιστὴ, tum σπιθαμὴ uoces, iam pro palmo paruo, iam pro magno reperiuntur: ut diligenti animaduersione opus sit, utrius mensuræ significatione singulis locis hæ uoces dicantur. Dioscor. de Chamedry, ἔστι δὲ μικρὸς σπιθαμιαῖος, hoc est, ut Hermolaus exponit, frutex quatuor digitorũ altitudine. σπιθαμὴν enim pro palmo paruo accepit. Qui accipiẽdus item apud Plinium est lib. 20. cap. 22. de serpillo. Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit, hoc est, altitudinem quatuor digitorum. Idem Dioscor. de Bechio. καυλὸν σπιθαμιαῖον ἔχει, hoc est, ut ego accipiendum existimo, caulem altitudine. IIII. digitorũ, hoc est, palmi parui quod uel ex sequentibus palàm fit, ubi ait, cito abijcere bechium & florem & caulem, ut quidam putarint herbam & caule & flore carere: Nam hoc sane etiam Plinius prodidit: quod ipsum omnino fieri nõ posset, si σπιθαμιαῖον καυλὸν altitudinis XII. digitorum, hoc est, palmi magni accipiamus, Neq; enim tanta altitudo tam cito euanescat. Atque hi quidem loci suffecerint ad indicandum saltem spithamen grecis etiam pro palmo paruo accipi. Nam pro magno frequẽtius est quàm ut paucis locis productis ostendere libeat, & ex Plinij uerbis supra citatis palàm est. Et ex loco de tripolio lib. 26. cap. 7. aperte declaratur, ubi καυλὸς σπιθαμιαῖος à Dioscoride dictum, caule palmo alto tripolium esse scripsit. deest tamen in exemplaribus uulgatis uox caule, ex incuria elapsa. De palæste deinceps uideamus quæ occasione dedit nobis hæc prodendi, quum διπάλαιστα κλωνία δύο μυρσίνης hoc loco Apollonius accipere iubeat. Videt itaq; παλαιστὴν hic pro altitudine quatuor digitorũ, hoc est, pro palmo paruo dixisse, re

liquarum

liquarum rerum ponderis ac copiæ respectu, thuris uidelicet obolorum trium, & allij nucleorum quinque. possunt enim facile ex tantillis ramulis folia decerpi ad illorum copiam æquandam, & nimia esset copia foliorum myrti ex ramis longitudinis sesquipedis: tantum enim duo, palmi magni siue dodrantes duo efficiunt ut supra ostendi; decerptorum. Atque hæc significatio παλαιστῆς pro altitudine. IIII. digitorum frequentissima est. Sic Aetius 13. cap. 33. de basilisco. ἔστι τὸ ζῶον μεγέθος δὲ παλαιστῶν τριῶν, id est, magnitudine palmorum trium, Plinius enim 8. cap. 21. duodecim nõ amplius digitorum magnitudine tradit. Verũ idem Aetius eiusdem libri cap. 21. de uipera. μέγεθος δὲ inquit, πήχεως, ἡ δὲ μεγίστη παλαιστῶν τριῶν, hoc est, magnitudine cubitali, longissima uero tres palmos æquat: quo sane loco παλαιστὴ non pro palmo paruo accipi potest, quum tres ex ipsis tres tãtum pedis quartas constituant, nedũ cubitũ excedant, qui sesquipedis est. Accipiẽdus itaque certè est per παλαιστὴν palmus magnus, qui ter acceptus, sesquicubitum efficit: atque sic accipiendũ etiam uidetur quod idem eiusdẽ libri cap. 23. hæmorrhũ & hæmorrhoidem, μεγέθος παλαιστῶν τριῶν dixit, hoc est, palmorũ trium, magnorũ scilicet. Quare perspicuũ est palæsten aliquando pro paruo palmo, aliquando pro magno græcis dici. Porrò dodrantis uoce tres quidẽ quartæ partes libræ, & assis, itemque pedis significantur, Verũ non horum solum ponderũ ac mensurarum, sed cuiusque rei mensurabilis, itemque mensuræ: sicut etiam cubiti, orgyæ, iugeri, itemque sextarij: tres quartæ partes dodrans appellantur. quomodo accipiẽdum est quod Liuius lib. VIII. ab Vrbe cõdita ait. Latium Capuaque agro mulctati. Latinus ager priuernati addito agro, & falernus qui populi Campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ diuidũtur, bina in Latio iugera, ita ut dodrantem ex priuernati complerent data. Terna in falerno quadrantibus etiã pro longinquitate adiectis. Hactenus Liuius. Dodrantẽ itaque hoc loco dixit tres quartas partes iugeri, sicut quadrantem unam quartã partem. Ad eundem sane modum etiam reliquæ libræ partes usurpantur, uelut apud Scribon. cap. 126. legitur, bes sextarij, hoc est, duæ tertiæ partes, id est, cyathi octo, & uini quadrans apud Cels. 3. cap. 15. non pro quadrante libræ, sed item sextarij, hoc est, pro cyathis tribus: quanque & pro libræ quadrante accipi posset, si librã eiusque partes mensurales accipiamus, & hoc utique modo quadrãtes, quincunces, deunces que ac besses, apud poetã Martialem accipere quis posset, nisi ipse exponeret satis manifeste, neque de mensuralibus, neque de põderalibus uncijs se dicere, sed de cyathi partibus, quum æque duodecim cyathi in sextarium, sicut XII. unciæ in libram incurrant. Martia. lib. XI. Quincũces, & sex cyathos bessemque bibamus, Caius ut fiat, Iulius, & Proculus. Cæterum quãdo in pedis mentionem incidimus, obiter explicabimus & Gellij locum lib. 3. cap. 10. ubi ait: Herodotus homo fabulator in primo historiarũ inuentum esse sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habẽs septem, quæ faciunt pedes. XII. & quadrãtem. Facit enim Gellius cubitũ non sesquipedis, hoc est, digitorum XXIIII. aut pollicũ. XVIII. sed sesquipedis & quadrantis, hoc est, pollicum XXI. aut pedis unius itemque unius palmi magni siue dodrantis.

Aut Araneorum oua ungento Nardino diluta inde.] Plinius lib. 11. cap. 24. Aranei inquit conueniunt clunibus, pariunt uermiculos ouis similes: & mox: pariunt autem oua ea in telas expansa, quia saliunt, atque ita emittũt. De his itaque ouis uidetur hic mentionem facere Archigenes ad magnos dentium dolores commodis, quod ob naturalem quandam ἀντιπάθειαν euenire uerisimile est. Sequitur paulò post. Porrò ubi ueluti inflãmatione correpti fuerint, nitrum rubrum & ossium persiorum nucleũ unita resina excipe, &c. Dixi autem nucleũ ossium persiorum quod Archigenes ait; περσίων ὀστῶν τὸ ἐντός. Ex eodem uero etiam inferius paulò

auxiliũ ad gingiuas cruentatas habet, ubi in græco exemplari habetur συμφθέντων δὲ μέλιτι χρίε. ἢ περσίων τῶν μαχαιρείων μέρη δύο. σμύρνης μέρος ἕν. Sed legendum est, περσίων τῶν μαχαιρείων τῶν ὀστῶν μέρη δύο. uelut ego cõuerti. Aut nucleorũ ossium siue machærarum persiorum partes duas, &c. Appellauit autem ossa ea postremo loco μαχαίρια, à similitudine ad machæram, quod uidelicet sint ad gladij formã mucronata. Opinor autẽ non ex persicorum malorũ fructu nucleum Archigenẽ hic indicare, sed ex persio appellato pomo, de quo alibi memini quale esset, & cuius arboris folia idem Archigenes ad capitis dolorem cõmoda prodidit cum myrrha & semine uiticis, ut Galen. lib. 2. huius operis retulit, ubi etiam ipse Galen. diuersum esse pomũ persium à persico dixit: quanquam uelut tum etiam indicaui, pleriquam eandem esse arborẽ putãt perseam ac persicam appellatã: in quorum numero & Nicander, & eius interpres habendi uidentur. Quod si quis tamen etiam persicorum ossium nucleũ in hunc usum assumere uelit, habet eius rei faciendæ largam copiam, successum autẽ experimento discet. Ex græcis uero & latinis medicis nullum alium scio qui huius auxilij ad dentes meminisset, ut non sit quod de eo affirmare inexpertus ipse possim. Persicorũ quidem nucleos ex aceto & oleo capitis doloribus illini debere Plin. 23. cap. 7. tradidit, & Dioscor. ac Paulus eosdẽ contra cerusam acceptã exhibent, quanquam Nicander perseæ nuces contra cerusam probet, ut uel ex hoc perseã & persicam eandẽ putasse cognoscatur, uel certe pro περσικῶν ὀστᾶ apud Dioscor. & Paulum, legendũ est itidem uelut apud Nicandrũ περσίων ὀστᾶ, quemadmodũ etiam hoc loco eadem habentur, quod tamen in tanta exemplariũ concordia asseuerare non ausim, & hoc quũ non minor ad contrariam partem suspicio existat, nimirum quod etiã hic, uelut apud Dioscor. & Paulum, περσικῶν ὀστέων τὸ ἔντος legendũ esse uideri queat, & persicorũ nuclei accipiendi uulgo noti, non persiorum ex Aegypto fructus nobis peregrini. maxime quum περσαίων uox quæ hoc loco bis in exemplari græco legitur, tum pro περσίων, tum pro περσικῶν. uoce suppostitia esse possit.

Aut blattæ pistrinariæ auulso capite adipẽ cum rosaceo calefactũ, & in aurem instilla, & in cauernam inde.] Hic locus in græco exẽplari longe corruptissimus est, & tamen non aliam esse sententiã quàm eam quã reddidi constantissime sentio, ex Aetio maxime itemque Plinio ad eam ipsam apprehendendam persuasus, ex quibus etiam restituendã lectionẽ puto, hoc modo. ἢ σίλφης τῆς κεφαλῆς δεδεσης τὸ στέαρ σὺν ῥοδίνῳ θερμάνας ἔσταζε τὸ οὖς ἔνσταζε, ἢ εἰς τὸ βρῶμα ἐντίθει. Legitur autem corrupte hoc modo. ἢ σίλφης βδελεύσης τηρεῖ σὺν ῥοδίνῳ θερμάνας, &c. ex quibus uerbis ego nullã sententiã eruere possum, Lectionẽ itaque uelut dixi mutatã restituẽdam eius loco censeo. Plin. enim lib. 29. cap. ult. idem remedium non ad erosos dentes, uelut hoc loco Archigenes, sed ad aures tradit his uerbis. Est & quædã pinguitudo blattæ si caput euellatur, hanc tritã unà cum rosaceo auribus mire prodesse dicunt, &c. Apud Aetium autẽ. 8. cap. 33. itidem recẽsetur corrupte hoc medicamentum, sed tamẽ paulò integrius hoc modo, σίλφης τῆς καρπινιδίου τῆς βδελεύσης τὸ στέαρ σὺν ῥοδίνῳ τήξας ἔνσταζε εἰς τὸ οὖς, hoc est, ut ego cõuerti. Idẽ præstat blattæ domesticæ capite detracto adeps cũ rosaceo liquefactus ac auri instillatus. Itaque tum in Aetio, tum in Galeno, σίλφης βδελεύσης legitur, obscura & diu nobis pensitata uocis βδελεύσης significatione, donec in eam sententiã peruenerimus, ut βδελεύσης uocẽ corruptam & pro κεφαλῆς δελεύσης suppostitiã esse putemus, atque id uitiũ ex decurtata harũ uocũ scriptura contigisse, Nimirũ κεφαλῆς uoce per solam. κ. literã expressa & δεούσης uoce adiecta, quæ postea per ignorantiã exscribentiũ simul coaluerit, & in βδελεύσης transierit, quæ uox quum nihil significare uideretur, mox. κ. literam in. β. mutata est, & βδελεύσης uox tanquam aliquid significans successit, ab aliquo

uidelicet

uidelicet locum emendare uolente substituta: quanquã eius significatio nihil huc pertinens habeat. βδέω enim pedo significat, quod nihil ad blattam facit. Quare omnino corruptã eo quo dixi modo lectionem suspicatus sum, & iam constanter credo, maxime quum Plinius loco supra citato bis dicat, primum, blattæ si caput euellatur, & paulò post. has capite detracto attritas, lepras sanasse, &c. Erat quidẽ suspicio κοπτούσης pro βδεούσης legendum esse, sed nec eius uocis significatio blattę cõuenire uidetur. Si enim σίλφης κοπτούσης, blattæ irascẽtis uel ad iram irritatæ, uertamus, haud scio an rectè accipiamus eam quę sit uarijs modis agitata & irritata. Quin & tertia suspicio erat, σίλφης κόταρ ὄσης uel ἐχούσης uidelicet legẽdum esse, ut esset ea quã Plin. eodẽ loco dixit exacuta clune. κόταρ enim acutum significat, sed his utrisq; suspicionibus relictis, illam primam apprehendendam censeo, ut βδεούσης uox pro κεφαλῆς δεούσης sit supposititia, eo quo dixi modo, errore propagato. Hæc enim omnium uerisimilima mihi apparet quam etiam retcturus sum donec certius cognouerõ quæ σίλφαι βδέουσαι græcis medicis dicantur, Nam & Paulus lib. 7. in ἀντιβαλλομένοις, ἀντὶ βουπρήστεως, σίλφαι βδέουσαι habet, ut βδέουσαι quasi βδέλλουσαι & τρέμουσαι dictę uideri queãt. βδέλλων enim Hesychius βρέμων ἢ βδέων exponit. Porrò idem Plinius eodem loco tria blattarum genera recenset, Molles, Mylœcos, hoc est, pistrinarias, & tertium genus tetri odoris, & in primorũ duorum usu, capitis detrahẽdi meminit, tertio pedes etiã ac pennas detrahit, ut quod sit alatum. Verum lib. 11. cap. 28. tenebrarum alumna blattis uita, inquit, lucemq; fugiunt, in balneis maxime humido uapore prognatæ, Dioscor. lib. 2. blattæ pistrinariæ interanea oleo trita aut cocta ad auriũ dolores sedandos instillãda probat, fortassis per interanea, hoc est, τὰ ἐντὸς, nihil aliud indicãs quàm quod Archigenes hoc loco, & Aetius uelut citaui, τὸ στέαρ appellant, & quod Plinius pinguitudinem quandam dixit. At uero Marcellus medicus cap. 9. non caput, sed pellem blattæ seu gliri detrahẽdam, eiusq; intestina melle decoquenda dicit, & blattam eandem cum glire facere uidetur, cuius rei fidem apud autorem relinquo. Apud Plinium certe loco suprà citato, de glire eadem uerba leguntur. blattæ autẽ tum non simul meminit, sed postea, uelut antea citaui. Cæterum quæ uulgo medicorum Arabica aut certè barbara uoce, blattæ Byzantiæ appellantur, nihil cum his blattarum generibus commune habẽt, Sunt enim Blattæ Byzantiæ testæ cuiusdam generis conchyliorum non dissimilis purpuris, Sed quod in India solum reperitur Dioscor. lib. 2. teste, & aromaticum odorẽ habet, propterea quod nardo in paludibus isthic nascente ea conchylia pascãtur: appellatur autem ea testa ὄνυξ Dioscoridi. Galenus tamen eam inter ostraca ac testas purpurarum ac muricum generatim comprehendit, eorundem enim uim habet, & præterea suffita ab utero strangulatas fœminas, & comiciali apprehensos morbo excitat, quod tamen etiam de purpurarum testis Galen. XI. simp. pharm. tradit. Meminit eius onychis Plinius quoq; 22. cap. 2. quum ait. Inuenio apud quosdam ostracium, quod aliqui onychem uocant, hoc suffitum uuluæ pœnis mire resistere. At uero ab hac blattę barbara appellatione, blatteus color pro purpureo dictus est à flauio Vopisco in Aureliano, ubi inquit. Vestem holosericam neq; ipse in uestiario suo habuit, neq; alteri utendam dedit, & quum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, Ille respondit, absit ut auro fila pensentur, Libra enim auri tunc libra serici fuit. Plinius blatteum colorem onychinum dixit lib. 15. cap. 15. de piris. Alij à colore testacea appellant, sicut onychina purpura. Quemadmodum enim purpureus color à purpura, sic onychinus ab onyche, eodem significato dicitur. Sic quoq; Columella lib. 12. cap. 10. prima onychina, purpurea appellauit.

De fomentis.] Inter hæc fomẽta aliquoties lectio græca est corrupta, de qua

σίλφαι βδέ[illegible]

admonendũ duxi, uelut quod dixi. aut ricini cauliculũ eodẽ modo, aut staphidem agrestem stilo cuipiam acuto infixam eodem modo: in gręco exemplari habetur. ἢ κικίδος καυλὸν ὁμοίως, ἢ σταφίδα ἀγρίαν εἰς ὀξύ τι αὐτλῷ πήξας. Legendum est autem uelut manifeste apparet κικέως, hoc est ricini, quum κικίδος, id est, gallę nullus cauliculus extet, & Aetius. 8. cap. 33. κικέως expresse habeat, & sequens medicamentum aliis uerbis, sed eadem planè sententia tradat, ἢ σταφίδα ἀγρίαν γραφείῳ πήξας, hoc est, aut staphidem syluestrem stilo seu scalpello adaptatam uel infixam. Sequuntur mox pharmaca quibus dens tolli possit, siquidem his fomentis adhibitis dolor non quiescat. Non esse autem ad dentes extrahẽdos festinandũ, omnes medici ex æquo pręcipiunt, quum etiam exesus & corrosus, scalpro ea qua cauatus est parte detritus, reliqua sui parte solida, & usum & speciem dentis exhibere possit: atq; hoc est, quod Erasistratus scripsit plumbeum ὀδονταγωγόν, id est, forcipem extrahendis dentibus aptum, apud Delphos in Apollinis templo suspensum fuisse, in significationem, quod non oporteat nisi penitus exesos ac laxatos eximere, utpote quibus tollendis plumbeus forceps sufficiat. Habentur autẽ hoc loco non ferrea instrumenta quibus dens exigatur, sed pharmaca quæ ita laxum faciant, ut digitis extrahi queat, Inter ea est plumbago trita cerato excepta, hoc est, μολύβδαινα, sed Aetius pro ea σανδαράχην haud scio an non rectius habet.

Ad dentes denigratos. Testam callainam assatã ac tritam dentibus affricato.] Testam Callainã, quam hic Apollonius ὄστρακον καλλαϊνὸν appellat, non aliã esse puto quam uasorum Callainorum, de quibus libro. I. huius operis, inter ea quæ pilos attenuant, Galenus mentionem fecit. Ita enim legi debere, me suspicari tum indicaui, & non τὰ μέλαινα, uelut exemplar uulgatum habet. Quemadmodum autem eo loco ad attenuandos pilos, Ita hic ad dentrifriciũ probãtur. An uero Callaina uasa ex Callai lapide facta fuerint, indeq; appellationem traxerint, ut libenter crediderim, ita non potest alicuius autoritate cõfirmari, quando hodie ignota Italiæ ac Romæ sint, quò tamen tempore Galeni fuisse aduecta ex Alexandria, ex Galeni loco iam citato apparet, & Alexandriotica uocata, patria ut palam est appellatione. Porrò si neq; hic Callainam testam uasorum Callainorũ accipiẽdam, neq; supra Callaina uasa legenda esse conuincamur, supra quidem τὰ λαῖνα pro τὰ καλλάϊνα, uelut ibidẽ diximus, legemus: Hoc uero loco Callainã testam ostreorum Callaici Oceani accipiemus, quando sanè tum ostreorum, tum fictilium uasorum testa, ὄστρακον gręcis appelletur, & Callaici ostrei testa nõ ineptum dentifricium exhibeat, quemadmodum etiam supra post Callaina uasa, purpurarum ac muricum, & aliorum ostreorum testæ ustæ, attenuandis pilis itidẽ ut illa aptæ produntur: quanquam si horum ostreorũ testę accipiendæ sunt, καλλαϊκὸν potius quam καλλαϊνὸν legendum erit, qui lapsus facile potuit contingere ob similitudinem characterum. Martialis. Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in aruis. & rursus, Callaicum mandas si quid ad Oceanum. Sequitur mox aliud medicamentum. Sal fossile melle subactum in testula torreto, hoc est, ἅλας ὀρυκτὸν μέλιτι φυράσας ὄπτησον ἐπ᾽ ὀστράκῳ, ut Aetius legit. Sed in Galeni exemplari ὑπὸ κληματίσι pro ἐπ᾽ ὀστράκῳ habetur, hoc est, in sarmentis, quod improbo, quum salis cum melle ustura non commode in sarmentis fieri possit: quanq; etiam in libro εὐποριστῶν Galeni idem remedium similiter ὑπὸ κληματίδων torrendum prodatur. Quare forsitan sic accipiendum est ut in testa quidem assatura fiat, uerum sarmentis subditis & accensis. Sequitur statim aliud, pulegii partem. I. salis tantundem, melle subacta, &c. hoc est, ταῦτα φυράσας μέλιτι uelut rursus Aetius legit, sed exemplar Galeni ὕδατι pro μέλιτι hebet, hoc est, aquam pro melle, quam item ineptam, sicut mel aptissimum puto. Sequitur paulò post aliud. Alabastritæ usti drach, VIII. hoc

est

est ἀλαβαστρίτου κεκαυμένου δραχ.κ. Sed exemplar græcum ἀλαβάστρου habet. Videtur autem Alabastriten lapidẽ ustum in dentifriciũ hoc approbare. quod etiam Plinius 37. cap. 10. de eo testatur. Alabastrites inquit, nascitur in alabastro Aegypti, & in Syriæ Damasco, candore interstincto uarijs coloribus, quæ cremata cũ fossili sale ac trita, grauitates oris & dentiũ extenuare dicitur. Eundem autẽ lapidem ad uasa ungentaria cauari, quum optime ea incorrupta seruet, lib. 36. cap. 8. prodit. Vnde sanè alabastra appellata uidentur, quanquam quod ansas non habeat, quasi ὠτὸν λαβῆς, alij dicta malint. Quin & onychem lapidem, alabastriten uocari ibidẽ meminit Plin. & Galen. 9. simpl. phar. eundẽ uero onychem alio loco gemmam esse candorẽ habentem, unguis humani similitudine, ex Sudine Plin. refert. Quare onychinus color pirorũ apud Pliniũ, & prunorũ apud Columel. de quo paulò ante mentionẽ feci, uideri possit ab hoc onyche lapide dictus esse, sed ego non aliũ quàm purpureũ accipio, ex ipsius adeò Plinij interpretatione. At uero sicut Alabastrũ uas ex alabastro siue alabastrite lapide appellatum est, Sic onyx & lapis, & uas ungentarium ex ipso paratum dicitur. Martialis libro 7.

Vngentum fuerat quod onyx modo parua gerebat,
Nunc postquam olfecit Papilus ecce garũ est.

Quanquam & onyx hoc loco pro cõchylij testa, de qua paulò ante dixi, accipi possit, maxime quũ poeta genus mutarit. Sed Propert. poeta quũ dicit. Et crocino nares murrheus ungat onyx. onychẽ nõ pro uase ex onyche lapide, sed simpliciter uasis significatione dixit, et murrheus uoce adiecta, eius materiã indicauit, ex myrrha, ex qua etiam pocula fuisse Martial. indicat lib. 4. in Ponticum. Nos bibimus uitro, tu myrrha Pontice. quare? Prodat perspicuus ne duo uina calix.

Martialis porrò lib. 11. itidem pro uase ungẽtario, sed masculino genere dixit, uelut etiã Horat. Nardi paruus onyx. Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx. Siccum hic pro euacuato dixit, & Cosmi medici siue myropolæ nomen adiecit, cuius etiã libro 1. meminit. Pastillos Cosmi luxuriosa uoras. Et lib. 5. in Gelliam.

Quod quacunque uenis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa uitro.

Porrò onyx murrheus Propertij, & pocula ex myrrha Martialis, nõ alia fuerunt quàm quę Murrhina à Plinio lib. 37. cap. 2. dicũtur ex murrha uidelicet siue myrrha humore sub terra calore densato, Sicut crystallum contraria huic causa, gelu uehementiore cõcretum facit. fuerũt autem minime perspicua, ut Martialis palàm dicit, Sed & Plin. trãslucere quicquam aut pallere uitiũ est, inquit. quod adijcere uolui, ne quis ex myrrha lachryma arboris in Arabia constitisse putet, ex qua Murrhinã uinũ antiquissimũ conditũ, idem Plin. lib. 14. dicit. Nam de eo suspicio esse, ex eo quod Martial. in apophoretis ait, possit: ubi eadem calido uino ex ipsis bibendo accõmodatiora esse inquit, & maxime falerno ardenti, quod ego igne admoto incensum accipio, Sic enim Plinius 14. cap. 6. de falerno faustiano ait, solum uinorum hoc flãma accenditur, quemadmodum hodie apud septentrionales populos uino uulgò Romaneia uocata incendi, atque ita calida bibi solent. Myrrhina.

Si calidũ potas, ardenti myrrha falerno Cõuenit, & melior fit sapor inde mero.

Cõmanducationes ad molariũ dolores.] Primũ pharmacũ inter ea quæ commanducãda pscribit, in græco exẽplari penitus est corruptũ hoc modo. κέγχρος δραχ. β. ὀριγάνου δραχ. β. πεπέρεως λευκοῦ δραχ. α. σταφίδος φυησίας, ἤ τ ἄλλως λιπαροτάτης ξ. ς. τὴ σταφίδα κόπτε φιλοπόνως, τὸ δ' σμύρνιον μέλιτι διαλύσας ἐπίβαλε τῇ σταφίδι καὶ τῇ σμύρνῃ, κ μίξας ποίει μαλαγματῶδες. Primũ itaque σταφίδος φυησίας habetur pro γνησίας, aut certe λευκῆς, Quibus opposite sunt σταφὶς ex uite syluestri, hoc est labrusca, & μελαίνη. Vult itaque γνησίαν, hoc est genuinã, & nõ syluestrẽ uuã passã accipiẽdam

e.Te, aut certe etiam de genuina λευκὴν, id est albam, non nigram. & sanè de albâ idem hoc auxilium etiam Dioscorides prodit lib.5. εἴς τε ἀποφλεγματισμὸς inquit, καθ᾽ ἑαυτὴν καὶ σὺν πεπέρει μασσωμένη ἁρμόζει. Hoc est ad detrahendā & intercipiendam pituitā per se & cum pipere cōmanducata cōmoda est. Quanquam non minus rectè σταφίδος ἀγρίας, pro φυσικῆς legi queat, Nam & de hac Dioscor. testatur, quod διαμασσηθεῖσα φλέγμα ἄγει πλεῖστον, καὶ ὀδονταλγίας ὠφελεῖ, &c. & quum addat ἥ τῆς ἄλλης λιπαρωτάτης, uideri potest utramque σταφίδα & ἀγρίαν & ἥμερον, æque commodam prodere. Deinde quod legitur, τὸ δὲ σμύρνιον μέλιτι διαλύσας ἐπίβαλλε τῇ σταφίδι καὶ τῇ σμύρνῃ, in totum suppositititium est, quum neque smyrnium, neque myrrham antea in medicamento recensuerit, ut de ammiscendi modo nunc dicere debuerit, nisi fortassis hæc ipsa ex prima nomenclatura deperierunt. Quare his expunctis, ea quorum in medicamento relatū pondus est substituenda sunt, ut lectio in totum hoc quo conuertimus modo habeat. κάγχρυος δραχ. β. ὀριγάνου δραχ. β. πεπέρεως λευκοῦ δραχ. α. σταφίδος λευκῆς ἢ τῆς ἄλλης λιπαρωτάτης ξ. ς. τὴν σταφίδα κόπτε ἐπιπόνως, τὸ δὲ ὀρίγανον, καὶ κάγχρυν, καὶ πέπερι, λεῖα ἐπίβαλλε, καὶ μίξας ποίει μαλαγματώδες. Quāquam omnino suspicio est mihi, quædā in prima enumeratione deesse, quæ hic uidelicet repetat.

Molare emplastrū bonum quod in multis miraculo fuit.] In hoc medicamento quod ad formam emplastri redactum molaribus imponendum tradit, Succi carpasi drach. I. habetur, hoc est ὀποῦ καρπάσου δραχ. α. Qualis autem carpasi succus sit, & quod cum carpesio nihil cōmune habeat, alibi ex Galeno in his cōmentarijs ostendi, ut non sit necesse hoc loco de eo amplius quicquam commentari.

Ferream itaque limulam quo celerius opus succederet feci.] Et hoc loco exemplar grecum corruptum est, sed ex Aetio lectionem in integrum restituimus hoc modo. ποτὲ μὲν οὖν ἐξοχαί τινες ἀνώμαλοι φαίνονται τῶν ὀδόντων κατά τινα μέρη ῥινήσεως δεόμεναι, ἔσθ᾽ ὅτε δὲ ὁμαλὸν ἔχουσαι τὸ πέρας, ὁμαλῆς καὶ τῆς ῥινήσεως δέονται, χρὴ δὲ περιθέντα τοῖς ὅλοις, &c. quemadmodum ego conuerti. Paulò inferius etiam αὖθις ἐπιφέρειν habetur, pro ἐπιχειρεῖν. sed si eiusmodi omnia annotare uelim in immēsum hoc opus excrescat. & poterint de talibus locis citra meam commonefactionem edoceri, qui nostram uersionem ad græcum exemplar contulerint.

Ab Archigene scripta quæ mobiles dentes corroborant.] Inter hæc Archigenis pharmaca in primo, pompholygis, aluminis scissi, amyli, &c. conuerti, sed in græco exemplari πομφόλυγος, σχίνου, ἀμύλου habetur. Satis autem manifestū est pro σχίνου debere legi σχιστῆς: quanquam etiam uetus Interpres, post multa hic relicta, hunc tandem locum reddens, lentiscum uerterit pro alumine scisso, ut non nouus unius exemplaris error sit σχίνου pro σχιστῆς legi. Porrò lentisci foliorū decoctum collutum sistit quidem dentes, sed quum hoc medicamētum aridum sit & inspersile, neque folia, neque fructum, neque cortices, neque radices commode admittit, & si quid ex his lentisci partibus hic indendum erat, necesse fuerat de hoc commonere, easque exprimere. quod quum factum non sit, certum est non σχίνου, sed σχιστῆς legendum esse; de qua certum est quod mobiles dentes firmet, & in puluerem redacta amplius aptissime reliquis rebus affricandis ammisceri potest. Cęterum in sequenti paulò post pharmaco ualde dubito an Misyos uox rectè legatur, quum sit μίσυ pharmacum quidem adstringens, sed tamen crustam inurens. Suspicor μαλύνης aut σμύρνης uocem pro ea legendum esse, sed tamen mutare non sum ausus.

Cæterū in dentiū stupore portulacam manducent.] In dentiū stupore dixit, quod græcè est ἐπὶ αἱμωδίας. Est enim αἱμωδία νάρκη ἀπὸ ὁράσεως ἢ ἀκούσματος γεγενημένη. Hoc est Hæmodia est stupor à uisione ac auditione productus, quum uideli

cet

cet ea à quibus animus ac corpus pariter abhorrent, uidemus aut audimus, ueluti quũ ictus, aut ruinas aut præcipitia subito contuemur, limarumq; ac ferrarũ attritus audimus. Vnde etiã aliqui stridorẽ dentiũ ἀιμωδίαν reddiderũt, uelut Marcellus quoq; cap. 12. facit. atq; hoc ipsum uelle uidetur Hippocr. περὶ χυμῶν, quũ ait. λυπήματα γνώμης ἢ διὰ τῶν ὀμμάτων, ἢ διὰ τῆς ἀκοῆς, οἷα τὰ σώματα, μύλης μὲν ῥιφθείσης πρὸς ἑωυτὴν ὀδόντες ἠμωδίησαν, παρά τε κοῖλον παριόντι, σκέλεα τρέμει, hoc est, Molestiæ animi aut per oculos, aut per auditũ fiunt, uelut etiam corporum, Mola quidem dentiũ ad seipsam attrita, dentes stupescunt, Ambulanti uero circa cauũ locum, crura tremũt. Quanq; & hebetationẽ dentiũ, à frigidis austerisq; ac acidis fructibus obortã, item ἀιμωδίας nomine comprehẽdant, Et alij τὸ ἀιμωδιᾶν, aut ut Hippocr. dicit, ἀιμωδεῖν simpliciter τοὺς ὀδόντας ὀδυνᾶσθαι exponãt, quũ certe ut grauis, sic breuis dolor & offensa sit dentiũ ἀιμωδία, & quę nõ diutius permanere soleat.

De doloribus gingiuarũ.] Inter hæc medicamenta habetur. Proprie autẽ conuenit galla tenuissime trita acetabuli mensura, cum myrrha magnitudine fabæ. Sed in græco exẽplari κυάθου τὸ μέγεθος, hoc est cyathi magnitudine, falsò pro κυάμου τὸ μέγεθος legitur. Nam cyathi mẽsura dicitur, non autẽ magnitudo, Sicut contra cyami, id est fabæ magnitudo dicitur, rarissime autẽ pro mensura κύαμος usurpatur. De ea igitur κυάμου uocis significatione aliquos locos hic indicabo. Cyamus igitur iam simpliciter, iam cum appositione Aegyptij, aut Gręci pro magnitudine accipitur fabæ simpliciter, uel cuius patria est adscripta. Verũ pro mensura, nõ quidẽ certa, sed simpliciter rei alicuius mensurabilis capaci, cyamũ Aetius usurpauit 13. cap. 115. ubi de picræ exhibitione ait. ἡ δόσις κοχ. σὺν μελικράτου κυάμοις δ. καὶ ὑπερροφείτω ὕδατος θερμοῦ κυάμους β. hoc est, Datur cochlearij mẽsura cũ aquę mulsæ cyamis IIII. Ab acceptione item aquæ calidæ cyamos IIII. absorbeant. & cap. 122. eiusdẽ libri, ὄξους καλλίστου καὶ κεδρίας ἀνὰ κύαμον α. χυλοῦ κράμβης κύαμον α. Id est, Aceti optimi & cedriæ singulorũ cyamũ unum, succi brassicæ cyamum unũ. His locis & cõsequenter pluribus in Aetio cyamus legitur palàm pro mensurà, quum liquores magnitudine nõ indicemus, neq; metiamur. Est itaq; cyamus poculi genus, quod & Ciborium ac Cibotion appellatur. Sic enim Hesychius ait, κύαμος καὶ τὸ αἰγύπτιον κιβώριον λεγόμενον καὶ κιβώτιον. Legitur tamen corrupte in Hesychio λεγόμενον ἢ καλούμενον. Hoc est, Cyamus significat etiã Aegyptiũ Ciborium appellatũ, itẽq; Cibotiũ Sic enim Dioscor. lib. 2. de faba Aegyptiaca testatur, & Strabo 37. ἴδιος αἰγυπτίων ἐστὶ κύαμος αἰγύπτιος, ἐξ οὗ κιβώριον γίνεται. Quare & cyamus & ciboriũ, tum pro faba Aegyptia dicũtur, tum pro poculi capacitate siue mensura, qualis ex fabarũ Aegyptiarũ folijs parabatur, quæ adeò magna esse idem Strabo testatur, ut poculorũ & catinorũ usum præbeant. aptam insuper ad id habentia cõcauitatem, ut Alexandriæ officinæ his plenæ sint, & ut uasis utantur. Imò non solum pro poculo ex folijs Aegyptiæ fabæ facto, siue Colocasiæ, ut Plinius libro 21. capite 15. de Aegyptijs loquens ait, Adeoq; Nili sui dotibus gaudent, ut implexis Colocasiæ folijs in uariam speciem uasorum, potare gratissimum habeant. Verum etiam pro alio, ex alia materia ad eiusdem similitudinem facto, eædem uoces usurpãtur. & pro faba quidem κιβώριον & κιβώτιον Dioscor. dixit. & Galenus ad Pamphilianum de Theriaca, δίδοται δὲ αὐτοῖς τούτων διὰ γλυκέος ἢ μελικράτου, προεψημένης δικτάμνου ἢ πηγάνου, κυάμου αἰγυπτίου τὸ μέγεθος, ὅτινες αὐτοὶ ἐπιχωρίως κιβώτιον ἢ κιβώριον καλοῦσι. Hoc est, datur his ex passo, aut aqua mulsa, in quibus dictamnũ aut ruta incocta sunt, fabę ęgyptię magnitudine, quã quidã uernacula lingua Cibotiũ & Ciboriũ appellant. Legitur tamẽ κίθυ pro κιβώτιον in uulgata editione. Pro poculo uero Strabo uelut dixi usurpauit, & Athenæus cõfirmat, & Hesychius amplius testatur, ubi ait: κιβώριον αἰγύπτιον ὄνομα ἐστὶ ποτηρίου.

Quo

Quo modo sanè etiam Aetiū in prædictis locis cyamū accepisse credo, & propterea priore loco de meo parenthesis uice adieci, in eius operis cōuersione, Est id poculi genus, & Aegyptio uocabulo ciboriū appellatur. Quanquam pro κυάμοις possit aliquis κυάθους uocem substituere, tanquā ueram pro suppositítia, si hanc cyami significationem ignoret. At uero & Galenus cyamum pro poculo dixisse uideri potest lib. 10. simp. phar. de stercore lupino ubi ait. ἡμεῖς δὲ εἰς χυτρίδιον τηλικοῦτον, ἡλίκος ἐστὶν ὁ μέγιστος κύαμος, ἐμβάλλοντες τὴν κόπρον πωμάζομεν φιμοῦντες. Sed Interpretes pro maxima faba μέγιστον κύαμον accipere maluerūt, non quidem male, sed quod tamen uideri possit, quum de ollula mētionem faciat, eam ad cyamum poculum comparasse, rectius utique meo iudicio quàm ad fabam legumentum quantumuis magnum: quanquā ipsa Galeni uerba sic iaceāt, ut cyami quantitas non ad ollulam, sed ad stercus ollulæ indendum, referri possit.

Cæterū in epulide, hoc est supercrescente ex inflammatione carne.] Vnicum hoc auxilium Galenus in epulide prodidit, hoc est ἐπὶ τῶν ἐπουλίδων, quas ego supercrescentē ex inflammatione carnem dixi ex Paulo, qui ἐπουλὶς δέ ἐστιν inquit, ἐπὶ φλεγμονῆς ὑπερσάρκωμα κατὰ τὸν ἐσώτατον γόμφιον ἔσθ' ὅτε μετὰ πυρετοῦ καὶ ὀδύνης. Differt autem à parulide, quæ iuxta eundem φλεγμονή ἐστι περί τι μέρος τῶν οὔλων, ἥτις μὴ λυθεῖσα ἐκπυΐσκεται, hoc est, Parulis est inflammatio circa partem aliquam gingiuarum, quæ non soluta suppuratur.

Ad erosionem & dolorem dentiū. Quinquefolij radices in uino coctas à cœna colluendas præbe, coquito autē ad tertias.] Huius medicamenti lectio in græco corrupta est, quam nos iuxta cōuersionis nostræ rationem restituendam censemus, ut hoc modo legatur, πενταφύλλου ῥίζας σὺν οἴνῳ ἑψήσας δίδου διακλύζεσθαι μετὰ τὸ δεῖπνον, ἀφέψει δὲ εἰς τὸ τρίτον μέρος.

Smegma quo utor, gingiuas contrahit.] In hoc smegmate in græco codice sic legit, σχίνου καὶ περδικίου βοτάνης κεκαυμένης σὺν τοῖς ἐρίοις ἢ μόνης τέταρτον, hoc est ut ego reddidi, lentisci & perdicij herbæ ustæ cū lanis, aut per se solū, utriusque quartam libræ partem: putò enim per σχίνου uocem lentiscū indicari, cuius omnes partes æqualibus uiribus proditæ sunt, & in præsentem usum cōmodis: quanquam & σχοίνου rectè legitur, ac iuncus rotundus odoratus accipi possit, itidē adstringendi ui præditus, & propterea gingiuis contrahendis aptus, quod indico ut si quis pharmacum paraturus sit, utrum libeat per me conijciat, quum & lentiscus & iuncus odoratus in hæc pharmaca commodent, & in sequentibus prodantur recipienda. Deest autem in græco contextu particula ἀνὰ, quam ego reponendam censeo ante uocem τέταρτον, ut per eam indicetur, utriusque lentisci uidelicet, & perdicij quarta pars injcienda esse. τέταρτον enim hoc loco pro quarta libræ parte dictum existimo, hoc est pro quadrante, Nam & antea in hoc pharmacō libræ meminit, itemque unciarum, ut hic per τέταρτον quarta libræ pars, hoc est unciæ tres significari mihi uideantur, Neque enim uera produnt, qui τέταρτον græcis, priuatim dictū quartarium esse uolunt, hoc est quartam sextarij partem, siue dimidiā heminā, Quum & sextarij τέταρτον, & heminæ τέταρτον, & cyathi τέταρτον, in his Galeni libris habeamus, & hoc loco λίτρας τέταρτον necessariò accipiamus, quando nullius alterius ponderis, aut mensuræ, in præcedentibus mentio fiat, de quibus τέταρτον accipi queat. Sed & in libello de ponderibus græcis inter Galenicos relato, Dioscorides Alexandrinus ut ego sentio, horū τετάρτων appellationis rationē planè nō aliā indicat, quàm τρίτων, hoc est tertiarū partiū, & ἕκτων, id est, sextarū: atque ita τρίτον, τέταρτον & ἕκτον, de omniū mensurarum tertia, quarta & sexta parte dicuntur. Verum quum corruptissimus sit ille ipse Dioscoridis locus, uisum est mihi eum emendatum ac restitutum à nobis adscribere

bere

bere, ut ex eo etiam supra à nobis tradita ex Paulo de eadem re, clariora reddantur, quæ ipsa etiam in principio libellorũ eorum de ponderibus apud Galenum habentur, sed Pauli nomine suppresso, & longe corruptiora quàm sunt in Pauli exemplari ad finem ab ipso sanè Paulo adiecta, Nam in præfatione totius operis, ad finem de his se dicturum compromittit.

Διοσκουρίδου, περὶ μέτρων ὑγρῶν. περὶ οἴνου.

τὸ κεράμιον ἄγει λι. π. ἡ δὲ οὖρνα λι. μ. ὁ χοῦς τουτέστι τὸ κόγγιον ἔχει λι. ι. τὸ ἡμικόγγιον ἔχει λι. ε. ὁ ξέστης ἔχει λίτραν μίαν, γο. η. ἡμίνα ἡ κοτύλη, γο. ι. τὸ τέταρτον γο. ε. τὸ ὀξύβαφον ὅπερ ἐστὶ τέταρτον κοτύλης, ἄγει γο. βς. ὁ δὲ κύαθος ὅπερ ἐστὶν ἕκτον κοτύλης ἄγει γο. ας. γράμματα δ. ἡ δὲ χήμη ἐστὶ κυάθου τέταρτον, καὶ ἄγει δραχ. γ. γράμμα ἕν. ὁ αὐτὸς δὲ σταθμός ἐστι καὶ ὕδατος καὶ ὄξους, φασὶ δὲ τοῦ ὀμβρίου ὕδατος πληρωθῆναι ἀψευδέστατον εἶναι τὸν σταθμόν, ἄγειν δὲ ὁλκὰς ψ. κ. τὸν χοῦν.

περὶ ἐλαίου.

τὸ κεράμιον ἔχει λι. οϐ. ἡ οὖρνα ἔχει λι. λς. τὸ κόγγιον ἔχει λι. θ. τὸ ἡμικόγγιον ἔχει λι. δς. ὁ ξέστης ἔχει λι. ας. ἡμίνα τουτέστιν ἡ κοτύλη γο. θ. τὸ τέταρτον ἔχει γο. δς. τὸ ὀξύβαφον ὅπερ ἐστὶ κοτύλης τέταρτον, ἄγει γο. β. δραχ. β. ὁ δὲ κύαθος ὅπερ ἐστὶν ἕκτον κοτύλης, ἄγει γο. ας. ἡ χήμη κυάθου τέταρτον, ἄγει δραχ. γ.

περὶ μέλιτος.

τὸ κεράμιον ἔχει λι. ρκ. ἡ οὖρνα ἔχει λι. νδ. τὸ κόγγιον ἔχει λι. ιγς. τὸ ἡμικόγγιον ἔχει λι. ς. γο. θ. ὁ ξέστης ἔχει γο. κζ. ἡ ἡμίνα ἔχει γο. ιγς. τὸ τέταρτον ἔχει γο. ς. δραχ. ς. τὸ ὀξύβαφον ἔχει γο. γ. γράμματα θ. ὁ κύαθος δὲ ἔχει γο. β. δραχ. β. ἡ δὲ χήμη ὅπερ ἐστὶ κυάθου τέταρτον, ἄγει δραχ. δ. ς.

Hæc sanè lectio quantum ad mellis mensurarũ pondus attinet nobis aliquandiu uisa est esse uera, & pro genuina omnino restituenda, Nam si cum mensurarum põderibus supra latinè ex Paulo nobis redditis cõtuleris, uidebis planè eandem rem ab utrisq; tradi, Nimirũ quod uinum nona parte oleũ exuperat, Mellis uero pondus dimidia parte oleum excedat, Vinum uero quarta ampliusq; decima parte à melle superatur, hoc est fermè tertia parte: quanquam ipse Dioscorides non nominatim & expresse sicut Paulus de hac præponderationis diuersitate tradat, & in uulgato exemplari mellis pondus semper totum uini eiusq; dimidium legatur, quum nõ totum uini, sed olei pondus, insuperq; eius dimidium Mel pẽdat, uelut Paulus apertis uerbis tradidit. Sunt autem uerba Dioscoridis in uulgato exemplari Galeni hæc.

τὸ κεράμιον ἔχει λι. ρκ. ἡ οὖρνα ἔχει λίτρας ξ. τὸ κόγγιον ἔχει λι. ιε. τὸ ἡμικόγγιον ἔχει λίτρας ζς. ὁ δὲ ξέστης ἔχει λι. ϐς. ἡ ἡμίνα ἔχει λι. α. γο. γ. τὸ τέταρτον ἔχει γο. ζς. τὸ ὀξύβαφον ἔχει γο. γς. δραχ. ϐ. ὁ κύαθος δὲ ἔχει γο. βς. ἡ δὲ χήμη ὅπερ ἐστὶ κυάθου τέταρτον, ἄγει δραχ. ε.

Verũ hanc planè falsam esse lectiõnẽ, & priorẽ cũ Paulo cõsentientem, omnino uerã iudicarẽ, indeq; inoleuisse putarẽ, quod in Ceramio prima mẽsura, ἔχει λίτρας ρκ falsò habetur, pro λίτρας ρθ. ad quã proportionẽ necessariò is qui præfuit operis castigationi, etiam reliquarum mẽsurarum pondera auxit, & fortassis in hoc Fannium exprimere uoluit, qui quum Sextarium mellis duarum librarum & dimidiæ faciat, reliquæ utiq; mensuræ ad eandem proportionẽ idipsum pondus habebunt. Ipsum certe Dioscoridem sic tradidisse non putarem, quũ nõ aliter q̃ Paulus habet, & nos etiam conuersum supra prodidimus, legendũ uideatur: nisi nuper adeò in Marcellum antiquum latinum medicum incidissem, qui penitus cum Dioscoride, itemq; Fannio consentit, in mellis mensurarum apponderatione, Cuius uerba eo libẽtius adscribam, quod autor ignotus hactenus, & temporũ iniuria multis locis corruptus, nuper adeò à nobis purgatissime restitutus, ex officina

officina Frobeniana, est inuulgatus, & sanè quasi à morte ad uitã excitatus: dein de quod quum ipse latinè scripserit, ponderum tamen & mẽsurarum rationem, græcè pariter ac latinè censuit operi suo præfigendam esse, uelut etiam in præfatione sui operis contestatur. Verba ex ipso opere sic habent:

	τὸ κεράμιον ἔχει.	
ἐλαίου.	οἴνου.	μέλιτος.
λι. οβ.	λι. π.	λι. ρκ.
	τὸ κόγγιον ἔχει.	
λι. θ.	λι. ι.	λι. ιε.
	ὁ ξέστης ἔχει.	
γο. ιη.	λι. α. γο. κ.	λι. βς.
	ἡ κοτύλη ἔχει.	
γο. θ.	γο. ι.	λι. α. γο. γ.
	ὁ κύαθος ἔχει.	
γο. ας.	γο. ας. γρ. δ.	γο. βς.

Sed & Pauli locum grecũ adscribam à nobis restitutum, quanquã in Pauli exemplari Venetijs uulgato, omnino integrior est quàm in Galeni exemplari quod indidem prodijt, habetur. hoc itaq; modo legendus est. Εἰ δὲ βούλοιο καὶ τὴν σταθμῶν τῶν ὑγρῶν εἰδέναι μέτρον, πάμπολλοι μὲν γὰρ αἱ τῶν ὑγρῶν οὐσιῶν εἰσὶν κατὰ τὴν ῥοπὴν διαφοραί, ὡς ἐπὶ παραδείγματος ἐλαίου τε καὶ οἴνου καὶ μέλιτος λεξόμεθα. τὸ μὲν οὖν μέλι τοῦ οἴνου βαρύτερόν ἐστι τετάρτῳ μέρει, καὶ προσέτι δεκάτῳ, ὅπερ ἐστὶ τὸ ὅλον σχεδὸν σύνεγγυς τρίτον. ἔχει γὰρ αὐτὸ τὸ τοῦ οἴνου, τὸ μέλιτος ποσόν, ὅλον τὸν τοῦ οἴνου σταθμόν, καὶ προσέτι τὸ τρίτον αὐτοῦ. τοῦ δὲ ἐλαίου τὸ μέλι τῷ ἡμίσει μέρει βαρύτερόν ἐστιν. ἔχει γὰρ τὸ ὅλον τοῦ ἐλαίου, καὶ προσέτι τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. ὁ δὲ οἶνος τοῦ ἐλαίου ἐννάτῳ μέρει ὑπερέχει. ὅλον γὰρ αὐτὸ ἔχει, καὶ τὸ θ. αὐτοῦ. πρὸς σαφήνειαν δὲ πλέονα, καὶ ὡς ἐν διαγράμματι, τῶν κατὰ μέρος μέτρων τὸν σταθμὸν ὑπετάξαμεν, δήλου καθεστῶτος ὡς διὰ τῶν σταθμῶν πάντων τῶν ὑποκειμένων αὐτοῖς κατὰ τὸν στίχον, τό, τε ἔλαιον, καὶ ὁ οἶνος, καὶ τὸ μέλι κατηγορούμενα κεῖται.

	τὸ ἰταλικὸν κεράμιον ἔχει.	
ἐλαίου	οἴνου	μέλιτος.
λίτρας. οβ.	λίτρας. π.	λίτρας. ρκ.
	ὁ χοῦς ἔχει.	
λίτρας. θ.	λίτρας. ι.	λίτρας. ιγς.
	ὁ ξέστης ἔχει.	
γο. ιη.	γο. κ.	γο. κζ.
	ἡ κοτύλη ἔχει.	
γο. θ.	γο. ι.	γο. ιγς.
	τὸ μέγα μύστρον ἔχει.	
γο. γ.	γο. γ. γράμματα. η.	γο. δς.
	τὸ ὀξύβαφον ἔχει.	
δραχ. ιη.	γο. β. γράμματα ιβ.	γο. γ. γράμματα. θ.
	ὁ κύαθος ἔχει.	
δραχ. ιβ.	γο. ας. γράμματα. δ.	γο. β. δραχ. β.
	τὸ μικρὸν μύστρον ἔχει.	
δραχ. ς.	γράμματα. κ.	δραχ. θ.

Ex his itaq; studiosi mensurarũ singularũ pondera exactè expensa habent, quæ grauatus fuissem adscribere, nisi uiderem plerosq; ex professo hanc partem tractantes adeò oscitanter supineq; rem explicare, ut locos etiam cõtra seipsos, tanquam pro se facientes adducant. Porrò Fannij uersus de Sextarij pondere iuxta liquores hos diuerso, hi sunt.

Illud

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios seruare liquores.
Nam libræ,ut memorant,bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices,seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ liuentis oliui
Selibramq; ferunt mellis superesse bilibri.

Ad motos dentes stabiliendos. Atramentũ sutorium cum oleo terito,& cum lana dentium radicibus admoueto.] Hoc medicamẽtum in græco exemplari sic habetur,χαλκανθου τρίψας μετ᾽ ἐλαίου,προσάπτε τ῀ ῥιζῶν ἐρεαδίῳ.pro ἐρεαδίῳ itaq; ἐρίῳ legendum puto,& accipiendum,cum lana admouendum esse pharmacum,& fortassis diminutiua uoce ἐριδίῳ pro ἐρίῳ dictum est. Velut infrà lib.10.cap.2.in uersu Democratis σκέπασον τὸ κῶλον κουφοτάτοις ἐριδίοις,id est,Totũ teges crus mollibus uelleribus. Nisi quis ἐρείδιον pro fulcro & sustentaculo dictum accipere uelit,ut uidelicet specilli uel graphij extremo, uelut sustentaculo,medicamẽtum sit adhibendũ. Sequitur paulò post. Itẽ cerui cornua in uino cocta. Sed in græco exemplari deest uox ἐλάφου, quam ego restituendam puto, quanquam & αἰγὸς, id est capræ cornua legi possint,ut quæ ijsdem uiribus præditæ sint, ut Galen.11. simp.pharm. prodit. Harum itaq; uocum altera restituenda est, ne infinitas errorem pariat. Sequitur fomentũ dentiũ corrosorũ & dolentiũ,in quo τήξας πυεὶ δίᾳ μηλωτίδος legitur,sed pro πυεὶ,substituendũ est πυρίᾳ,hoc est foue seu fomenta.

De dentifriciorũ cõpositione quibus utor.] Dentifricia ὀδοντοτρίμματα dicuntur græcis. Verum hoc loco corrupte ὀδοντρήματα leguntur,Fiunt autem ad diuersos usus naria,Nam & frigefactis dentibus,& motis,& dolentibus,& ijsdem poliendis,& gingiuis laxis,& ad parulidas,& putrefactiones,omniaq; oris uitia seorsim destinata parantur, uelut ex ordine ad singulas has affectiones & uitia Galenus describit. Sunt autẽ diuersa dentifricia à dentiscalpijs,quæ ὀδοντογλυφα græcis appellantur. Dentifricia enim in tenuissimum puluillum redacta affricabantur,Dentiscalpia uero ex harundinibus maxime,in oblongam formam figurabantur,eximendis his quæ dentibus à morsu ciborum inhærerent apta. Fiebant etiam ex uiridi lentisci ligno,atq; hoc est quod Dioscor.de lentisco ait. τὰ δὲ ξυλάφια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίδων προσατριβόμενα τοῖς ὀδοῦσι σμήχει τούτους. Quanquam ipsa uerba indicent ligna lentisci uiridia dentibus affricãda esse, sed certè nõ alio modo quàm scabendo ac scalpendo, quo uidelicet inhærentia extergãtur ac eximantur.Nam eum Lentisci usum Martialis poeta lib.6.palam indicat,ubi ait, Foditq; tonsis ora laxa lentiscis. Et in apophoretis. Dentiscalpium.

Lentiscum melius,sed si tibi frondea cuspis
Defuerit,dentes penna leuare potest.

Quum enim penna itidem dentes leuare ab impactis & inhærẽtibus possit,scalpendo uidelicet,affricari enim cõmode non potest,certũ est neq; lentisci lignum alio usu fuisse quàm scalpendis dentibus, & non confricandis, uelut ex Dioscor. intelligi possit, & partim ab eius interpretibus est intellectũ. Sed & idem poeta in eodem opere dentifricij lemma seorsim habet. Dentifricium.

Quid mecum est tibi? me puella sumat, Emptos non soleo polire dentes.

Timocratis dentifricium.] hoc dentifricium ad gingiuas madore laxatas,putrescentesq; facere ait,hoc est οὖλα πλαδῶντα μυδῶντα. Non enim legendum est μυλῶν,uelut exemplar falsò expressum habet. Idem inter cætera etiam ad parulidas conferre dixit. Verum in græco exemplari παρωτίδας pro παρουλίδας falsò legitur.Ad oris enim uitia omnia mox cõmodum esse subiungit, ut nõ ad aurium abscessus παρωτίδας appellatos,sed ad gingiuatum inflammationes παρουλίδας

dictas, legẽdum esse uel hinc manifestum fiat. Quid uero sint Parulides suprà ex Paulo ostendi, & Cor. Celsus lib. 6. cap. 13. docet, Solent inquit, etiam interdũ iuxta dentes in gingiuis tubercula quædam oboriri dolentia, παρουλίδας Græci appellant. Verum hoc ipso etiam Celsi loco, in quibusdã exemplaribus παρωτίδας legitur, in aliis παραοδοντίδας à quopiam non indocto pro παρωτίδας substitutum est, ex eo quod Celsus iuxta dentes oriri dixit, sed utrumque falsò, quum de parotidibus hic non sit locus, & apud græcos medicos nulla affectio παραοδοντὶς appelletur. At uero παρουλίδας omnes agnoscunt. Cæterũ pharmacum ipsum corruptis in eo rerum mensuris, ut suspicor traditur, neque facile est integram lectionem restituere ob exemplariũ inopiam, & quod Vetus interpres hæc omnia reliquit, ut neque inde coniecturæ saltem sit locus. Habet autem nostrum exemplar hoc modo. λαβὼν δὲ περδικιάδος βοτάνης μόδιον ἰταλικὸν, ἐν ἄλλῳ μνᾶν, ἁλῶν λευκῶν καὶ λεπτῶν ξ. α. μέλιτος ἑξάγιον. α. κόψον ὡς γενέσθαι μάζαν ψαφαρωτέραν. hoc est Accipito herbæ perdiciadis modium Italicum, alij Minam habent, salis albi tenuis sextarium unum, mellis Hexagium. Primum itaque herbæ perdiciadis modij Italici mensura nimia uidetur ad proportionem salis sextarij unius, quare quod adiectum est pondus Minæ in alio exẽplari haberi, uidetur castigare modij excessum: quanquã neque hoc ipsum Minæ pondus probem, utpote minus quàm pro portione sextarij unius salis conueniat. Est autem Mina iuxta Paulum Aeginetam unciarum. XVI. Attica uidelicet & Aegyptia, Romana uero unciarum. XX. Sicut Sextarius quoque Italicus unciarum. XX. mẽsuralium, Atticus uero. XVIII. iuxta Galenum lib. 1. & 5. κατὰ γένη. Quanquam Aetius XI. cap. 35. Sextarium Italicum unciarũ XXIIII. facere uideatur, hoc est librarum duarum. Sic enim habet ἁλὸς κοινοῦ πεφρυγμένου ξ. ας. ἰταλικὸν, τουτέστι γο. λς. hoc est. Salis communis torrefacti sesquisextarium Italicũ, hoc est uncias XXXVI. quãquam suspicio nobis fuit eum locum uertentibus, ξ. β legendum esse, quod si tamen etiam legatur, Sextarius Italicus XVIII. unciarũ erit, & sic eiusdẽ mẽsuræ cũ Attico, quod Galen. locis paulò ante citatis apertis uerbis redarguit. Libro primo enim κατὰ γένη sic ait. παρὰ γὰρ τοῖς ῥωμαίοις ὁ ξέστης ἔχει μίαν λίτραν καὶ ἡμίσειαν καὶ ἕκτον, ὡς εἶναι τὰς πάσας οὐγγίας κ. ἃς ὡς τὸ πολὺ τοῖς κέρασι μετροῦσιν, ὑποτετμημένοις ἔξωθεν γραμμαῖς τισὶ κυκλοτερέσιν. ἔνιοι δὲ ψευδῶς ὑπειλήφασι τὸν ῥωμαϊκὸν ξέστην ὀκτωκαίδεκα μετρικὰς ἔχειν οὐγγίας. Porrò Modius Italicus iuxta Aetium est librarum XL. Sic enim 13. cap. 97. ait. ἁλῶν δὲ μὴ πλεῖον, τῶν κοινῶν ἢ λευκῶν ἥμισυ μοδίου ἰταλικοῦ, τουτέστι λίτρας κ. Et paulò post. προστιθεὶς ἕτερον ἥμισυ μοδίου ἰταλικοῦ, τουτέστιν ἑτέρας. κ. λίτρας. Sed Paulus octo Chœnicas Italicum ac Aegyptiũ modium habere tradit. Chœnicem uero duos sextarios, quo eueniet Modium sextariorũ XVI. esse, qui omnino libras XXVI. uncias VIII. efficiant, si sextarius XX. unciarum uelut dixi statuatur. atque hanc sanè mensuram modij, in herba perdicio leui ualde, & parua copia magnam capacitatem explente, & quæ adhuc paucior ab ustura reddatur, nõ nimiam esse putarim, eamque omnino conijcere malim quàm Minæ pondus, si ego medicamento usurus sim. At uero quod sequitur, Mellis hexagium unum accipiendũ esse, adhuc longe magis sollicitos nos de mellis iusta mensura facit, quum nulla proportio sit mellis hexagij, ad modium herbæ & sextarium salis: siquidem Hexagium pro pondere aurei unius aut sesquidrachmæ accipiatur, uelut plerique omnes tradũt. Quare hoc loco suspicor nõ ἑξάγιον. α. legendũ esse, sed uel ξέστην. α. ut sit eadẽ mensura mellis ac salis, uel ἑξάγγιον. α. hoc est Hexangeum unum, Ita ut ἑξάγγειον pro mensura sex uasculorum paruorum capaci accipiatur. ἀγγεῖα autem μικρὰ in frequenti usu sunt tum Aetio, tum Paulo, quæ ego uascula parua fuisse existimo in uulgato usu officinarum, in quibus mel, oleum, ac reliquos liquores dimetiebantur

bantur. Sic enim Aetius 12. cap. 44. de oleo gleucino habet, ὀποβαλσάμου ἀγγεῖα μικρὰ ς. τουτέστι γο. κ. κοτύλας τὸ δίμοιρον. Caperent itaque sex uascula parua ferè heminam, & unum uasculum paulò plus quàm sescũciam, iuxta Aetij indicationem, qui tamen uidetur heminam 12. unciarũ mensuraliũ statuere, si modo integra est lectio exemplaris, quod ego in eo uertendo sum sequutus. Non largam autẽ copiam mellis accipiendam esse, uel ex eo apparet, quod additur, cõtundenda hæc esse ita ut in massam tenuiorem & friabiliorẽ redigantur, non spissam & coactiorem. Nolui tamen mutare lectionẽ uulgatam, de hæsitatione mea admonere contentus. Addam autẽ adhuc aliam cõiecturam, possibile est lectionẽ rectam sic habere, μέλιτος ἐξάγιον, ἀνάκοψον ὡς γενέσθαι μάζαν ψαφαρωτέραν, id est mellis tantũdem uel æqualem mensurã, cõtundito ut massa friabilior reddatur. ἐξάγιον autem pro æquilibrio usurpat Constant. Cæsar lib. 2. de agricult. cap. 30. ubi docet quomodo exigere oporteat panis pondus iuxta pondus ipsius frumenti, hoc est, ut ipse ait, πῶς χρὴ τὸ ἐξάγιον τῶν ἄρτων ποιεῖσθαι. Potuit autẽ facile cõmitti ut præpositio ἀνὰ ex cõpositione transierit in α. unitatis notam. Sequitur mox pharmacũ hoc super prunas positum, immissa per foramen rudicula, agitandum esse, sed lectione rursus corrupta. δι' ἧς κινεῖσθω ῥάβδῳ ἐξ ἀνθρακιᾶς ὠπτημένῳ. Legi autem debet sententia ita postulante. δι' ἧς κινείσθω ῥάβδῳ ἐπ' ἀνθρακιᾶς ὀπτημένον.

Dentifriciũ Damocrati inscriptũ.] Recenset hoc loco Galen. duo dentifricia ex Damocrate medico & poeta uersibus Iambicis senarijs conscripta. Meminit eiusdẽ etiã Plinius ut medici, & qui ipsius Plinij tempore uixerit lib. 24. cap. 7. Scio inquit, Democratem medicũ in ualitudine Considiæ M. Seruilij cõsularis filiæ, omnem curationẽ austerã recusantis, diu efficaciter usum lacte caprarum, quas lentisco pascebat. Damocratẽ itaque Plinius Democratẽ appellat, & alio loco Seruilij prænomẽ ei tribuit, eiusdemque uersuũ sententiã reddit, quos integros Galen. infra lib. 10. recitat, uelut ibidẽ declaraui. Verũ uersus aliqui hic in primo dentifricio corrupti sunt, quos quemadmodũ emendãdos putem hic subscribã. Secundus uersus sic legendus est. λευκοὺς τε τηρήσεις ὀδόντας κἀσινεῖς. Septimus sic. λίτρας τέταρτον, ἀλλ' ἁλὸς λίτραν μίαν. Octauus sic. κέρατος ἐλαφείου τετράκις κεκαυμένου. Nonus sic. λίτρας τὸ ἥμισ' ἀλλ' ἁλὸς οὐγγίας δύο. Vndecimus. χόνδρου τε μαστίχης χίας λίτραν μίαν. Duodecimus. κόστου λίτρας τὸ τρίτον, ἢ πλεῖον βραχύ. Decimusquartus. ἐν οὐγγίαν φύλλου μαλαβάθρου τὰς δύο, Reliquorũ lectio utcunque tolerabilis est, & ex nostra uersione cuique patere ac constare potest.

Aliud Aurelij.] In hoc dentifricio aluminis pondus deest, & satis dubium est quantum eius conijci oporteat, Videtur tamen dodrantis, hoc est nouem unciarum pondus, ad reliquorum proportionem non male conuenire, quod sanè restituendum puto, sed tamen citra præiudicium, ut eo usurus aliquis uel plus uel minus addat. Lego itaque ἀπὸ ταύτης λάβε γο. θ. hoc est ex hoc dodrantem accipito.

Cõpositio pharmaci dentes præseruãtis.] In hac cõpositione περδικίου βοτάνης τῆς τιβερείας, &c. in græco exẽplari legitur, haud scio an nõ corrupte. Si enim accipiamus eum de perdicio in Tiberiade uel circa nascẽte loqui, nõ succurrit autoritas alicuius, qui de hoc idem testimoniũ præbeat. Est aũt Tiberias oppidum Iudææ ad lacum Genesarã, calidis aquis salubre, ut Plin. 5. cap. 15. prodit: quanque si etiã de hoc oppido accipiamus dictã perdiciũ herbam, nõ τῆς τιβερείας, sed τῆς τιβεριάδος omnino esset legendũ. Quare uideri possit nõ τῆς τιβερείας, sed τῆς ἰβηρείας legendum esse, & intelligendum de ea quæ in Iberia, hoc est Hispania prouenit. Sed neque perdicij Hispani uel in Iberia nascẽtis quispiã mentionẽ facit. Cæterũ quando perdicij in his dẽtifricijs iam sæpe mẽtio facta est, uidebimus semel quænam herba ea sit ex autorũ traditione, ut uel hinc loci huius integritatẽ assequamur.

Perdicium itaq; & muralium à Celso appellari, Plin. 21. cap. 30. dicit, quam Græci alij partheniũ, alij leucanthemum, alij amaracum uocant. Ita enim legendum est, & non alij leucanthen, alij tamnacum, ut uulgata exemplaria habent. Id quod ex Dioscor. lib. 3. apparet, qui habet παρθένιον οἱ δὲ ἀμάρακον, οἱ δὲ λευκάνθεμον. Verum Plinius etiam hoc loco duas herbas in unam cõfudit. Muraliũ enim & perdiciũ à Celso dicta, est quidem partheniũ à Græcis appellatum, sed nõ hoc de quo Dioscorides hæc uerba scripsit, Verum quod Helxinen idem describit, itemq; Partheniũ appellari dicit. Partheniũ itaq; quod in loco citato Dioscorides descripsit, plane ex genere chamęmeli est, & fortassis ea ipsa species quam hodie uulgo matricariã uocant. Helxine uero est ab eodem lib. 4. descripta, itidemq; parthenium ac perdicium appellata, uelut etiam ab ipso Plinio 22. cap. 17. Helxinē inquit, alij qui perdiciũ uocant, quoniam perdices ea præcipue uescuntur, alij sideritin, nonnulli parthenium. similiter à Paulo & Galeno proditur. atq; hęc est quam Celsus 2. cap. 33. muraliũ & perdiciũ appellauit. Sed utrasq; Plinius temere inter se priore loco, uelut dixi confudit. Cæterum hæc ipsa perdicium, à Plinio etiam urceolaris, & hodie parietaria, siue ut Marcellus habet parietalis, itemq; uolubilis appellatur. Estq; utriusq; appellationis uestigium apud Dioscor. in adscriptitijs, ut ego iudico uocibus, sed corrupta est lectio βουλουτονλαπάξε, pro βολύβιλεμ καὶ παριετάριαμ, uelut palam appatet. Parietaria autem eadem ratione, qua à Celso Muralis dicitur, Neq; est hac uoce accipienda illa quam paritariã à duplici floris colore, uulgò appellant. At uero primũ illud partheniũ non esse puto, eam quæ in his dentifricijs perdiciũ, à Galeno & alijs, quos hic citauit eorũ autoribus, appellata est. Nam primum partheniũ à Dioscor. descriptum, inter tot appellationes à Dioscoride relatas, perdiciũ non appellatur, Secũdum uero, ipsa uidelicet Helxine, humectæ ac subfrigidæ naturæ, facultatis est extersoriæ ac leniter adstringentis, ut non inepta quidē ad defricandos dentes uideri queat, maxime usta cum sale & melle, Nisi obstaret hóc loco τῆς τιβερείας uox declarandi gratia adiecta. Vetus Interpres in primo dentifricio, ubi duæ herbę sideritis & perdicias à Galeno urendæ prodũtur, pro sideritide paritariã uertit, & pro perdiciade siue perdicio, (Vtramq; enim uocem Galen. habet) mercurialem reddidit, falsus ut apparet, ex eo quod perdicij uocē pro parthenio semper accipi putauit, qua opinione etiam Plin. ut dixi, delusus fuit: quũ perdiciũ non nisi Helxines species iam ostensa appelletur, parthenij autē appellatio pluribus herbis æqualiter accommodetur, uelut chamæmeli cuipiã speciei, & ipsi etiam helxinæ appellatæ, uelut ostendi, & linozostidi siue Mercuriali, quemadmodũ Dioscor. & Plin. tradunt. Quare neq; ex ipso quicquã iuuari possumus, non celaturi si ex ipso profecissemus. Suspicio quidem esse queat, pro περδικιὰς βοτάνης τῆς τιβερείας, legendũ esse περδικιὰς τῆς ἰβηρίδος, uel τῆς ἰβηριάδος, aut etiam τῆς ἰβηρίας, accipiendumq; iberidem herbam quæ & Lepidium & Cardamine appellatur. Cuius radices Galen. infrà lib. 10. ad ischiadem auxiliares, ex Damocrate prodit, uelut eo loco uberius à nobis ostendetur. Sed & hic obstare meritò nobis debent uel imprimis hæc duo, Nimirũ uim eius nimis acrem ad hanc rem esse, & perdicij appellationē ei non tribui ab alijs, neq; cõuenire. Quare iuxta meam adeò sententiam, libenter tamen potiori cessuram, recte ut opinor, ad perdiciũ superius, helxinen uidelicet trãsibimus, eoq; ut extersoria ui prædito, & hanc uberius adhuc ex ustura adipiscente utemur, & pro τῆς τιβερίας, legentes τῆς ἰβηρείας, Hispanã prælatã reliquis intelligemus: quanquam non certò constet, helxinen Iberiæ ut optimam, præ reliquis terris laudem ferre. Et recta lectio fortassis sic habere debet, περδικιὰς βοτάνης ἢ τῆς περδικιάδος, ut uidelicet declaret perdiciũ eandem esse quam etiam perdiciadem antea dixit. Ipsam

certè

certè Helxinen, urceolarem uelut dixi appellatam, etiam Scribonius & Marcellus inter dentifricia, cum sale urendam recēsent, quo argumento potissimū hanc lectionem probamus. Sequuntur mox huius pharmaci cōmoditates, inter quas in græco exemplari legitur, ὅτε παρουλίδες αἱμαχθήσονται, οὔτε ὑπερσαρκώσουσιν, ὅτε ῥευματισθήσονται. Verum ego uel pro παρουλίδες legendū existimo τὰ οὖλα, ut sit sensus, Neq; gingiuæ cruentabuntur, neq; superflua carne redundabunt, neque fluxione infestabuntur. uel pro αἱμαχθήσονται, legendum est ἀναχθήσονται. & ante ὑπερσαρκώσουσιν uerbum, τὰ οὖλα interponendum, ut sit sensus, Neq; parulides producentur, neq; gingiuæ superflua carne redundabunt, neq; fluxione infestabuntur. Annectit mox Galenus. τινὲς δὲ τρίχους καύσαντες, &c. sed rursus corrupta est lectio. Nam ταρίχους legendum est pro τρίχους, Nulli enim pili hunc usum præbere possunt, ut quis τρίχας pro τρίχους legendum esse suspicetur. ταρίχους autem, id est, salsamenta usta, itemq; Cybia dentium doloribus cōmoda esse, etiam Plinius lib. 32. cap. 7. tradit, Salsamentorum inquit, etiam fictili uase cōbustorū cinis, addita farina marmoris, inter remedia est. Et cybia uetera eluta in nouo uase, deinde trita prosunt doloribus. Salsamenta itaq; Plinius ταρίχους dixit. quæ maxime constabant ex Thynnorum carne, cuius generis etiam cybia sunt, Ita enim uocari concisam pelamidem Plinius testatur. Pelamidis autem appellatio thynni est nondum annuum uitæ spacium egressi, Sicut idem Cordyla uocatur à recenti partu, eodem Plinio libro 33. cap. 11. teste. Dixit autem cybia uetera Plinius, quæ aliàs solet inueterata uocare, hoc est τὰ τεταριχευμένα, uelut etiam alio loco indicaui.

Finis quinti libri commentariorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DECEM libros Galeni de Compositione medicamentorum secundum locos conscriptorum, Liber VI

In caput I. de affectionibus in ore, & de pharmacis ad eas cōmodis.



VETVS profecto sermo est, quem pleriq; artifices in ore habent, Quod nō idem sit, neq; simile, à uiua uoce discere, & ex libro legere.] Est quidem uerissimū quod sibi in principio huius sexti libri de pharmacis localibus Galenus præfandum duxit prouerbium, de uiuæ uocis efficacia, sed si id ipsum Galenus sequutus nihil literis mandasset, dij boni q̄ nihil uiuæ uocis nobis medica studia sequentibus hodie audire cōtingeret, sed penitus in muto & surdo auditorio, cæcaq; & mortua caligine utilissimi omnis generis studiorū uersaremur, ut me certe eius affectam esse & pœniteat, & pudeat. Quare uiuæ uocis significatio nō est nisi de ea quæ uera & sana dogmata resonans, nō auribus tantum se nostris, sed per oculos magis pectoribus insinuat, accipiēda: tantum abest ut uiuæ putandæ sint uoces quorūdam hodie in publicis scholis mortua dogmata, & meram ignorantiam suam docentium, Et contra mortua scriptura non est nisi quæ falsam & commenticiam doctrinam cum inani insuper uerborum pompa ostentat, à qua quum doctiss. Galeni scripta alienissima sint, ita ut hic unus saluberrimam artem

medicam à prauis opinionibus asseruerit, eamq; ad ueram, & ante eius tempora penitus corruptam, & uix uni eius primo autori Hippocrati non ignotã methodum deduxerit: tantum abest, ut mortua scriptura censenda sit, ut ego si nõ hanc uocem audiuissem, certe nihil aliud habeam quod uiuum in nostris studijs appellare audeam. Itaq; non tantum non uulgaris utilitas ex optimorum autorũ præclarissimis scriptis, industrijs hominibus & prudẽti lectione ea uersantibus contingit, sed uiua penitus uox sunt mihi omnia ubiq; excellẽtissima Galeni scripta, maxime tanto splendore & perspicuitatis luce fulgentia, ut nemo nisi hebetissimo ingenio præditus, de eorum obscuritate cõqueri possit: adeò ut neq; horum commentariorum nostrorum ullus aliquis usus futurus erat, nisi temporum iniuria tot clarissimi loci essent obscurati, & ex longo situ pleraq; omnia eius scripta cariem sensissent, interim pessimorũ librorum pelago, & rerum & uerborum spurcitia, incertitudine ac errore exundante, nobis offuso, ex quo tandem per diuini numinis benignitatem, & nostram contentiosam industriam liberati, omnibus ueræ ueteris medicinæ græcæ studiosis manũ porrigimus, eos libenter à certissimo naufragio seruaturi, modo uiuam Galeni uocẽ tum in illius lingua proditis, tum in his atq; alijs eiusdẽ scriptis à nobis cõuersis, & deinceps uertendis, audire non negligant. In eorum enim gratiam, qui optimarũ rerum studio se fatigare non cessant, se ad hæc scribenda progressum testatur, aliàs citra scriptũ contẽtus futurus, quotidiano sermone suos familiares amicos ac sodales hoc modo instituere. Legitur autẽ corrupte in græco exẽplari, βουλόμενος ϳ καὶ τοῖς ἄλλοις, &c. pro quo ego legi ac reddidi, δεύτερον ϳ ἐπὶ χαρίζεσθαι βουλόμενος τοῖς ἄλλοις, &c. Sed & titulus huic tractationi præfigendus in græco exẽplari deest, quẽ hoc modo restituendum putamus. περὶ τῶν ἐν τῷ σόματι παθῶν, καὶ τῶν πρὸς ταῦτα φαρμάκων. De oris enim affectionibus & præsertim inflammationibus hoc capite tractat.

Quale est quod per atramentum sutorium constat.] hoc stomaticum pharmacum non tantum iniucũdi usus, sed etiam nociuum esse ait, si oris affectionibus illitum, siue ad gulam, siue ad asperæ arteriæ extremum, quod λάρυγγα græci medici uocant, præterlabatur. Hæc enim ipsa ut statim occurrentia lædit, postea uero etiam ex gula uentrem, & ex asperæ arteriæ extremo, ipsam arteriam asperam, & pulmonem. Sed in græco exemplari corrupte legitur, βλάπτον δὲ ἱκανῶς ὁπότε. παρεῤῥύῃ τι. πρὸς τὸν σόμαχον, ἢ τὸν λάρυγγα, καὶ ταῦτα μὲν εὐθέως αὐτά, καὶ δι᾽ αὐτῶν δὲ τὴν γαστέρα τε καὶ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν καὶ τὸν πνεύμονα. Itaq; pro εὐθέως αὐτά, legendum est εὐθέως ἀντῶντα. Sic enim legit uetus interpres, quanquam etiã altera lectio tolerari possit. Porrò λάρυγξ uox summũ asperæ arteriæ græcis medicis uelut dixi significat, hoc est τὸ ἔσχατον τῆς τραχείας ἀρτηρίας, Id ipsum autem aliquando etiam τὸν φάρυγγα dicunt masculino genere. Nam τὴν φάρυγγα in muliebri genere, ipse Galenus quum alibi, tum secundo de semine, τὴν τοῦ σώματος εὐρυχωρίαν πᾶσαν τὴν ἔνδον uocari dicit, hoc est omnem internam oris amplitudinem, Nos latini fauces appellamus. Quemadmodum igitur ὁ λάρυγξ principium est asperæ arteriæ, sic ὁ φάρυγξ pro eodem usurpatur, & aliquãdo etiam pro ipsius gulæ principio siue summa parte accipitur ueluti alibi ostendi.

Ego quidem igitur à ratione inductus inueni, quemadmodum neruorum sauciatorum curationem, ita etiam hoc pharmacum quod omnibus præstat.] Solet quidem Galenus ex omni occasione se suaq; inuenta iactare, sed citra ostentationis & uanitatis suspicionem, quum & rite & uere se iactet, non popularis auræ emerendæ studio, sed excitandorum magis studiosorum gratia, ut similia conentur: atq; ad hunc sanè modum nos in declamatione, quod optimus medicus sit & philosophus, ad Hippocratis æmulationem exhortatur, promittens nobis non

non solum similes nos illi euasuros, sed etiam præstantiores, his quidem uerbis: φιλοσοφητέον ἡμῖν δεῖ πρότερον εἴπερ ἱπποκράτους ἀληθῶς ἐσμὲν ζηλωταί, κἂν τοῦτο ποιῶμεν, οὐδὲν κωλύει μὴ παραπλησίους, ἀλλὰ καὶ βελτίους αὐτοῦ γενέσθαι, μανθάνοντας μὲν ὅσα καλῶς ἐκείνῳ γέγραπται, τὰ λείποντα δὲ αὐτοὺς ἐξευρίσκοντας. Ad eundem itaque modum etiam hic de inuenta à se neruorum curatione gloriatur, & de stomatico ex nucibus à se primũ excogitato obiter in profectione & reditu primo ex Alexandria in patriam. Porrò de neruorum cura à se inuenta sexto methodi pertractat, & tertio, τῶν κατὰ γένη. De peregrinationibus autem uarijs cum aliarum rerum, tum simplicium quorundam cognoscendorum gratia assumptis ab ipso 9. simp. pharm. libro mentionem facit, & in libro de prænoscendo, & in pluribus alijs per occasionem libris. Cæterum in principio huius stomatici ex nucibus medicamenti habetur: Vtebatur autem collutione aquæ mulsæ, hoc est διακλύσματι, sed in græco codice διαχρίσματι expressum est.

Satis enim scio etiam ipse non solum multos pauperes esse medicos, sed & qui ab ipsis curantur, quibus satis est ubi ægrotent, alicam cum aqua mulsa accipere & mundũ panem habere, aut aliquam farinam utilem ad cataplasma.] Hoc loco mundum panem habere, non accipiendum est cibi loco eos mundũ panem expetere, sed ad cataplasmatum usum, quare subdit, aut aliquam farinam utilem ad cataplasma, ubi uidelicet mundũ panẽ non habeãt. Alludit autem ad ineptam Thessaliorum curationem, qui tribus auxilijs instructi, omnium acutorum morborum sanationem pollicebantur, sorbitione uidelicet ex alica, olei calidi perfusione & panis cum melle cataplasmate, uelut Galenus 13. methodi tradit his uerbis. καταπλάττων μὲν ἀρτομέλιτι, προκαταιονῶν δὲ ἐλαίῳ θερμῷ, καὶ τρέφων ἐκ χόνδρου ῥοφήματι. ταῦτα γὰρ ἀρκεῖ τὰ τρία σχεδὸν ἅπασι τοῖς νῦν ἀμεθόδοις θεσσαλείοις, εἰς τὴν τῶν ὀξέων ἴασιν.

Origanum in sapa, quam alij siræon, nostri omnes hepsema uocant, feruefacito.] Sapam, siræon, itemque hepsema appellari etiam Plinius testatur decimiquarti capite nono, quo loco etiam musto ad tertiam mensuræ partem decocto sapam fieri tradit. Sicut eodem ad dimidiam redacto Defrutum uocari, quæ quidem Plinij uerba sic accipienda uidentur, ut tertia pars tantum musti restare debeat, duabus per cocturam insumptis, uelut etiam libro 23. capite secundo habet. Columella tamen libro duodecimo, capite decimonono, de tota mensura tertiã tantum insumere quosdam dicit, decoctione nimirum musti facta ad consumptionem tertiæ partis, sed adscribam eius uerba. Quidam partem quartam eius musti quod in uasa plumbea coniecerunt, nonnulli tertiam decoquunt. Nec dubium quin ad dimidium si quis coxerit meliorem sapam facturus sit, eoque usibus utiliorem, adeò quidem ut etiam uice defruti, sapa mustum quod est ex ueteribus uineis condire possit. Sapam porrò Carœnum Marcellus medicus appellat, uoce ut apparet, suo seculo latina facta, uel non longe anteà, quãdo eam neque Cato, neque Varro, neque Columella, neque Plinius usurpet. Palladius tamẽ lib. 1. cap. 18. itidem Carœni meminit, sed à sapa & defruto distinguit: Carœnum esse tradens, quum tertia perdita, duæ partes remanserint. Sapam uero ubi ad tertias redacta descenderit. Defrutum uero à deferuendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumauerit effici tradit. Hippocrates ἑψητὸν appellat defrutum, & Galenus per σιραῖον exponit, ut tam apud Græcos ἕψημα ac ἑψητὸν, quàm apud Latinos sapa ac defrutum inter se confundantur. Est autem apud Constantinum Cæsarem de agricult. frequens ἑψητοῦ uox, quam & sapam & defrutũ accipere licet, quando sane Columella lib. 12. cap. 21. palàm dicat: Mustũ quàm dulcissimi saporis decoquitur ad tertias, & decoctum sicut suprà dixi, defrutum uocatur. At uero

quod Galenus dicit, Nostri omnes Hepsema uocant, Asianos græcos intelligit. Hi enim Hepsematis uocem usurparunt, uelut idem in commentario in 6. ἐπιδημιῶν Hippocratis ait. καὶ τὸ σίραιον inquit, ὅπερ ἕψημα καλοῦσιν οἱ κατὰ τὴν ἡμετέραν ἀσίαν ἕλληνες. Cæterum uox ipsa ἑψήματος non semper pro sapa usurpatur, sed aliquando simpliciter pro decocto ac coctura. Sic suprà lib. 2. huius operis Galenus usurpauit quum ait, οὐκ εὐθὺς τοῦ ἑψήματος ἐν ἀρχῇ, ἀλλ' ὅταν ἤδη πως γίγνωνται χαλαρά, hoc est, Nō statim in principio cocturæ, sed quum iam aliquo modo flaccida facta fuerint. atque sic accipitur à Dioscoride lib. 5. de Nitro. ἐκ ποδιοσοῦ δὲ τὸ νίτρον καὶ στρόφους παύει λεανθὲν μετὰ κυμίνου, καὶ ποθὲν μεθ' ὑδρομέλιτος ἢ μεθ' ἑψήματός τινος τῶν διαφορεῖν δυναμένων πνεύματα, id est cum decocto aliquo earum rerū quæ flatus discutere ualent.

Sufficiēter enim adstringit etiam liquidum alumen, quod aliqui Phorimon appellant.] Aluminis uocabulum apud græcos ab adstringendi facultate συνήθεια denominatum est, hanc enim uehementissimam habet. Eius autem tres species præcipue in usum medicum assumentur, Dioscoride lib. 5. teste. Scissum, Rotundum & Liquidum, quod ipsum etiam φόριμον seu φορίμην συνήθειαν uocari, Galenus hoc loco ait, & Plinius 35. cap. 15. testatur. Hodie in officinis scissum, de pluma: Rotūdum, zuccarinum: Liquidum, de rocha uulgò appellantur. Habet Galenus etiā astragalitidis & placitidis, & plinthitidis aluminis appellationes, sed Dioscorides superiores tres species in usu medico solum probat.

Nominantur autē sic, Cytini uidelicet, primogenita punica.] Describit hoc loco apertissime Galen. quid sint cytini, ὀνομάζονται δὲ οὕτως inquit, αἱ πρωτόγονοι ῥοιαὶ καθ' ὃν γὰρ χρόνον ἀνθοῦν παύεται τὸ δένδρον, καρπὸς αὐτοῦ φαίνεται σχηματιζόμενος εἰς ἰδίαν ῥοιᾶς. Sed Dioscorides lib. 1. quum inquit, τὰ δὲ ἄνθη αὐτῆς ἃ καὶ κύτινοι καλοῦνται, uidetur cytinos flores ipsius mali punici appellasse, quum tamen non flores, sed à floribus primus fructus in speciem mali punici figuratus Cytinus appelletur. Corn. Celsus cum alibi, tum libro. 5. in emplastro quod Rhypodes dicitur, cytinos capitula mali punici latine appellauit. Plinius autem lib. 23. cap. 6. quum inquit, primus pomi huius partus florere incipiētis cytinus uocatur à Græcis, planè idem quod hic Galenus dixit, nisi quod pro incipiētis uoce, desinentis dicendum fuisset, & fortassis legendum est; quum res & sensus ita legi postulent. Cæterum de Balaustio idē Plinius sic ait. In hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam scilicet malum ipsum prodeat erumpētes, quos Balaustium uocari diximus. His uerbis Balaustium cytinorum flosculos esse tradit, quum Dioscorides & Galen. & omnes medici græci, balaustiū syluestris mali punici florem esse prodant. Sed adscribā etiā ipsa Galeni de hoc uerba ex lib. 6. simp. phar. βαλαύστιον ἄνθος ἀγρίας ῥοιᾶς, οἷον περ τῆς ἡμέρου ὁ κύτινος, hoc est, Balaustium flos est syluestris punici, uelut satiuę cytinus. His itaque uerbis Galenus, itidem ut suprà Dioscorides, cytinos flores mali punici dixit, quos tamē hoc loco primos à flore fructus descripsit, quod per indiligentiam ei obrepsisse suspicor, ex ea occasione quod & flores & is fructus alterno successu fere simul proueniāt, ad quod etiam Dioscorides respexisse uideri potest. Quare Celsus hac parte diligētior omnino fuit, qui cytinos capitula mali punici dixit, quū flores pro capitulis dicere potuisset, si eos cytinorū uoce significari sensisset. Porrò Malicorium dixi mali punici cortices, qui σίδια & λέμματα ῥοιῶν, hoc est putamina hic appellantur. Est autem λεμμάτων uox uerbalis à uerbo λέπω, decortico deducta. Marcellus cap. 8. caliculos dixit.

Miscemus autē & ruborum fructus.] Galen. ex succo mororū rubi itidem ut ex mororū succo, stomaticum pharmacū fieri tradit. Mora autem rubi, hoc est μόρα τῶν βάτων, à quibusdā βάτινα, quasi dicas Rubina, eodem planè modo sicut

συκάμινα

συκάμινα appellantur uera Mora, utrisq; appellationibus à plantis deductis, quū μωρέα arbor itē συκαμινέα uocetur. Idē planè 2. de aliment. dicit; sed quū locus sit corruptus eum emendatū ac restitutū subscribam, τὸν τῶν βάτων καρπὸν ὀνομάζουσιν οἱ παρ᾽ ἡμῖν ἄνθρωποι βάτινον, καθάπερ μῶρα τε καὶ συκάμινα τὸν τῆς μωρέας ἢ συκαμινέας. Sic sanè legendū est, sed in uulgato græco exemplari, uerba τὸν τῆς μωρέας καὶ συκαμινέας desunt, ut ex præcedentibus nullus sensus erui possit. Vult autē Galen. Batina à bato dici, sicut Mora à Morea, & eadē sycamina à sycaminea. Sed & Diosc. lib. 4. de rubo agens, βάτινα uocem recenset, uerū in exemplaribus uulgatis ϐαλκάνα legitur, pro βάτινα uoce rubi fructū, hoc est rubi mora significāte. De his Plinius lib. 15. cap. 24. ait, Mora nascuntur & in rubis multū differente callo, sed in exemplaribus uulgatis, Romæ nascuntur, leui sed tamen à nemine animaduerso errore legitur. Non enim Romæ, sed ubiq; terrarū Mora in rubis etiā nascūtur. Ouidius poeta 1. Metamorph. Cornaq; & in duris hærētia Mora rubetis. Sūt autē mora rubi quæ uulgo nostrati brombehr & kratzbehr ab ipsius rubi aculeis dicūtur. Cæterum Morus arbor satis nota est, Ego tamen nō memini me pulchriorem q̄ in collegio Buslidiano Louanij est uidisse. eius fructus ab eo quod in stomatica pharmaca cōmodus est, apud nostros nomen inuenit, Maulbehr appellatus. At uerò Sycomora nō sunt eadē cum sycaminis siue moris appellatis: quanquam Dioscor. quosdā etiam ipsam sycomorū sycaminū appellare prodat. Sycomorū enim Galen. loco paulò ante citato, plantam unà cum fructu se in Alexandria uidisse dicit, fructum quidē cōsimilem ficui paruæ albę, eumq; in medio mororum ac ficuū locari posse ait, unde etiam nomē sit adeptus, à similitudine uidelicet quam ad utrūq; fructū habet. Amplius autem ridiculos esse ait eos qui sycomora dicta putent, quòd fatuis ficubus, hoc est τοῖς μωροῖς σύκοις similes existant, per quæ uerba palam est ab eo Dioscoridē notari qui ait. καλεῖται δὲ καὶ ὁ ἀπ᾽ αὐτοῦ καρπὸς συκόμωρον, διὰ τὸ ἄτονον τῆς γεύσεως. Videtur enim sentire Dioscorides ob debilem saporem sycomorū quasi fatuū ficum esse dictum. Sed & aliud mirū de hac arbore eodem loco Galenus prodit. Nempe generationē eius diuersam esse à reliquis arborū fructibus. Neq; enim ex uirgultis ac germinibus, sed ex ipsis ramis magnis ac stipite siue trunco enascitur. Sed in græco exēplari corrupte legitur ἀκρεμόνων pro πρέμνων. Locū itaq; integrū subscribam. ἡ γένεσις δ᾽ αὐτοῦ διαφορωτέρα πώς ἐστι παρὰ τοὺς ἄλλους καρποὺς τῶν δένδρων, οὐδὲ γὰρ ἐκ τῶν ἀκρεμόνων καὶ βλαστημάτων, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτῶν τῶν κλάδων καὶ τῶν πρέμνων ἐκφύεται. Meminit huius arboris itemq; fructus eius, etiā Plin. sed nō sycomorū appellat, uerum ficum Aegyptiam lib. 13. cap. 7. Arbor inquit, moro similis folio, magnitudine, adspectu. Pomū fert non ramis, sed caudice ipso, idq; ipsum est ficus prædulcis, &c. & paulò post. Huic similis quadātenus quę uocatur Cypria ficus in Creta, Nam & illa in caudice fert pomum & ramis, quum in crassitudinem adoleuere. Porrò in sequenti ex musto pharmaco meminit injiciendarum extremitatum mollis rubi, aut rubi canini, & corni. Rubus itaque qui sit iam ostendi, Verum Rubus caninus, κυνόσβατος dictus, is est qui nostris hysen, & hagenpotten fructum fert appellatum, ipseq; rubus hagendorn, quasi fruticosa spina uocatur, ei enim penitus cōuenit & Dioscor. & Galeni descriptio. Cornus autem arbor item nota est Germanis, Nam & apud Heluetios & Alsatas nascitur, & alijs etiam ad Herciniam syluam locis, & fructus eius ab illis instar oliuæ muria conditur, quod etiam Dioscorides fieri tradidit & Columella. Huic sanè familiæ meæ nomen debeo; quaquam is qui mihi primo hoc nomen ex Germanico latinū fecit, Laurētius Vrsalius multarū rerū studio ac cognitione eruditissimus uir, patriæ cōsul, ac chariss. mihi postea socer, ipsum cynosbatum iam à me ostēsum corni appellatione uenire putauit, & cynosbatum

& cynosbatum syluestrem esse cornū adseuerauit, ex Dioscor. inductus, qui cornum ferre fructū ὡς ἐλαίας ἐπιμήκη χλωρὸν τὸ πρῶτον, πεπαινόμενον δὲ ξανθὸν scribit, quæ omnia Cynosbato à me ostenso cōuenire putauit, quū tamen Cynosbatos apertissimis uerbis esse à Dioscor. declaretur, quē ille cornū syluestrem putauit, cui ipsi familia mea apud Germanos cognominis existit. Diosc. uerba hæc sunt: καρπὸν δ' φέρει ὑπομήκη πυρῆνι ἐλαίας ἐοικότα, ὃν τῷ πεπαίνεσθαι κιῤῥὸν τὰ δὲ ἐντὸς ἐριώδη. Quibus uerbis indicat Cynosbatū ferre fructū oblongū, oliuæ nucleo similem, quum maturescit rubentē, interna sui parte lanugine obsitū, &c. qui planè is est quē Vesalius socer meus cornū syluestrē existimauit, & qui à quibusdā etiam hodie cornus esse putatur, quū tamē cornus fructum ferat ad oliuæ fructus similitudinem oblongū, et interna sui parte nō lanuginosum, neque multa grana habentē, sed unū tantū nucleū uelut oliua, cuius nuclei magnitudine cynosbati fructus à Diosc. describit. At uero cynosbati fructus Galeno cynosbata, eodē modo quo rubi fructus batina, & mori fructus Mora, & corni corna appellātur. Sed & Vergilius quū dixit, Lapidosaque corna, his qui uera corna ignorant, de cynosbatis dixisse idipsum uideri queat, lapidosa planè multaque ut dixi grana habentibus, sed omnino de uero corno dictū hoc ab ipso est, quod unū quem dixi nucleum, sed tamen ossiculum potius ac propterea lapidosum à Vergilio dictum, habet.

At uero & ex Cornis, ac Brabylis, & prunis apud nos appellatis præparātur apud nos stomatica pharmaca.] Institui quidē in his cōmentarijs omnes difficiliores locos librorū Galeni de cōpositione pharmacorū localium enarrare, neque quicque est mihi hactenus preteritus, qui alicuius momēti sit, & in ipsius libris inueniri nō possit. Verū hic de Brabylis locus diu nos suspēso animo tenuit, addubitātes quid de eo proferremus, ut palā fieret qui fructus Brabyla ab ipso appellentur, quū nusque aliâs, quod sciam, eorū meminerit, & neque apud Græcos, neque Latinos scriptores Brabylorū uox temere reperiatur, præterquam libro 2. de alimentis, ubi Brabyla inter syluestriū plantarū fructus recenset, sed similiter ut hic obscuro loco, quū neque inde clarum fiat qui fructus Brabyla appellentur. Adscribam itaque eius uerba ut his expensis aliqua saltē cognitio nobis contingat. Loquitur de castaneis, ὅτι καὶ μόνοι τῶν ἀγρίων καρπῶν ἀξιόλογον τροφὴν διδόασι τῷ σώματι. μέχρι γὰρ ἐστὶ πρίνα, καὶ βάτινα, καὶ κυνόσβατα, καὶ βράβυλα, καὶ μεμαίκυλα, καὶ ζίζιφα, καὶ διόσφυρα, καὶ ἀλικάκαβα, ὁ τῶν τερμίνθων καὶ ὁ τῶν ἀχέρδων καρπὸς, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα βραχὺ μέν τι τρόφιμον ἔχει, κακόχυμα δὲ πάντ' ἐστί. καί τινα γ' αὐτῶν καὶ κακοστόμαχα, καὶ ἀηδῆ συνδύοντα βρώματα, καὶ τούτων οὐχ ἡμέρων, ἀλλὰ τοῖς ὄρεσι διαιτωμένων, &c. His sanè uerbis Brabyla inter syluestres fructus, corna, mora rubi, cynosbata, & memecyla recenset, quos omnes pauci nutrimenti & maligni succi esse ait, quosdam etiam ex ipsis stomacho nociuos & iniucundos, & suum potius quàm hominum cibos, atque ex his ferarum magis quàm domesticatum. Sed nihil præter suspicionis aliquā leuem saltem ansulam nobis exhibet, quæ talis est, ut opinemur Brabyla ab ipso dici spinæ illius fructū quem Germani uulgò schledorn appellamus, ita ut Brabyla fructus sint qui nobis schleen dicuntur. Possit autem meritò aliquis ueteres scriptores indiligentiæ coarguere, si huius spinæ eiusque fructus non meminissent, qui ubique gentium frequentissimus occurrit. Verū meminerunt, & quidem diligenter, Dioscorides, Galenus, Paulus, ac Plinius, estque ea (nisi penitus fallor) quæ ab his omnibus poterion & Neuras appellatur. Sed Galenus quidem & Paulus de fructu penitus silent, Dioscorides autem fructum ferre acrem & inutilem dicit, eumque nullo nomine insignit. Plin. uero semen pro fructu cōuertit, iidēque nullius usus esse, sed tamen gustu acuto & odorato præditū esse, testatus est, palàm ostendens se non scire quæ res sit poterion quā describit, ut etiam plerisque

plerisq; omnibus, & maxime Dioscoridis interpretibus ansam dederit putandi, herbam ab ipso, non spinam & sentem describi. Ex græco autem autore aliquo & fortassis ipso Dioscoride, uel certe inde unde etiam Dioscor. sua transcripsit, hæc nobis cõuertit, in quibus reddendis quàm felix fuerit, ut cuiq; patere possit, utriusq; Dioscor. uidelicet & Plinij uerba adscribam, & primum quidem Diosc. qui mihi poterion non aliam rem quàm spinam brabyla ferentem, schledorn nobis dictam, describere uidetur. ποτήριον, ἴωνες δὲ νευράδα καλοῦσι, θάμνος ἐστὶ μέγας, κλῶνας ἔχων μακροὺς, μαλακοὺς, ἱμαντώδεις, λεπτοὺς, ἐμφερεῖς τραγακάνθῃ, φύλλα μικρὰ, περιφερῆ. ὅλος δὲ ὁ θάμνος περίκειται λεπτῷ χνοώδει ἐριώδει, καὶ ἐστὶν ἀκανθώδης, ἄνθη μικρὰ, λευκά. καρπὸν δὲ δριμὺν, ἄχρηστον. φύεται ἐν ἐλώδεσι καὶ γεωλόφοις χωρίοις, ῥίζαι δὲ ὑπεισι πήχεων δύο ἢ τριῶν, ἰσχυραὶ, νευρώδεις, αἳ τινες πρὸς τῇ γῇ ἀποτμηθεῖσαι ἀνιᾶσι δάκρυον κόμμει ὅμοιον, κοπεῖσαι δὲ καὶ ἐπιπλασθεῖσαι νεύρων διακοπὰς καὶ τραύματα κολλῶσι, καὶ τὸ ἀφέψημα δ' αὐτῆς πινόμενον, ταῖς περὶ νεῦρα διαθέσεσιν ἁρμόζει. Hæc Plinius sic reddidit. 27. cap. 12. Poterion aut ut alij uocant, phrynion, uel neurada, large fruticat, spinis retorrida, lanugine spissa, folijs paruis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo, herbacei coloris, seminis nulli usus, sed gustu acuto & odorato, Inuenitur in aquosis collibus, Radices habet duas aut tres binum cubitorum, in altitudine neruosas, candidas, firmas. Circũfoditur autũno, & præciso frutice dat succum gummi similem. Radix mira uulneribus sanandis traditur, præcipue q; neruis uel præcisis illita. Decoctum quoq; eius cum melle potũ dissolutiones neruorũ, & infirmitates, & incisuras iuuat. Hactenus Plinius. Quod igitur ipse quid esset Poterion ignorauit, non difficile est iudicare greca Dioscoridis uerba, cum ipsius uerbis conferenti. Sed & hoc non paruum indicium præbet, quod eiusdem libri cap. 8. de Brabylla tanquam herba tradit, quod spissandi uim habet cotonei mali modo, nec amplius de ea tradunt autores. Hæc sunt Plinij uerba, quæ si ipse sic prodidit, quod tamen malim non suspicari, extrema rerũ ignorantia se laborasse, & propterea neque Græcos, ex quibus sua descripsit, intellexisse, palàm facit. Neq; enim de herba Brabylla ab ullo aliquo traditur, sed de Brabylis fructu, uelut dixi poterij, cuius Galenus his quòs ostendi locis mentionem facit. Quare omnino in Plinio lectio hoc modo restituenda est, Brabyla spissandi uim habent, cotonei mali modo. Nihil enim dubito quin in græco autore legerit Plinius. βράβυλα δύναμιν σύφουσαν ἔχει τὸ τῶν κυδωνίων μήλων τρόπον. Videtur itaq; per uerbum ἔχει deceptus, quod singulare plurali uoci βράβυλα Attico more additũ non obseruauit, quod stupendũ est in tanto uiro, maxime quum uel ex similitudine admoneri debuisset, qua Brabyla ad cotoneum malum conferuntur, inepta certe si quis herbam ad malum cõparet, aptissima uero si herbam ad herbam, fructum ad fructum, brabyla uidelicet ad malum cotoneum. Nam reuera in Brabylis à me indicatis eiusmodi aliqua adstringẽtis facultatis similitudo ad cotoneum malum continetur. At uero quod addidit Plinius, Nec amplius de ea tradũt autores, legendum est, Nec amplius de ipsis tradunt autores. Sed & idem nos queri possimus, & ab initio sumus conquesti, quod apud nullum utriusque linguæ scriptorem, de brabylorum uoce quicquam reperiamus, nisi hoc Galeni loco, & illo altero ex secundo de alimentis adducto, & tertio hoc Plinij loco, ab ipso autore non intellecto. Meminit tamen Theocritus Idyllio septimo btabylorum hoc uersu. τοὶ δ' ἐκέχυντο, ὄρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔραζε, hoc est. Depressi ad terram brabylorum pondere rami. Verum Scholiastes communia pruna brabyla esse dicit, siue Damascena. Sic enim ait. βράβυλα τὰ κοινῶς κοκκύμηλα, ἤγουν δαμασκηνά. Meminit & Idyllio 11. ὅσον ἔαρ inquit, χειμῶνος, ὅσον μᾶλον βραβύλοιο ἅδιον. Sed scholiastes eo loco & præcedentibus & sequentibus

ſequentibus diligēter declaratis, nō exponit quanto malum dulcius ſit brabylis. Verū quum palàm dicat poeta, Ver hyeme iucundius eſſe, & malum brabylis, nihil aliud indicare uidetur, quàm fructum poterij ut dixi. Neq; enim malum eſt dulcius Damaſcenis, quæ priore loco per brabylorū uocem Scholiaſtes accepit. At uero alia arbor eſt βάρβιλος Conſtantino Cæſari appellata, Nimirum perſica quæ ex oſſe perſici eſt enata, uelut tradit lib. 10. de agricultura ex Florentino his uerbis ἐπειδὴ ἡ ἰσμὲν τὸ ῥοδακινὸν ταχέως γηρασκόν, δεῖ τοῦτο ἐγκεντρίζειν εἰς δαμασκηνόν, ἢ εἰς ἀμυγδαλῆν πικρὰν ἢ εἰς βάρβιλον. βάρβιλος δὲ κυρίως καλεῖται, τὸ ἀπὸ ὀστέου περσικοῦ φυόμενον δένδρον. Verum tantū abeſt ut dubitemus Brabyla alios fructus eſſe quàm poterij ſpinæ, quos ſchleen Germani uocamus, ut ſi ſtomaticum pharmacum præparaturus eſſem, aliorum potiorū inopia, eo fructu uti non dubitarem. Neq; auertar aut ex eo quod Galenus & Paulus de poterij fructu ſiluerunt, aut ex eo quod Dioſcorides inutilem dixit, quum ad præſentem rem ſtomatici uide licet medicamenti cōfectionem, commodiſſimus hic tradatur, & ne eſſe quidem alius poſſit quàm is quem indicaui. Cuius opinionis noſtræ fidē nobis amplius faciunt corna & pruna ſylueſtria, tanquam non multum diſſimiles uiribus et uſu fructus: uelut etiam reuera ſunt, ad brabyla adiecti, ex quorū omniū ſuccis præparari ſtomatica pharmaca in Aſia, uelut ex mororum ſucco, Galenus hoc loco tradidit. Cæterum quod pruna hic Galenus uocari apud Aſianos dixit, non de prunis ſatiuis accipiendum eſt, ſed de ſylueſtribus. Nam ea ſolum προῦμνα Aſiani appellabant, Romana ut apparet uoce. Satiua enim κοκκύμηλα communi græcorum appellatione dicuntur. Sicut ſylueſtria etiam ἀγριοκοκκύμηλα. Sic enim Galenus 2. de alimentis ait, ὅ τι τῶν ἀγριοκοκκυμήλων καρπὸς ἃ προῦμνα παρ' ἡμῖν καλοῦσιν. Idem 7. ſimpl. phar. προῦμνον, ſylueſtrem prunū arborem, in Aſia appellari tradit.

Singula porrò quę dixi inijcere licet aliquādo & muſto auſterarum uuarum, quas Aminæas uocant.] Vuas auſteras Aminęas uocari Galenus hic palàm dicit, ex iiſdem muſtum ad ſtomaticum pharmacum probans. ſic enim ait, ἐμβάλλοις δέ ποτε καὶ γλεύκει σταφυλῶν αὐστηρῶν ἃς ὀνομάζουσιν ἀμιναίας. Ex iiſdem Aetius etiam muſtum ad oleum gleucinum parandum probat, ἀμιναίας τὰς στύφουσας exponēs. Sunt enim omnino auſteræ & acidæ itemq; acerbæ uuæ, frigidiores, & adſtringendi ui præditæ, aliæ plus, aliæ minus, ſicut contra dulces calidæ ſunt & aluum ſubducunt. Verum in medio utriuſq; generis exiſtunt quæ à græcis οἰνώδεις, hoc eſt uinoſæ appellantur, quæ uidelicet nullam uehementem qualitatem exhibēt. Aminæa porrò uina Galen. 5. de ſanitatis tutela, in Italia naſci tradit circa Neapolim & Thuſcorum terram, ut non ſit Aminæa appellatio patria cenſenda, maxime quum Plinius Aminæam Syriacam dici tradat 14. cap. 3. Eſt & nigra, inquit Aminæa, cui Syriacę nomen imponunt, Sed & idem ſequēti capite ex Catone, maius & minuſculum Aminæum uitium genus recenſet, & Aminæam Varroni Scātianam uocatam prodit. Scribonius cap. 249. Ad impetigines, inquit, uua Aminæa quę ſic dicitur, bene facit. Eſt autem ruberrima & in uepribus naſcitur. Quare Aminæa omnino pro auſtera ubiq; ponitur, ſed obſcura nominis ratione, quam tamen aut à loco, aut ab inuentore putamus deductam primum, & poſtea ad omnia auſtera translatam. Nam & Neapolitani & Siculi Aminæi, id eſt auſteri, Galen. 12. Meth. meminit. Vide de eadem Conſtant. Cæſarem de agricultura lib. 5. cap. 17. & lib. 8. cap. 21.

Maxime uero aptus eſt Rhus ſiue maſculino, ſiue muliebri genere ipſum uelis appellare.] Duo genera Rhois Galen. hoc loco facit. Alterū quod obſonijs inſpergitur & ſtomacho cōmodum eſt, quod ῥοῦν ἐπὶ τὰ ὄψα, & ἐρυθρόν, & μαγειρικόν, aliàs Gręci medici appellare ſolent, nos obſoniariū, & rubrū, & culinariū; his

uertendis

uertendis diximus. Alterum à tinctoribus coriorum expetitur, & propterea βυρσοδεψικὸς appellatur, quem Coriariũ alias uertimus: atq; hæc Rhois genera sic distributa, non accipienda sunt, tanquam diuersæ plantæ essent. Est enim una planta quæ Rhus byrsodepsica uocatur, qua tinctores ad coria spissanda utuntur. Semen uero aut potius fructus, eiusq; succus, præcipue in usum medicũ ueniunt, quanquam aliquando uterq; Rhus, hoc est & planta, & fructus, uelut etiã hoc loco, in medicamẽta assumantur. atq; hæc differentia, & appellationis ratio, aperte à Diosc. & Galeno produntur, sed Paulus ex hoc in compendium omnia reduxit, cuius uerba adscribam. ῥοὸς τοῦ βυρσοδεψικοῦ καλουμένου τοῖς ἰατροῖς ὁ καρπὸς μάλιστα καὶ ὁ χυλὸς εἰς χρείαν ἥκουσιν, ἱκανῶς ὄντος στυπτικοῦ μὲν καὶ ξηραντικοῦ ἐκ τῆς τρίτης τάξεως, ψυκτικοῦ δὲ τῆς δευτέρας. Verum Plin. 24. cap. 21. duas diuersas plantas fecit, primumq; Rhun fruticem Coriariũ subrutilum descripsit, moxq; de Rhoe erythro id est rubro frutice eiusq; semine tanquam diuerso à priore tradit, quum tamen uelut dixi, & ex Pauli uerbis palam apparet, alterius Rhois plantæ, alter Rhus fructus sit, & illa tinctoribus, hic medicis familiarior existat. At uero Syriacus Rhus idẽ propterea dictus uidetur, quod in Syria multus proueniret, uelut item ex Plinio lib. 13. cap. 6. apparet, ubi recte Rhoi Syriacæ plantæ pellibus cõmodæ semen quod Rhus item uocatur, medicamentis commodum adscripsit. Semen autem quàm fructum, καρποῦ græcis dictũ uocare maluit. Quare toto cœlo errãt qui Rhun uel Rhoem (Nã latinũ nomen nõ habet, inquit Plinius) apud Celsum mannam significare putant, non thuris, de qua alio loco à me dictum est, sed quę hodie manna appellatur Arabica uoce, pharmacũ aluo leniter soluendæ, itidem ut cassia fistula hodierna, aptum: quum nihil aliud sit Rhus Syriacus, quàm erythros, siue ruber, & apud Celsum 6. cap. 11. non ros, sed rhus quẽ Syriacũ uocant legi oportet, sicut etiã apud Columellam 9. cap. 13. nõ rorem sutoriũ, sed rhoem Syriacum legendum est, quũ Syriaci appellatio latinis sit æque ut græcis familiaris & recepta. Neq; enim sutorium à sutorum siue Coriariorũ usu, ipsum dixisse noua appellatione effictã, credere par est, uelut quidam somniarunt, Neq; etiam rorem marinum eodem loco paulò post legendum est, uelut recens edita exemplaria habent. Nam & lib. XII. cap. 41. idem Columella in conditura ex cydoneis, rhois Syriaci contriti & cribrati heminam habet, de quo adeo in eiusmodi pharmaca ac condituras addendo, Galenus hoc loco itemq; in sequẽtibus agit. Habetur tamen etiam apud Marcellum medicum rhus marinus, siue rhus orientalis, cap. 27. dysentericis tritus propinandus ex uino, ut etiã apud Columellam rhoem marinum legi possit, sed nõ rorem. Libet uero mihi credere eundem rhun siue rhoem, à diuersis locis in quibus prouenit, tam uarias appellationes sortiri, quando etiam Eupatoricam & Ponticam rhun (est enim generis cõmunis) Damocrates probet, uelut infra libro septimo ostendi. His enim omnibus locis nulla alia gratia proditur adhibendus, quàm in usum adstringendi, quam adeo uim solus hic de quo agimus, rhus habet, ut neq; ros marinus latinis appellatus, & græcis λιβανωτὶς, neq; manna hodierni temporis, accipi his locis possint, quum sint penitus inepta, & contrarijs planè uiribus Rhoi prædita. Est autẽ huius rhois succus etiam hodie officinis notus, sed Arabica uoce, ut alia multa, sumach appellatur. Galenus certe paulò post hunc locum inter parabilia adstringentia recenset Culinarium & Coriarium rhoem, & succum qui ex Syria affertur, qui sanè succus non alius est quàm à rhoe Syriaco collectus, Eundem etiam capite sequenti, mox post rhoem Coriarium subiungit. Quare hac parte diligenti animaduersione opus est, ne æquiuoco succi Syriaci decipiamur. Nam qui alias succus Syriacus, hoc est, ὀπὸς συριακὸς, Diosc. Galen. & Plinio nominatur, omnino

alia res à rhois Syriaci ſucco exiſtit. Eſt em̄ ex Laſeris generibus, in quibus principatū habet, qui Cyrenis naſcens Cyrenaicus dicitur, ita ut ab eo ſecundus ſit Medicus, & deinceps Syriacus uocatus, utpote illo debiliores & grauiorē odorem habentes, uelut Dioſc. lib. 3. teſtatur, ut fortaſſis non male Aſa fœtida hodie appellata, hi ſucci eſſe putentur, omnes ex ſilphio, quod latini laſerpitium dicūt, in prædictis locis collecti. Hos autem ſuccos etiam in ſtomatica medicamenta ad diſcutiendas induratas inflāmationes, Galenus paulò poſt Rhois ſucci mentionem, commodos dicit. Sed quod admonendum hoc loco duxi, ſuccus medicus in ueteri translatione aliquoties indicus legitur, non interpretis, ſed typographi uitio, lectionem ueram non aſſequuti, quæ occaſio eſſe poſſit, aliud accipiendi per indicum ſuccum quàm qui medicus appellatur, atque id non ſine graui errore & delicto, quum non indicus ſuccus aliquis Græcis uocetur, neq; indicus lapis ſiue color accipiendus indicetur, ſed falſa & ſuppoſititia uox ſit, indici ſucci pro medico, quod tamen doctos aliquos nō animaduertiſſe, magis notum eſt quam ut pluribus indicare ac improbare libeat. Eſt autem locus unus omnium celeberrimus in quo indicus ſuccus pro medico legit̄, in ueteri interptete huius operis lib. 4. ca. 1. de pharmacis acribus oculorum, quem indicare uolui ut de eo errore ſtudioſos cautos reddam. In græco enim exemplari aperte legitur ἡ ὕλη τῶν δριμέων ὀπῶν, οἷον τοῦ τε κυρηναϊκοῦ καὶ μηδικοῦ, ut non niſi græcæ linguæ extreme rudibus ulla ſuſpitio eſſe poſſit, de ullo alio ſucco quàm medico, ut dixi appellato, fieri mentionem.

Proprie quidem ſtomatica appellantur quæ ad uuas, tonſillas, ac omnes quæ in ore ſiunt de repente inflammationes conueniunt.] Hoc loco tandem indicat Galenus quæ pharmaca proprie ſtomatica appellentur, nimirum ea quæ oris inflammationibus deſtinata ſunt, atque eorum ſyluam mox iuxta autorum quorundam præſcriptum ſubiungit. Cæterum quæ affectio ſit uua, hoc eſt σταφυλὴ, Galenus infrà cap. 3. declarat. Tonſillas autem παρίσθμια dixi, quibus uocibus & pars ſaucium, & affectus inflammationis indicantur. Videntur autem tonſillæ uelut Iſthmus quidam inter gulam & aſperæ arteriæ extremum locatæ. Vnde ſanè etiam apud Græcos appellatio παρισθμίων facta eſt, ſicut latinis tonſillæ diminutiua uoce à tolles, hoc eſt tumore dictæ ſunt. Porro quoties ſοματικὴ uox ſimpliciter ponitur, δύναμις id eſt compoſitio, ſiue διάχρισμα id eſt illinio adintelligenda eſt. Vnde ſanè etiam Plinius ſimpliciter ſtomatice dicere ſolet, uelut 23. cap. 6. de malis punicis. Ex acerbo fit medicamentum quod ſtomatice uocatur, quum dicere potuiſſet, ex acerbo fit medicamentum ſtomaticum, generis congruentia ſeruata. Et cap. 7. eiuſdem libri recenſet compoſitionem pharmaci ex moris, quod Galenus paulò poſt hunc locum ex Hera habet. Sed adſcribam Plinij uerba, tum ut locus corruptus emendetur, tum ut ſtudioſi uideant quantum Plinij uerbis cum Galenicis conueniat. Fit inquit, ex pomo panchreſtos ſtomatice, eadem arteriace appellata, hoc modo. Sextarij tres ſucci è pomo leui uapore ad craſſitudinem mellis rediguntur. Poſt Omphacij aridi pondus denariorum duorum, & myrrhæ denarij unius, croci unius. Hæc ſimul trita miſcentur decocto. Sic ſanè legendum eſt ex uetuſtiſs. manuſcripto exemplari, ex quo aliquando totum Plinium emendatiſſimum inuulgabimus. Habetur autem in uulgatis exemplaribus ſextariorum duorum aut myrrhæ ſextarij unius, & quædam alia uerba ſuperfluunt.

Multitudinem autem ſucci congium eſſe iubet, hoc eſt ſextarios ſex Romanos.] Quantū pendat congius uniuſcuiuſq; liquoris, ſupra ex Paulo ac Dioſcoride oſtendi. Quot uero minores menſuras capiat ex hoc loco oſtēditur, ubi Galenus

lenus congium sex sextarios Romanos capere dicit. Sed & Paulus idem tradit. Verum quũ corrupta sit lectio in uulgatis exemplaribus Galeni ac Pauli, etiam hunc locum à nobis restitutum adscribam, quo non de congio solum, sed in uniuersum quoties quæque mensura aliam minorem complectatur, clarum fiat. Pauli uerba hæc sunt.

τὸ ἰταλικὸν κεράμιον ἔχει χόας. η. ὁ χοῦς ἔχει ξέστας ἕξ.
ὁ ξέστης ἔχει κοτύλας δύο, ἅτινες καὶ τρύβλια λέγονται.
ἡ κοτύλη ταυτὸν μὲν ἐστὶν τὸ τρυβλίον, ἔχει μύστρα μεγάλα γ. ὀξύβαφα δὲ δ.
τὸ γὰρ μέγα μύστρον ἔχει ὀξύβαφον. α. καὶ τρίτον αὐτοῦ.
τὸ δὲ ὀξύβαφον ἔχει κύαθον. ας. ὁ δὲ κύαθος ἔχει χήμας μικρὰς
ἤτοι μύστρα μικρὰ δύο, &c. Hoc est.

Amphora Italica siue Ceramium habet congios VIII. Congius habet sextarios VI. Sextarius Cotylas duas, quæ & tryblia appellantur. Cotyla autem siue tryblium magna mystra III. Acetabula uero IIII. Magnũ enim mystrum continet acetabulum unum, & tertiam eius partem. Acetabulum uero sesquicyathum habet. Cyathus chemas paruas, aut mystra parua II. complectitur.

Octo enim drachmæ unciam efficiunt.] Andromachus quinque rerum quæ in stomaticum ex punicis conijciuntur, singularum octo drachmas conijcere iubet, quod exponit Galenus tantundem esse ac si singularum unciã conijcere iussisset, quum VIII. drachmæ unciam constituãt, sicut quatuor unciam dimidiam, ut mox subdit. Verum in græco exemplari, αἱ γὰρ ὀκτὼ δραχμαὶ οὕτω δύνανται legitur, sed ego pro οὕτω lego οὐγγίαν, quanquã etiam uox οὕτω tolerabiliter legi possit. Quo igitur tum unciæ, tum drachmæ, itemque reliquorum ponderum certa ratio nobis constet, de hac re etiam Pauli uerba adscribemus, quæ tamen nõ ita ut superius recitata, in uulgatis exemplaribus corrupta habentur, nisi quod μνᾶ ἰατρικὴ legendum suspicor, pro μνᾶ ἡ ἀττικὴ uelut alibi declaraui.

ἡ μνᾶ ἡ ἀττικὴ καὶ αἰγυπτία ἔχει γο. ις. ἡ μνᾶ ἡ ῥωμαικὴ γο. κ.
ἡ λίτρα. γο. ιβ. ἡ οὐγγία δραχ. η. ἡ δὲ δραχμὴ ἔχει γρ. γ.
τὸ δὲ γράμμα ὀβολοὺς. β. ὁ δὲ ὀβολὸς κεράτια. γ. τὸ δὲ κεράτιον
χαλκοὺς ἔχει β. καὶ δίμοιρον. ὁ γὰρ ὀβολὸς ἔχει χαλκοὺς. η. Hoc est.

Mna Attica & Aegyptia habet uncias XVI. Mna Romana unc. XX. Libra uncias XII. Vncia drach. VIII. Drachma scrupulos III. Scrupulus obolos II. Obolus siliquas III. Siliqua æreos duos, duasque tertias unius partes. Habet enim Obolus chalcos VIII.

Stomatica illitio ex Besasa, hoc est semine rutæ syluestris.] Βήσασα & ἅρμαλα Syras uoces esse, rutam syluestrem significantes, etiam apud Dioscoridem legere est, & infra lib. 9. cap. 3. Asclepiades declarat, sed hoc loco tamen idipsum, πηγάνου ἀγρίου uidelicet significari per Besasa & Harmala uoces Andromachus nõ meminit, utpote qui satis notam rem se his uocibus indicare existimauit. Cæterum in ipsius pharmaci partium enumeratione desunt in Græco exemplari tria simplicia, Cassia, rosæ, & crocomagma, quæ unà cum suis ponderibus ex Aetio adscripsi, qui idem medicamentum recenset, & hæc ipsa tria simplicia habet. Vt autem non rite hic deesse, & isthic ex redundanti adscripta uideri queant, testantur abunde Galeni uerba, quibus hãc descriptionẽ, cum Heræ descriptione confert & quæ in hac amplius quam in illa legantur ostendit. Quare hæc uerba quemadmodum nos reddidimus, in græcum exemplar sunt adscribenda, post aristolochiæ longæ unciam unam, κασίας, ῥόδων ξηρῶν ἀνὰ γο. α. κροκομάγματος γο. α. Re-

liqua ab ipso Galeno sufficienter declarantur, ut non sit opus me quicquam addere, nisi quod in huius pharmaci tractatu duo uitia præterire non libet, unum quod μᾶλλον expressum est pro βάλλων, Alterum quod τῶν διαφορητικῶν τε καὶ ἀποκρουστικῶν falso, pro τῶν συπτικῶν τε καὶ ἀποκρουστικῶν habetur, quanquam talium uitiorum plus uiginti in his stomaticis medicamentis reperierim, ex quorũ numero sunt, quod λεπτὸν pro λευκὸν de aceto legitur; & ῥοιῶν γλυκέων κεκαυμένων pro κεκομμένων excusum est. Reliqua ex collatione conuersionis nostræ patebunt.

Aliud stomaticum eiusdem Andromachi ad omnia uitia oris.] In hoc pharmaco Sandarachæ drachmæ dimidiũ, hoc est obolos tres habetur. Quod autem drachma dimidia obolos III. pendat supra ex Pauli uerbis ostendi. Habet enim drachma integra obolos omnino VI. Sequitur mox Andromachum non prodidisse: Num crudum, aut coctũ, aut tantum despumatum mel ammiscere oporteat, & propterea fatetur se despumato uti, quũ tamen & cocti, & crudi, usus aliquis esse possit pro affectuum occasione, sed in Græco exemplari lectio est corrupta, quæ sic habet. αὐτὸς μὲν ὁ Ἀνδρόμαχος οὕτως ἔγραψεν, ὅπως μίγνυσθαι τὸ μέλι χρή. Aut igitur pro οὕτως ἔγραψεν legendum est οὐ προσέγραψεν, aut ante ὅπως uocem interponendum est μὴ δηλῶν. utroq; enim modo sententia perfecta fiet. At uero & in pharmaco ipso γλυκέως χυλοῦ falso, pro γλυκυῤῥίζης χυλοῦ habetur.

Aliud odorum tenerum ad inflammationes & crustas commodum. Nucum pinearum drachmas III.] Quod hic nucum pinearum conuerti, in græco exemplari πυρῆνος habetur: πυρῆνα itaq; simpliciter, nucum pinearum nucleũ dixisse mihi uidetur, sicut etiam in sequenti capite, ubi idem medicamentum rursus recenset: aut certe pro πυρῆνος legendum est πυρήνων στροβίλων, uelut infra lib. 7. inter tussicularia eclegmata habetur, atq; accipiendi nuclei intra strobilos contenti. Aetius enim 8. cap. 46. idem recensens pharmacum στροβίλων κεκαθαρμένων pro πυρῆνος habet. Nisi quis omnino hic uelut etiam in præcedenti ante hoc quarto pharmaco πιτυίδων legere malit. Nam sic priuatim pinearum nucum nuclei appellantur. Pityides enim inquit Dioscorides, appellantur pinorum & picearum fructus, qui in conis reperiuntur. Conos autem Diosco. dixit totam arboris nucem, quomodo etiam Theophrastus & ueteres græci in usu habuerunt. Sed Galeni ætate non amplius κῶνος sed στρόβιλος hæc pinea integra nux appellata est. Quare per strobilorum uocem, totam nucem pineam apud græcos medicos accipere oportet, quæ & κῶνος & κωνάριον ab ijsdem uocantur. Per pityidas autem internus earum nucum nucleus indicatur. quanquam quũ etiam στροβίλων κεκαθαρμένων dicant, nil aliud indicent quàm nucleos nucum pinearum repurgatos. Sicut etiam nos hic nucum pinearum drachmas III. uertentes, ipsos nucum nucleos intelligi uolumus. Ad integræ porrò nucis pineæ similitudinem Erinaceum suas spinas rotare ac circumflectere Plutarchus in libello de animalium prudentia refert, quem locum eò libentius adscribam, quod & doctus quispiã eum citatum non probe reddidit, στροβίλου uocem flexibilis significatione accipiendo, & recens interpres nucis castaneæ calicem στρόβιλον conuertit, tanquam τῶν γὰρ λοπίμου, de quo alibi dixi, per στρόβιλον significetur. Verum ut similitudo quidem Erinacei rotantis spinas, ad Castaneæ hispidum calicẽ, à Plinio ea gratia echinatum appellatum, existit: Ita non reperitur στρόβιλος eius calicis castaneæ significatione, Et si etiã castaneæ calix στροβίλου uoce significaretur, tamen aptior omnino similitudo ad nucem pineam existit, utpote quũm ille calix spinosus semper porrectus sit & maneat, Nux uero pini aculeos suos iacentes habeat, quos non nisi summa siccitate, & maxime aqua præmacerata ac postea arefacta surrigere

solet

solet, quod facit etiam Erinaceus à uulpe impetitus. Ad nucis igitur pini similitudinem, Erinaceū suas spinas contra uulpem surrigere, Plutarchus refert his uerbis. τῶν δὲ χερσαίων ἐχίνων ἡ μὲν ὑπὲρ αὐτῶν ἄμυνα καὶ φυλακὴ παροιμίαν πεποίηκε.

πολλ' οἶδ' ἀλώπηξ ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα. προσιούσης γὰρ αὐτῆς ὥς φασιν,

ὡς στρόβιλος ἀμφ' ἄκανθαν ἑλίξας δέμας

κεῖται θίγειν τε καὶ δακεῖν ἀμήχανος. Hoc est.

Erinaceorum terrestrium pro seipsis pugna & tutela prouerbium peperit,

Scit multa uulpes, unū at amplū Erinaceus. Etenim ubi illa impetit, uelut aiūt,

Pini uelut nux surrigit spinas suas,

Morsumq; contactūq; uitans gnauiter.

Sunt autem tres Senarij Plutarchi uerbis immixti. Cæterum inuenias & strobilon arboris pinastri significatione apud Plinium 16. cap. 10. Artemidorum de som. interpret. 2. cap. 25. Constantinum Cæsarem 10. cap. 3.

Porrò ad finem huius medicamenti addidit. Hæc ex ferula Cratippi esse ait: Andromachus uidelicet hæc ex ferula Cratippi descripsisse testatus est. Est aūt ferula, hoc est, νάρθηξ, libri Cratippi inscriptio. Quo titulo etiam Heras librum unum conscripsit, cuius supra lib. 1. cap. 1. huius operis Galenus mentionem fecit, & de eo etiam lib. 5. κατὰ γένη testatur. ὁ μὲν ἥρας inquit, ἐν βιβλίον ἐποιήσατο περὶ τῆς φαρμακῶν συνθέσεως ἐπιγραφόμενον νάρθηκα. Quin & Sorani νάρθηκα citat Aetius 8. cap. 44. Arbitror autem receptum fuisse morem græcis medicis, ut libros suos medicamentarios νάρθηκας & ναρθήκια inscriberent, atq; sic etiam illud Ciceronis 2. de finibus accipio. Iam doloris medicamenta illa Epicurea tanquā de Narthecio promant, si grauis, breuis, si longus, leuis. De Narthecio, hoc est, de libro medicamentario Narthecio inscripto, quanquā non ignorem aliquos pyxidem medicamentariam per Narthecium accipere, haud scio qua ratione ductos. Nobis certe cōsentit etiā Martialis poeta in apopho. qui eiusmodi Narthecia capsulis eboreis inclusa fuisse dicit. Artis ebur medicæ narthecia cernis habere, Munera quæ cuperet Pactius esse sua. Nec ignoro alijs aliter hunc locum accipi.

In Caput II. de Crustis in ore.

Εσχάραι, id est, Crustæ uocantur, quę per pharmaca ἐσχαρωτικὰ inde, hoc est crustam inducentia appellara, ad modum cauteriorum inuruntur, in ulceribus putrescentibus, ad compescendam ulterius semper proserpentē putrefactionem, quæ ipsa νομὴ Plinio etiam usurpato uocabulo appellatur. Quomodo itaq; tum in alijs corporis partibus, tum in oris ulceribus, hæ ipsæ crustæ infligantur, Galenus hoc loco pertractat, itemq; quomodo tollantur. Quin ἐσχάραι uocantur etiam crustæ sua sponte in ulceribus profundis ac cauis obortæ, quæ colorem similem referūt crustis à ferro inustis, quæ proprie ἐσχάραι appellantur. Nam quę tales non sunt, ἐφελκίδες græcis medicis dicūtur, hoc est tectoria ulceri obducta, uelut nos aliquando his uertendis diximus, & alibi ostendimus. Dicit porrò Galenus ratiocinatione in his curandis eiusmodi utendum esse, ut contraria appónamus, uelut Hippocrates dixit. Cæterum quod curationem sic instituere oporteat, ut caussæ ac affectui ipsius morbi nos opponamus, frequens est apud Hippocratem, & clarissime in libro de flatibus, nuper à nobis cū alijs quibusdam in latinam linguam conuerso, ostenditur: ubi postquam indicauit morborum naturam corporibus esse contrariam, medicinam uero maxime secundum naturam esse, adiectisq; exemplis quibus hæc dicta confirmauit, statim uniuersale pro-

nunciatum subiungit, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, quam sententiā etiam Galenus quinto cōmentariorum in sextum ἐπιδημιῶν Hippocratis conscripto/rum adducit, per eam exponens quod Hippocrates eo loco obscurius dixisse ui/detur, ἰησις ἀντίνοον μὴ ὁμονοέειν τῷ πάθει. Hic inquit Galenus, sermo idem est poten/tia cum eo de quo iam sæpe disserui, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, hoc est, con traria contrariorum sunt remedia, quod ipsum Hippocrates sexto morborum popularium particula quinta obscurius dixit. Sanatio fit per contrarium non consentiens affectui. Vel, Sanatio est, obluctantem non consentire morbo. At uero uelut morbo contraria offerentes corpus ad sanitatem perducimus, Sic inculpatam corporum naturam similia exhibendo conseruamus quemad/modum Galenus eodem commentario in hanc Hippocratis sententiam, θερμοῖς κοιλίοισιν ἰσχυρὰ ποτὰ καὶ βρωτὰ ταρακτικά, hoc est, calidis uentre fortes potiones ac cibi turbulenti sunt, refert his uerbis. πολλάκις ἤδη μεμαθήκαμεν ὡς τὰς μὲν ἀμέμπτους φύσεις ὠφελεῖ τὰ ὅμοια, τὰς δὲ δυσκράτους, ὥσπερ καὶ τὰς νόσους, τὰ δὲ διαθέσεως αὐ/ταῖς ὑπάρχως ἐναντία.

Andromachi stomaticum odorum tenerū ad inflammationes & crustas com modum. Composuit autem ipsum ex nucibus pineis, amylo, &c.] Hoc pharma/cum etiam præcedenti capite recensuit, ubi ostendi πυρῆνα mihi dictū uideri pro/nucum pinearum nucleo, atque id maxime ex Aetio, qui hoc loco pro πυρῆνος habet, στροβίλων κεκαθαρμένων, quanquam etiam alias indicationes habeā isthic à me relatas. Neq; adhuc uidetur mihi aliud per πυρῆνος uocem indicari in hoc pharmaco, quod ad finem huius capitis rursus tertio refertur. Verum quod ad/monere uisum est, uetus interpres hoc loco solummodo recēsens id ipsum phar/macum, quod Galenus dixit, συνέθηκεν αὐτὴν ἐξ πυρῆνος, ἀμύλου, &c. hoc est ut ego reddidi, cōposuit ipsum ex nucibus pineis, amylo, &c. Componitur per py/rinum, id est, os oliuæ & amylum, conuertit: tanquam πυρῆνος uox non nucis pineæ nucleum, sed oliuę os siue nucleum significet, quod ipsum ex eo etiā pan/dectarum coaceruator transcripsit ac approbauit. Sed uterq; manifeste falsus est. Nam πυρὴν hoc loco pro nucleo pineæ nucis dictus est, uelut euidenter præce/denti capite ostendi. Aliquando tamen πυρῆνες pro oliuarum officulis accipi, etiam Hesychius testatur, qui ait, πυρῆνες, τὰ ὀστᾶ τῶν ἐλαιῶν ὀστᾶ. In uulgatis ta/men exemplaribus Hesychij πυρῖναι habetur. Promiscue autem & ὁ πυρὴν, & ἡ πυρίνη dicitur, quomodo etiam Constantinus Cæsar lib. 9. de Agricultura cap. 18. & 19. usurpat. Porrò sequitur mox illitio ad affectiones in ore, &c. sed in græ/co exemplari τροχίσκος pro διάχρισις suppositus est, & paulò post, ἢ καὶ αὐτὰ σὺν μέλιτι, pro ἢ καὶ αὐτὸς σὺν μέλιτι legitur. Similiter aūt & in sequenti Critonis pharmaco ante μίσυος ὀπτοῦ δραχ. γ. in græco exemplari deest, ἔσω δὲ, ut sit senten/tia. Sint autem Misyos torrefacti drachmæ tres. Sed & in sequenti Archigenis medicamento, quod sic conuerti. Aut atramentum sutorium purpuræ marinæ tomento inuolutum urito, in græco exemplari habetur, ἢ χάλκανθον ἐρεύματι θα/λασσίας πορφύρας εἰλήσας συγκαῦσον. Quare mihi omnino pro ἐρεύματι uoce nulli/us significati, legendum esse uerisimile uidetur ἐριοκήματι, ut uidelicet per ἐριοκή/ματα, textura aliqua ex purpuræ cruore infecta lana accipiatur, aut omnino idem quod κροκὶς significetur. ἐριοκήματι itaque aut ἐριοκὺδι omnino substituendum censeo, uelut etiam reddidi, ut uidelicet atramentū sutorium tomento lanæ pur/puræ marinæ cruore infectæ inuolutum accipiamus. Lanarum enim ustarum & præsertim ex purpura infectarum, uis est ἐσχαρωτική, Dioscoride libro 2. teste, ut aptissimę sint hoc loco ubi de crustis tractat censendæ. Non esse autem per ἐριο/

κύδος

κύδα θαλασσίας πορφύρας accipiendum aliud quàm tomentum siue floccum lanæ, purpuræ cruore imbutæ, alio loco ostendi. Quod si tamen quis uerisimilius esse putet ut pro ἱεροκύδι legatur πτύγματι, uel πιλήματι, non repugno, modo nulla alia lana conuoluta accipiatur quàm purpuræ flore tincta. At uero πτύγμα, & πίλημα, & πλάκα, & σρόφιον, & ἱεροκύδα pro hapso lanæ siue lana conuoluta dici, alibi abunde declaraui. Dicitur & πτύγμα ῥάκους, tum διπλοῦν, tum τριπλοῦν, id est linteolum duplicatum ac triplicatum, sed & πτυκτὸν διπλοῦν Paulus lib. 6. cap. 90. appellat.

Aut rhoem coriarium in aqua sufficienter donec strigmentosus reddatur macerato, & coquito, & melle ammixto utitor, facit & Syriacus rhus cum melle.] Et hoc loco Galenus post Rhoem Coriarium, etiam Syriacum Rhun siue succum subiungit. Non est autem alius succus accipiendus quàm ex Rhoe in Syria nascente collectus, uelut etiam præcedenti capite ostendi, Vbi inter parabilia adstringentia hæc uerba habentur. ἐφεξῆς δὲ αὐτῶν ὑποθέσια, ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα, καὶ ὁ τῶν βυρσοδεψῶν, καὶ ὁ χυλὸς ὃς ἀπὸ τῆς συρίας κομίζεται, οὗτος μὲν οὖν αὐτὸς καθ᾽ ἑαυτὸν μίγνυται. ὁ δὲ τῶν σκυτοδεψῶν, καὶ ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα προαφεψηθέντες ὕδατι τοῦτο παρέχουσιν εὔχρηστον εἰς τὴν μίξιν. Ex his uerbis palam apparet, succum Syriacum ex Rhoe esse, sed in Syria nascenti, cuius in uniuersum duo genera, Coriarium, & Culinarium, paulò ante hunc locum distinxit. Cæterum uelut etiam supra indicaui, hic Syriacus succus penitus diuersa res est ab eo quem Dioscorides ac Plinius, & Galenus etiam alibi Syriacum succum appellant. Syriacus succus ex Rhoe adstringentem habet facultatem, sumach etiam hodie in officinis appellatus. Syriacus uero succus alter, ex silphio collectus, discussoria ui præditus est, & inter laseris genera recensetur à Dioscoride, tertio post Cyrenaicum & Medicum loco. Sed Plinius uigesimo secundo capite uigesimo tertio. Ex Syria inquit, nunc hoc maxime importatur, deterius Parthico, sed Medico melius, extincto omni Cyrenaico ut diximus. quibus uerbis indicat, Syriacum silphium eiusque succum Medico præstare. At uero hoc loco, καὶ ὁ συριακὸς ποιεῖ μετὰ μέλιτος, habetur. Ad intelligenda est itaque uox Rhus aut succus, id est, ῥοῦς aut χυλός. Nam utro modo dicatur, succus rhois Syriacæ accipiendus est, qui Galeni tempore ex Syria maxime apportabatur, uelut ex uerbis præcedentis capitis, paulò ante citatis, aperte ostenditur. Sed & de ueteri interprete admonendum est, ne quis ipsius errori inuoluatur, qui Rhoem Coriarium aliquándo sumach, aliquando rubiam tinctorum uertit, & hanc maxime ubi Syriacum illi adiectum, sumach appellare ipsi uisum fuit, quum tamen omnia Rhois genera sumach Syria ut puto, aut Arabica uoce appellentur, & rubia tinctorum non sit ex Rhois generibus, sed ἐρυθρόδανον sic Latinis uocetur. Sed deceptus est ex eo quod Rhus Coriarius βυρσοδεψικὸς id est tinctorius coriorum appellatur.

Quæ Heraclides Tarentinus ad crustas in ore scripsit.] Citat hoc loco ab Heraclide scripta ad Antiochidem, fœminam uidelicet, ad quam etiam cum alias, tum supra libro tertio capite quarto ad eruptiones sanguinis è naribus, ab eodem scripta recensuit. Quare lectio Græci exemplaris hoc loco ubique est emendanda, quo participia μίξασα, λεάνασα, καταβάψασα, & ἐκθλίβουσα ad fœminam ἀντιοχίδα referantur, pro his enim fœmininis leguntur masculina μίξας, λεάνας, καταβάψας, tanquam uir aliquis esset ad quem Heraclides hæc ipsa scribat.

Aliud ad putredines in ore & gingiuarum abscessus.] Hoc loco gingiuarum

abscessus ἕλκη ἀφεστηκότα dixi, quas easdem paulò ante Soranus ἀφιστάμενα ἕλκη dixit; ubi disparatas per abscessum gingiuas cōuerti. Disparatur enim & separatur unio cōtinuitatis in omni abscessu, Vnde etiam ἀποστάσεων & ἀποστημάτων uoces sunt, eiusdem cum ἀφισταμένοις & ἀφεστηκόσιν originis, παρὰ τὸ ἀφιστάναι, ad quorum similitudinem etiam Latini abscessus dixerunt.

In Caput III. ad columellam siue gurgulionem.

HIs fortiora sunt myrti ac baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, & uirgultorum ilicis, arbuti, smilacis, ac phagi.] Smilacem arborem taxum Latinis uocari & Dioscorides & Plinius tradunt, sed in potu acceptam uenenatum pharmacum esse, & repentinam mortem inducens, idem Dioscoridem libro sexto prodidit. Imò non solum in potu acceptam lethalem esse, sed umbram etiam sub ea sedentibus aut dormientibus nociuā esse, ut pleriq; inde moriantur, idem Dioscorides libro quarto tradit; & Plinius 16. cap. 10. testatur, ut mirum uideri queat, eius arboris ramulorum decoctum hoc loco à Galeno ad columellam inflammatam probari, maxime quum etiam ipse Galenus 8. simpl. pharmacorum dicat, σμίλαξ ἡ τάξος δένδρον ἐστὶ δηλητηρίου δυνάμεως. Sed pro τάξος non recte, ut equidem arbitror, ἴλακτος legitur, uelut etiam apud Paulum. Non esse autem de alia smilace hic accipiendum, testimonio est id quod asperam & leuem, non smilacem, sed milacem appellare solet, uelut alibi ostendi, & quod hoc loco inter ilicem, arbutum ac phagum recensetur, quibus aspectu similem taxum Plinius dixit, & Dioscorides tum folijs, tum magnitudine abieti similem scripsit. Arbitror itaque Galenum reuera taxi arboris ex genere Abietino & Ilicino, ramulos hoc loco probare, ut quorum decoctum uehementi adstrictoria ui præditum euadat. Non esse autem eam ubique lethalem & uenenosam ex eo patet, quod Dioscorides præcipue de Italica & in Narbonia Hispaniæ nascenti tradat, pro qua apud Plinium in Arcadia, corrupte ut opinor, habetur.

Lapis quo sutores muliebria calciamenta expoliunt, uocatur autem Ageratus.] Videtur sanè hic lapis Galeni seculo sutoribus familiaris fuisse, Nam & nono simplicium pharmacorum de eo inquit. Ageratus lapis quo sutores uti uidemus, mixtam habet facultatem adstringentem ac discussoriā, & ob adstringentem quidem manifeste gurgulioni inflammato auxiliatur, quamuis nullam manifestum adstrictionem aut acredinem in gustu exhibeat. Tantum quidem de eo Galenus, & ex ipso Aetius, ac Paulus tradunt. Verum qui lapis fuerit aut sit haud promptum est pronunciare, quum neque in sutorum, neque in Medicorum usu hodie reliquum esse sciam, & mirum est Plinium eum non nouisse, neque quicquā apud alios de eo lectum prodidisse. Cæterum appellatio ei à splendore attributa uidetur, & quod diutissime integer maneat, neque senescens, neque marcescens. Habent quidem & hodie lapidem sutores, quo calciamenta expoliunt ut splendeant, sed ex uulgari silicum glabrorum ac nigrorum genere is esse apparet, aliqui ipsorum spisso quodam uitri genere ad eandem rem utuntur, ut neutrum ad Ageratum medicum referendum putem, nisi quis omnino silicum nigrorum generis Ageratum esse uelit, quod tamen lapidum genus hanc uim habere, ex nullius autoritate, neq; etiam experimento asseuerare possum, utpote qui eius rei periculum non fecerim.

Et ex acerbis balaustiū, cytini, malicorium, galla, & magis exacte quū omphacitis fuerit.] Quę mihi uideretur esse omphacitis græcis appellata galla lib. 1. indicaui, quo loco Pauli Aeginetæ uerba ad opinionis meæ confirmationem produxi

duxi, neq; adhuc sententiam mutare uolo, nisi quis penitus corruptũ apud Paulum locum docuerit, aut ὀμφακίδα ab eo substantiue, pro eo quod calycem Plinius dixit, & uulgo cupula glandis uocatur, dictum ostendat, & non ὀμφακίτιδος uelut ego lego, sed ὀμφακίδος, uelut etiam in uulgato exemplari habetur, legendum conuincat. Ad hoc autem faciendum opus esset autore qui doceat palàm, uelut Paulus habet, ὀμφακὶς ἐστι τὸ κοῖλον, ἐξ οὗ ἐκπέφυκεν ἡ τῆς δρυὸς βάλανος, ᾧπερ οἱ βυρσεῖς χρῶνται. qui si non continget, malo adhuc in ea opinione perseuerare, ut legendum sit ὀμφακίτιδος κεκαυμένης, & non ut exemplar habet ὀμφακίδος, accipiendumq; omphacitidem gallam ustam, quæ scilicet sit idipsum cauum ex quo glans quercina enascatur, & quo Coriarij utuntur. Quanquã ut omphacitidem gallam non hoc ipsum cauũ esse quis credat, ex hoc Galeni loco persuaderi possit, ubi in Græco exemplari legitur καὶ κηκὶς, καὶ μᾶλλον ὅταν ἀκριβῶς ὀμφακῖτις ᾖ. Videntur enim hæc uerba significare, gallam magis ab ipso probari quæ exacte omphacitis, hoc est, uelut etiã Plinius ac Celsus dixerunt, immatura existat. Verum ego horum uerborum lectionem transpositam, existimo sic esse legendam. καὶ κηκὶς καὶ μᾶλλον ἀκριβῶς ὅταν ὀμφακῖτις ᾖ. ut uidelicet indicetur, gallam magis exacte adstringere quum omphacitidum generis sit, ita ut ἀκριβῶς ad uerbũ precedens στύφει referatur, & non ad ὀμφακῖτις, Sicut etiam consequenter facit, ubi ait, στύφουσι δ' ἀκριβῶς καὶ αἱ συμπάσαι. Quin & Celsus lib.5.cap.18. in malagmate primo quum ait: Habet gallæ & immaturæ & alteriùs, &c. Videtur immaturam gallam omphacitin uertere, eamq; alterum gallarum genus statuere. Sed uelut etiam supra dixi, quum immatura utraque & esse & dici possit, uidetur mihi omphacitis improprie immatura dici, maloq; adhuc cũ Paulo omphacitin accipere pro eo quod Plinius calicem appellauit, quod uidelicet sit alterum gallarum genus, quanquam ipse Plinius supra calicis mentionem, duo gallarum genera faciat. atque hanc opinionem meam adhuc magis corroborare uidetur, quod hoc ipsum cauum ex quo glans enascitur, fortiori adstringendi ui, quàm galla altera omnibus nota, præditum sit, quam facultatem omphacitidi gallæ & Diosco. & Galen. & Paulus, & in summa omnes utriusque linguæ medici tribuunt, eaq; gratia ubi forti adstrictione opus est, eius gallæ usum præscribunt. Quare etiam ὀμφακῖτιν ab acerbitate dictam existimo, & potius acerbam quàm immaturam latinis appellandam, maxime quum non solum κηκὶς ὀμφακῖτις, uerumetiam κηκὶς ὄμφαξ, Paulo Æginetæ libro 3.cap. 26. dicatur.

Composita autem ex ipsis iuxta duplicem utilitatem fiunt.] Græcum exemplar habet hic σύνθετα δὲ ἐξ αὐτῶν κατὰ τρεῖς χρείας γίνονται, hoc est, cõposita ex ipsis iuxta triplicem utilitatẽ fiunt. Verum quando palàm non nisi duplicem utilitatẽ componendi pharmaca Galenus consequenter declaret, certum est δύο pro τρεῖς legendum esse. Vnam autem utilitatem esse dicit ex compositione simplicium eiusdem generis, quando uehemens cum molli committitur, in qua compositione magnam nihilominus uarietatem iuxta rerum copiam alias auctam, alias imminutã fieri posse ostendit. Alteram uero utilitatẽ ex cõpositione simplicium diuersi generis oriri dicit, quum uidelicet adstringentia & discussoria inter se cõmittuntur, cuius cõpositionis uarietatẽ etiam pluribus declarat. Sed Aetius 8. cap.40. Hæc omnia paucis uerbis cõplexus est sic scribens. Ex his simplicibus & composita fieri possunt, quũ uehemẽti molle & lene quiddã adiungimus, aut discussorio quiddã adstringẽs admiscemus, iuxta temperaturã corporis cui medemur. Ita sanè ego cõuerti exemplari græco quod unicũ suppetebat, misere corrupto, ut tamen hanc genuinã sententiã utcunq; elicere possem, quã tamen liben

ter dam

ter damnabo, si melioris codicis ope potiorem assequi continget. Porrò obiter indicat Galenus omnia pharmaca respectu ad aliquid aut commoda, aut incommoda esse, ut stulti sint qui de eiusdem generis pharmacis interrogent, quod ex ipsis melius sit, quum singula suo tempore optima ac reliquis præstantiora existant. atque hoc non solum in medicamentis, sed & in uino, alica, ptisana, alijsq; cibis usu uenire ait, ut aliquid, corporum uidelicet ac morborum respectu, meliora aut deteriora sint censenda, quod ipsum etiam ab Hippocrate proditum asseuerat, & sane ab ipso in plerisq; locis, præsertim in ἐπιδημιῶν libris, & de uictu in morbis acutis est factum. Ad hæc omnia grauissimã Herophili subinfert sententiam, qui medicamenta & nullius rei, & deorum manus esse dixit: Nullius rei, si non habeant qui ipsis recte utatur. Deorum uero manus, si iustus ipsorum contingat usus. Atque hæc sententia Herophili producitur etiam à Scribonio latino in præfatione, sed pro deorum manus, corrupte habetur diuinum munus, ut ex sequentibus eius uerbis palàm declaratur, sed adscribam locum integrum à nobis restitutum. Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta deorum manus esse, & id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio. Prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta, usu experientiaq; probata: quanquam hæc ipsa epistola non Scribonio, sed Cornelio Celso adscribatur, à Marcello medico latino uetusto, quem nuper emendatissimum ex officina Frobeniana edidi.

Vua, inquit, laxata succum dissolutum admoue.] Hæc Archigenis uerba ob geminũ uitium Galenus reprehendit, ignorantiæ uidelicet & obscuritatis. Et ignorantiæ quidem eum accusat, quod uuam laxatam dixit, existimans cum uulgo uuam appellari Columellæ inflammationem, quum σταφυλὴ, hoc est uua, non significet Columellæ inflammationem, sed aliam quandam Columellæ affectionem, quæ inde hoc nomen accepit, quod in ipsa extrema Columellæ pars uuæ fructui similis apparet. Sed in hoc tamen eũ minus peccasse inquit, quàm quosdam Atticæ linguæ studio sese superciliosius efferentes, qui σταφυλὴν, hoc est uuam, ipsam corporis particulam appellari existimant, quum σταφυλὴ neutram harum significationum habeat, & neque inflammationem Columellæ, neque ipsam particulam, Columellam uidelicet significet, sed eum tantum affectum, quo gurgulionis extremum maius ac liuidum apparet, & superna ipsius pars attenuata est, quod ipsum ex prænotionũ Hippocratis libro ostendit, amplius q; Dioclis ac Praxagoræ & Mantię autoritate confirmat, qui σταφυλὴν hunc ipsum affectum Hippocrati significare interpretati sunt, quanquã si quis negligentius Hippocratis uerba legat, possit etiã Hippocratẽ σταφυλὴν pro Columella particula, & nõ prædicto eius affectu accepisse, existimare. Sicut etiã quod Archigenes dixit, σταφυλὰς δὲ χαλασθείσης προσάπτου ὀπῷ λεῖῳ uideri possit ita dictũ esse tanquã per σταφυλὴν non Columellæ inflammationem, sed ipsam particulam indicaret, nisi Galenus apertis uerbis declararet ipsum σταφυλὴν pro Columellæ inflãmatione dixisse. In summa itaq; σταφυλὴ non significat Columellã, non significat Columellæ inflammationem, sed significat affectum, in quo tota Columella laxata, extrema sui parte maior est & liuefacta, superna uero tenuis, ut similitudinẽ præ se ferat fructus uuæ. Fructum aũt uuæ dico, τὴν ῥᾶγα τῆς σταφυλῆς. ῥὰξ enim in uua, non acinũ hodie nobis dictum uelut quidam existimant significat, neque ipsum botrum siue racemum, sed singulas particulares uuas, & fructum qui ex succo, & parte quæ ueluti caro est, & ex uinaceis, & ambiente forinsecus cute constat, ex quo Rhage etiã Ragoides tunica oculi uuiformis appellationem sortita est,

Ad eundem

Ad eundem modum etiam de toto fructu accipiẽda est ῥαγὸς uocis significatio, quum ob similitudinẽ ad uuam, de alijs fructibus usurpatur. Velut apud Diosc. lib. 4. quum de solano halicacabo ait. καρπὸν δὲ ἔχει ἐν θυλακίοις περιφερέσιν, ὁμοίοις φύσαις, περιφερῆ, λεῖον, ὡς ῥᾶγα σταφυλῆς. intelligendum est, Solanũ halicacabũ fructum habere rufum, rotundum, leuem, uelut uuæ fructũ, & non uuarum acinis hodie dictis similem, quum non uuæ uinaceo, sed ipsius uuæ fructui toto similis existat solani halicacabi fructus, hodie uulgo cerasum Iudaicũ appellatus & arabibus alkekengi corrupta ex halicacabo uoce. Sed tamen & Plinius ipse non aliter acinorũ uocem usurpauit, libro enim 21. cap. 31. de eodem solani fructu, cui acini coccinei inquit, sic certe ῥᾶγα πυῤῥὸν reddens, & li. 27. cap. 8. de solano hortensi dixit, acinos habet nigros, quos ῥᾶγας μέλανας apud græcos legit. Quare penitus acinos non granorum internorũ, sed totius fructus significationẽ Pliniano seculo habuisse putandũ est. Sic enim ex lib. 23. ca. 1. apparet, ubi ait Nuclei acinorum eandem uim habent, paulò ante autẽ uinaceos dixit, quos hodie acinos appellamus. Idem ex his uerbis lib. 15. cap. 17. apparet. Vuas cum malleolo sarmenti sui duro, demptis forfice corruptioribus acinis, in dolio picato recenti suspendi, &c. Sed & sic usupant Varro Columella & Palladius contra hodierni seculi usum, quod acinos pro uinaceis ab illis appellatis accipit, quanquam etiam ipse Plinius blandiores acinos mali punici lib. 13. cap. 19. dicat, acinos non pro toto fructu, sed pro internis granis usurpans. uelut etiã lib. 12. cap. 13. asari semen acinosum dixit, quod apud Diosco. σπέρμα ἐοικὸς γιγάρτῳ habetur. Porrò græci quoq; ῥᾶγας exponunt κόκκους, non uinaceos sed totum uuę fructũ indicantes, uinaceos enim γίγαρτα appellãt. Quare animaduersione opus est, ne κόκκους & ῥᾶγας, itemq; acinos, pro uinaceis accipiamus, quomodo ferè uulgo usu uenire uidemus. Columella lib. XI. cap. 11. Si cũ expresseris uinacea quæ acinis celantur, iam infuscata & nonnulla propemodum nigra fuerint. Cæterum quod Galenus in principio huius capitis dixit, eorum neq; meminisse oportere, qui staphylen, id est, uuam particulam uocent, quæ γαργαρεὼν, hoc est gurgulio, & κίων atq; κιονὶς, id est, columna ac Columella rectè tum græcis tum latinis appelletur. Videtur tamen frequens & usurpatum uitium, etiam ante Galeni tempora fuisse, quum Plinius palam eam particulam uuam appellet, græcorum præscriptum & fortassis ipsius Aristotelis: quẽ Galenus ob hoc cũ alijs reprehẽdit: in hoc ut apparet sequutus. Sic enim habet lib. 11. cap. 37. tonsillæ in homine, in sue glandulæ. Quod inter eas uuæ nomine ultimo dependet palato, homini tantum est. Sic etiã Celsus, sed & hodie latinis receptissimum est uuã itemq; uuulam ipsam Columellam uocari. Porrò obscuritatis coarguit Archigenem Galenus, quod succum dissolutũ admoue dixit, & non quem succũ uellet addidit. Veruntamen hoc excusabile esse dicit, quod apud omnes in confesso sit, Cyrenaicũ succum optime facere ad Columellam inflammatam, uelut etiam Diosc. tradit. Sed in hoc omnino peius eum deliquisse ait, quod inter adstringendi ui prædita pharmaca ipsum succum Cyrenaicum retulit, non admonens quando eo uti sit tempestiuum, quanquam quod Archigenes succum Cyrenaicum simpliciter succum dixit, per excellentiam ab ipso factum accipi possit, qua apud græcos receptum est ὀπὸν, de Cyrenaico Medico ac Syriaco intelligi. Velut etiam Galen. 8. simpl. phar. testatur, ubi ait. ῥίζης γὰρ ἢ τινὸς ὄντος ἢ καυλοῦ τμηθέντος, τὸ ῥέον ἐκ τῆς τομῆς παχὺ καὶ γλίσχρον, ὀπός ἐστιν. εἰδικώτερον δὲ οἷον καθ᾽ ὑπεροχήν τινα τὸν κυρηναῖον οὕτως ὀνομάζουσι, καὶ τὸν μηδικόν, καὶ τὸν συριακόν. Sed de hac re etiam alibi à nobis dictum est.

Aut Sycites uinum calidum.] Sycites uinũ ex caricis ficubus fiebat, sed quo modo Dioscorides lib. 5. ostendit, qui idem Catorchiten appellatum describit.

Meminit

Meminit & Plinius 14. cap. 16. sed loco ut apparet corrupto, his uerbis. Sic fit & Sycites è fico, quem alij palmiptimum, alij catorchiten uocant, aut si dulce esse non libeat, pro aqua tantundem uinaceorum adijciunt. Deest itaque Cremoris uel diluti, uelut ipse appellare solet, uox ante uinaceorum uocem interserenda, ut sit quod Dioscorides dixit, ἔνιοι ἀντὶ ὕδατος στεμφύλων ἀπόβρεγμα ποθλίπτων τὸ ἴσον μέτρον βάλλουσιν, quanquam etiam sic non satis expressum est τῶν στεμφύλων significatum. Neque enim uinacei uuarum solummodo ea uoce ueniunt sed totum id retrimentum quod ab uuis expressis sub torculari restat, στέμφυλον appellatur, ut Galenus 2. de alimentis docet, Huius itaque cremorem pro simplici aqua ficubus infundendum Diosco. docet. At uero palmiprimum appellatum uidetur hoc uinum, quod proximum à palmeo bonitate sit, eodemque modo praeparetur, si tamen ea uox integra in Plinio legitur.

Quin & omelysis ex cruda ordeacea farina imponenda, aut ex farina seminis lini, aut fœni græci.] Hoc loco palàm apparet, quod alibi in his cōmentarijs annotaui, Omelysin non tantum de ordeacea aut triticea, sed quacunque etiam leguminum farina cruda usurpari, citra ullius liquoris ammixtionem: nō quidem quod farinæ hæ crudæ adhibeantur, sed quod liquor addendus specialim semper significetur, aut si non exprimatur, aqua ferè simplex addenda intelligatur, calida uidelicet, aut aqua mulsa, uelut etiam hoc loco. Nam siccam farinam imponi non expedierit.

Cæterum per arundinem eiusmodi pharmaca insufflari, ualde improbo. Defertur enim ex ipsis multum, tum in arteriæ summū, tum in ipsam gulam.] Græcum exemplar hæc ita habet. καταφέρεται γὰρ αὐτῶν πολὺ καὶ εἰς τὸν φάρυγγα, καὶ τὸν στόμαχον. τὸν φάρυγγα itaque summum arteriæ reddidi, id enim ὁ φάρυγξ significat, hoc est, pro τοῦ λάρυγγος usurpatur, quanquā aliquando etiam ὁ φάρυγξ, pro gulæ summo accipiatur, Sicut ἡ φάρυγξ fauces significat, uelut etiam supra dixi, & infra amplius ostendam. Verum neutra posteriorum duarū significationum hoc loco τὸν φάρυγγα dici palàm apparet, quum στόμαχος, hoc est, ipsa gula ei sit adiecta, tanquam altera colli canna.

In Caput IIII. De pharmacis ad ulcera oris aphthas appellatas.

MEntionem faciam eorum quæ recentiores coaceruarūt.] Recenset hoc loco Galenus qui medici de cōpositis pharmacis scripserunt, & quos in his sequutus sit, breuem quandam indicationem exhibens quid de singulis sit sentiendum. Verum quum hac parte exemplar Græcum sit aliquot locis corruptum, eos indicabo, simulque quomodo corrigendos eosdem putem, ut & uersionis nostræ ratio aliqua extet, annotabo. Primum itaque in hoc contextu ἀλύσλυτοι pro ἀλύσλυτον habetur, deinde ἔγραψεν pro γέγραπται. Postea ἀνδρομάχου δὲ δύο, pro καὶ ἀνδρόμαχος δὲ δύο. Deinde ὅτε πετρώνιος μούσας habetur. Pro quo legendum puto ἀντώνιος μούσας. Ita enim alias ab ipso cum in alijs, tum in his libris appellatur & non πετρώνιος. quanquam etiam 2. libro compositionis pharmacorum κατὰ γένη, ubi itidem pharmacorum scriptores recenset, πετρώνιος pro ἀντώνιος legatur, sed in eiusdem libri principio eundem simpliciter μούσαν uocat. Postea habetur, ἥρας δὲ ἔμπροσθεν ἀνδρομάχου, καὶ μετ' αὐτὸν μούσας τε, &c. Legendum est autem, ἥρας δὲ ἔμπροσθεν ἀνδρομάχου, καὶ πρὸ αὐτοῦ μούσας τε καὶ μηνεκράτης. Deinde ἀλλὰ μαντίας μὲν ὡς ἐξ ἀρχῆς ἦν ἱερόφιλος habetur, sed legendū est ἡροφίλειος, uelut 2. κατὰ γένη de ipso testat, quod Herophili sectator fuerit, inde enim herophileum uocat. Postremū legitur, ὁ δὲ ἡρακλείδης περὶ τὴν τῶν ἐμπειρικῶν ἀγωγὴν ἐπέκεινεν ἰατροῖς ἄριστε. Verū pro ἰατροῖς ἄριστε legendum ἰατρὸς ἄριστος. Reliqua ex uersionis nostræ collatione studiosi emendabunt.

Quæ Crito ad aphthas ſcripſit.] In his pharmacis, aut æruginis uermiculatæ obolos III in uini heminæ parte quarta tritos colluat, habetur, uelut ego conuerti. Verum græcum exemplar ἐν οἴνῳ κοτύλας τέσσαρας λειώσας, hoc eſt in uini heminis quatuor habet, quæ menſura palàm apparet nimia eſſe ad tres obolos æruginis in ipſa terendos ac colluendos, etiamſi non ipſe Galenus conſequenter declaret, ἐν οἴνου κοτύλης τετάρτῳ eſſe legendũ: inoleuit autem is error ex ſcriptura numeri quaternarij δ΄ per cuius compendiũ ſcriba uoluit τὸ τέταρτον indicare, non ſentiens ſe errorem propagare, quo per κοτύλης δ΄ alius κοτύλας δ΄ accipere poſſet, quemadmodũ infra in Apollonij & Archigenis pharmacis perſpicue appareret, ubi idem medicamentum repetitur. Cæterum ærugo uermiculata à ſimilitudine ad uermiculorũ ſpeciem dicta eſt, quomodo etiam græci σκώληκος ἰὸν uocant, quem Plinius ſcoleciam dixit. Eſtq; duplex ærugo, altera naturalis & foſſitia, altera artificialis uelut Dioſ. lib. 5 & Plinius 34 cap. 12 docent. Sequitur mox. Quin & galla in aceto teratur & illinatur. Sed in græco exemplari habetur. καὶ ἡ κηκὶς δὲ τριβέσθω ἐν ὄξει ἑψήσας ψώμιζε, loco ut apparet palàm corrupto: lego itaq; καὶ κηκὶς δὲ τριβέσθω ἐν ὄξει καὶ διαχριέσθω. Sic enim legi debere ipſe Galenus infra declarat. Verum etiam ſic, adhuc aliqua deeſſe uidentur quæ ad ἑψήσας ψώμιζε relata, ſententiam aliquam perficiãt de his quæ in cibo pueris infantibus ſunt exhibenda, qualia poſtea ex Apollonio recenſet, quæ ſi quis huc referre uelit, habet locũ indicatum. Nobis in exemplaris potioris inopia, meram diuinationem ſequentibus aliqua temere inſulcire non eſt uiſum: maxime quum de talibus Apollonius claram doctrinã producat. Sequitur paulò inferius. Aut uiolas albas ſiccas cum melle tritas illinito. Violas autem albas λευκόια dixi, id enim ipſa uox ſignificat, quanquam Dioſcorides λευκοΐων appellatione, & albo, & melino, & ceruleo, & purpureo flore præditas cõprehendit. Verum de cõmoditate earum ad aphthas cum melle, idem Dioſcorides, itemq; Galenus 7 ſimp. phar. meminerunt, χρῶνται δὲ αὐτῷ τινὲς inquit Galenus, σὺν μέλιτι καὶ πρὸς ἄφθας. ſed idẽ eis facultatem extерſoriam, ac tenuium partium adſcribit, ob quam ſanè ad ſaliuam multam in aphthis profluentem extergendam, hoc loco commodæ produntur.

Folia pruni contuſa ac lacte permixta colluito.] In græco exẽplari habetur, φύλλα κοκκυμηλέας κόψας καὶ γάλακτι μίξας, οἴνῳ διάκλυζε, hoc eſt folia pruni contuſa & lacte permixta, ex uino colluito. Verum οἴνῳ ſuperflue adiectum eſſe à quopiam, ex Galeni uerbis mox ſequentibus oſtendiť. Non enim uino, ſed lacte multo diluta folia pruni colluenda eſſe Apollonius docet, quãquam Dioſcorides ſanè idem auxilium tradens, non cum lacte folia pruni cõtuſa colluere iubet, ſed foliorum decoctum ex uino gargariſſandum docet.

Quæ Archigenes ſcripſit ad aphthas.] Inter hæc pharmaca habetur, aqua oliuæ colymbadis appellatæ, hoc eſt muriæ innatantis. Per aquam itaq; nihil aliud quàm muriam ipſam indicat, in qua oliuæ conditæ innatare uidentur, ut inde colymbades quaſi natatrices ſint appellatæ. Sequitur paulo poſt. Aluminis ſciſſi, florum roſarũ æquales partes, fructus myricæ duplum, utere ſiccis: ſed græcum exemplar pro aluminis ſciſſi, hoc eſt pro σχιστῆς falſo habet χίνου. Cæterum paulò poſt, myricæ fructũ, etiam myricæ ſemen uocat, indifferenter & σπέρμα & καρπὸν, eundem fructum appellans: quod in aliquibus ſanè inculpate facere licet, in quibus uidelicet idẽ eſt & ſemen & fructus in alijs certitudinis gratia uitare hũc promiſcuum uſum oportet, quum differant hęc inter ſe, uelut alio loco indicaui. Sequitur mox. Aut adipem ſuillum aut anſerinũ manna inſperſa illinito: ſed pro anſerinum, id eſt χήνειον, falſò habetur χοίρειον expreſſum, uelut infra ipſe Galenus declarat. Paulo poſt habetur. Aut oleæ germina trita ex melle, quo loco pro

oleæ germinibus θαλλία in græco habetur. Tametsi enim θαλλὸς καὶ θαλλίας græci omnia germina dicant, tamen peculiariter & quasi per excellentiam de oleæ germinibus, non solũ apud Atticos, sed apud omnes medicos θαλλία usurpatur. Sic enim Theophrastus, Dioscorides ac Galenus usi sunt. Et Paulus lib. 3 cap. 66 inter adstringentia infusa, ἀφέψημα σιδίων, ῥόδων, θαλλίας, κυπαρίσσου &c. hoc est decoctum malicorij, rosarum, germinũ oleę, cupressi, &c. recenset. Est porrò & alijs locis lectio græca corrupta, quã ex uersione nostra emendare licebit. Sicut quod μετὰ τὸ συνεχὲς ἀλλήλοις ἑρμηθῆναι πραότατά τε καὶ δριμύτατα. pro μετὰ τοῦ εἰργασμέναι legitur. & τροφὴν pro τροφὸν, & quod pharmacum ex misy & uino hoc modo est emendandũ. ἤρκεσε δέ μοι διὰ ταυτὸς αὐτοῦ τούτου μίσυι χρῆσθαι μετ' οἴνου στύφοντος ἐπιτείνοντί τε καὶ αὔξοντι τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τότε μᾶλλον ἢ ἧττον στύφειν τὸν οἶνον, καὶ τῷ παχύτερον ἢ ὑγρότερον ἐργάζεσθαι τὸ σκεύασθὲν ἐκ τοῦ τοῦ μίσυός τε καὶ οἴνου μίξεως φάρμακον. Si enim sic legas, efficietur ea sententia quam reddidi, & quam necessariò intelligimus. Cæterũ quod reddidi. Fortia pharmaca dico, tum quę fortiter adstringunt, tum quæ mordent, & immoderatius discutiunt: penitus in græco exẽplari mancum legitur, ἰσχυρὰ δὲ δηλονότι λέγω φάρμακα, τά τε ἰσχυρῶς στύφοντα. Deest itaq; ut palàm apparet, καὶ δάκνοντα, καὶ ἀμετρώτερον διαφοροῦντα. De his enim in præcedentibus, item ut de astringentibus mentionem fecit. ea igitur omnino adscribenda censeo, quo sensus is quem reddidi etiam in græco exemplari integre consistat.

Si uero in putredinẽ aphtha uertatur, & exulcerationes faciat, neq; aphtham amplius affectionem nominare cõuenit.] Supra in principio huius tractationis de aphthis dixit, ulcerationes in superficie oris obortas, habentes quippiã igneæ caliditatis, aphthas appellari. Ad tales itaq; hactenus pharmaca cõmoda prodidit, atq; iam de hoc commonefacit, si putredinosa fiat ulceratio, & depascendo latius proserpat, non aphtham amplius hoc malum uocari debere, neq; pharmaca ad aphthas commoda appellari cõuenire, quæ talem ulcerationem curent. Sicut non rite erysipelatica pharmaca uocantur quæ discutiunt fortiter iam liuefacta & indurata, sed tantum ea quæ erysipelatis in principio repellendi & restringendi influxus humorũ gratia adhibentur. Si quis enim inquit, ad aphthas adhibeat, quæ cõueniũt putrefactis, & ad erysipelata admoueat calida & discussoria, quæ conueniunt iam liuefactis, & in scirrhum, hoc est abscessum durum induratis, utrunque malum grauius reddet per indiscriminatum propriorum cuiq; affectioni pharmacorum usum. Cæterum non solum oris ulcerationes in superficie hærentes, aphthæ appellãtur: sed etiam aliarum partium, & maxime pudendorum. Sic infra lib. 9 cap. 8 medicamentum ad testes aphtha ulcere affectos habet, quos διδύμους ἀφθῶντας appellat, à uerbo ἀφθᾶν quod ex aphtha ulcere laborare significat. Sed idem medicamentũ etiam Paulus lib. 3 cap. 54 his uerbis habet. πρὸς δὲ τοὺς ἀφθῶντας διδύμους γῆν κιμωλίαν μεθ' ὕδατος ψυχροῦ καταχρίσας, ἐᾶσον ξηρανθῆναι. Sed & ἀφθῶντα παιδία & παιδάρια, pro pueris aphtha ulcere laborantib. græcis medicis frequenter dicuntur. Hippocrates quoq; de fistula pulmonis dixit 2 de morbis ἢν ἀφθήσῃ ἡ σῦριγξ τοῦ πλεύμονος, πυρετὸς ἰσχυρὸς βληχρός. &c. At uero sicut ἀπὸ τῶν ἀφθῶν factum est uerbum ἀφθᾶν, sic ipsa ἀφθῶν uox, ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι deducta esse uidetᷓ, propterea quod ignea quadam caliditate huiusmodi ulcera ardeãt, & sint quasi incensa.

Finis sexti libri commentariorum medicorum, Iani Cornarij medici physici.

Iani Cor-

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DE-cem libros Galeni de Compositione pharmacorum localium, siue secundum locos cōscripto-rum, Liber VII

In caput primum de affectionibus circa partes respiratio-nis contingentibus.



MOS EST recentiorib. medicis arteriæ pharmaca arteria-cas appellare, nō apponētibus num antidotos dicāt, an iuxta aliud significatum.] Quemadmodum præcedēti libro septimo stomaticas aliquot confectiones simpliciter appellatas habuimus, citra cōfectionis aut compositionis aut illitionis additionem, Sic appellantur etiam arteriacæ simpliciter citra ullam additionem compositionum aut antidotorum. Appellantur eædem etiam electa, nō addendo pharmaca, ut tamen intelligamus delingibilia esse medicamenta, quæ etiam eclegmata substantiua uoce, latinis itidem & græcis usurpata, παρὰ τὸ ἐκλέχειν, id est à delingendo, nominātur. Cæterū arteriacæ ab arteria nomen habent, cuius affectionibus cōmodæ existunt. Meminit autem obiter Galenus translationis nominis arteriacæ ab ea particula, quæ quondam sola sic fuit appellata, fistula uidelicet siue canna quæ ex pulmone in laryngem emergit, à qua ad pulsatiles uenas, quæ prius æque ut aliæ omnes, uenæ appellabātur, nomen arteriæ translatū est. utq; esset aliqua æquiuocationis dinotio, aspera arteria dici cœpit illa pulmonis fistula, quam græci etiā bronchum uocant, propterea φ ex chartilaginosis partibus quæ bronchia appellantur, magna ex parte constet. Pulsatiles aūt uenæ simpliciter arteriæ uocatę sunt, quanq; hoc ipsum arteriæ nomen latini serius receperint, diuq; tum arterias, tum uenas promiscuo usu dixerint, uelut apud Celsum & Plinium uidere est: itemq; poetas latinos, qui inculpate uidentur uenas appellare ipsas arterias, quod ipsum apud græcos mox uitio datum fuit, si quis φλέβα pro ἀρτηρίαν dixisset, uelut annotauit quoque in noctibus atticis Aulus Gellius, qui paulo ante Galeni ætatem uixit. Vsurpat autem & ipse Hippoc. φλεβίον ἀντὶ ἀρτηρίας cum alibi, tum 6 epidem. partic. 6 aph. 2 σφυγμώδεος inquit, φλεβίου αἵματος πλῆθος &c. ubi Galenus aperte docet, uenam pro arteria ipsum dixisse, uerba eius sic habēt. φλεβίου σφυγμώδεος ἀκουστέον δεῖ τὴν ἀρτηρίαν, ὁμολογούντων ἁπάντων τῶν ἐξηγησαμένων τὰ ἱπποκράτεια βιβλία, φλέβας οὐχ ὑπὸ τούτου μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλῶν ἄλλων παλαιῶν ὀνομάζεσθαι καὶ τὰς ἀρτηρίας. Videtur autem ἀρτηρίας appellatio facta, παρὰ τὸ τὸν ἀέρα τηρεῖν, id est ab eo quod aerem seruet, ad utram tandem particulam referatur. Ad aeris enim per respirationem attractionē, caussa est & organum uel precipuū ipsa aspera arteria. Aeris aūt siue spiritus arteriarū motus, cordis & uitæ gubernacula temperat. Est enim pulsus siue arteriarū motus, actio naturalis, necessaria ac inuoluntaria. Sicut contra respiratio, actio est animalis, necessaria ad uitā, uoluntaria. Verum quantū hæ actiones inter se differant ac cōueniāt ab ipso Galeno in libris de difficultate respiratiōis doctissime est explicatū, qui libri nuper à nobis cum aliјs eiusdem argumenti latine sunt conscripti.

Organa uocis cum dico, arteriā accipite, & eius summū, ac fauces.] In græco sic habetur. ὄργανα δὲ φωνητικὰ λέγοντός μου, τήν τε ἀρτηρίαν ἀκούετε, καὶ τὸ λάρυγγα, καὶ τὸ φάρυγγα. Verum legendū est omnino τὴν φάρυγγα. Appellat itaq; Galen. hic τὸν λάρυγγα asperiæ arteriæ summā partem, sicut τὴν φάρυγγα fœminino genere

 fauces

fauces, hoc est omnem internam oris amplitudinē, uelut Galen. exponit, quemadmodum præcedente libro indicaui. Hæc enim est uocis instrumentū, & non ὁ φάρυγξ, hoc est gulæ summa pars. Quanq; autem ὁ φάρυγξ etiā ἀντὶ τοῦ λάρυγγος usurpetur, cuius exemplū in sequentibus habemus, ubi dixi. Velut exempli gratia. In lassitudinibus tensiuis, cum in summi ipsius asperæ arteriæ musculis fiunt: in græco sic habetur. οἷον ἐπὶ τῶν τονωδῶν κόπων, ὅταν ἐν τοῖς τοῦ φάρυγγος γίγνωνται μυσίν. Vt autem τοῦ φάρυγγος pro τοῦ λάρυγγος usurpatum sit, ex Aetio palàm fit, qui τοῦ λάρυγγος hic legit lib. 8 cap. 51 Quanq; inquam: ὁ φάρυγξ ἀντὶ τοῦ λάρυγγος usurpetur, Tamen neq; τὸν φάρυγγα hoc loco, asperæ arteriæ summum accipere possumus, cum idipsum simul sit per τὸν λάρυγγα expressum. At uero sicut hoc loco τὴν φάρυγγα, id est fauces, pro uocis organo legendum est: sic paulo inferius ὁ φάρυγξ non pro faucibus, neque pro larynge, id est arteriæ summo accipitur, sed pro gulæ summo. Sic enim ait. Vna enim est tunica sibijpsi cohærens & cōtinua, quæ summo gulæ, summo asperæ arteriæ, gulæ etiam, atq; ipsi asperæ arteriæ intrinsecus prætenditur: quod in græco hoc modo habetur. εἷς γὰρ ἐστιν ἑαυτῷ χιτὼν συνεχής, ὅ, τε ἐν τῷ φάρυγγι, καὶ τῷ λάρυγγι, καὶ στομάχῳ, καὶ ἀρτηρίᾳ τῇ τραχείᾳ ἐπὶ τὰ ἔνδον ὑποτεταμένος. Palàm itaque apparet τὸν φάρυγγα ad ipsam gulam, & τὸν λάρυγγα ad asperam arteriam referri, utpote qui sint summæ istarum partium particulæ. Cæterum hæc sæpius iam repeto, quod uideam interpretes græcorū medicorum mire in his uocibus uertendis delyrare, & nullo æquiuocationis respectu ferè semper φάρυγγα quocunq; genere dicatur fauces conuertere. Nam neq; Plinius ipse libro 11 cap. 37 cum ait: Summum gulæ fauces uocātur, postremum stomachus: has particulas satis clare distinxit. Fauces enim non uocatur summum gulæ, sed omnis interna oris amplitudo. Et ὁ φάρυγξ quidem summū gulæ appellatur, hoc est ἡ ἀρχὴ τοῦ στομάχου, sed hoc fauces appellare non cōuenit, ut sit inter fauces quas dixi τὴν φάρυγγα, & summū gulæ τὸν φάρυγγα discrimen. Neq; enim fauces, ut φάρυγξ, æquiuoce dicuntur. Videtur autem Plinius quod græci dicunt, ὁ φάρυγξ ἀρχὴ τοῦ στομάχου ἐστὶ, reddidisse: Summum gulæ fauces uocantur: atq; sic φάρυγγος æquiuocum confudisse, de quo æquiuoco etiam Dictionarij græcorum admonent, præsertim Suidas sic prodens. φάρυγξ θηλυκῶς σημαίνει τὴν λαιμὸν φάρυγγα, ἤ δ' ἐστιν ἡ ἀχανία ἡ μετὰ τὴν τῆς γλώττης ῥίζαν. ὅτε δὲ ἀρσενικῶς σημαίνει πολλάκις τὸν λάρυγγα. & Iulius Pollux. ὁ μὲν οὖν φάρυγξ στομάχου ἐστὶν ἀρχὴ, ὡς βρόγχου λάρυγξ. Porrò fauces significare internam oris amplitudinem post linguæ radicem, uel ex hoc doctissimi poetæ uersu ostenditur.

Obstupui, steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit.

Non potest enim in summo gulæ hærere uox, quum ex stomacho non prodeat, sed in faucibus hæsit, iam per arteriam eiusq; summum progressa.

Vocāt autem aliqui exercitiorū magistri eiusmodi affectionem musculorū in quibus consistit lassitudinem inflāmatam.] Exercitiorū magistros appellaui τοὺς γυμναστὰς, qui puerorū corpora exercebant, non solum in lucta & palæstra, sed etiam in Musica ac cantu. His enim artibus ingenui pueri instituebantur ac exercebant, insuperq; in literis, uelut tradidit Plutarchus, & in Thrasybulo Galenus, quanq; lib. 2 ὑγιεινῶν magis ad pædotribam spectare puerorū exercitationē tradat, utpote qui sit gymnastæ minister, uelut cocus medici. Est enī gymnastes propriè qui exercitiorū omnium uim doctus, & rationem & modū eorum singulis apte præscribit. Quare non solū gymnastæ, sed etiam ὑγιεινοῦ, id est, tutandæ sanitatis magistri, & medici nomine eum dignatur. Pædotriba uero omnes palæstræ actiones nouit quidē, sed quid efficere ualeant ignorat. Quemadmodū cocus betam aut lenticulā aut ptisanā, aliàs aliter præparat, neq; tamen quam uim habeāt

nouit

nouit, neque quæ potior præparatio existit. Medicus uero quanquam fortasse nihil eorum similiter ut cocus præparare queat, omnium tamen præparatorum uim nouit. Illi itaque exercitiorum magistri affectionem musculorum ex uehementi clamore & uocis exercitio obortam, lassitudinem inflammatam, id est κόπον φλεγμονώδη uocare solebant, similemque esse affectionem dicebant cum ea quæ in manibus, cruribus, lumbisque ac spina contingit, ubi etiam hæ partes nimium fuerint exercitatæ. At uero non solum lassitudinem inflammatam, sed etiam lassitudinem tensiuam, id est κόπον τονώδη incidere dicit Galenus, maxime circa musculos ipsum asperæ arteriæ summum mouentes, sed horum uerborum sententia in græco corrupta est, quam ex Aetij libri octaui cap. 51. restituimus in hunc modum. περὶ δὲ τὸν λάρυγγα, πρὸς τῇ πληγῇ ταύτῃ, καὶ ἡ τῶν κινούντων αὐτὸν μυῶν βλάβη ἢ φλεγμονή ἐστι, μείζονα τὴν διάθεσιν ἐργάζεται. Vetus tamen interpres uidetur paulo aliter legisse, hoc modo. περὶ δὲ τὸν λάρυγγα, πρὸς τῇ πληγῇ ταύτῃ, καὶ ἡ τῶν μυῶν φλεγμονή, μείζονα τὴν διάθεσιν ἐργάζεται. Cæterum quomodo κόπος τονώδης & κόπος φλεγμονώδης differant, Galenus libro 3 ὑγιεινῶν abunde ostendit, & Paulus lib. 1 cap. 20 declarat, his uerbis. ὁ τονώδης κόπος περίττωμα μὲν οὐδὲν ὅτι καὶ ἄξιον λόγου ἐγκεῖσθαι τοῖς σώμασιν ἐνδείκνυται, περὶ δὲ τοὺς μῦς τε καὶ τὰ νεῦρα διάθεσις τις ἐγγίνεται, καθ᾽ ἣν τείνεσθαι δοκοῦσιν. ὁ δὲ φλεγμονώδης καθ᾽ ὃν ὥσπερ τεθλασμένων ἢ φλεγμονόντων αἰσθανόμεθα τῶν μορίων, τηνικαῦτα συμπίπτειν εἴωθεν, ὅταν ἐκθερμανθέντα ἱκανῶς, ἐπισπάσωνταί τι τῶν περικεχυμένων ἑαυτοῖς περιττωμάτων. Quibus uerbis indicat, lassitudinem tensiuam indicare, nullum memorabile recrementum corporibus insidere, sed iuxta musculos ac neruos affectionem quampiam fieri, in qua tendi sibi uidentur. Lassitudinem autem inflammatam esse, in qua partes uelut contusæ aut inflammatæ sentiuntur, quod tunc maxime contingere solet, quum plurimum excalfactæ, ex recrementis quippiam attraxerint, quæ ipsis alias sunt circunfusa. Sed in uulgato Pauli exemplari τήκεσθαι pro τείνεσθαι legitur, & ἐκθερμανθέντων pro ἐκθερμανθέντα. Porro phonascos hanc affectionem frequenter incurrere subdit. & quomodo sibi medeantur annectit. Phonasci autem dicuntur qui uocis exercitio magno utuntur, quales sunt, uelut ipse recenset, citharœdi, præcones, tragœdi & comœdi. Plinius uocis studiosos, & uocem sub certamine exercentes φωνασκοὺς dixit.

Per totum hoc tempus cibis utentes qui ex lacte, amylo, alica, ouis, & dulciarijs libis componuntur.] Dulciaria liba dixi, τὰ ἴτρια græcis appellata, exponunt autem πεμμάτια & τραγήματα, hoc est placentulas & bellaria, quidam etiam διὰ σησάμου καὶ μέλιτος γινόμενα addunt, hoc est esse placentulas ex sesamo & melle paratas, quanquam non ex his solum parari solita fuisse τὰ ἴτρια, uel ex hoc constat, quod Dioscorides libro quarto papauer erraticum in mellita & dulciaria, ἴτρια uidelicet, addi scribat. Quare ego omnia liborum genera ex melle siue zacchato præparata, in quæ & nuces pineæ ac amygdalæ adduntur: itemque semina aliqua siue cucumeris siue cucurbitæ, siue papaueris aut sesami, ἰτρίων appellatione uenire puto. Nam talia omnia in rem præsentem commoda existunt. Appellantur autem hodie talia liba seu dulciarij panes, corrupta ex massa panis uoce, marzepanes, maxime quum prædictæ res cum zaccharo, & non cum melle, in formam panis coactæ torrentur, à qua præparatione cum friabiles fiant ipsi panes, ἐρέικια etiam græcis appellata esse eadem quæ ἴτρια, Galenus in glossis Hippocraticis tradit, nimirum παρὰ τὸ ἐρέικειν, id est ab eo quod friabilia & θρυπτά, ut ipse ait, reddantur, à quo uerbo etiam ἐρεγμὸν deriuatum dicit, de quo alibi mentionem feci. At uero Galenus duplicem ἰτρίων speciem 1 de aliment. facit, alteramque ῥυήματα uocari & præstantiorem esse, utpote cum melle præparatam, dicit: alteram uero λαγάνα appellatam, deteriorem esse, crassique succi ac tarde commeantis, nimirum ex

similagine cōstantem. Sed de hac specie etiā 5 lib. de tuenda ualitudine meminit, nocentissimumque placentarum genus ex similagine constans esse ait, adeo ut nullum edulium peius sit censendū, si non mel ei sit ammixtum. Porrò placentarum generis sunt & κοπτὰ appellatæ, itemque κοπτάρια, de quibus alibi dixi. Quæ aliquando ex rebus unde componuntur nomen reperiunt, uelut quæ σησαμίδες καὶ πυραμοὶ dicuntur, à sesamo & tritico, ex quibus magna ex parte constant. Quædam etiam περιφραστικῶς describuntur, uelut quæ πλακοῦντες τετυρωμένοι & μὴ τετυρωμένοι, à caseo addito uel non addito, uocantur. Quin & ὑποτρίμματα appellata placentarum generis sunt, quorum itidem aliqua ex caseo sunt conflata, uelut Galenus secundo de alimentis testatur, ubi de lactuca tradit, quod ferè cruda in cibi usum ueniat, & tamē ubi iam semen proferre incipit, æstatis hora in aqua dulci præcoquatur, & cum oleo garoque ac aceto exhibeatur, aut cum aliquo hypotrimmate siue intrito, maxime his quæ ex caseo præparātur. Non autē solum ex caseo ὑποτρίμματα facta esse, sed etiā ex ouis, allioque ac cepis & oliuis, ex græcis scriptoribus constat, appellatione inde ducta, quod reliquis cibarijs adderentur & intererentur. Vocantur eadem & μυττωτὰ, quam uocem usurpat Hippocrates libri secundi ὑπολημμιῶν fine. ἢν δὲ ἐμέῃ inquit, καὶ μὴ πίνῃ, μυττωτὸν δριμὺ δοῦναι πιεῖν. Exponit autem Galenus in glossis Hippocraticis uocem μυττωτὸν, iuxta sententiā Dioscoridis Alexandrini his uerbis. μυττωτὸν ὑπότριμμα Διοσκορίδης σκορόδων εἶναί φησιν ἢ κρομμύου. Vsurpat eandem uocem etiam Dioscorides Anazarbensis libro secundo de materia medica, de allio ita inquiens, τὸ δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ τῆς μελαίνης ἐλαίας γινόμενον τρίμμα καλούμενον δὲ μυττωτὸν, οὔρησιν κινεῖ καὶ ἀναστομοῖ. &c. τρίμμα idem quod ὑπότριμμα Dioscorides dixit.

Verum Atticissantes ipsum Siræum uocant, quemadmodū alij caricarum decoctum siræum appellandum censent, pugnantque inter se utrum ipsorum siræum uocare oporteat.] Sapam hepsema uocari & siræū supra lib. 6 ostendi, & Galenus deinceps sæpe repetit. Verum hoc loco non solum sapam, uerum etiam caricarum decoctum ab aliquibus siræum appellari tradit, & Paulus 3 cap. 28 σίραιον ἀπὸ ἰσχάδων habet

Quum uero moderatior facta est inflammatio, uinum dulce theræum aut scybelites bibere licet, aut ex nostra Asia caryinum, et deinde therinum appellatum, deinde etiam dulce tmolites.] Vinum dulce siue passum theræum, itemque scybelites, nigrum esse & crassum Galenus XII methodi, & V sanitatis tuendæ tradit, suntque omnino talia, qualia hodie cretica appellata, aduecta habemus. Nā et ipsorum usum eo tempore ante reliquos cibos fuisse, uelut hodie, ibidē docet, uelut ex uerbis quæ adscribere ea gratia non pigebit apparet. ὅσοι δὲ inquit, χωρὶς τοῦ στύφειν μέλανές τε εἰσὶ καὶ παχεῖς, οἷος καὶ ὁ σκυβελίτης καὶ ὁ θηραῖος, ἧττον μὲν οὗτοι τῇ γαστρὶ μένουσιν, οὔρησιν δ' οὐδ' αὐτοὶ κινοῦσιν, ἀλλ' ὑπέρχονται κάτω, διὸ καὶ προπίνουσιν αὐτοὺς ἐδωδῆς σιτίων. Hæc itaque uina dulcia, moderatiore facta inflammatione organorum uocis, in potu permittit: itemque ex Asianis uinis, caryinum, & therinum, & dulce tmolites. Duplex enim tmolites XII meth. facit, dulce uidelicet et austerum, quæ ambo calida esse, & cum falerno cōferri posse ibidem tradit. Ceterum caryinum & therinum item ex dulcium ac nigrorum uinorum genere esse, idem Galenus in lib. περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας docet his uerbis. μέλαν δὲ καὶ τὸ τοῦ καρυΐνου χρῶμα ὅδε, γλυκέως ὄντος αὐτοῦ, τὸ δὲ τοῦ θηρίνου μέλαν μὲν, ἀλλ' οὐκ ἴσον τῷ καρυΐνῳ, ἀπολείπεται γάρ τι καὶ τῇ γλυκύτητι τοῦ καρυΐνου. Quod autē Asiana sint hæc uina, Galenus hoc loco palàm docet, quare omnino θήρινον & nō θηραῖον, secundo loco legendum est, ut sit inter theræum creticum & therinum Asianum distinctio, ne si utrunque theræum appelletur, alterum pro altero accipi cōtingat, quod sanè hoc loco con

tingere

tingere posſit, ut putet quis theræum creticum eſſe repetitum: ſed ut id ne accidat, per hoc ſatis commonemur, quod therinum inter duo aſiana medium collocauit, inter caryinum uidelicet & tmolites, quanquam etiam ex loco iam citato ex lib. περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας palàm eſt θήραιον debere legi. Nam ſic iſthic aperte habetur, & de theræo cretico paulo ante etiam iſthic unà cum ſcybelite egit. At uero ſcybelites uinum Aetius eſſe tradit, quod ſua ſponte ex paſſis uuis diſtillat, utpote uinum ultro effundentibus uuis 9 cap. 24 Porrò quando in uinorum mentionem incidimus, quorum utilitas tum in iam citato libello, tum XII methodi, à Galeno proditur, obiter etiã de cæcubo locum iſthic traditũ explicabimus, quando ſanè præter id quod uulgo credi poſsit, & plerisq; omnibus putatur, de cæcubo uino, eiusq; appellatione prodit. Nimirũ φ non à loco aliquo ſit hãc appellationem ſortitũ, ſed ab ætate, ſituq; ac cubitione, ſic enĩ ait. ὀνομάζουσι δὲ ῥωμαῖοι τὸν οὕτως παλαιωθέντα καίκουβον, ὃν οὐκ ἂν ἔτι γνωρίσαις ἐξ ὁποίου γένους ἦν. & paulo inferius, ὥσι δὲ τῶν οἴνων ὁ παλαιότατος, ὃν ἔφην ὑπὸ ῥωμαίων ὀνομάζεσθαι καίκουβον, εἰς τοῦτον τοῦ λευκοῦ τε ἅμα καὶ αὐστηροῦ καὶ νέου ἀφικνούμενος καὶ παχέος οἴνου, ὡς τὸν μὲν ἱκανώτατα θερμαίνειν, τὸ δὲ ψύχειν αἰσθητῶς. Vult itaque Rhomanis cæcubum uinum omne dici quod diu cubuit, ita ut cæ extenſiua ſit particula, quemadmodum etiam eſt in uerbo caſtigo, ex ca & ſtigo compoſito. Sed hoc longe apertius XII meth. declarat his uerbis. ὅσοι δ᾽ ἐν αὐτοῖς θερμότεροι, ξανθοὶ πάντες εἰσὶν, ὁποῖος καὶ ὁ καίκουβος ὢν τῆς ἰταλίας, ὃς οὐχ ἕν τι γένος ἐστὶν οἴνου ἰδίᾳ τὴν ἐξ ἀρχῆς ὥς τινες νομίζουσιν, ἀλλ᾽ ὑπὸ παλαιότητος εἰς τοῦθ᾽ ἥκων, ὡς πυῤῥὰν ἔχειν χρόαν, ὅθεν περ καὶ τοὔνομα αὐτοῖς. Ex his locis apertiſſime apparet, cæcubum uinum omne inueteratum, à longa cubitione dici, Galenum prodere, quod tamen haud ſcio an quiſquam ex latinis tradiderit, ut ſit ea eius appellationis etymologia. Plinius decimo quarto, capite ſexto, Diuum Auguſtum ſetinum uinum cunctis prætuliſſe dicit, uerum antea cæcubo, inquit, erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano, quod iam intercidit, & incuria coloni, loci q; anguſtia, magis tamen foſſa Neronis, quam à Baiano lacu Oſtiam uſque nauigabilem inchoauerat. Oſtendit itaque palàm Plinius, cæcubum à loco & agro cæcubo appellatũ eſſe, de quo libro ſecundo, capite nonageſimo tertio, ſic ait. Similiter in Reatino quædam inſulæ ſemper fluitant, ſicut in agro cæcubo. & libro tertio, capite quinto. Hinc felix, inquit, illa Campania eſt, Ab hoc ſinu incipiunt uitiferi colles, & temulentia nobilis, ſucco per omnes terras inclyto, atque ut ueteres dixerunt, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc ſetini & cæcubi obtenduntur agri &c. Verum paulo ante hunc locum ait. Ibi fuere Amydæ à ſerpentibus deletæ, deinde lacus fundanus. ad quod reſpexit, quum dixit libro decimo quarto, capite ſexto, in paluſtribus populetis ſinu Amyclano fuiſſe natũ. Sed hoc ipſum etiam Martialis poeta oſtendit in Xenijs. Cæcubum.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis,
Vitis & in media nata palude uiret.

Ex his omnibus locis apparet cæcubum uinum à loco & agro dici, ut neq; ſuſpicio aliqua eſſe poſſit de eo etymo quod Galenus huic appellationi adſcribit. Niſi quis ex eo Plinij loco lib. 23 cap. 1 ubi ait. Cæcubum iam nõ gignitur, ſuſpicari uelit, ſi iam nõ gignitur, ergo uel factitiũ eſt, uel aliunde eſt appellatio eius quod cæcubum dicitur. Sed tamen ut ne quis etiã id ſuſpicetur, nõ addit Plin. de eius uiribus ac facultate quicq;, tanquam qui: non gignit: non quod natiuũ amplius non ſit dixerit, ſed quod in totum perierit, ut de eo fruſtra quis uerba faciat. At uero quando poſt Plin. & Martialẽ uixit Galenus, & cæcuba uina nouit, de eorumq;

uiribus tradit, certũ est eam appellationem, uelut ipse tradit, à uero cæcubo absq; lito, translatam postea fuisse ad omnia uina inueterata, nouumq; nominis etymon, uelut dixi excogitatum, de quo neminem apud latinos mentionem facere scio, quanquam nihil adeò bonorum scriptorum à Galeni seculo nobis extet.

Sorbitio item ex lacte & melle diutius coctis, amylo iniecto, & si amylum nõ adsit, siligine Rhomanis appellata iniecta.] Siliginem pro amylo in sorbitionem ex lacte & melle addi posse Galenus ait, siliginisq; uocem Romanam esse addit, qua usus esse græcæ eius rei significatis penuria uidetur, uelut libro primo de alimentis testatur, ubi purissimum esse siligineum panem, & ab eo similagineũ tradit, sed tamen siligniten, id est siligineum, se non græce appellare inquit, uerũ propterea id facere coactum esse, quod non habeat quomodo aliter appellet, sed adscribam ipsa uerba. ὁ μὲν καθαρώτατος ἄρτος ὀνομάζεται σιλιγνίτης. ὁ δὲ ἐφεξῆς αὐτῷ σεμιδαλίτης. ἀλλ' ἡ μὲν σεμίδαλις ἑλληνικόν τε καὶ παλαιὸν ὄνομά ἐστι. σιλίγνις δὲ οὐχ ἑλληνικὸν μὲν, ἑτέρως δ' αὐτὴν ὀνομάζειν οὐκ ἔχω. πρωτεύει μὲν οὖν ὁ σιλιγνίτης αὐτῶν, ἐφεξῆς δὲ ὁ σεμιδαλίτης, καὶ τρίτος ὁ μέσος τε καὶ συγκομιστὸς ὁ καὶ αὐτοπυρίτης, ἐφ' ᾧ τέταρτός ἐστι, τὸ τῶν ῥυπαρῶν εἶδος, ὧν ἔσχατος ὁ πιτυρίας, ὃς δὴ καὶ ἀτροφώτατός ἐστιν. His uerbis quinq; genera panis ex tritico recenset, quorum omnium purissimus est siligineus, utpote ex siligine purissima tritici farina constans. Secundo autem loco similagineum, semidaliten græcis dictum ponit, ex similagine paratum tritici farina non adeo absolute pura: cui tertius succedit autopyrus, cui nihil furfurum decessit, sed ex toto tritico constat, unde etiam appellationem duxit. Sequitur deinde quarto loco sordidus, magna ex parte ex furfure constans: hinc postremus omnium furfuraceus totus. Est itaque siligo Romana uox græcis usurpata, qua purissima tritici farina significatur, quam hoc loco amyli uice usurpari posse dixit. Fit autem etiam ipsum amylum ex tritico, sed sine mola, unde etiã nomen habet, modo à Dioscoride libro secundo, & Plinio decimooctauo, capite septimo ostenso, qui etiam hodie ubique gentium notissimus existit. Imò non solum purissima tritici farina siliginis nomine accipienda est, sed etiam ipsum optimum ac purissimum triticum siligo appellatur, ex qua adeò Marcus Cato amylum facere docuit. Amylum enim inquit Plinius, ex omni tritico ac siligine, sed optimum ex trimestri. & idem capite octauo eiusdem libri, siliginem propè dixerim tritici delicias. & rursus capite decimo sequenti. Siligo nunquam maturescit pariter, nec ulla segetum minus dilationem patitur propter teneritatem. Sed capite nono eiusdem libri cum ait: E siligine lautissimus panis, pistrinarumq; opera laudatissima: siligo tum pro optimo tritico, tum pro optimi tritici farina accipi potest. In summa itaq; optimum triticum est siligo, eiusq; farina etiam siligo appellatur: sed quod penitissime ex ea depuratum est flos latinis dicitur. Ex tritico uero communi farina, similago, & græcis semidalis dicitur, & purissimũ ex ipsa pollen appellatur: quod ipsum Plinius manifestis uerbis capite decimo iam citati libri docet sic inquiens. Similago ex tritico fit laudatissima. Ex Africo iustum est è modijs redire semodios & pollinis sextarios quinque. Ita enim appellant in tritico quod florem in siligine. Quare palàm uidere est quàm hæc uox siliginis hodie à uera significatione sit detorta, quando ea frumenti species quæ typha & olyra quondam dicta fuit, hodie uulgo siligo appellatur.

In caput secundum de arteriacis ab Andromacho conscriptis.

ARteriaca dia codion ex capitib. papaueris.] In hac arteriaca μέλιτος ἀττικοῦ χ. δ. in greco exẽpl. hoc est attici mellis cõgios IIII habet, sed uetus interp. libras. IIII legit et uertit, ut fortassis, p χ. δ. legẽdũ sit λι. δ. q error facilime ob similitudinem

tudinem characterũ potuit cõmitti, quare etiam ego libras IIII reddidi, cum IIII congiorũ mẽsura sextarios XXIIII cõplectẽs, nimia sit reliquorũ cõparatione. Quantam autem copiam mellis esse oporteat in talibus medicamentis Galenus infra tradit, ubi etiam uarias huius pharmaci dia codion à papaueris capitibus siue calicibus appellati, descriptiones recenset.

Tertiam deinceps confectionem arteriacam Andromachus hanc prodidit.] In hac arteriaca fecis ungẽti malabathrini drach. VI uerti, sed in græco exemplari μίγμαδος μαλαβάθρου pro μάγματος μαλαβαθρίνου habetur, quanquam etiam μαλαβάθρου pro μαλαβαθρίνου dictũ esse possit: sicut νάρδου pro ναρδίνου dictum alibi ostẽdi. Magma autem fecem ungenti significare, etiam Plinius testatur. Malabathrini uero fecẽ hoc loco cõferre, ex eo quod uim soporiferã habet uelut crocinũ & amaracinum, satis manifestum puto. Ad finem porrò huius arteriacæ habetur. opium & castoriũ in forti fluxione ipsi ammisceri, sed in his qui stomacho male affecti sunt, ea ipsa uitamus: pro quibus postremis uerbis in græco habetur, ὧν δὲ τῶν κακοσομάχων αὐτῷ τῷ φαρμάκῳ, quæ uerba cum sint palàm corrupta, pro eis sic lego. ὧν δὲ τῶν κακοσομάχων αὐτὰ φυλαττόμεθα, uel αὐτὰ παραιτόμεθα, & eueniet sensus quem ego reddidi. Similiter autem & consequenter ὃ αὐτὸ τὸ χρήσεως ἃ γέγραφεν legitur, pro ὃ αὐτὸ τῆς χρήσεως ἦν γέγραφεν, sed talia ut manifestaria uitia illibentissime adscribo, quum ex conuersionis collatione fiant satis conspicua.

Quintam ex ordine compositionem Andtomachus talem prodidit.] In hac quinta arteriaca quod dixi, crocum autem & myrrham in compositiones dolorem leuantes miscere pluribus placuit; in græco legitur, κρόκον δὲ μιγνύειν ἢ ὀπίου τῶν τὰς ἀνωδύνους τοῖς πλείσοις ἤρεσεν. Manifesto itaque errore ἢ ὀπίου pro καὶ σμύρνης expressum est, quum opium ipsum & nihil aliud, hoc pharmacum ἀνώδυνον reddat: crocus uero & myrrha ei addita, affectiones cõcoquant. Est porrò & septima sequens arteriaca aliquot locis corrupta, quam ex nostra uersione emendabis: præsertim ubi πετρόφεως ῥίζαι pro πτέρεως habẽtur, & βάλλονται εἰς χύτραν ἐγκεκαυνισμένην pro ἐγκεκωνιασμένην expressum est. Videtur autem picatam ollam ad radicum filicis cocturã probare, si modo non deest particula οὐκ ante ἐγκεκωνιασμένην inferenda, ut uasculum siue ollam non picatã accipiamus: de utrisque autem alibi à me dictum est, Sed & quod dixi, radices filicis per diem unam perfrigerantur, in græco est, ψύχονται ὥραν μίαν. Est autem hic mos græcis medicis maxime, ut horam pro die usurpẽt, uelut etiam alibi indicaui. Sed hoc ipsum etiam inferius ex Asclepiadæ arteriacis perspicuum fit, ubi eadem ex filice arteriaca repetitur, & ψύχονται τὴν ἡμέραν μίαν legitur. Quin & in sequẽti octaua arteriaca, βέβληκε δὲ καὶ κοτύλας μέλιτος τέσσαρας legendum est, sed κοτύλης τέταρτον nimis exiguum pondus, expressum habetur.

Nonam arteriacen post has Andromachus his uerbis tradidit. Arteriace Marini.] Marinus quem hic Andromachus citat, huius arteriacæ autorem, is esse mihi uiderur, qui in Hippocratis libros commentarios scripsit, cuius in commentarijs in aphorismos Hippocratis Galenus sæpe mentionem facit, & libro secundo de semine in fine: peruenit autem usque ad ætatem Traiani, quam fortassis etiam ipse Andromachus attigit. Nam pater eius sub Nerone uixit, eiusque archiatrus fuit, ut Galenus I de antidotis tradit. Meminit autẽ Marini ut medici sui Plinius decimo libro epist. ad Traianum his uerbis. Proxima infirmitas mea domine obligauit me Posthumio Marino medico, cui parem gratiam referre beneficio tuo possum, si precibus meis ex cõsuetudine bonitatis tuę indulseris &c. Cæterũ in hac arteriaca therẽum uinum creticum, hoc est τὸν θηραῖον τὸν κρητικὸν habet, quem fortassis declarãdi gratia sic depinxit, ne quis therinon, id est θήρινον

asianum pro eo accipiat, de quo quale esset paulò superius memini.

Tertiā decimā arteriacā Andromachus his uerbis tradidit.] Ad finem huius confectionis Galenus adiecit. Recte fecit & hic quod tum ea quæ promittit hoc pharmacum, tum quomodo præparetur adscripsit: quæ uerba in græco sic leguntur. καλῶς ἐποίησε καὶ ταύτην τὴν ἐπαγγελίαν καὶ τὴν συνήθειαν εἰπών. Pro ταύτην itaque legendum est τούτης, & pro συνήθειαν reponendum σκευασίαν.

Decima quarta arteriaca est de qua sic prodit.] In hac arteriaca conuerti, habet uim secandi & attenuandi ac calfaciendi ex multis pharmacis, sed in græco est, ἔχει γὰρ τμητικὸν, καὶ λεπτυντικὸν, καὶ θερμὰ πολλῶν φαρμάκων. Pro καὶ θερμὰ igitur legendum est aut καὶ θερμαντικὸν ἐκ uelut ego reddidi, aut κατὰ θερμότητα ut sit sententia. Habet uim secandi & attenuādi iuxta caliditatem multorum pharmacorum.

Decima sexta ex ordine sic scripta est.] In hoc pharmaco aristolochia dactylitis habetur, quæ eadem est cum lōga, quæ & mascula apellatur, respectu rotundæ, quæ fœmina: legitur tamen in græco δακτυλιδὸς pro δακτυλῖτις. Cæterum post enumerationem eorum quæ in hoc pharmacum recipiuntur, ubi de præparatione subiungit, etiam σχοίνου exprimit cum reliquis cōtundendum & in uino macerandum. Verum σχοίνου in enumeratione penitus non meminit, neque pondus eius absentis expressum est, ut aut in prima enumeratione σχοῖνος desit, aut in præparatione superflue adiectus sit. De quo admonendum duxi, ut si quis pharmacum præparaturus sit, secum expēdat an pro affectionis subiectæ ratione, ammiscere σχοίνου præstet, an non: & si omnino ammiscendum putauerit, uelut per incuriam exscribentis elapsum, cassiæ & nardi celticæ pondus adijciens nihil peccarit. Vis autem σχοίνου in superioribus sæpe declarata est. Sed & in præcedenti decimaquarta arteriaca, floris σχοίνου, id est iunci rotundi odorati usus fuit. Nos porrò eum in totum reliquimus, nulli præiudicantes tamen qui eum ammiscere uelit.

Decima septima cōfectio talis ab eo traditur, arteriaca alia ut Heraclides Tarentinus.] In græco exemplari nō ut Heraclides Tarentinus, sed & Euclides Palantinus, id est ὡς εὐκλείδης ὁ παλαντῖνος legitur, haud scio an non falso, quando alias nusquam hic Euclides Palantinus in his libris citetur, ab ullo aliquo eorum quorū scripta Galenus adducit. Sæpenumero autem Heraclidæ scripta tum Galenus protulit, tum alij quos Galenus transscribit, uelut hic Andromachus, et in præcedenti libro ad aphthas Crito, ut omnino putem Heraclidem Tarentinum pro Euclide Palantino mihi ignotissimo legendum, donec certius de ipso constiterit. Interim tamen utraque lectio sine periculo tolerari potest.

Eclegma faustianū appellatum. Vini falerni sextarium unum &c.] Hoc eclegma faustianum à uino falerno faustiano uidetur appellatum, ex eo enim solo & melle attico constat. Cæterum falernum duplex esse, & alterum suauius proprie faustianum appellari, Galenus libro primo de antidotis tradit, His uerbis. δυοῖν δὲ ὄντοιν εἰδῶν αὐτοῦ, μηδὲν ἀλλήλων διαφερόντων ἀρετῇ, ἥδιονα τὴν ἀντίδοτον ὁ γλυκύτερος ἐργάζεται, καὶ καλοῦσιν αὐτὸν ἰδίως φαυστιανόν. Sed & Plinius libro decimo quarto, capite sexto. Secunda nobilitas inquit, falerno agro erat, & ex eo maxime faustiano. & paulo post subdit. Tria eius genera, austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguūt, summis collibus Gauranum gigni, medijs faustianum, imis falernum.

Confectio ex capitibus papaueris Heræ.] Hanc dia codyon cōfectionis ex papaueris capitibus descriptionem, iuxta Heræ præscriptum etiam Plinius lib. 20 cap. 19 recenset; ubi de papauere syluestri loquens, sic ait. Medicamentum quod

dia codion,

Dia codion & arteriace uocatur, utilissimum. Fit autem huius papaueris aut cuiusque syluestris capitibus CXX in aquæ cœlestis sextarijs tribus biduo maceratis, in eademque decoctis, deinde saccatis, iterumque cum melle decoctis ad dimidias partes uapore tenui. Addidere postea drachmas senas croci, hypocysthidis, thuris, acaciæ, & passi cretici sextarium. Hæc ostentatione, simplex quidem & antiqua illa salubritas, papauere & melle constat. Hæc uerba Plinij propterea adscripsi, ut ipsis cum Heræ, & aliorũ descriptionibus collatis, amplius constet simplicissimam compositionem esse optimam, quod omnes ex æquo cõfitentur: & ut Plinij lectio emẽdetur, in qua in uulgatis exemplaribus, dia codion & asteriace, pro dia codion & arteriace legitur: & dein siccatis, pro, deinde saccatis, habetur. Dixit autem Plinius saccatis pro excolatis, hoc est per saccum siue colum transmissis, de qua re lib. 1 à nobis dictum est. Vtitur eodem uerbo Plinius 29 cap. 2 de sordibus pecudum præparandis, quæ pinguitudo utraque inquit, frigida aqua lauatur, ac linteo saccatur ac sole torretur, atque hanc lectionem uetus exemplar manuscriptum habet, cuius alibi quoque mẽtionem feci. In uulgatis uero, & in linteo siccatur, habetur. Sed & pondera rerum, quæ uariam faciunt hanc cõfectionem in Plinio nimis aucta sunt, ad tantillum capitum numerum, & aquæ sextariorum trium mensuram. Heras enim singulorũ drachmam unam tantum habet. Plinius uero drachmas senas, ut fortassis per negligentiã, harum rerum pondera ex Critonis confectione hanc præcedente huc transsumpserit: in ea enim sextarij aquæ LXXX ad tertias coctæ, cum X libris mellis habentur, quibus sane harũ rerum pondus partim XII drachmarũ, partium VI indendum idem Crito adscripsit. Neque uero dubium esse debet, quin ex ijsdem autoribus unde Galenus, aut certe illis unde hi quos Gal. citat, sua acceperunt: Plin. etiam sua sumpserit. Porro ad finem confectionis Heræ habet, ipsaque cum modico passo terunt, atque ita indunt ac simul coquunt, quod in græco sic legitur. καὶ λειοτριβοῦσιν αὐτὰ σὺν ὀλίγῳ γλυκεῖ καὶ ὑπεκκατερῶσι καὶ συνέψωσι. Significat enim ὑπεκκατερῶσι insuper indunt, ἐξερᾶσαι enim euacuare, & μετεράσαι transeuacuare est, & κατεράσαι deopplere, hoc est ex uno uase in aliud transferre est, quorum uerborum frequens usus, apud Galenum atque omnes græcos medicos occurrit.

Confectio ex capitibus papaueris Damocratis.] Hi Damocratis uersus iambici, sunt quidem corrupti, sed ita ut etiam à literatoribus ferè, magna ex parte emendari possint, præsertim nostra adhibita translatione, quapropter eam transsilemus, de hoc saltem admonentes, quod septimus à fine uersus sic nobis legendus uidetur. πάντ' ὀνπιθεμῆς ἢ τὸ κρεῖττον ποντικῆς. Puto autem nihil aliud quàm succum Rhois ab ipso indicari, de quo in superioribus ad plenum disserui. Eupatoricam uero & ponticam Rhoem maxime probat, sicut supra Syriacã Galenus laudauit, quanquã Eupatoricæ & ponticæ Rhois, neque Diosc. neque Galenus usque quod sciam, meminerunt. Vltimum deinde uersum hoc modo restituendum existimo. συνεκζέσας ἀποτίθου ψυχρῷ ὑελῷ, uelut etiam conuerti.

Brassicę uiridis cauliculos depuratos manducandos præbe.] De brassica quæ κράμβη græcis dicitur, tum apud græcos, tum latinos autores multa produntur. Verum quod succus eius cauliculorũ ad uocem interceptã commodet, ob uim ipsius resiccatoriam & extersoriam euenire uerisimile est, per quas citra acrimoniam fluores extergentur, ut sit ex medio ordine arteriacorum pharmacorum, supra in principio huius septimi libri à Galeno relatorũ, censenda. Dioscorides tamen idem de folijs manducatis prodit, quod Asclepiades hic ex Musæ præscripto de cauliculis tradit. τὰ δὲ φῦλλα, inquit, διαμασσόμενα φωνῆς ἀποκοπὴν καθίστησι, τὸ χυλῷ καταπινομένου. Cæterum brassica nihil aliud est, quàm uulgare illud olus,

quod

quod caules appellamus, atque hoc uel ex Martiali poeta discere licet, qui Xeniorum libro, eos caules per nitratam aquam uirides conseruari ait, quanquam Palladius lib. 3 cap. 24 non nitratam aquam, sed ipsum nitrum tritum cribellatum desuper spargi iubeat, dum caulis est trium uel quatuor foliorum, inde enim celerius coquitur, ait, uirore seruato. Meminit & Columella 11 cap. 3 & Cōstantinus Cæsar lib. 12 cap. 17 & Plinius 19 cap. 8 quanquam loco ab ipso non intellecto, aut certe postea corrupto, quod ex græcis uerbis à Cōstantino citatis è ueteri quopiam scriptore, Didymo fortassis, apparet, quę Plinius uidetur exprimere uoluisse. Plinij uerba sunt hæc. Sunt qui semen trifolij nitrumque simul tritum aspergāt folijs, nitrum etiam in coquendo uiriditatem custodit. Constantini uerba habent hoc modo. εἰδέναι χρὴ ὅτι τὴν κράμβην ἐν ἁλμυρῷ τόπῳ σπείρειν προσήκει, δεῖ δὲ χρὴ τριφύλλῳ ταύτῃ χρωμένῃ, νίτρον λεῖον ἢ ἁλμυρίδα γῆν διὰ κοσκίνου καταπασθῆναι πάσαν ὡς δοκεῖν αὐτὴν πεπαχνῶσθαι. τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ καὶ εὐψανωτέρα γίνεται. Plinius itaque trifolij semen habet, pro τριφύλλῳ κράμβῃ χρωμένῃ, id est brassica trium foliorū, ueluti recte Palladius reddidit itidē ex græcis ut apparet. At uero Martia. sic habet. Coliculi:

Ne tibi pallentes moueant fastidia caules,
Nitrata uiridis brassica fiat aqua.

At uero hanc brassicam, id est κράμβην, à ueteribus fuisse item ῥάφανον dictam, Aristot. 5 de animal. hist. testatur, ubi de brassicarum erucis ait. αἱ δὲ γίγνονται ἐκ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν, καὶ μάλιστα τῶν τῆς ῥαφάνου, ἣν καλοῦσί τινες κράμβην. & sic sanè etiam Theophrastus uocat: atque inde natus error uidetur eorum, qui cramben & brassicam, rhaphanum hodiernū esse existimāt, æquiuoco rhaphani decepti, qui ueteribus etiam de brassica, ut dixi: hodie de ea tantum quam radicem & radiculam appellamus usurpatur, uelut etiā Gal. 2 de aliment. testatur. Plinius certe lib. 17 cap. 24 fine, rhaphanū ex Theophrasto ut apparet, itidem rhaphanum reddidit, quam brassicam oportuit, uelut ex eodem, lib. 20 cap. 9 manifestum fit, ubi de brassica idem repetit. Et ex Constant. Cæsare lib. 11 cap. 17 & lib. 7 cap. 31 Itē cap. 29 & 33 eiusdem lib. 7 quibus duobus locis non κράμβην sed ῥάφανον habet, à nobis brassicam redditam, cum nuper id opus latine à nobis cōscriptum ederemus. Porrò à rhaphani fracturæ similitudinē, per trāsuersum uidelicet, fracturæ ossis consimilis modus ῥαφανηδὸν fieri dicitur, id est rhaphani modo: sicut ubi secundum longitudinem fractura fit, σχιδακηδὸν fieri dicitur, id est fissim aut assulose, uelut Plinius de calamo lib. 12 cap. 22 ait: melior, q minus fragilis, & qui assulose potius quàm rhaphani modo frāgitur. Quod propterea indicare uisum est loco ita ferente, quo locus apud Galenū 6 method. à studiosis emendetur, ubi ῥαφανηδὸν os fractum à recentioribus medicis appellari legitur, quod uarie & multiformiter contritum sit, improbatque Galenus tales nominum effictiones, à quibus Hippocrates abhorruerit, qui consuetis uocabulis rem declarare satius esse duxerit, aut etiam oratione integra circumloqui ac interpretari. At uero ῥαφανηδὸν eo loco minime est legendum. Est enim ῥαφανηδὸν facta fractura, non multiformis ac uaria, sed per transuersum ut dixi, atque eadem quæ καυληδὸν facta dicitur, quam etiam eodem loco Galenus recensuit. Quare pro ῥαφανηδὸν omnino substituendum est ac legendum ἀλφιτηδὸν, id est ad polentæ speciem. Sic enim recentiores eius tēporis medici uocabula studiose excogitabant, ut id quod multiformiter fractum ac contritum esset, ἀλφιτηδὸν κατεαγμένον appellarent. Sic autem uerba Galeni legi debent ἔνιοι δὲ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν ἄχρι τοσούτου φιλοτιμοῦνται πάσας τῶν καταγμάτων τὰς διαφορὰς ἰδίοις ὀνόμασιν ἑρμηνεύειν, ὥστε καὶ ἀλφιτηδὸν τι ἀγνύσθαι φασὶν, οὐκ ἀρκούμενοι τῷ λόγῳ δηλῶσαι τὸ πολυειδῶς συντετριμμένον ὀστοῦν. id est, Quidam ex recentioribus medicis usque adeo cōtendunt omnes fracturarū differentias

rentias proprijs nominibus interpretari, ut etiam polentæ modo quid fractũ esse dicant, non contenti per orationem explicasse, os multiformiter contritum. Verum & hunc locum Linacer interpres, sicut plerosq; alios, non expendit. Quo uero hæc omnia clariora fiant, Pauli locum lib. 5. cap. 89. adscribam emendatum, in quo omnes fracturarũ differentiæ explicantur. διαφοραὶ δὲ τῶν καταγμάτων εἰσὶ πλείους. ἢ μὲν γὰρ λέγεται ῥαφανηδὸν, ἢ δὲ σχιδακηδὸν, ἢ δὲ εἰς ὄνυχα, ἢ δὲ ἀλφιτηδὸν, ἢ δὲ κατ᾽ ἀπόθραυσιν. ῥαφανηδὸν μὲν οὖν ἐστὶ ῥῆξις ὀστέου κατὰ τὸ πλάγιον σχῆμα διὰ πάχους, ὃ καὶ σικυηδὸν, καὶ καυληδὸν, τινὲς ὀνομάζουσιν, ἐκ τῆς ἐμφερείας τῶν καταγνυμένων σικύων καὶ καυλῶν. σχιδακηδὸν δέ ἐστι ῥῆξις ὀστέου κατὰ μῆκος. εἰς ὄνυχα δέ ἐστιν ὀστέου ῥῆξις κατὰ μέν τι μέρος εὐθεῖα, κατὰ δὲ τὸ πέρας μηνοειδὴς, ἣ δὲ αὐτὴ καὶ καλαμηδὸν λέγεται. ἀλφιτηδὸν δέ ἐστι ῥῆξις ὀστέου πολυμερὴς εἰς λεπτὰ, ἣ δὲ αὐτὴ καὶ καρυηδὸν παρά τισι λέγεται. Ἀπόθραυσις δὲ ἡ καὶ ἀποκοπή ἐστιν ἀφαίρεσις μέρους ὀστέου κατ᾽ ἐπιῤῥῆξιν, ὥστε τὸ ἀφαιρεθὲν ἀπολείπειν. Hoc est. Differentiæ fracturarum plures sunt: alia enim rhaphani modo facta dicitur, alia assulose, alia in unguem, alia polentæ modo, alia per defractionem. Et Rhaphani quidem modo facta, est fractura ossis secundum obliquam figuram per crassitudinem, quæ & cucumeris modo, & caulis modo facta quibusdam dicitur, ex similitudine fractorum cucumerum ac cauliculorũ. Assulose uero est fractura ossis in longitudinem. In unguem autem est fractura aliqua quidem parte recta, iuxta finem uero lunaris, quæ ipsa & calami modo facta dicitur. Polentæ uero modo est fractura ossis in multas minutas partes, quę et nucis modo facta dicitur. Defractio uero aut abscissio est ablatio partis ossis secũdum diffractionem superficiei, ut ablatum desit.

Alia arteriaca Charixenis, facit ad sonum uocis fractum, destillationes in arteriam, uocem interceptam & raucosam, ad interceptiones uocis ex distentione.] Sonum uocis fractum dixi, quem, ἦχον græci uocãt, Sed Aetius ferè ἦχον τῆς φωνῆς τεθραυσμένον dicere solet. Destillationem autem in arteriam conuerti βράγχον, qui & Raucedo dici potest, ita ut destillatio sit causa, Raucedo uero ipsum πάθος. Verũ interceptiones uocis ex distentione dixi, τὰς ἐκ διατάσεως ἀποκοπὰς, hoc est, ab exercitio & contentione obortas: quanquam διαστάσεως falsò pro διατάσεως in exemplari græco legatur.

Alia hypoglossis Dioscoridæ.] In hac arteriaca nuces pineæ contusæ numero sexaginta legũtur, sed in græco tamẽ κεκαυμένα pro κεκομμένα id est cõtusæ habetur, nisi πεφωγμένα potius legere uelis, aut ea ipsa per κεκαυμένα accipere. Tostæ enim nuces pineæ etiam in sequentibus frequenter habentur.

Alia Scribonij Largi hypoglossis.] Hæc hypoglossis est apud Scriboniũ Largum latine inuulgatum, titulo siue capite aut compositione ex ordine LXXV. & non deest, uelut Ruellius medicus Galliarum celeberrimus, qui eum librum Scribonij inuulgauit, existimauit: & hanc compositionem ex hoc Galeni loco cõuersam, pro compositione Scribonij LXXII. restituendam prodidit. Neq; enim ulla aliqua compositio illo Scribonij loco deest, sed quod in fine ab ipso dicitur: Compositio autem hæc est, ad sequentem LXXIII. pertinet. aut legendum potius uelut Marcellus ex eo transcripsit, composita autem hæc ad tumorem arteriæ maxime prosunt, papaueris syluatici, &c. Quare temere isthic inseratur, quæ compositione LXXV. rursus repetitur, plane eadem quæ hic ab Asclepiade describitur, sed pluribus uerbis, & ponderibus aliquãtulum uariantibus, quod uitium exscribentium putandum est. Itaq; conferẽdi gratia ipsum Scribonij locum totũ adscribam. Arteriace qua melior non est, refertur autem ab Asclepiade nostro, facit ad omnia superius dicta efficacius, & quicquid in arteria uitij est. Cõstat ex his. myrrhæ optimæ pinguis. ✱. P. XXIIII. tragacãthi cãdidi. ✱. P. XXVIII. glycyrrhizæ radicis. ✱. P. XVIII. resinæ terebinthinæ ueræ. ✱. P. XVIII. Tragacanthum sicut

S est

est contundere, & per cribrũ tenuibus foraminibus eijcere oportet: deinde myrrham tritam seorsim admiscere, & rursus utraq; in unum diu terere, atq; ita in pilam cõijcere, & ibi cum coaluerint ictu pili, terebinthinam paulatim miscere, donec omniũ unitas fiat. Postea glycyrrhizam contusam & cribratam, mortarioq; nihilominus tritam sensim aspergere oportet. Vbi hæc bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant, & pilulas faciant magnitudinis fabæ. Fit enim durissima hæc arteriace, & hoc ipso præcedit cæteras, quia linguæ subiecta non facile soluitur, & ita diutius exhibet suum effectũ. Hæc est ipsissima compositio Asclepiadæ, quam Galenus hoc loco habet, & sic refertur quoq; à Marcello cap. 14. paululum uariantibus ponderibus & uerbis. Quod autem Asclepiades Scribonium citat, & Scribonius rursus Asclepiaden, indicat ipsos contemporaneos fuisse & amicos, atq; ita mutuum honorem nomenclandi præstitisse, unde etiam ab Asclepiade nostro, Scribonius dixit. Cæterũ ætate longe grandior Scribonius fuit, Nam sub Claudio Cæsare floruisse, eiusq; medicum fuisse, ex cõpositione LX. palàm fit, ubi ait, Nam Messalina Dei nostri Cæsaris hoc utit. & compositione CLXIII. Quum Britanniam peteremus inquit, cum deo nostro Cæsare. Hic autẽ Cæsar non alius quàm Claudius fuit, cui uxor Messalina erat, & Britanniam eundem petisse, Sueton. in uita eius scribit. Verisimile est autẽ eundem esse hunc Scribonium cum eo qui mathematicus apud Suetoniũ in Tiberio spopondit etiam regnaturũ, ut uidelicet & medicinam & mathematicã disciplinam coniunxisset, uelut Crinas Massilien. apud Plinium 29. cap. 1. Sed nihil adfirmo. At uero Asclepiades iunior fuit. Nam in his arteriacis paulò post, Andromachi pharmacum ex filice citat, cuius pater Neronis Archiatrus fuit, Galeno lib. 1. de antidotis teste. Sed & supra lib. 6. cap. 4. Galenus duorum Asclepiadarũ meminit, qui post Andromachũ uixerint, & de pharmacis scripserint, de quibus etiã alio repertam aliqua loco, ut sub ipsum Vespasianorum & Domitiani imperium floruisse hunc Asclepiaden certum fit. fortassis aũt iuuenis cum Scribonio sene amicitiam contraxit, ut sic alter alterius nomen celebrarit, ac mutuum honorem detulerit. Porrò non esse hunc Asclepiaden eum de quo Plinius 26. cap. 3. dixit, quod ætate Magni Pompeij Rhetoricæ artis magister fuerit, & totã medicinam ad causam reuocauerit, palàm ipsa tempora arguunt. alias possit etiã Scribonius is grammaticus putari, quem Suetonius inter illustres grammaticos recẽset, ita ut ille relicta rhetorices, hic grammatices professione, sed medicinã contulissent. Sed neutrum uerum est, A Scribonio enim grãmatico, qui à Scribonia Augusti uxore priore redemptus & manumissus est, ad hunc Scriboniũ medicum, anni ferè octoaginta intercesserunt, Et ab illo Asclepiade, qui medicinam ad causam reuocauit, ut Plin. ait, ad hunc Asclepiaden pharmacorũ scriptorem, cuius scripta tam frequenter in his libris Galenus producit, anni plures quàm centum interfuerunt. Sed & illius Asclepiadæ Scribonius in præfatione libri sui meminit, ipsum de hoc excusans, quod Plin. & alij de eo prodiderunt, quod uidelicet negauerit ægris danda medicamenta, In libro inquit, qui παρασκευῶν, id est, præparationum inscribitur, cõtendit ultimæ fortis esse medicum, qui non ad singula quæq; uitia binas ternas'ue cõpositiones & expertas protinus paratas habeat. Meminit item Galen. lib. 1. cap. 1. huius operis, eum uetustiorem & Bithynũ appellans. Sed quãdo huius Asclepiadæ etiam hic mentionẽ fecimus, obiter Plinij locum de ipso scriptum emendabimus. Trahebat, inquit Plinius, præterea mentes artificio mirabili, uinũ promittẽdo ægris, dandoq; tempestiue, tum frigidam aquã, & quoniã causas morborũ prior scrutari Herophilus instituerat, Vini rationẽ illustrauerat. Cleophantus, Dosipsychros ipse cognominari se frigida dan

da præferens

dapræferens,ut autor est M. Varro. Sic equidem legẽdum hoc Plinij loco existimo,non alicuius exemplaris commonitione aut autoritate inductus, sed sententia ita postulante,& suspitione neutiquam leui impellente, nimirum quod facile fuerit græcam uocem dosipsychros non intelligenti,pro ea,apud priscos, substituere: quod tamẽ mirum est in tot exemplaribus errore propagato cõtigisse. Sic enim in omnibus hodie legitur. Vini rationem illustrauerat Cleophantus apud priscos,ipse cognominari se &c. Verum hãc esse corruptam lectionem, & quam ego reponendam iudico ueram, ipse uerborum ordo, & sententiæ ratio exigit, quibus expẽsis paulò eruditiores facile nobis assensuros spero. Poterat autem ex M. Varronis libris res ea ostendi, si extarent nobis hi in quibus hoc ipsum proditum habetur. Hæc longius quidem,sed tamen Historiæ gratia non illibenter,ut studiosis non incommoda futura,adscripsimus.

Alia aromatica Mithridatis.] In hac arteriaca habetur. Mel & Resinã coquito,ut tractilia fiant & fibrosa,sed in græco est, ἕψε μέλι, ῥητίνην ὥστε ἄλκιμον γενέσθαι καὶ ἰνώδες. pro ἄλκιμον itaque legendum puto ὁλκιμον. Sed & pro ἰνώδες fortassis legendum est ἰξῶδες,id est,uiscosum: sed tamẽ immutare lectionem nolui,ambiguitatem indicare cõtentus. ἰνῶδες autẽ,hoc est,fibrosum, nihil aliud significat quàm flexile & molle,glutinosumque adeo ac uiscosum,tales enim sunt quoque partes corporis fibris refertæ. Hippocrates, περὶ σαρκῶν, de splene loquens. ὁκόσον τὸ κολλῶδες αὐτὸ, δέρσιν δὲ ἶνες ἐνοῦσαι ἐν τῷ σπληνί, καὶ διὰ τὰς ἶνας ταύτας, μαλακός ἐστιν ὁ σπλὴν καὶ ἰνώδης. At uero de ἀμόλυντος uocis significatione alibi dixi,quę hoc loco statim post ἰνῶδες habetur.

Alia ex filice Andromachi.] In hac arteriaca galbanum non lignosum dixi, quod ἄξυλον Asclepiades appellauit. Celsus galbanum sine surculis libro. 5. in malagmate Euryclei uocat, ἄξυλον uero etiam Dioscorides inter bonitatis galbani notas habet.

Postea ad pharmaci confectionem uino Scybelite, aut Theræo, aut Pramnio utimur.] Pramnium uinum quod sit Plinius lib. 14. cap. 4. ostendit. pramnio uino, inquit, quod Homerus celebrauit, etiam nũc honos durat. Nascitur Smyrnæ regione iuxta delubrum matris deum. Meminit eius & Dioscor. lib. 5. & Galen. in glossis Hippocr. πράμνιος inquit, οἶνός τις οὕτως ὀνομάζεται μέλας καὶ αὐστηρός.

Alia placentula, hoc est, coptarium ad tussientes.] κοπτάρια appellantur pharmaca quæ ad placentulæ formam contundendo rediguntur, quale sanè pharmacum hoc existit, & qualia sunt quæ κοπτάρια βηχικὰ græcis medicis frequẽter appellantur. Sic Dioscorides lib. 4. de Cnico. γίνεται δὲ καὶ κοπτάρια κοιλίας μαλακτικὰ, τοῦ ὀποῦ αὐτοῦ μιγνυμένου ἀμυγδάλοις καὶ νίτρῳ, καὶ ἀνίσῳ καὶ μέλιτι ἑφθῷ. Eadem etiam κοπταὶ appellantur. Idem Dioscorides lib. 2. de lino. παραρμᾶ δὲ καὶ πρὸς ἀφροδίσια μετὰ μέλιτι καὶ πεπέρει, ἀντὶ κοπτῆς πολὺ λαμβανόμενον. Et Aetius 13. cap. 125. μελιτωμάτων δὲ κοπτὴν δίδου ἐκ ἀμυγδάλων μετρίως πεφωγμένων, &c. Artemidorus lib. 1. cap. 74. κοπταὶ δὲ σησαμίδες, καὶ πυραμοὶ ἀγαθαὶ πᾶσι, id est, placentę ex sesamo, itemque ex tritico coactæ. Eius generis fuit & Copta Rhodia, sed ex rebus ut apparet, minime delicatis cõflata, quando Martialis poeta eam famulo in pœnam edendam dare iubet in apophoretis. Copta Rhodia.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes,
Clara Rhodos coptam quam tibi misit edat.

Sunt tamen qui Rhodiam ficum per coptam Rhodiam accipiunt, quæ si tam fatui saporis fuit, ut serui dentes lædere ac hebetare potuerit, & mihi commentum placet. Porrò κοπτὸν φάρμακον dicitur quod non coquitur, sed simpliciter cõtundi

tur atque ita imponitur, uelut malagma quoddã, sed de his alio loco nobis dicetur.

Alia ad tussim & spiritus prolationem, ualde probe expurgans.] In hac placetula primum Nasturtij uncia una, sicut reliquorum habetur: deinde ad finem, & pro nasturtio sinapi duplum conijcito, conuerti. Verum in græco exemplari utroque loco καρδαμώμου pro καρδάμου legitur, manifestario errore, sed in græcis medicis non infrequenti, quando sanè nasturtium & sinapi sint inuicem succedanea, & non sinapi ac cardamomum, uelut etiam apud Paulum in fine, in ἀντεμβαλλομένοις uidere est, quanquam etiam ἀντὶ σινάπεως καρδαμώμου falsò, pro ἀντὶ σινάπεως κάρδαμον legatur. Porrò in hoc pharmaco etiam melle cocto excipito dixi, quod græcè est, ἀναλάμβανε μέλιτι ἀπέφθῳ. Significat enim ἄπεφθον coctum, hoc est ἀφεψημένον, cõpositione ex ἀπὸ & ἑφθὸς cõstante, non ex α. priuatiua particula & πεφθὸς, uelut quidam græcorũ medicorũ interpretes sunt opinati, & uerterunt. Galen. 4. Meth. ἀφεῖσθαι δὲ ἐπὶ τὰς τροφὰς, εἰ μὴ εἰς οὐλὴν ἀγαγεῖν ἢ κολλῆσαι βουλοίμεθα τὸ ἕλκος αὐστηρὰς τε καὶ γλίσχρας καὶ ἀδήκτους. εἰ δὲ ἀνακαθῆραι, ῥύψαι μετρίως. εἰς μὲν δὴ τὸ πάντων ἄριστον μέλι ἄπεφθον. hoc est ad repurganda & moderate extergenda gulæ ulcera mel coctum in cibo acceptum optimum est. Paulus lib. 1. cap. 8. πυρία χρηστέον καὶ ἀφθόνῳ ἀλείμματι δι' ἐλαίου ἀπέφθου, συντακέντος ὀλίγου τοῦ κηροῦ. id est, unctione ex oleo cocto, modica cera cũ ipso liquata, Quomodo enim cera liquari possit cum oleo, si crudum oleum & non coctum per ἀπέφθου ἐλαίου uocẽ accipias. Sed & ἄνεφθος uox frequens medicis græcis est, quæ planè ἀπέφθῳ opponitur, & non coctum significat.

Confectio Proxeni, ad tusses inueteratas.] Hæc confectio σύμφωνος à cõcordi ac conueniente efficacia appellata uidetur, ad affectus curãdos quibus est destinata, iuxta quam rationem etiam præcedens ἁρμονία uocata est, & quæ hanc præcedit στῦλος, itemque πανάκεια, ab omnimoda nimirum medelæ efficacia, & ordinis sui certitudine ac constanti conseruatione. At uero σύμφωνος appellata, etiam ληξιπύρετος bona est, hoc est optime sedans ac finiens febrem. Tales autem confectiones quæ tum hanc uim, tum appellationem habeant, multæ à græcis medicis produntur. Meminit earum etiam Plinius 20. capite 18. de papauere, ubi ait. Ego tamen damnauerim collyrijs addi, multoque magis quas uocant lexopyretos. Ita enim legendum est, & non lexypyretas. Est enim ληξιπύρετος adiectiuum generis communis, in quo intelligitur δύναμις siue ἀντίδοτος, id est compositio seu antidotus. Vox ipsa ex λήγω & πυρετὸς constat, ut non rectè à quibusdam ἀλεξιπύρετος pro ea legatur, ab ἀλεξῶ & πυρετὸς cõpositione facta, uelut apud Scribonium compositione 90. falsò habetur.

In Cap. III. de confectionibus ab Andromacho libro secundo de confectionibus internis conscriptis, ad tussim.

CONfectio ad tussim, qua utor, Sacrificuli bona.] Hæc tussicularis confectio τοῦ ἱερέως inscribitur in græco exemplari, accipio itaque per ἱερέως uocem sacrificulum, qui eam in usu habuit, nisi proprium putandum sit nomen alicuius, qui ἱερεὺς fuerit appellatus, aut ἱέραξ potius legendum sit, cuius Hieracis nomenclationem aliquot collyrijs præfixam etiam libro quarto habuimus. Sequitur paulò post Potio Rhipali Menodorios & Ambrosia appellata: habetur enim in græco sic, πότιμα ὧ χρῶμαι, τὸ παρὰ ῥιπάλου ἐν πολλοῖς χρήσιμον. μηνοδώρειος ἀμβροσία. Sed & hic obscurus est autor Rhipalus, Verum pharmaci appellationes uidentur ab effectibus ipsius deductæ, Nimirum quod utentibus ea, uitam in multos menses producat, hoc enim μηνοδώρειος significare uidetur, Nisi quis proprium autoris nomen id esse uelit, ut ab eo pharmacum Menodorium

appellatum putandum sit: & quod incorruptos & quasi immortales reddat. hoc enim ἀμβροσίας uox significat. A consimili porrò potentia etiam Isotheos, quæ paulò post sequitur, nomen accepit, quod uidelicet parē deo uim possideat. Verum in censu malorum quibus commoda est isotheos compositio, græcū exemplar corruptum est, Quod enim uerti, prodest urinæ suppressæ, doloribus laterum, præcordiorū, ad fluxum muliebrem, & uteri strangulationem: in greco est, ἰσχυρούσῃ, πλευρῶν πόνοις, ὑποχονδρίων, ῥοῷ γυναικείῳ, πληγάς. legendum est itaq; pro ἰσχυρούσῃ, ἰσχουρίαισι & pro πληγάς, ὑστερικὰς πνιγάς. Sic enim habet Aetius libro 8. cap. 55. ubi pleraq; omnia reliqua etiam pharmaca hic à Galeno relata habentur. Cæterum quod dixi fluxum muliebrem, non est de menstruis accipiendum. Aliud est enim fluxus muliebris, à menstrua siue lunari fœminarum purgatione. Hæc enim omnibus mēsibus in omnibus fœminis sanis à XII. usq; ad L. annum prodit. Ille uero uteri quidem fluxus est, sed per quem totum corpus expurgatur, & diuersi coloris, secundū quod diuersi humores in corporibus ipsarum uitiatis redundant. Nimirum ruber à sanguine, albus à pituita, pallidus à bile, aliquādo autem penitus aquosus. Verum maxima animaduersione opus est, ubi penitus purus uelut in uenæ sectione profluit, ne id ex uteri erosione contingat, quemadmodum Paulus libro 3. cap. 63. tradit sed lectione corrupta, quam ut studiosi integram habeant, à nobis restitutam adscribam. ῥευματισμός ἐστιν ὑστέρας ῥοῦς ὅλου τοῦ σώματος ἐκκαθαιρομένου. τούτου δὲ ἐστι τὴν ἰδέαν τὸ κενούμενον, οἷον καὶ τὸ πλεονάζον. τὸ μὲν ἐρυθρὸν οἷον ἰχὼρ αἵματος. ἕτερον δὲ λευκὸν, ἀπὸ φλέγματος, ὠχρὸν δὲ ἄλλο, τὸ πικρόχολον. ἄλλο δὲ ὑδατῶδες. εἰ ποτὲ δὲ αἷμα καθαρὸν, ὡς ἐν φλεβοτομίᾳ φέροιτο, προσέχειν ἀκριβῶς μήτις ἀνάβρωσις γέγονεν ἐν τῇ μήτρᾳ. Sed & Galenus manifeste inter menstruas purgationes, & hunc muliebrem fluxum distinguit, quum alibi tum primo de alimentis, ubi de lentis cibo sic ait. οὐκ ἐπιτήδειός ἐστι οὐδ' εἰς ἐμμήνους καθάρσεις, παχὺ καὶ δύσρουν ἐργαζομένη τὸ αἷμα, τῷ δὲ καλουμένῳ ῥῷ γυναικείῳ χρησιμωτάτη. Vocantur itaq; menstruæ purgationes græcis καθάρσεις ἔμμηνοι, & μῆνες & ἔμμηνα & καταμήνια, & τὰ γυναικεῖα, uelut apud Hippocr. 3. epidem. γυναικεῖα κατέβη πρῶτον τότε, παρθένος γὰρ ἦν. Verum ab his omnibus appellationibus eandem rem significantibus, diuersum malum est ῥοῦς γυναικεῖος, id est, fluxus muliebris appellatus. Dioscorides libro primo de palmæ fructu. ἔστι δὲ στρυφνὸς, συμπινόμενος σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ πρὸς διαῤῥοίας καὶ ῥοῦν γυναικεῖον, quod Plinius lib. 23. cap. 5. male reddidit. Aluum & menses sistit in uino austero, quū muliebrem fluxum pro mensibus oportebat.

Scribonij ad tussim, Seminis apij drach. II.] Hæc quidē confectio ad uerbum non habetur in uulgato Scribonij libello latino, Sunt tamen isthic quædam relata quæ cum hac conferri possint. At uero pręcedens hoc loco catapotion ad tussim Crispi Liberti, apud Scribonium composit. 88. apertis uerbis habetur, ut fortassis transpositæ sint inscriptiones, ita ut Scribonij nomen ad catapotiū, & Crispi Liberti ad confectionem sit referendum. Cæterum quod in fine habetur. Datur magnitudo fabæ non febriētibus ex aceto mulso, febricitantibus cum aqua. in græco nō ita legitur, sed pro ex aceto mulso: διὰ ὑδρομέλιτος habetur. Verū quū Hydromeli etiam febrientibus dari possit, malo διὰ ὀξυμέλιτος uelut uetus interpres habet legere, ut sit idem exhibitionis modus qui in Ambrosia Rhipali est præscriptus. Nisi forte διὰ οἰνομέλιτος potius legendum sit, id est, ex uino mulso, quod ipsum sane febrientibus dare non expedit.

Thespiana Apollonij ad internos abscessus. Hęc cōfectio Thespiana siue Thespesiana etiam infra cap. 5. huius libri ex ijsdem penitus rebus constans habetur,

nisi quod hoc loco σινωπίδος, hoc est ut ego reddidi, sinopidis rubricæ, infra σίνωνος, id est, sinonis expressum est, magna quidem rerum diuersitate, sed tamen ut utraq; suæ commoditatis gratia, cõfectioni possit apta uideri. At uero Aetius 8. cap. 65. in eiusdem Thespianæ descriptione, horũ loco σινάπεως, id est, sinapis habet. Ego itaq; ex una uera lectione, quã uocis σίνωνος aut σινωπίδος esse puto, has diuersas lectiones obortas auguror, ob similitudinẽ quam hæ uoces inter se habent: & tamẽ nolui mutare neq; hoc loco, neq; apud Aetiũ à me translatũ, publicam lectionẽ: quanq; sinapis lectionem in Aetio penitus suspectã habeã, & Sinopidem rubricã non utiq; libenter ipse ammisceam, utpote fortiter resiccãtem & adstringentẽ: nisi putandũ est dauci semen has eius facultates tẽperare posse, & eadem gratia ammixta esse huic confectioni, qua supra in arteriacis decimaquarta ex ordine, Andromachus rubricam lemniam addidit, sed tamen minore pondere, quum tamen his utrisq; uiribus debilior sit quàm Sinopica rubrica. Verum Sinonis siue Sisonis semen concoctorium, & uiscera deoppilans, omnium libentissime admittam, nulli tamen præiudicans, sed liberam relinquens quamcunq; quisque uelit lectionem apprehendendam. Appellatio porrò confectionis Thespianę siue Thespesianæ, à magnitudine præstantiæ deducta uidetur. Significat enim θεσπέσιος magnum, diuinum, numine plenum, παρὰ τὸ ἑσπέσθαι, τὸ ἕπεσθαι τὸν θεόν, ut quidam eius nominis etymon deriuant.

Confectio finiens febrem Pamphili pharmacopolæ bona.] Huius pharmaci autor Pamphilus μιγματοπώλης in græco habetur, hoc est, qui pharmacorũ mixturas uendidit, quem pharmacopolam frequentius uocare solemus. Verum idẽ pharmacũ in Scribonij libello latino habetur, sed loco corrupto, ut uel ex eo uno colligere quis possit, Scribonium latinè nõ scripsisse, sed esse eum libellum à quopiã greco Scribonij cõuersum: de qua suspicione mea etiã alibi dixi. Adscribam autem Scribonij locum cap. 95. ut ex collatione facta cuiq; hoc ipsum manifestũ fiat quod dixi. Alterũ medicamentum ad tussim aridam. Nasturtij animati seminis P. uncia, alterci seminis P. uncia, opij P. uncia, myrrhæ P. uncia, croci P. semuncia, sulphuris uiui P. semuncia, piperis albi P. quadrans. Melle colligitur medicamentũ. In hoc itaq; Scribonij medicamẽto omnia habẽtur quæ in Pamphili cõfectione, præter costũ, euphorbiũ, & iridem illyricã, quæ fortassis exciderũt. Deinde piperis pondus quadrãtis euariat à Pãphili descriptione, quę drach. IIII. & dimidiã tantũ habet, atq; hæc uel exscribentis uel exẽplaris culpa admissa esse queant. Verũ quod Nasturtij animati legitur, partim interpreti imputandũ esse opinor, partim exscribẽti: exscribenti quidẽ qui lectionẽ nõ assequutus, animati pro inaniti uel exinaniti uel certe exenterati scripsit. Interpreti uero quod nasturtij pro καρδαμώμου cõuertit, fortassis gręci exemplaris uitio, quod καρδάμου pro καρδαμώμου habuit deceptus, quę suppositio nõ parũ frequẽter in græcis medicis occurrit, uelut alibi itẽ indicaui. Si enim sic ipse Scribon. latinè prodidisset, ad gręcorũ uidelicet exemplariũ fidẽ & imitationẽ, uilesceret certe eius apud me autoritas, quæ tamẽ in his Galeni libris magni fit per Andromachi & Asclepiadę autoritatẽ, qui ipsius pharmaca ut nõ uilia citãt. Puto itaq; Scriboniũ omnino græcè uelut Pamphilũ hoc pharmacũ prodidisse, & ut hic habet καρδαμώμου. ἀζευ τορισμένου Γο. α. scripsisse, q̃d interpres eius Nasturtij inaniti uel exenterati, ut dixi cõuertit, errore exẽplaris in nasturtio deceptus, pro inaniti autẽ postea animati uox nulla penitus significatione huc pertinẽte surrepsit, Nisi animatũ pro pleno & integro, et euacuto cõtrario ac opposito accipi debere putandũ sit: quod si nõ est, etiã cõpos. LXX. apud eundẽ, Cachryos animati, pro cachryos inaniti habet.

Est

Est autē καρδάμωμον ἐξεντερισμένον nō quod ab internis purgatū est, & interiore sui parte euacuatū, albo uidelicet eiecto, ut propterea inanitū à Scribonij interprete sit dictū: sed cui exterior cortex detractus est, albo interno grano in usum assumpto, contraria planè ratione ei qua suprà cap. 2. huius septimi libri in Andromachi arteriaca duodecima, radix dulcis ἐξεντερισμένη dicta est, ex qua eiecta est medulla, & radix reliqua in usum accepta. Nolo tamē dissimulare etiam apud Marcellū utroque loco ex Scribonio mutuato, itidē animati legi, ut nō librarij, sed planè ipsius interpretis etiam hic error sit, si tamen error appellari debet, quod ἐξεντερισμένον Animatum reddidit, Nam quum etiam Marcellus animati nasturtij habet capite 16. & cachryos animati capite 15. itemque misyos animati, quod in Scribonio deest, uidetur omnino animatum, & non inanitum uel exenteratum, Scribonij interpretem uertisse, quod tamē haud scio quomodo ἐξεντερισμένου uocem exprimat, Nisi animatum id quod dixi, aut decorticatum & delibratum significat, hoc est, à cortice externo purgatum, quæ significatio mihi apud nullum latinum scriptorem occurrit, ut & hoc argumento sit, Scribonium sub Tiberio & Claudio Cæsaribus latinissimo seculo latinè nō scripsisse, sed eius græcum opus, uergente iam latina lingua paulisper ad ruinam, à quopiam esse translatum, sub ipsam Valentiniani imperatoris ætatem, qua fortassis animatum eius significationis fuit, atque sic sanè etiam Marcellus, qui paulò post hoc seculum uixit, usurpat cum alibi tum capite uigesimo in Pertice Cosmiana, in qua nucū iuglandium animatarum denarij sex, & nucum pinearum animatarum denarij. XII. habētur, hoc est, purgatarum & decorticatarum. Palladius porrò plantas rigationibus & liquoribus animari aliquoties dicit, quæ significatio & iuglandibus & pineis animatis appellatis cōuenire possit, ut uidelicet uirides aut in aqua reuirescentes accipiamus, Verum ut ne de cardamomo siue nasturtio uiridi intelligamus, quod dixere animatū Scribonij interpres & Marcellus, prohibet hic Galeni locus, qui ἐξεντερισμένου καρδαμώμου habet, hoc est, ut ego reddidi exenteratum, quod certe uiride non existit, neque rigationibus animatum, Nisi rigationibus animatum propterea fuisse accipiamus, ut eo promptius esset id decorticare. At uero Cardamomum, & non Cardamum, hoc est, Nasturtium, legendum esse, ex eo certum est, quod tum in superioribus tum in sequētibus pharmacis aliquoties, item Cardamomū habetur, uelut in antidoto Darij, et potione Abascāti, Nisi fortassis bis omnibus locis non καρδαμώμου uelut habetur, sed καρδάμου legendum est: Galenus certe lib. 7. simpl. pharm. Nasturtiū pharmacis quæ asthmaticis exhibētur ammisceri tradit, tanquā quod crassos humores fortiter secare possit. Sed eodem loco Cardamomum etiam multum calida facultate præstare ait, sed non adeò forti uelut nasturtium, sed quanto est iucundius & magis aromaticum, tanto esse nasturtio debilius, ut uel ex hac ratiocinatione quis utrumlibet legi posse asseuerare queat, & fortassis ab horum pharmacorū autoribus partim καρδάμου, partim καρδαμώμου scriptum est, secundum quod alterum altero magis unusquisque ipsorum probauit. Ego tamē Cardamomum injicere malim, si usus ita ferat, maxime quum Dioscorides ad tussientes ex aqua potū facere testetur, quod testimonium nasturtio non præbet, Sed & Cardamomū decorticari magis quàm Nasturtium opus habet. Imò omnino decorticatur externo cortice ab ipso adempto.

Catapotium ad tussim & alia multa commodum, & præsertim ad tussim humidam.] In hoc catapotio iunci odorati drachmas VI. conuerti, hoc est, σχοίνου δραχ. ς. sed in græco exemplari σχιστῆς δραχ. ς. hoc est, aluminis scissi drachmas VI. habetur. Alumen autem ineptū esse ad tussim uel ex eo apparet, quod nusquam

alias in his tussicularibus pharmacis habetur, Contra uero aptissimum esse iun, cum odoratum, tum ex eo quod & in præcedentia, & in sequentia pharmaca re, cipitur apparet, tum ex facultate ipsius addiscere licet, moderate calida et adstrin gente, quam in omnibus suis partibus Galeno teste habet, & magis tamen in ra, dice, quam etiam hoc loco accipiendam puto, quum simpliciter σχοίνε pro σχοίνε relictum uideatur, & in reliquis ubi floris usum magis probat σχοίνου ἄνθους ha, beat. Porrò in fine, fiant catapotia araci magnitudine reddidi, ex eo quod Græ cè est, ἔστω ἡλίκον ἄρακον εἰς κοίτην, sic enim habetur, sed pro ἔστω, malo legere δίδοσθω uel tale quoddam uerbum, quo plena sententia reddatur. Est autem ἄρακος per κ. scriptum, eadem quæ cicercula, hoc est λάθυρος, uelut Galen. libro primo de alimentis ex quorundam sententia tradit. Sed & ibidem ἄραχον per χ. scriptū, ab eo distinguit. Nimirum esse ἄραχον agreste quiddam rotūdum & durum eruo minus, quod inter Cereales fructus reperiat, & quod abijci soleat. Quin & pau lò post eodem libro similia quædam recenset aracho ex frugibus degeneranti, bus prouenientia uelut est αἶρα, id est, lolium, & μελάμπυρον, id est, nigrum triti cum ex degenerante tritico, ægilops ex ordeo, orobanche ex eruo, πέλεκῖνος, id est securidaca, & arachos ex fabis transmutatis, omnia dura & rotunda semina, & in cibis inepta. Insuperq; aparine, non solum in cibo non conueniens, sed fa bas etiā ipsas strangulans, non aliter quàm orobanche eruum consueuit. In sum ma itaque Arachi inter Cerealia semina ac fabas reperiuntur. Araci uero Lathy ri sunt. Ad utrorum uero magnitudinem quis catapotia finxerit nihil peccarit. Paulus lib. 3. cap. 20. πάνακος ῥίζης, πεπέρεως λευκοῦ, κρόκου, σμύρνης, μηκωνίς, ἰσα, δίδου ἀράκι ἴσον εἰς κοίτην. Id est, araci magnitudine dato in eundibus dormitum.

Potio prodita à Cletio Abascāto ad tabescentes.] In græco exemplari sic ha betur, πότιμα παρακλητίου ἀβασκάντου πρὸς φθισικοὺς, &c. hoc est Potio Para cletij Abascanti. Verū satis obscurum est, qui fuerit Paracletius Abascantus, si, cut etiam aliquot alij obscuri hodie pharmacorum autores in his Andromachi medicamentis citantur. Quare non compositam παρακλητίου appellationem pu to, sed seorsim legendū παρὰ κλητίου, ut accipiamus esse proditam à Cletio Aba scanto hanc compositionem, quemadmodum in sequentibus παρὰ ῥούφου, & πα, ρὰ σωκράτους habetur simili dicendi modo: quanquam neque sic constabit quis ille Cletius Abascantus fuerit, & sanè non multum referre puto, talia nobis igno ta esse. Meminit tamen Plinius iunior 10. epistol. libro cuiusdam Abascanti, in ea epistola in qua Marini medici mentionem facit, de quo superius dixi. Verum is non Cletius, sed L. Satrius Abascantus ab ipso Plinio appellatur. Citatur & Co, lica Abascanti infra libro nono capite quarto.

In cap. IIII. De reiectatione sanguinis.

CVratio eius quidem quæ ex apertione osculi alicuius uasis contingit, per obturationem fit oris uasis dilatati.] Recenset Galenus tres affectus uaso rum, in quibus sanguinis reiectatio contingit, eorundemq; curationem annectit. Primum osculi uasis apertionem, quæ ἀναστόμωσις græcis appellatur. Secundum, rupturam uasis ῥῆξιν græcis dictam, qui tamē affectus si leuior est, & neq; ex uul, nere, neq; contusione, sed tunica rarefacta, & sanguine attenuato cōtingit, etiam διαπήδησις à quibusdam uocatur, à sanguinis uidelicet persultatione, uelut suprà libro quinto ostendi, & 4. meth. ab ipso Galeno declaratur. Tertius affectus ex uenæ erosione, διάβρωσις appellatus est. Meminit horum affectuum etiam Cel sus libro quarto capite quarto de tussi, sic inquiens. Autoresq; medici fuerunt, uel exesa parte aliqua, sanguinē exire, uel rupta, uel ore alicuius uenæ patefacto.

primam

primam διάβρωσιν, ſecundam ῥηγμοχασμὸν, tertiā ἀναστόμωσιν appellant. ultima minime nocet, prima grauiſſime. Hæc Celſus, & ῥηγμοχασμὸν quidē quaſi hiantem rupturam dixit, ſi modo hæc uox genuina in ipſo legitur, & non potius ſeparatim legendum eſt ῥῆγμα aut χάσμα, ut altera uox alteram exponat. Cæterū quod Galenus ait corroſa renutriri per boni ſucci cibos & per pharmaca ſarcotica carnem gignētia, de quorum facultate in ſecundo opere huius tractationis dixerit, de methodo accipiendum eſt, in qua de his medicamentis quæ carnem gignūt, præſertim libro tertio docuit. Dixit autem methodum eam ſecundum opus huius tractationis, de pharmacis uidelicet, eſſe. Primū enim opus eſt de ſimpl. phar. uiribus undecim libris ab ipſo comprehenſum, & tertium hoc quod in manibus habemus de compoſitione pharmacorum. In quibus omnibus hic ordo eſt, ut ad tertium opus quis peruenire non poſſit, ut uidelicet rite pharmaca componat, niſi ex primo omnium ſimplicium uires probe notas habuerit, & ex ſecundo componendi rationem & methodum didicerit. Sicut enim in primo opere facultates ſingulorum ſimplicium traduntur, Sic in ſecundo ratio quædam præſcribitur, iuxta quam tum ſimplicia, tum compoſita recte in uſum aſſumenda inueniantur: de quibus quum iſthic nulla uel rariſſima mentio fiat, utpote quum generaipſorum tantummodo indicentur, fruſtra methodum uerſat, qui non ex primi operis lectione eò progreditur, & mox ad hoc tertium opus ſe transfert. fruſtra etiam quis hos tertij operis libros uerſauerit, niſi quæ in illis traduntur memoria tenuerit, atque huc accommodarit. De qua re etiam in præfatione horum commentariorum mentionem feci. & Galenus in octaui libri ſequentis capitis primi fine nos rurſus commonefacit. Porrò prædicti tres uaſorum affectus ſi in uaſis pulmonis, aut thoracis, aut arteriæ, ſiue eius ſummæ partis, ſtomachi item ac uentris, & alicuius inteſtini oboriantur, ſanguinis reiectationem aut eductionem per os efficiunt. Si uero in alijs corporis partibus oboriantur, Oſculorum quidem uenarum apertio ſiue ἀναστόμωσις, itemq́ ruptura ac ῥῆξις, ſugillata & ἐκχυμώματα producit, de quibus ſuprà libro quinto tractauit. Oſculorum uero arteriarum apertio ſiue ἀναστόμωσις, itemq́ ruptura ex uulnere & contuſione, affectum producit qui ἀνεύρυσμα appellatur, qui ſanè tumor eſt ex uulnere arteriæ tum oriens, quum incumbens ipſi arteriæ cutis ad cicatricem peruenerit, uerum arteriæ ulcus neque concreuit, neque cicatricem recepit, neque carne obturatum eſt, uelut Galenus 5. meth. & in libro de tumoribus docet his uerbis. ἀρτηρίας δ᾽ ἀναστομωθείσης, τὸ πάθος ἀνεύρυσμα καλεῖται. γίγνεται δὲ καὶ τρωθείσης αὐτῆς, ἐπειδὰν εἰς οὐλὴν μὲν ἀφίκηται τὸ προσκείμενον αὐτῇ δέρμα, μένῃ δὲ τῆς ἀρτηρίας ἕλκος, μήτε συμφυείσης, μήτε συνουλωθείσης, μήτε σαρκὶ φραχθείσης. διαγινώσκεται δὲ τὰ τοιαῦτα παθήματα τῷ σφυγμῷ τῶν ἐργασαμένων ἀρτηριῶν, ἀλλὰ καὶ θλιβομένων ἀφανίζεται πᾶς ὁ ὄγκος, παλινδρομούσης εἰς τὰς ἀρτηρίας τῆς ἐργαζομένης αὐτὸν οὐσίας, ἣν ἐδέξαμεν ἐν ἄλλοις, ἅμα λεπτὸν καὶ ξανθὸν εἶναι αἷμα δὴ πνεύματι λεπτῷ καὶ πολλῷ συμμιγές. At uero hic aneuriſmatis affectus uulgo medicorum, corrupta uoce Emboriſma, & Emburiſis, itemq́ mater ſanguinis appellatur. Græcis uero à dilatatione uaſis ipſius arteriæ nomen habet.

Quæ Andromacho ad ſanguinis reiectationem ſcripta ſunt.] In ſecūdo horū Andromachi pharmacorum, redige in paſtillos triobolares uerti, quod græce habetur, ἀναλάμβανε τροχίσκους τριώβολον. Legendū eſt autem uel τριώβολον ἄγοντας, aut τριωβολιαίους, uelut aliàs loqui ſolet. Deinde in quinto conuerti & ad ſanguinis fluxum ex aqua frigida, uerum in græco eſt, καὶ πρὸς αἵματος ῥύσιν ἐν ὕδατι σφοδρῷ. pro σφοδρῷ itaque lego ψυχρῷ. In ſexto deinceps, Datur nucis ponticæ

magnitudine

magnitudine ex aquæ cyathis tribus conuerti, sed in græco exemplari ὕδατος uox deest, & solum μετὰ κυάθ. γ. habetur. cum aqua autem reliqua ferè exhibere iubet, & partim etiam cum posca, ut neq; hic alius liquor accipi debere uideatur. In penultimo deinceps pharmacorum dixi. Dato cum uitello oui assati, ex aquæ lactosæ cyathis tribus. quod in græco est, δίδου μετὰ λεκύθου ὀπτῆς μεθ' ὕδατος γαλακτώδους κυάθων. γ. &c. ὕδωρ itaque γαλακτῶδες aquam lactosam dixi. Solent autem Græci medici sic appellare aquam tepidã, quam Celsus egelidam dixit, hoc est quæ neque calida est neque frigida: atq; sic accipiendum est quod Dioscorides libro tertio de aloe dixit, δύναμιν δὲ ἔχει κοιλίας τε λυτικὴν καὶ στομάχου ἀποκαθαρτικὴν κοχλιαρίων. β. πλῆθος, μεθ' ὕδατος ψυχροῦ ἢ γαλακτώδους πινομένη. id est, cum aqua frigidá aut lactosa, hoc est egelida, data in potu. uel ut rectissime Hermolaus uertit, cum frigida aqua uel quasi lac gelida: quanquam hoc potissimum Dioscoridis loco pro lactis aqua, hoc est pro sero ipso, ὕδωρ γαλακτῶδες dictum uideri possit, quando sane etiam ipsa uelut aloe, uim habet excretionem citra actedinem ciendi. Sed hanc non esse ὕδατος γαλακτώδους significationem, uerum illam priorem, aliquot locis productis clarius indicabo. Sic itaq; frequentissime usurpat Aetius, ut lib. 8. cap. 68. ubi mastichen tenuissime tritam scrupulorum nouem pondere μεθ' ὕδατος χλιαροῦ ἢ γαλακτώδους bibendum offerre iubet. & nono, capite de cardiacis ὕδωρ γαλακτῶδες absorbendum propinat. & 9. cap. 49. frusta panis duo aut tria ægro exhibenda ex aqua frigida aut lactis præcipit. & 12. cap. 48. ut plurimum uero χλιαρῷ ὕδατι ἢ γαλακτώδει καταχεέσθω, id est tepida aut lactei temperamenti aqua perfundatur. Sic enim ferè conuerti, & aliquando lactis aqua simpliciter, quæ non alia accipienda est quàm quæ instar lactis tepet, quam uidelicet hoc loco lactosam dicere malui, ut ne quis serum lactis per aquam lactis accipiat. Tepidam autem siue egelidam dicere nolui, quo etiam huius uocis γαλακτώδους significationem propius redderemus, & eius uestigiũ agnosceretur. Sed hanc γαλακτώδους uocis significationem idem Aetius nono, capite sexto euidenter declarat, ubi μελίκρατον γαλακτῶδες τῇ ἁφῇ dixit, id est, aquam mulsam quæ lactis speciem in tactu de se præbet: ea autem species non est alia quàm tepor per tactum deprehensus. Est enim tepor ex primis qualitatibus quæ tactui obijciuntur. Non autem aliquam secundarum qualitatum, uelut lubricitatem, aut lenitatem, quæ item tactu deprehenduntur, eum indicare: ex undecimi eiusdem libri, capite trigesimo manifestum redditur, ubi ait. Cæterum naturales aquas experiri nõ inutile fuerit, aluminosas uidelicet & sulphurulentas & consimiles, quales sunt Albulæ & lactei temperamenti, hoc est τὰ ἀλβουλὰ καὶ τῇ κράσει γαλακτώδη. Temperamentũ enim & κρᾶσις nihil aliud quàm teporem & calorem significat hoc loco, sicut aliàs etiam de primis qualitatibus dicitur. Sed hanc significationem uocis γαλακτώδων apertissimis uerbis declarat Galenus 7. meth. χλιαρὰ δὲ τὰ ἐδέσματα προσοίσομεν, ἃ καλεῖν ἔθος ἐστὶ τοῖς ἰατροῖς γαλακτώδη. θέρους δ' ὄντος, ἃ καλοῦσι κρηναῖα. hoc est Edulia uero tepida exhibebimus, quæ medici Lactosa appellare in consuetudine habent. Si uero sit æstas, quæ ijdem Fontana uocant. Lactosa itaque edulia appellari ait quæ ad lactis modum tepent, sicut fontana quæ frigida sunt instar fontanæ aquæ. Hunc autem locũ etiam Aetius ex Galeno mutuatus est, sed tamen ut Galeni locum magis exponat quàm reddat, lib. 9. cap. 36. sic inquiẽs, χλιαρὰ δὲ καὶ τὰ ἐδέσματα προσοίσομεν, ἃ καλοῦμεν γαλακτώδη εἰ χειμὼν εἴη, θέρους δ' ὄντος, ὡς τὰ κρηναῖα ὕδατα μὴ ἄκρως ψυχρά. Ad eundẽ itaq; modũ ubiq; in græcis medicis γαλακτώδης uox accipiẽda est. uelut apud Diosc. lib. 4. de Betonica. δίδοται δὲ καὶ αἱμοπτοϊκοῖς ὁλκὴ τριωβόλου μετὰ κράματος

κράματος κυάθου ἑνὸς γαλακτώδους. κρᾶμα enim γαλακτῶδες dixit uinũ dilutum tepidum. Sicut Paulus lib.2.cap.42. ἀποσπογγίζειν δεῖ τὸ πρόσωπον ὀξυκράτῳ γαλακτώδει. Poſcam lactoſam eam quæ tepida eſt dixit. Vbiq; inquam, ſic accipienda eſt γαλακτώδους uox, niſi per adiectionem aliarum uocum alia ſignificatio indicetur, Velut apud Galenum 9. ſimp. pharm. de lapidibus ſpongiarum. λύονται δὲ εἰς χυλὸν οὕτοι γαλακτώδη τὴν χροιὰν habetur, hoc eſt ſoluuntur in ſuccum lactei coloris. Quæ omnia longius explicare uiſum fuit, ut certam huius uocis ſignificationem oſtenderem, quæ omnibus ferè græcorum medicorum interpretibus impoſuit. Porrò in ultimo Andromachi pharmaco: Dato hoc totum pro duabus uicibus in potu: conuerti, hoc eſt δίδου τὸ ὅλον πόσεις δύο. ſed in græco πιεῖς pro πόσεις falsò habetur.

Pharmacum Arrhabiani quod Ponticum appellatur.] Quiſquis fuit hic Arrhabianus huius pharmaci autor, Ponticum utiq; appellatur, ab eo quod in Ponto præparetur, in quo uua urſi naſcitur, uelut Galen. hic docet, fructus ruber, & rotũdus, guſtu auſterus: apud alias itaq; gentes pharmacum parari non poteſt, ob uuæ urſi inopiam.

Paſtillus ex ſuccino, facit hæmoptoicis, diuturnæ & recenti tuſſi, phthiſicis, ſanguinem reijcientibus, ſuppuratis.] Quos ſanguinem reijcientes hic dixi ἀναφορικοὶ in græco exemplari ſunt, & alias etiam græcis medicis appellantur, Nimirum quod ex infernis partibus ſanguinẽ ſurſum efferant, hoc eſt ἀπὸ τοῦ ἄνω φέρειν. Videnturq; ab Hæmoptoicis eo differre, quod undecunque ſanguis feratur ſurſum per os, Hæmoptoici uocẽtur. Eſtq; hæc uox ἀναφορικῶν frequẽs in his pharmacis, itemq; apud alios medicos græcos, Dioſcor. Aetium & Paulum: quanq; aliquando ἀναφωνικοὶ pro ἀναφορικοῖς ſuppoſiti ſint, apud hos ipſos autores.

Paſtillus Neapolitæ.] In hoc paſtillo opium hiſpanum habet tanquam quod reliquis pręſtet, uelut etiam ſuprà lib.4. in collyrio diaſmyrno Synerotis. Aetius tamen aliquando Aſianum, aliquoties etiam Achaicum probat, uelut 8.cap.67. in catapotio ultimo, ὀπίου ἀχαϊκοῦ ἢ ἀσιανοῦ habet. Alij Thebaicum præferũt. Scribonius compoſitione 22. opium laudat quod ex lacte ipſo ſyluatici papaueris capitum fit, non ex ſucco foliorum eius, ut pigmentarij inſtitores eius rei compendij cauſa faciunt, Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc ſine moleſtia & abundanter teritur. Quod ipſum etiã Plinius 20.cap.18. dixit his uerbis. Quum capita ipſa & folia decoquũtur, ſuccus Meconium uocatur, multũ opio ignauior, &c. Nam eadem Dioſcor. etiam lib.4. tradit. Galen. tamen & autores qui ab ipſo in his libris citantur, indifferenter modo μηκώνιον, modo ὄπιον dicere uidentur, & nos μηκώνιον ſuccũ papaueris, ὄπιον itidẽ ut græci opiũ reddidimus.

Aphrodiſiacum Clidion.] In græco exemplari κλυδώνιον pro κλειδίον legitur, Verum κλειδίον legit Aetius 8. cap. 63. & Paulus lib.7.cap.12. ubi hoc pharmacum ex Galeno citat in hæc uerba, ἄλλο ποικίλον ὃ Γαληνὸς ἀφροδισιακὸν κλειδίον ἐπιγράφει. Verũ Aetius tum clidion, tum paſtillum ex ſpina Aegyptia hoc pharmacum appellat. in cæteris cõuenit, niſi quod zingiberis drach. III. pro myrrhæ drach. II. leguntur, uitio exemplaris quod ego in Aetio uertẽdo ſum ſequutus, uelut alibi item indicaui.

In Cap. V. de confectionibus dolorem ſedantibus, tabeſcentibus, & ſanguinem reiectantibus commodis.

Dvplex genus dolorẽ ſedãtium pharmacorũ Galenus hoc loco diſtinguit, quorũ alterum propriũ colicorũ eſt, hoc loco ineptũ, ſed colicis ob magnitudinem doloris accõmodatiſſ. Alterum uero Hęmoptoicis & phthiſicis aptum eſt, & ad dolores ac affectus pulmonis, arteriæ, ac thoracis, imò etiam aliarũ par-

tium

tium, colicis tantũ exceptis, Verum lectio græci exemplaris corrupta & transposita, hoc modo restituenda est, continget[que] ea sententia quam ego expressi. καὶ πρὸς ἄλλας ὀδύνας τε καὶ διαθέσεις ὅσαι κατά τε πνεύμονας, καὶ ἀρτηρίαν, καὶ θώρακα, καὶ ἄλλα τινα μόρια συνίστανται, ἄνευ τῶν κωλικῶν. διαφέρουσι γὰρ αὐτὰ τῶν ἰδίως κωλικῶν ὀνομαζομένων, &c. Sunt autem utriusq[ue] generis pharmaca græcis à sedando & leniendo dolorem, ἀνώδυνα appellata.

Quæ Andromachus scripsit ad prædictas affectiones.] In secunda harũ confectionum quæ Marcellini est, conuerti: trita cum aqua in pastillos triginta duos redige. habetur enim in græco, λεῖα σὺν ὕδατι ἀνάπλασσε τροχίσκους λβ. est[que] hæc lectio recta, quum enim totum pharmacum drachmas X. & obolos IIII. habeat, eueniet ipso in pastillos triginta duos coacto, singulos duorum obolorum esse, quod pondus etiam in sequentibus aliquot confectionibus exhibendum prouice exprimitur: quanq[uam] maxima ipsarũ pars triobolari pondere formetur: quod si etiam in hoc pharmaco præstãdum esset, non τροχίσκους. λβ. sed κβ. legendum esset, & deessent tamen duo oboli uniuerso pharmaco, ut pastilli triobolares uiginti duo ex ipso formarẽtur. Vetus interpres non λβ. sed δραχ. β. id est, pastillos duarum drachmarum legit ac uertit. literæ λ. tricenario charactere, in characterem drachmalem. <. conuerso. Sed hoc pondus ut nimium in eiusmodi pharmacis, refutamus. Cæterum hæc ipsa pharmaca etiã Aetius lib. 8. cap. 63. partim etiam 9. cap. 48. habet, si quis conferre uelit. At uero quam Achillæ Aurigæ esse dixi, in græco ἀνώδυνος ἀχιλλᾶ ἡνιοκεντητοῦ habetur. Accipio itaq[ue] ἡνιοκεντητὴν pro auriga, & equorum stimulatore. Quanquã fortassis in duas dictiones diuisa hæc uox legi debeat, ut uidelicet accipiamus Achillam παρὰ ἱκέτου hoc pharmacũ accepisse & prodidisse. Sed in his obscuritatibus nihil decerno, maxime quũ non multũ referat, quis sit autor pharmaci, & unde ipsum habeamus, modo integrũ sit, & usus eius probatus nobis constet.

Alia Aster appellata sistẽs dolorẽ.] In hac cõfectione siue pastillo Astere inscripto, dixi, facit & ad paralysi resolutos: sic enim in græco in enumeratione affectuum quibus hic pastillus commodus est, habetur: ᾧ χρῶμαι πρὸς δυσεντερικούς, αἷμα ἀνάγοντας, καὶ ἀνειμένους. Sunt aũt ἀνειμένοι iidem quos παρέτους & παραλυτικούς appellant, qui sane tales ex diuturna podagra aut ischiade, & arthritide fiũt. Vt autem hanc significationem uocis ἀνειμένους hoc loco esse putem, ex Aetio inducor, qui 9. cap. 10. hunc pastillum recensens, paulò tamen aliter, eum ad articulorum dolores & podagram, gentianę decocto dissolutum ac potatum, cõmodum esse scribit, quod & Galen. infrà lib. 8. cap. 3. prior tradidit, ut idem pastillus paulò tamẽ aliter, ut dixi describitur. Nam Aetius inde transcripsit: alias malim pro καὶ ἀνειμένους legere, ποιεῖ καὶ ἐνιέμενος, ut uidelicet accipiamus pastillum ipsum etiam facere infusum per clysterem, atq[ue] hanc sententiam etiam uetus interpres agnouit: quanquam infusilem esse hunc pastillum neq[ue] Galenus, neque Aetius meminit: qui tamen prædictis locis uarium ipsius usum produnt, pro affectionibus uidelicet cõuenientem semper liquorem, in quo dissoluatur ac potetur, assignantes. Porrò quum sint qui etiam per ἐπηρομένους uocem non alios accipiant, q[uam] quos Græci dicũt παρέτους, παραλυτικούς, & ἀνειμένους, Visum est hic obiter de ἐπηρομένοις addere, Sunt itaq[ue] ἐπηρομένοι non paralytici, neq[ue] attoniti, hoc est apoplectici, uelut in toxico apud Dioscoridem Marcellus conuertit, neq[ue] tabefacti, uelut Marcelli censor Manardus, non paulò minus quàm ille grecæ linguæ indoctus, temere ut solet fere pronunciauit, neq[ue] hectici, aut phthisici, uelut idem Manardus ex Auicenna citat: sed stupidi & dubię ac uacillantis rationis, quẽadmodum nos apud Aetium serm. 13. cap. 70. reddidimus. Idem enim Dioscoridis locus ab

Aetio

Aetio isthic, sicut à Paulo lib. 5. cap. 53. usurpatur, uerba ipsa sic habent. καὶ εἴτινες αὐτῶν φύγοιεν τὸν κίνδυνον, πολὺν χρόνον κλινοπετεῖς διαμένουσι, καὶ ἀναστάντες ἐπτοημένοι τὸν λοιπὸν χρόνον διάγουσι, hoc est: Quod si quidã etiã periculũ effugiunt, multo tamen tẽpore in lecto decumbẽt, & stupidi ac dubiæ uacillantisq; rationis etiã ubi surrexerunt per reliquũ uitæ tempus manebũt. Significat enĩ proprie ἐπτοημένος, quod nos germanice uortrenet dicimus. Est aũt uox participij præteriti perfecti, ἐπτόημαι cuius thema est πτοέομαι, cõsternor & præ timore stupeo, ut Marcellus Virgilius nõ male attonitos ἐπτοημένους uertisset, nisi ipse adeo attonitos alio loco latine dici ἀποπληκτικοὺς solos tradidisset, atq; ea gratia inuito ac reluctãti collo à Manardo captiuus ducitur. Constan. Cæsar de agricul. lib. 16. cap. 1. inter notas generosi equi habet ἐὰν μὴ ᾖ ἐπτοημένος, μὴ δὲ ὑπὸ τῶν ἀφνιδίως φαινομένων ἐκταράττόμενος, si non sit consternatus, neq; à subito apparentibus perturbetur. Idem lib. 1 cap. 10. ἐὰν ἐν κέρῳ τῆς σελήνης ὅσης βρονταὶ γένωνται, σημαίνει πτοηθῆναί τινας περὶ τὴν χώραν, id est consternatos & dubiæ rationis futuros.

Alia dolorem sedans potio Rufi qua utor.] Ad finẽ huius potionis habetur. Dantur ex aquę calidæ cyathis duobus, cholericis, hoc est biliosa superne & inferne reddentibus, ex frigida. Hoc est, δίδοται σὺν ὕδατι θερμῷ κυάθοις δυσὶν, χολεριῶσιν ὕδατι ψυχρῷ. Esse autem uocis χολεριώντων itemq; χολερικῶν eam significationem, & Galeno, Aetio, & Paulo constat, qui hunc affectum sic describunt. χολέρα ἡ γαστρὸς ἐστὶν ἀμέτρος ἐκτάραξις, κάτωθέν τε καὶ δι᾽ ἐμέτων γινομένη, διὰ προσοχὴν τῶν σιτίων ἀπεψίαν. Sequitur mox alia confectio sedans dolorem, in qua: Cassiæ nigræ, myrrhæ, opij, styracis, croci, singulorum drachma 1. conuerti, sed in Græco exemplari, pro styrace συνηθείας habetur, quam uocem ut suppositiitiam expungendam censeo, & ueram στύραχος eius loco succenturiandam, quum styracis usus ad has affectiones cõmodissimus, etiam in alijs confectionibus aliquoties habeatur: aluminis autem usus & ineptus est, & nusquam in alijs pharmacis hoc loco relatis habetur. Facilis autem fuit occasio lapsus, συνηθείας pro στύραχος supponendi, ob uicinitatem scripturæ, sicut in præcedenti capite etiam χυστῆς pro χοίνου suppositum ostendi. Sequitur mox trigonus pastillus, à triangulari figura qua effingebatur, ut puto, cognominatus, de quo etiam alibi dixi, nisi quis à tribus rebus ipsum constituentibus cognominatũ potius uelit, quanquam non ex tribus, sed quatuor rebus, & Aetius, & Paulus eum cõponant, sed Galenus hoc loco apij semen non habet, haud scio an ultro relictũ, an alias deperditum & elapsum. Sequũtur mox duæ cõfectiones, in quarũ prima βετίου βοτάνης in secunda βετίου simpliciter habetur, pro quibus ego saluiæ herbæ reddidi. Est enim βηχίου pro βετίου utroq; loco substituendum. Est autẽ βήχιον una aliqua appellatio ἐλελισφάκου, quam nos saluiam dicimus, uelut etiam in adscriptitijs ad Dioscoridem uocibus habetur, & Plinius 26. cap. 6. alteram bechij speciem saluiam appellari testatur. Alterius autem bechij tum foliorum, tum radicis usum, & Dioscorides & Galenus & Plinius in suffitionibus tantum probant, ut ea hoc loco non sit accipienda, sed altera elelisphacos uidelicet, & saluia appellata, quã ob uim calfactoriam, urinam, mensesq; ac fœtus detrahere in potu acceptã Dioscorides dixit. Sequitur deinceps alia dolorem sedans iucunda appellata, quæ eadem planè est cum pastillo ex succino præcedenti capite quarto ex Asclepiade à Galeno adscripto. Est autem appellatio ἰουκοῦνδα Latina, à græcis medicis Romæ degentibus in usum assumpta. Sequitur paulò post Catapotium ex libris Aphrodę, in quo dixi: facit & ad calculosos, dysentericos, & iã desperatos, atq; anxios. Ita enim in græco habetur. ποιεῖ καὶ πρὸς τοὺς λιθιῶντας, καὶ δυσεντερικοῖς, καὶ στομαχικοῖς, καὶ τοῖς ἤδη ἀπειρηκόσιν, καὶ ἀσωμένοις. ἀσωμένους itaque anxios dixi, eos

significare uolens, qui nullam decubitus formam facile ferunt, sed se perpetua inquietudine iactant, quæ affectio ualde perniciosa est, & propterea eam desperatis adiecit. Sunt autem duplices ἀσώμενοι, qui & ἀσώδεις dicuntur, hi quos dixi, & alteri quibus os uentris à uitiosis humoribus cõmordetur, ut nauseabundi reddantur. Sed de hac gemina significatione τῶν ἀσωμένων & ἀσωδῶν, Galeni uerba ex secundo commentariorum in prædictiones Hippocratis adscribam. Διττῶς γὰρ γιγνομένων ἀσωδῶν τῶν καμνόντων, ἕνα μὲν τρόπον ὅταν ἡ δύναμις ὑπὸ τοῦ σώματος βαρύνηται, ὡς μηδὲν φέρειν σχῆμα ῥᾳδίως, ἕτερον δὲ ὅταν τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ὑπὸ μοχθηρῶν δάκνηται χυμῶν. οἱ πρότεροι μὲν ὀλεθρίως διάκεινται. ναυτιώδεις δ᾽ εἰσὶν οἱ δεύτεροι.

Quæ ab Asclepiade scripta sunt ad easdem affectiones. Eclegma. farris Clusini appellati sextarium dimidium.] Hoc eclegma, itemq; sequens sorbitio mire corrupta sunt, per typographum, aut potius per eũ qui castigationi operis præfuit, ut palàm apparet. Nam quum ueram lectionẽ assequi non posset, aut etiam integram haberet suspectam, ut quam non intelligeret, hanc quæ in græco exemplari legitur, ex diuinatione sua assequutus, ut rectam supposuit, quæ sic habet. ἐκλεικτὸν φάρ© καλούμενον, οἴνου ξ. ς. πρασίου χυλοῦ ἀφεψήματ© ξ. α. ταῦτα βαλὼν εἰς ἀγγεῖον ὑελοῦν, βρέχεσθαι ἔα νύκτα καὶ ἡμέραν. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ, μάλασσε τὸ φάρμακον, ὥσπερ τὸν χόνδρον βρέχομεν, καὶ ὅταν παντελῶς διαλυθῇ, ἔκθλιβε τὸ ὑγρὸν, καὶ τούτῳ ἐπιβαλὼν λι. ς. καὶ θεὶς ἐπὶ πυρὸς ἕψε συνεχῶς, καὶ ὅταν συστραφῇ, ὥστε μέλιτ© ἔχειν τὸ πάχ©, ἐκ τούτου δίδοται μύστρον πρὸ τροφῆς, καὶ μετὰ τροφὴν τὸ ἴσον. Hæc itaque lectio penitus corrupta nullam sententiam exhibet componendi pharmacum quale Asclepiades ipse præscripsit. Vt quid enim uinum & marrubij decoctum in uitreum uas coniecta, macerari per diem & noctem quis sinat, ut sequenti die pharmacum emollire ad alicæ maceratę modum possit, quum utraq; res sit liquida per se, nec maceratione, nec emollitione opus habens? Quare deest res aliqua, quæ uino supposititio reiecto, substitui debet, & quæ in marrubij decocto maceranda est, & instar alicæ emolliend, atque hæc nulla alia est quàm far maxime Clusinum appellatum, cuius etiam Plinius meminit lib. 18. cap. 7. In transpadana, inquit, Italia scio uicenas quinas libras farris modios pendere, circa Clusium & senas. Meminit & Aetius 9. cap. 45. ibidemq; farris ex frumento præparandi modum ex Archigene docet, qui locus in secundo horum commentariorum à me est relatus. Sed & Columella lib. 2. cap. 6. Far quod appellatur Clusinum, candoris nitidi esse ait. Farris itaq; Clusini sextarij dimidiũ, in marrubij uiridis decocto sexta rij mensura macerari debet, & uelut alica emolliri. Quemadmodum enim far ex frumento siue tritico, sic alica siue chondrus ex zea pręparatur, uelut alibi often di. Porrò quod sequitur ἔκθλιβε τὸ ὑγρὸν, καὶ τούτῳ ἐπιβαλὼν λι. ς. similiter corruptũ est. Deest enim res quæ expresso liquori ex farre & marubij decocto, ammisceri debet & cum qua ad mellis crassitudinem sit redigendus. Et sanè suspicatus sum aliquandiu μέλιτ© uocem deesse, ut uidelicet mellis libram dimidiam addi iuberet, sed damnata tandem hac mea suspiciõe, nihil aliud deesse existimo, quàm λίπος uocem, qua pinguedinẽ siue adipem aliquem inijci iuber, nullo certo pondere aut mensura additis, ita ut λι. ς. mensura, ꝓ uoce λίπος sit supposititia. Quẽadmodũ enim in sequenti sorbitione λίπους κριοῦ κατεργασμένου ro. γ. inijcere iubet, itemq; pollinis acetabulum: sic in hoc eclegmate, itidẽ adeps aliquis cõijciendus esse apparet, pro polline uero far ipsum successit, quanquã etiã in ipsa sorbitione λίπους ἰοῦ, qui nullus est, pro κριοῦ, id est adipe arietis siue pinguedine legatur. Possit autem etiã alius quispiã adeps accipi, quũ non habeant multum diuersas facultates. Quare lectio omnino ad hunc modum restituenda est, quam non dubito sic fuisse in exemplati expressam, & temere ut dixi corruptam. ἐκλεικτὸν, φάρος καλούμενον

[illegible] ἐλλυσίνου ξ. ς. πρασίου χλωροῦ ἀφεψήματος ξ. α. ταῦτα βαλὼν εἰς ἄγγος ὑέλινον, βρέχεσθαι ἔα νύκτα καὶ ἡμέραν. τῇ δὲ ἐπιούσῃ, μάλασσε τὸ φάρμακον, ὥσπερ τὸν χόνδρον βρέχομεν, καὶ ὅταν παντελῶς διαλυθῇ, ἔκθλιβε τὸ ὑγρὸν, καὶ τούτῳ ἐπιβαλὼν λίπος καὶ θεὶς ἐπὶ πυρὸς ἕψε, &c. Hoc enim modo continget sententia compositionis huius pharmaci quam ego reddidi, & quã neque ex ullo exemplari, neque ex ueteri interprete, qui eam non habet, sed iuxta aptissimam ut arbitror cõiecturam, rectissimam & genuinam esse iudico.

Aliud Nicerati, facit suppuratis dyspnoicis.] Inter uires huius eclegmatis, in Græco exemplari habetur, καὶ ταῖς μετὰ τόκον καθαιρομέναις κατάγει γάλα, ποιεῖ καὶ νηπίοις ἀτροφοῦσι διδόμενον ταῖς τροφαῖς. Hoc est, eis quæ post partum purgantur lac deducit, prodest etiam infantibus alimentum non sentientibus, si in cibis præbeatur. Verum ego corruptam lectionem sic puto restituendam. καὶ ταῖς μετὰ τόκον καθαιρομέναις κατάγει τὰ δεύτερα, ποιεῖ καὶ νηπίοις ἀτροφοῦσι διδόμενον ταῖς τροφοῖς. Hoc est uelut ego reddidi secundas deducit & detrahit, & si nutricibus præbeatur, non pueris. Pro γάλα itaque τὰ δεύτερα lego, uelut etiam infra in panchresto habetur. καὶ γυναιξὶν ἔμμηνα, καὶ ἐγκαταλείμματα ἐκ φθορᾶς ἢ τόκου δεύτερα κατάγει. Lac enim detrahere mulieribus à partu nõ est opus, Nam augere aliquando contra oportet diminutũ. Sed & hanc uim detrahendi secundas prasio Dioscorides tribuit libro tertio ubi inquit, δίδοται καὶ ταῖς μὴ καθαιρομέναις γυναιξὶ ἀγωγὴν ἐμμήνων καὶ δευτέρων. Potissimum autem in hoc pharmaco est ipse prasij siue marrubij succus. Deinde pro τροφαῖς lego τροφοῖς. Pueris enim in cibo exhibere tam forte pharmacũ non conuenit, sed nutricibus exhibitũ, uim suam in lac ipsarum distribuit, ex qua per suctum lactis nutricis infans participat. τροφὴ aũt cibum, τροφὸς nutricem significat. Cæterum alimentum non sentientes dixi τοὺς ἀτροφοῦντας, sic enim Plinius eos reddit lib. 22. cap. 25. de eruo. Et quæ cibum, inquit, non sentiant atropha appellata, tostum & in nucis auellanæ magnitudinẽ melle collectum deuoratumque corrigit. Verum lib. 28. cap. 9. ab imbecillitate uires recolligentes eosdem dixit. Sic enim de lacte ait. Et bibitur ab imbecillitate uires recolligentibus, quos atrophos uocant.

Aliud Scribonij Largi. Succi marrubij sextarios VI.] Hoc eclegma non est in Scribonij libello uulgato, sicut neque catapotium, quod paulò post item Scribonij Largi nomine citat ab Asclepiade, fortassis per ætatis iniuriã elapsa ac deperdita.

Antidotus Aristarchi, compositio admiranda, hanc Paulinam appellamus.] Hæc antidotus est etiam apud Aetium 8. cap. 63. sed tum hic, tum apud Aetium, aliquo modo per ætate corrupta, ita tamen ut utræque descriptiones inter se collatæ, unam integram reddere ualeant, quam sanè me hoc loco expressisse puto. Aetius itaque antidotus Aristarchi habet, sed in Galeni exemplari ἀρισταίου ἀρισομάχου, id est, Aristei Aristomaci habetur. Aetium itaque hac parte sequendum existimo. In Galeno enim duplex nomen autoris à typographo expressum indicat eũ circa ueram lectionem hæsisse. Deinde Aetius singulorum in hanc antidotum ammixtorum unciam unam habet. Galenus autem ἀνὰ δραχ. α. id est singulorum drach. unam, nimis exiguo pondere ad sextarium mellis, quare & hac parte Aetium sequti sumus, maxime quũ Asteriscus adiectus indicet typographum circa lectionem dubitasse, & quũ fabæ Aegyptię magnitudo tantum exhiberi debeat. Si enim drachmæ tantum singulæ singularum rerum indentur ampliori copia exhiberi possit, atque tantum quidem ex Aetio sumpsimus ad huius pharmaci integritatem restaurandam. Verũ Aetius ipse uicissim ex hoc Galeni loco iuuari potest, quo & ipse hanc antidotum integram habeat. Primum itaque desunt apud Aetiũ aliquæ affectiones, quibus hæc antidotus cõmoda est. Deinde surdastros

quos ex uoce λωφὸς reddidi non recte legitur. Debet enim ἄτροφος, id est, cibum non sentientes pro λωφὸς legi. Sed quid facerem quũ exemplar quod ego in Aetio uertendo unicum & ætate corrosissimum sequebar palam λωφὸς haberet: & tum non ad manum esset Galenus, unde opem ferre potuissem: Indico itaque libentissime errorem non meum, sed exemplaris, quanquam neq; meum confiteri erubescam, si uel hac uel alia parte communi mortalium incertitudine & fragilitate deliquissem. Postea Aetius mellis chœnicem habet, hoc est, ut exemplar græcum habuit μέλιτ☉ χοι. α. Sed malim ipse cum Galeno ξ. α. legere, quanquam utrunq; legi possit, & in plerisq; alijs locis Aetius choenicem, hoc est, sesquisextarium habeat, in quibus apud Galenũ sextarius habetur, nisi uel apud Aetium χοῖνιξ temere pro sextario suppositus est, uel apud Galenum sextarius pro choenice irrepsit. Malim tamen aliquot locis apud Aetium chœnicem pro sextario suppositum esse credere, quàm apud Galenũ sextarium pro chœnice, maxime si chœnicem duorum sextariorũ mensuram accipiamus, uelut quidam tradunt. De hac re ob id libentius rerum medicarum studiosos commonefacio, ut in eiusmodi mensuris ac ponderibus ipsi diligentem æstimationem faciant, quantum sit satis, reliquorum ammiscendorũ comparatione. Hoc enim ipsi iubent nos facere aliquoties pharmacorũ autores, præsertim circa mellis mixturam, ut non simus uel ad huius sextariũ, uel ad alterius chœnicem adstricti, tanquam quibus nihil inde immutare liceat. Licet enim mutare tum augendo, tum minuendo, iuxta affectuum, locorum, temporũ anni, hominũ, ætatum, et cuiusq; adeo palati rationem. Postremum in Aetio habetur, irrorato podice ex modico aceto: quæ lectio penitus corrupta est per typographum, qui podice pro pollice legit. Sic eñ scripserã, irro rato ex pollice modico aceto, quod id ipsum est quod Galenus hoc loco dixit, uelut ego reddidi, irroratis de digito guttis aceti nouẽ, hoc est, ἐπιῤῥαινομένων τῷ δακτύλῳ ὄξους σταγόνων θ. Sed Aetius nõ certũ numerum guttarum irrorandarum expressit, & alias etiã corrupte habebat exemplar ἐπιῤῥαινομένου δακτύλου ὄξει ὀλίγῳ. Pro quo legendum est ἐπιῤῥαινομένου δακτύλῳ ὄξους ὀλίγου, hoc est uelut iam dixi, irrorato ex pollice modico aceto.

In Caput VI. de Orthopnœa.

ASclepiadæ pharmaca ad dyspnoicos conscripta.] In quarto ex his pharmacis, rutæ trientem, & seminis apij, comæ thymi, utriusq; unciam una miconuerti, sed in græco exemplari primum pro rutę trientem: id est. πηγάνου γο. δ. habetur falso, ut equidem opinor, λιβάνου γο. δ. Deinde σελίνου σπέρματ☉ καὶ θύμου κόμμεως ἀνὰ γο. α. habetur. Sed ego pro κόμμεως lego κόμης. Quod autem rutæ usus in hæc pharmaca potior sit, uel ex Dioscoride discere licet, qui libro tertio de ruta ait: ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς πλευρῶν πόνον καὶ θώρακος, δύσπνοιαν, βῆχας, περιπνευμονίαν, &c. Sed & tantum thuris pondus in eclegma miscere non audeam, quod & insaniam moueat, & aliquando occidat eodem Diosco. lib. I. autore. Quin & in sequentibus pharmacis πηγάνου, id est, ruta habetur. Nusquam uero in ijsdem thuris mentio fit, ut uel ex eo indicio habeamus, etiã hoc loco πηγάνου, & nõ λιβάνου legendum esse. At uero sicut hoc loco θύμου κόμμεως falso habetur pro θύμου κόμης, id est thymi coma, sic infra in septimo ex ordine pharmaco, etiam ἐπιθύμου κόμμεως falso pro κόμης expressum est.

Quæ pharmaca Andromachus ad huiuscemodi affectiones conscripsit.] In tertio horum pharmacorum dixi, & post semihoræ spacium, datur aquæ mulsæ hemina dimidia, hoc est, διαστήσας ἡμιώριον δίδου μελικράτου κοτύλης ς. Sed in græco exemplari διασείσας habetur. Reliqua neminem morari possunt qui simpliciũ cognitionem

gnitionem tenet. Et nos non nisi difficilium, & qui alias in Galeno non temere occurrunt, enarrationem instituimus, & ut exemplaris tum Græci, tum Latini lectio integra in studiosorum manus perueniat. Integer enim et emendatus liber nullo ampliori commentario opus habet. Cæterum ad finem in Eugenij pharmacum Misyos drachmæ quatuor recipiuntur, de quo uehementer dubito an in exemplari Græco recte μίσυΘ δραχ. δ. legatur, quum sit Misy ustorium & crustas infligens pharmacum, cum forti adstringendi facultate, ut uideri possit ad has affectiones intra corpus sumendum ineptum, atque adeo nociuum, nisi reliquorum mixtura intelligamus hanc eius uim mitigari. Plinius certe Misy præcipue utile tonsillis contraq; anginas & suppurata lib. 34. cap. 12. tradit, & ibidem præparandi eius rationem subiungit. Sed neq; Dioscorides, neque Galenus de usu eius ad hos affectus meminerunt. Nolui tamen immutare lectionē publicā, maxime quū & uetus interpres Misyos drach. IIII. conuerterit, alias suspicio est mihi ἀνίσου δραχ. δ. id est, anisi drach. IIII. eius loco esse legendū. Nam & hoc in precedētibus habet & minore periculo qs usurpet. Porro Valens qui in sequēti mox pharmaco, ab Andromacho citatur, is esse uidetur, quē Scribonius cōdisci pulum suum, sub præceptore Apuleio Celso fuisse cōpositione 94. testatur. Sic enim inquit: Hoc medicamentū Apuleij Celsi fuit præceptoris Valentis & nostri. Legitur tamen apud Marcellum cap. 16. loco e Scribonio transscripto sic. Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, & præceptoris nostri Valentis, quæ uerba si quis Marcellum de se scribere putauerit, longe in temporum ratione fallet, quum Apuleius Celsus, Valensq; ac Scribonius sub Claudio Cæsare uixerint. Marcellus autem sub Gratiano & Theodosio, uelut etiam in præfatione ante Marcellum à me nuper editum indicaui. Videtur itaq; mihi Marcelli lectio hoc loco, sicut plerisq; alijs rectior esse, ut uidelicet Scribonius dicat, hoc pharmacū tum Apulei Celsi, tum Valentis præceptoris sui fuisse, quanquam alias hic confusus prodendi modus, & ad uerbum transscribendi, citra autoris nomenclationem, non parum autoritatem Marcelli eleuet. Plinius certe li. 29. cap. 1. Vectium Valentem nouam sectā instituisse tradit, quum eam potentiā ex adulterio Messalinæ Claudij Cæsaris nactus esset. Valentis itaque factator Scribonius fuit.

Finis Septimi libri Commentariorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM IN DEcem libros Galeni de cōpositione medicamentorū secundum locos conscriptorū, Liber Octauus.

In Caput Primum de Pharmacis stomacho congruis.



SINAN QVE per laxatorium medicationis ductum, citra ammixtionem facultatis robur addentis, curentur: periculum incurrunt de ipsa uita.] Laxatorius medicationis ductus uarius est, & non ex una quapiam auxiliorum specie constans, quemadmodum neq; simpliciter uno aliquo modo σπάσις, hoc est distentio contingit, quæ uidelicet χάλασιν, hoc est laxationem requirit, sicut uicissim Laxitas tensionem siue distentionem, uelut Hippoc. ἀδῥώματΘ σκληροῦ μάλθαξις, συντεταμένου δὲ χάλασις. quanquam non in cute solum, sed in ipsis etiam articulis, ambo hæc contingant. Et Laxitas quidem ex humectis immodice liga-

mentis ac tendinibus efficitur. Distentio autẽ non simpliciter, sed circa articulos quidem aut amplius resiccatos, aut perfrigeratos, aut inflãmatos, aut induratos. In cute uero non his solum modis, sed etiã ubi musculi intra ipsam iuxta quemcunq; modum in tumorẽ augescũt. Quare etiã ex carnis abundantia quibusdam sæpe cutis distenditur, & in inflãmationibus hoc ipsum uel maxime perpetitur. Itaq; nõ una aliqua species uelut dixi Laxatoriorũ auxiliorum est, sed aliqua humectando laxant, aliqua calfaciendo, aliqua molliẽdo, aliqua euacuando, aliqua tumores præter naturã destruendo, aliqua uero cõiunctim ex his quędã efficiendo. Quare & in oris uentris affectionibus & presertim inflãmationibus requirit laxatorius medicationis ductus; qui sane per olei dulcis fotũ, cataplasmaq; ex ordeo, & semine lini ac foeni græci in aqua mulsa coctis fieri poterat. sed neutiquã esse hoc cõmittendum Galenus nos hoc loco docet, ut uidelicet tum stomacho, tum hepati inflãmato, citra adstringentiũ ammixtionem laxantia adhibeamus: uerum per adstringentiũ additionẽ utraq; pars roboranda est, quũ si hoc non faciamus, stomachici in animi deliquiũ inducantur, Hepatici uero in totũ intereat, atq; id sola medici Methodum ignorantis culpa. Quæ autẽ sint quæ laxantibus ammista, adstringendo corroborẽt, ipse mox indicat, quũ ea ipsa aliquos Methodos per ignorantiã etiam ammiscere dicit, uelut est absinthij coma in oleo feruefacta, mastiche itẽ chia, & aloe, ungento nardino ammixta, aut potius melino, ut magis adstringenti: quare etiã malum ipsum cotoneũ in oleo decoqui in eundem usum possit. atq; hæc quũ ab illis per ignorantiã facultatis pharmacorũ fiat, laxatorij ductus esse medicatio ab ipsis putatur, quũ sit uera adstringentibus uidelicet ammixtis curatio, quam sic per ignorantiã rectè apprehendunt, uitaturi si talem agnouissent, utpote quam improbent falsis Methodicorũ sectæ opinionibus addicti, qui huic medicationi contradicunt, quam tamen & Empirici sua experientia ut ueram agnoscunt, & dogmatici in artis operibus custodiunt, iuxta quorum præscriptum deinceps Galenus pharmaca stomachicis apta recenset. Porrò συντάσις uox non significat contractionem, qua uidelicet laxata cogantur & cõtrahantur, (poterat enim hoc modo uox ea accipienda uideri, tanquam laxata contractione opus habeant, quũ & cõtrahi, & distendi amplius ac explicari possunt, & ideo laxitatis & cõtractionis oppositio aliqua esse uideat) sed planè altera oppositio τῆς χαλάσεως, hoc est laxitatis existit, significatq; distentionem ac tensionẽ, qualis in quibusdam ex carnis redundantia & in inflammatis palàm cernitur. Quare etiã συντατικὰ φάρμακα non rectè cõtrahentia dixeris, quanquam etiã ipse Linacer sic reddiderit, sed distendentia, hoc est, quæ partes laxas tendant, & quasi explicent, atq; sic accipiendum est illud quarto Metho. τά τε γὰρ ὑγραίνοντα καὶ θερμαίνοντα φάρμακα, καὶ ταῦτα δὴ τὰ συνήθως ἅπασιν ὀνομαζόμενα χαλαστικά, καὶ τούτων ὅσα βραχὺ μὲν πρὸς τὸ ξηρότερον ἀποκεχώρηκεν, οὔπω δὲ σαφῶς οὐδ' ἐναργῶς ἐστι συντατικά, τῶν ἐκχυμωμάτων ἁπάντων ἐστὶν ἰάματα, hoc est: Humectantia enim & calfacientia medicamenta, & hæc sane quæ recepto apud omnes uocabulo laxantia appellantur, & ex his ipsis quæcunq; paululum ad siccitatem uergunt, nondum autem manifeste & euidenter distensiua sunt, omnium suffusionum medelæ existunt. Cæterum συντατικὰ pharmaca ualide siccantia existũt, quando uelut dixi, laxitas ex humectis immodice ligamentis ac tendinibus contingit, uelut docet Galenus libro quinto simplicium pharmacorum.

Ceratũ igitur quo assidue utor ex aloe, & mastiche, & cera pontica amara, atque ungento nardino constat. Componitur aũt hyeme ad VIII. drachmas ceræ, uncia una mensurali Romana unguenti nardini cõiecta, Aestate autem ad VII. eadem ungenti proportione.] Hoc ceratum componi ait hyeme ad VIII. drach. ceræ

ceræ uncia una mensurali Romana ungenti nardini coniecta, æstate ad VII. eandem ungenti proportione. Videtur itaque uelle, paulo spissius hyeme parandum esse ceratum, quum drachmam ceræ detrahi iubeat æstate, qua tamen detracta non multo liquidius euadet. Octauo sanè Methodi libro, ceræ & nardini pares partes conijcere iubet, atque sic citat etiam Aetius 9. cap. 16. nimirum utriusque unciam unam conijciendam. Sed huius distinctionis de hyemis & æstatis ratione, meminit etiam Paulus lib. 3. cap. 57. qui hinc locum transcripsit. Cæterum Galenus hoc loco diligentem distinctionem inter unciã mensuralem, & ponderalem facit, quum tamen æque XII. unciæ mensurales libram mensuralem, uelut XII. ponderales libram ponderalem constituat. Fuit autem hæc mensura libræ mensuralis uulgaris Rhomæ ad oleum dimetiendum, duodecim lineis in ipsam incisis, quæ singulæ singulas uncias indicabant, uelut Galenus cum alibi, tum tertio τῶν κατὰ γένη palàm ostendit his uerbis ἐστὶ δὲ παρ᾽ αὐτοῖς μέτρον, ὧ τὸ ἔλαιον μετροῦσιν ἐντετμημένον γράμμαις διαιροῦσαις τὸ σύμπαν εἰς μέρη δώδεκα, καὶ καλεῖται τὸ ὅλον μέτρον ὑπ᾽ αὐτῶν λίτρα. τὸ δωδέκατον δὲ αὐτῆς οὐγγία. Sed et lib. primo eiusdem operis æquiuocã esse ait libræ appellationem ad pondus solidarũ rerum & mensuram liquidarum, sic inquiens καλεῖται γὰρ ὑπὸ ῥωμαίων ὁμωνύμως ὁ λιτραῖος σταθμὸς τῶν στερρῶν σωμάτων τῷ λιτραίῳ μέτρῳ τῶν ὑγρῶν, ὃ πάμπολυ καθ᾽ ὅλην τὴν πόλιν ὅτιν δὲ ὕλης κερατίνης γιγνόμενον. Quod autem non perpetuum fuerit in liquidis rebus uti uncijs mensuralibus, & in solidis siue siccis, ponderalibus, uel ex hoc loco colligere est, ubi ceram appendit, ungentũ uero mensura unciæ accipit, de qua Aetius hunc locum uelut dixi citans consuluit, simpliciter utriusque unciam unam conijciendam dicens: Ex re autem esse ut semper in libris suis pharmacorũ scriptores id obseruent, & quas nam libras siue uncias liquidorum pharmacorum conijci oporteat indicent, idem Galenus libro sexto operis iam citati ostendit his uerbis. Διὸ γράφειν ἐχρῆν ἐπιμελέστερον ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις τοὺς ἰατροὺς ὁπόσας τινὰς κελεύουσι βάλλεσθαι τὰς οὐγγίας ἢ τὰς λίτρας τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, πότερον τὰς μετρικὰς ἢ τὰς σταθμικάς, & libro primo eiusdem operis, ubi ait. τὰ δ᾽ ἄλλα περὶ συμμετρίας, ὡς ὑπ᾽ ἐμοῦ γέγραπται, πλὴν ὅτι κοτύλας ἐκεῖνος, οὐ λίτρας ἔγραψε, τοῦ τε ὕδατος καὶ τοῦ ἐλαίου, μὴ δηλώσας ὁπόσων οὐγγιῶν βούλεται εἶναι τὴν κοτύλην ἤτοι σταθμικῶν ἢ μετρικῶν. αἱ μὲν γὰρ σταθμικαὶ τὸ βάρος κρίνουσι τῶν σωμάτων. αἱ δὲ μετρικαὶ τὸν ὄγκον.

Sæpenumero iam dictum est quod Medici in more habent os uentris, ueluti Cardian, hoc est cor, sic etiam stomachum appellare.] καρδίας uocem non de corde, sed de uentris ore ueteres medici usurparunt. Vnde sunt adhuc in medicorum Græcorum usu καρδιαλγία, & καρδιώσσειν, & καρδιωγμός, quibus oris uentris dolores & affectiones significantur, non ipsius cordis. Quanquam apud Hippocratem quarto aph. 65. ubi ait ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμός, κακόν. per uocem καρδιωγμὸς quidam interpretes non oris uentris puncturam acceperunt, sed ipsius cordis motum quendam densum & uelocem ac quasi uibratum, Cardiogmon exposuerunt, uelut Galenus in commentario in eum aphorismum recenset. Quemadmodum autem καρδίαν æquiuoce de corde & uentris ore usurparunt, Sic etiam στόμαχον de eodem uentris ore dixerũt æquiuoce cum illa particula quæ cibum ex ore in ipsam defert, quam sanè Latini gulam, Græci etiam οἰσοφάγον appellant. Gula enim proprie στόμαχος Græcis appellatur, cuius principium ijdem τὸν φάρυγγα, & postremum item στόμαχον, idest os uentris dicunt, quod Plinius undecimo capite trigesimo septimo ostendere uolens: Summum gulæ fauces uocantur inquit, postremum stomachus, sed tamen non satis clare distinxit τὸν φάρυγγα fauces appellando, quæ τοῦ φάρυγγος appellatione ueniunt, uelut alibi indicaui.

Hanc porrò uocis στομάχου tū de gula, tū de ore uentris, quæ postrema gulæ pars est æquiuocationem, Galenus apertissimis uerbis explicat, Methodi lib. 13. sic inquiens, λέγω δὲ νῦν στόμαχον ὅντινα καὶ κυρίως ὀνομάζουσιν, ἐνίοτε γὰρ οὕτω καλοῦσι καὶ τὸ στόμα τῆς γαστρός, ὥσπερ ὅταν εἴπωσι συγκόπτεσθαί τινας στομαχικῶς, ἀλλ' ἐπί γε τοῦ κυρίως ὀνομαζομένου στομάχου καὶ τὰ καταπλάσματα κατὰ τῆς ῥάχεως ἐπιτίθεμεν, οὐκ ἔμπροσθεν, ὥσπερ ὅταν τὸ στόμα τῆς γαστρὸς φλεγμαίνῃ. κατὰ γὰρ δὴ τῆς ῥάχεως ὁ στόμαχος ἐπίκειται, διά τε τοῦ τραχήλου καὶ τοῦ θώρακος φερόμενος κάτω μέχρι τῆς γαστρός. Sed hunc locum Linacer eius operis interpres ita reddidit, ut planè contraria sententia Galeni uerbis ab eo sit expressa, & scio quandam ex publicis scholis: Vniuersitates uocant: ex eo loco publicam disputationem instituisse, & tanquam de insigni uictoria, publice contra omnes ueteres ac nouos medicos scriptores ac autores triumphasse, de eo quod in oris uentris inflammatione cataplasma super spinā dorsi imponi oporteat, quum non hoc tradat Galenus, fiatq́ præter omnem rationem, omnemq́ & ueterum & recentium medicorum usum, consuetudinem & autoritatem. Sed talia qui audent quid quæso aliud faciunt, quàm quod ἀπεραγαθίζοντες extremam ignorantiam suam omnibus declarant: indicantes se ex libris non intellectis medicos esse, non aliter quàm iuxta prouerbium, qui ex libro nauis gubernator esse dicitur, nauticæ rei administrandæ imperitus. Vt aūt palam fiat ipsum etiam Linacrum, hoc loco Galenum non intellexisse, eius uerba quibus præscriptam Galeni sententiam reddit adscribam. Voco hoc loco stomachum gulam, quam propriè græci stomachum appellant. Nonnunquam enim ita uocant os uentris, ueluti quū stomachice anima linqui aliquos dicunt. Verū gulæ quę propriè uocatur stomachus, cataplasmata super spinam dorsi imponimus, non autē ad pectus, Idem facimus & quum os uentris phlegmone urgetur, siquidem spinæ gula superiacet, per collum & pectus usque ad uentrē porrecta. Sic Linacer & falso ut palàm græca intelligentibus apparet, sed pro rudioribus tamen etiam Latine uerum Galeni uerborum sensum adscribam. Dico nunc stomachum quem propriè sic appellāt, nempe gulam ipsam. Aliquādo enim sic etiam ipsum uentris os uocant, quemadmodum quum aliquos stomachice in animi deliquium incidere dicunt. Cæterum in stomacho propriè appellato, etiam Cataplasmata iuxta spinam imponimus, non ab anteriori parte, uelut quum os uentris est inflammatum. Etenim spinæ stomachus, hoc est, gula incumbit, perq́ collum & thoracem infra ad uentrem usque porrigitur. Hactenus Galenus. Vsurpat autem & Cicero stomachum pro gula libro secundo de natura deorum his uerbis. Linguam autem ad radices eius hærens excipit stomachus, quo primum illabuntur ea quæ recepta sunt, & oris utraq; ex parte tonsillas attingens, palato terminatur. Quæ uerba citans Budæus in Annot. in pandectas, Stomachum inquit, hoc in loco Cicero propriè pro gula & gutture accipit. Est enim stomachus ut Galenus inquit, στόμα τῆς γαστρός, id est os uentriculi. In quibus uerbis sibijpsi non constat. Nam dicit quidem Cicero rectè stomachum pro gula, uerum ad hoc confirmandum nihil facit hoc quod Galenus alicubi stomachū os uentris esse dicit, quum palàm loco à me citato æquiuocationē huius uocis idem Galen. ostendat, quæ tamen propriè gulā significat. Atq; hoc nō reprehendendi libidine indicare uisum fuit, sed ut palàm uideatur ꝙ aliquando etiā magnis uiris imponat nimia circa uoces explanandas curiositas, rerum expensione neglecta, adeo ut seipsos non intelligant quid dicant. Putauit enim Galen. idem quod Ciceronē dixisse, et gulam os uentris esse. In cōsimilem errorē paulò ante hunc locū idem incidit, in annotanda lege, Qui clauū, ubi hæc uerba habenť. Trebatius ait non esse morbo sum os alicui olere, ueluti hircosum, strabonē. Hoc eñ ex ingluuie oris accidere.

Sed Bu

Sed Budæus tametsi nihil cõstituat, tamen legendum putat, uelut hircus uel tragos, aut ueluti hircosum tragonta, ut scilicet latina uox per græcam exponatur, quum strabonem recte legi posse uideatur, ut uidelicet hircosus & strabo morbosi esse accipiantur, non morbosum autem esse os alicui olere, quũ hoc ex ingluuie ori accidat. quo loco certe non recte illuuie pro ingluuie legendum ratiocinatur, ex eo quod ingluuies non oris est; sed illuuies quæ græce ut ait, ἀλουσία dicitur. Nam neq; illuuies, quæ ἀλουσία itemq; ἀλουτία græcis medicis frequenter dicitur, oris proprie est, sed totius corporis, & τὸ ἀλουτεῖν plane τῷ λούειν opponitur, & de totius corporis illiuuie, & à balneis abstinentia usurpatur, Sic Galenus in consilio comitiali puero scripto, ἀλουτεῖν δὲ προσήκει inquit, τὰ πολλὰ, καὶ τοῖς παλαίστραις μὴ εὐθὺς ἐξιέναι μετὰ τὸ γυμνάσιον, hoc est à balneis abstinere cõuenit, &c. ut certum sit non illuuie hic legi posse, sed omnino uelut lex habet ingluuie, legendum esse, ex qua ori fœtorem accidere magis euidens est in crapulosis & gulæ deditis hominibus, quàm ut demonstratione opus habeat. Quare si ori accidere legis, & non oris uocem ad ingluuiem retuleris, integram habebis legis sententiam: quam rem ut Budæus non assequeretur, nominum ac uocum studium fecit, ad quod se conuertit rerum æstimatione relicta, uelut multis alijs locis, sed non tracat nobis, & præter institutum est talia persequi.

Fiunt autem & morsus quidam in ipso, quemadmodum etiam magnæ fames & anxiosæ affectiones.] Anxiosas affectiones hic dixi τὰς ἀσώδεις διαθέσεις à Galeno appellatas. Indicaui autem præcedente libro ἀσώδεις duplici modo ægros fieri, ut hic non sit necesse repetere. priore modo hic accipitur, & infra cap. 2. à principio ubi dixi, & quandam ægre tolerabilem anxietatẽ habet, & paulò post, quibus ructus eiusmodi cum molestia quadam & anxietate & subuersione contingunt. Est enim in Græco primum καί τινα δύσφορον ἄσην ἔχει. Deinde ὅσοις ἐρυγαὶ τοιαῦται μετὰ δυσφορίας τινὸς καὶ ἄσης καὶ ἀνατροπῆς γίνονται. Sic etiam apud Paulum libro primo capite trigesimo octauo ubi ait, ἀποχόμενοι δὲ αὖθις διὰ ταῦτα ἀφροδισίων κεφαλὴν τε βαρύνονται καὶ ἀσώδεις γίνονται, hoc est anxij redduntur uarieq; se iactant, corporis uidelicet facultate ob seminis multitudinem aggrauata. Sic item apud Gale. 6. Metho. λύειν δὲ κελεύει διὰ τρίτης ὁ ἱπποκράτης, ὅπως μήτε ἄσητις γίγνοιτο, μήτε κνῆσις ἀήθως σκεπασθέντι τῷ μορίῳ, hoc est, ne qua anxietas oboriatur. Verum posteriore significatione, pro nauseabundis uidelicet, ex oris uentris per uitiosos humores morsu, Galenus infra capite tertio in pastilli Amazonum declaratione accepit, ubi inquit, ἢ ἄσης θερμῆς αἴσθησις αὐτῷ περὶ τὸ στόμα τῆς κοιλίας, hoc est, aut nauseæ calidæ sensus circa os uentris contingat. Et Dioscorides libro secundo de Lapatho. πίνεται ὠφελίμως μεθ' ὕδατος ἢ οἴνου πρὸς ἄσην στομάχου, id est, ad stomachi nauseam. & eodem libro cepas, hoc est, τὰ κρόμμυα, ἀσώδη dixit, hoc est nauseabundas. Et sic sanè multis alijs locis accipitur: Hos autem indicare uolui, ut utriusq; significationis tum ἄσης, tum ἀσωδῶν uocis, usus clarior redderetur, qui ab omnibus ferè Græcorum medicorum interpretibus penitus est confusus & obscuratus.

In Cap. II. de Confectionibus stomachicis Andromachi.

QVi uero per solam experiẽtiam auxilia accumulat, ipse suam fortuitã occasionẽ expectat, & à prioribus tradita relegit.] Galenus his uerbis incertitudinẽ Empiricæ sectæ indicat, duasq; precipuas empirices species proponit: quarum altera ex fortuita occasione quã περίπτωσιν dicũr proficiscitur, Altera ex relectione & repetitione eorũ quę priores ex propria inspectione prodiderũt, atq; hæc pars μιμητική, hoc est, imitatoria appellatur. Est aũt et tertia species extempo

ralis

ralis, hoc est, αὐτοσχεδιαστικὴ dicta, quando sua sponte ad experimentũ faciendum progrediunt. Verũ quando hæc secta uel in primis hodie regnat, & ab ignorantibus etiã ipsam colitur & exercetur, quo eius sectatores se suaq́ bona cognoscãt, omnem Empirices eiusq́ partium originem ex Galeni lib. de sectis adscribam: Empirici inquit, artem hoc modo conflatam esse aiunt. Quum multas uiderent affectiones, tum sanis, tum ægris accidere, partim sua sponte, uelut sanguinis ex naribus fluxum, aut sudores, aut alui profluuium, aut aliud quicquam tale, damnum uel commoditatem afferens, non tamen efficientem caussam sensibilem habens: partim uero ex apparente caussa, nõ tamen ex nostra uoluntate, sed ex contingenti, uelut exempli gratia, cõtigit alicui ex casu, aut plaga, aut aliter sauciato, sanguinem manasse, & ut appetentiæ gratificaretur in morbo, frigidam aquam, aut uinum, aut aliud eiusmodi bibisse, quæ singula aut in utilitatem aut damnum cesserunt. Priorem igitur speciem commodantium aut lædentium naturalem uocabant, secundam contingentem & fortuitam. Vtriusque uero primum conspectum, occasionem fortuitam appellabant, περίπτωσιν Græce dicunt, propterea quod inconsulte & ex improuiso in eiusmodi res inciderent. Et talis sane est species experimenti per fortuitam occasionem, quæ περιπτωτικὴ ab ipsis Græce appellabatur. Altera uero extemporalis est, quando uolentes ultro ad experimentum faciendum progrediuntur, aut somnijs impulsi, aut alio quopiam modo ad opinionem inducti, hæc αὐτοσχεδιαστικὴ uocatur. Quin & tertia Empirices species est μιμητικὴ, id est, imitatoria appellata, quando id quod aut naturaliter aut contingenter aut extemporaliter profuit aut nocuit, rursus in ijsdem uitijs, in experimentum assumunt, atq; hæc species uel maxime ipsorum artem constituit. Non enim bis aut ter solum, sed sæpius id quod prius iuuit imitantes, deinde in ijsdem uitijs idem auxilium facere reperientes, eiusmodi memoriã ut plurimum speculationem appellant, et certam iam artis partem existimant: postquam uero multæ eiusmodi speculationes ab ipsis fuerant coaceruatæ, tota hæc congeries Medicina ipsis erat, & ipse coaceruator, Medicus. Appellabatur autem eiusmodi congeries græce αὐτοψία, hoc est, propria inspectio, memoria quædam existens eorum quæ sæpe & eodem modo uisa sunt. Ipsam uero traditionem historiam uocabant. Idem enim obseruanti αὐτοψία est, obseruatum uero discenti, historia. Hactenus Galenus. Quod itaq; conuerti, & à prioribus tradita relegit, in græco est, κατὰ τὴν τῶν ἐμπροσθεν ἱστορίαν ἀναλέγεται. Ipsa enim traditio historia appellatur, uelut Galenus aperte declarauit.

Secundam à præscripta compositione Andromachus sic ad uerbũ tradidit.] In hac compositione ad finem habetur. In uulneribus & inflammationibus dilutum aceto mulso imponitur, hoc est, ἐπὶ δὲ τῶν τραυμάτων καὶ φλεγμονῶν διεθὲν, μετ' ὀξυμέλιτος ποιεῖ ἐπιτεθειμένον, sic enim legendum existimo, sed græcum exemplar habet. ὧδι δὲ τῶν τραυμάτων καὶ φλεγμονῶν διεθὲν ὀξυμέλιτος πάχος ἐπιτεθειμένον. Deesset itaq; liquor quò pharmacum diluendum sit, ut crassitudine aceti mulsi imponi possit. Quare ego pro πάχος lego ποιεῖ, & intelligo simpliciter aceto mulso dilutum pharmacum impositum facere ad uulnera & inflammationes, quemadmodum sequitur idem pharmacum in oculorum inflammationibus succo mentæ, aut calaminthæ, aut solani dilutũ ac impositum facere. Sequitur mox eodem pharmaco sicco ad unguium abscessus, παρωνυχίας græci uocãt, utendum esse, & ad sanguinis eruptiones succum cum aceto, & ad crustas in ore ex passo gargarissandum esse, sed græca lectio corrupta est, quã sic restituendã censeo. χρῶ δὲ καὶ ἐπὶ παρωνυχιῶν ξηρῷ, ἐπάνω μολῶν σὺν ῥοδίνῳ, καὶ πρὸς αἱμοῤῥαγίας ξηρὸν σὺν ὄξει, καὶ πρὸς ἐσχάρας ἐν στόματι, σὺν γλυκεῖ ἀναγαργαριζόμενον ποιεῖ. Describunt autẽ græci medici

παρωνυ

παρωνυχίαν ἀπόστημα παρὰ τὴν ῥίζαν τοῦ ὄνυχος συνιστάμενον, hoc est paronychia est abscessus circa radicem unguis consistens, Latini reduuias appellant.

Ad stomachicos hierá Antipatri.] Ad finem huius hieræ dixi: Vtere arido trito quemadmodum alijs. Verum in græco habetur χρῶ λείῳ ξηρῷ ὡς ὧδι τῇ ἀλόης, nulla euidenti sententia, quare legendum puto, aut ὥσπερ τοῖς ἄλλοις, quemadmodum conuerti, aut ὡς ὧδι τοῖς διʼ ἀλόης, hoc est, utere arido trito, quemadmodum in alijs ex aloe compositis est dictum.

Stomachica Galli affectioni quæ calfieri & secari postulat utilis existit.] In græco sic habetur. στομαχικὴ γάλλου τῇ θερμαίνεσθαι τε καὶ τέμνεσθαι διαθέσει χρήσιμος ἐστι. Videtur itaque deesse uerbum χρηζούσῃ, quod ante uocem διαθέσει insertum sententiam hanc efficit quam ego reddidi. Cæterum quod de Alcetio sophista ad hanc compositionem adiectum est, quod uidelicet aceti sextarios sex, & mellis libras duas conijciat, in Græco exemplari τοῦ ὄξους. ξ. s. hoc est aceti sextarij dimidium habetur, quæ mensura ut nimis exigua tot rebus in ipsa macerandis ac coquendis, à me reprobata est, maxime quũ duæ libræ mellis addendæ præcipiantur. Quare pro ξ. s. lego. ξ. ς. quæ tamen mensura si cui nimia uideatur, quantum omnino satis uidebitur is qui paraturus est medicamentum conijciet, habita affectionis & hominis qui usurus est ratione. Fuit autem facilis exscribenti lapsus ut pro ς. charactere numeri senarij, supponeret s. characterem, medietatem cuiusque rei cui additur significantem.

In Cap. III. Stomachica phar. ab Asclep. in I. internorum conscripta.

Confectio ex fructibus, facit ad stomachi subuersionem.] Galenus supra lib. 6. cap. 1. Pharmaci ex fructibus meminit, quod ad oris inflammationes, tum illitum, tum gargarissatum commodet, de cuius compositione inquit, dicetur paulò post, quod ipsum tamen ab eo libro sexto factum non est, sed ut credo in hunc usque locum dilatum, quo oportune ad stomachicos item commodum idem pharmacum ex Asclepiade tradit. Recenset autem duas ex fructibus confectiones, in quarum prima fructus ex aqua coquuntur, & postea ad expressum liquorem mel additur. In secunda uero fructuum coctura in musto fit, ad cuius expressum liquorem nihil mellis additur. Verum de quo dubitari poterat, hoc est, in prima confectione aquæ congij septem leguntur, hoc est, χόες ζ. quæ nimia uideri queat mensura, maxime quum typographus eam fecerit asterisco adiecto suspectam, sed ego omnino rectam iudico lectionem. quum enim ad tertias coctura liquoris à fructibus reiectis expressi redigi debeat, supererũt ex toto sextarij 14. cum quibus adhuc postea quatuor mellis libræ permixtæ coqui debent, donec spissetur medicamentum. Ad eundem autem modum & in secunda confectione, Musti sextarij 48. accipiuntur, qui congios octo efficiunt, aut amphoram unam. Est enim congius sextariorum sex, & amphora sextariorum 48. uelut etiam alibi indicaui. Habet porrò & Plinius medicamenti ex fructibus compositionem, quam oporicen uocat, sicut hic, διʼ ὀπωρῶν appellatur, quam conferendi cũ hac posteriore gratia adscribendã duxi, ex lib. uigesimoquarto cap. 14. in hæc uerba. Vnũ etiamnum arborũ medicinę debetur nobile medicamentum, quod oporicen uocant. fit ad dysentericos, stomachique uitia, in congio musti albi, lento uapore decoctis malis cotoneis quinque cum suis seminibus, punicis totidem, sorborum sextario, & pari mensura eius quod Rhun Syriacon uocãt, croci semuncia. Coquitur usque ad crassitudinem mellis.

Catapotia ad stomachi subuersiones Origeniæ.] In his Catapotijs palmulæ passæ pateti græcis dictæ habentur, quæ quales sint alio loco declaraui.

Ait enim ardori stomachi ipsum conuenire, & propterea sitim extinguere testatur, unde etiam adipson græci appellant.] ἄδιψον uocant græci quod sitim arcet, quanquam etiam simpliciter quod sitim non facit, ἄδιψον appellent, atque hæc gemina significatio etiam plerisque alijs est, quæ eandem compositionis formam habent, uelut sunt ἄφυκτα & ἄδηκτα, & ἀφλέγμαντα, quemadmodum alibi ostendi. Dicitur & ἄδιψον ἀντὶ τῆς ἀδιψίας, quemadmodum paulò ante hunc locũ Galen. dixit. ἱκανὸν δὲ γνώρισμα τοῦ ψυχροτέραν τὴν διάθεσιν εἶναι πρὸς τῇ τοῦ κάμνοντος αἰσθήσει, τὸ ἄδιψον, hoc est, sufficiẽs signũ est frigidę affectionis, si æger se nõ sitire percipiat. hic ẽm pro nõ sitire, & sine siti esse, & planè pro adipsia accipitur. Verũ in præsenti catapotio adipso appellato, ἄδιψον uox sitim extinguens significat. Quemadmodũ aũt τὸ ἄδιψον, hoc est nõ sitire, hoc est, ἡ ἀδιψία frigiditatis signum esse Galen. dixit: Sic Hippocrates celeberrima sententia, ἀδιψία ἀνυπεύθυνός ἐστι, pronunciauit, hoc est, Non sitire innoxia res est, & quæ correctionem non requirit, quam sententiam etiam Plutarchus in libello de utilitate capienda ab amico citauit. Non solum, inquit, τὸ ἄδιψον uelut Hippocrates ait, sed silentium quoque ubique innoxium est. Ad eandem quoque sententiam respexit Dioscorides lib. 5. ubi de facultate uinorum agens ait. καὶ τὸ μὴ διψῆν δὲ ἄριστόν ἐστι παράγγελμα, hoc est: Non sitire est optimum præconium.

Fugienda itaque sunt hæc duo pharmaca ex Chrysobalano & radicis mandragoræ cortice composita.] Hæc duo pharmaca improbat Galenus, & fortassis propterea etiam in tantum aucta pondera expressit, ut per eorum copiam usuros ipsis auerteret. Nam uetus interpres in primo pharmaco uncias pro libris uertit, In secundo drachmas tũ pro libris, tũ pro uncijs reddidit, sed quando eorum usum ut dixi, improbet Galenus, non est quod simus curiosi de ponderе & componendi ratione. Sequitur tamen paulò inferius item Asclepiadæ pharmacum in quod etiam chrysobalani recipiũtur, quo quis securius uti queat, ob reliquorum quæ adduntur ipsis præstantiam ad earum malitiam corrigendam. Videntur autem Chrysobalani non esse aliud quàm balani myrepsicæ, hoc est, glandes ungentariæ appellatę. quanquam Chrysobolanum libentissime crediderim non esse aliam quàm nucem moschatam hodie appellatã, quam myrobalanorum generis esse me suspicari, alio item loco ostendi. Ad stomachica autem pharmaca ab Asclepiade assumptos esse ob id crediderim, quod habeant qualitatem amaram cum aliqua adstringendi facultate, ob quas & extergent, & secant, & condensant, ut stomacho debili & nauseabundo non sint ineptę putandæ. Reprobare uero easdem Galenus propterea uidetur, quod uomitum ciunt, & drachmæ pondere cum aqua mulsa potatæ non solum uomitum mouent, sed sæpe etiam aluum subducunt, uelut idem Galenus lib. 5. simpl. pharmacorũ tradit, & Dioscorides libro quarto. Mandragoram porrò ob nimiam frigiditatem, per quam etiam soporem inducit, improbare apparet: quanquam cortex radicis non solum fortiter refrigeret, sed etiam resiccet, ob quas tamen facultates eum Asclepiades in stomachica medicamenta probauit.

Iuxta hanc itaque rationem Hippocrates in pleuriticis purgatiuum exhibẽs.] Hic locus est apud Hippocratem lib. 2. de uictu in morbis acutis, & isthic à Galeno in commentarijs abunde declaratur, sicut & hic, quantum intelligendis Hippocratis uerbis ab se citatis satis est, adiecit.

An uero & ob nimiã euacuationẽ fiat singultus, uelut etiã conuulsio dignum consideratione est.] Meminit Galen. hoc loco aphorismi Hippocratis ex sexta particula trigesiminoni in quo palàm contineri in omnib. fere exemplarib. ait, quod conuulsio fiat aut ex repletione aut euacuatione, sic & singultus: atque ita

etiam

etiam ipse in sexto commentariorum in illum ipsum aphorismum legit & exponit. Sed hanc quęstionem quam hic proponit, an uidelicet ob nimiam euacuationem fiat singultus, tum isthic, tum hoc loco indeterminatam relinquit, isthic quidem permittens singultum appellari stomachi conuulsionem, quanquam potius sit motus quidam eiusdem ut ipse ait cum uomitu genetis, uerum intẽsior & uehementior illo. Verum quinto libro aphorismorum Hippocratis expositionis, in huius aphorismi expositione quarti ex ordine, in nimia purgatione conuulsio aut singultus succedens malum: uidetur planè concedere singultũ ex nimia euacuatione fieri, nempe qui nihil aliud sit ꝗ stomachi conuulsio, ὅτι δὲ καὶ ὁ λυγμὸς inquit, σπασμός ἐστι στομάχου, καὶ ἐπὶ τῶν ὑπερκαθάρσεων γινόμενος δῆλόν ἐστι. Quomodo autem conuulsio ex nimia purgatione siue euacuatione fiat, in expositione eiusdem libri supra primum aphorismum Galenus abũde ostendit, ubi Hippocrates dixit, conuulsio ex ueratro mortalis.

Antidotus hiera, id est sacra Themisonis.] In hoc pharmaco habetur, aridum ut ne trãsspiret seruato, hoc est φύλαττε ξηρὸν καὶ ἀδιάπνευστον. Sed in græco exemplari διάπνευστον habetur. Significat autem ἀδιάπνευστον, quod contectum seruatur, ut neque à uento aut aere lædi possit, neque exhalare & in aerem transspirare. Cæterum in græco paulò post legitur, ἐφ᾽ ὧν οὖρα κινεῖν προφερόμεθα, legendum est enim προαιρούμεθα, hoc est, quibus urinam ciere uolumus. Deinde autem habetur. Est medicamentum inspersile in pulueris ac farinæ formam redactũ, quod totũ in græco dicitur. ἔστι δὲ καταπαστόν. Significat itaq; καταπαστὸν pharmacũ inspersile & puluerosum. Sic infra libro nono, capite primo, huius operis habetur: ἄλλο καταπαστόν, ἀγχούσης λειοτάτης κοχ. β. δίδου μεθ᾽ ὕδατος ποτίμου πίνειν. hoc est, aliud inspersile pharmacum. Anchusam tenuissime tritam cum aqua potabili bibendam dato. Non solum autem pro inspersili in potũ pharmaco, sed quod etiã corpori utcumque inspergitur, καταπαστὸν apud omnes græcos medicos accipitur. Sic Aetius duodecimo, capite quinto, farinam lupinorum ægro in balneo super exudatoria tabella prostrato inspergendam ἱδρωτικὸν καταπαστὸν uocat. Talia etiam καταπάσματα itemq; πάσματα ac διαπάσματα appellantur. Plinius uigesimoprimo, capite decimonono de rosa, diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut à balneis inarescant corporibus, deinde frigida abluantur. Sic enim legẽdum puto, ut sit quod Dioscorides dixit. χρῶνται δὲ καὶ πλείους τῷ διαπάσματι ἐν συγχρίσμασι μετὰ τὸ λουτρόν. καὶ μετὰ τὸ ξηρανθῆναι, ἀπολούονται ψυχρῷ. Idẽ Plinius 13. cap. 2 Siccis inquit, odoribus constant quæ diapasmata uocantur. Diosc. lib. 1 de Agallocho, καὶ διάπασμα δὲ ὅλου σώματός ἐστι. Martialis poeta libro 1 ubi ait. Quid ꝙ olet grauius mixtũ diapasmate uirus. Diapasma siccos odores qui in pastillos inspergebãtur dixit, ante enim dixerat; Pastillos Cosmi luxuriosa uoras. Quanquam uideri poterat ipsos pastillos diapasma dixisse. Porrò de cataplasmatis etiam alio loco mentionem feci.

Asclepiades reliquorum singulorum singulas uncias ammiscuit, hoc est drachmas argenteas octo, aut septem & dimidiam.] Galenus hoc loco aperte ostendit, quod etiam alibi dixi, unciam ab aliquibus drachmarum VIII. ab alijs VII & dimidiæ censeri. Sicut ab alijs rursus septem tantum drachmarum esse traditur, uelut libro quinto, τῶν κατὰ γένη idem prodidit his uerbis. καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναι φασιν, ἔνιοι δὲ ζ. μόνων, ἕτεροι δὲ η. Sequitur mox: ad tardas enim concoctiones drachmam unam dari iubet, cum aquæ frigidæ cyathis quatuor. Opinor autem ipsum dicere drachmam argenteam, sic enim ferè recentiores medici appellare in more habent: facit his uerbis Galenus palàm distinctionem inter drachmam argenteam, & atticam seu cõmunem & medicam.

Drachmam itaque argenteam hoc loco subdit, plane idem esse quod Denarius est Rhomanis, quorum septem unciam constituunt iuxta Celsum & Scribonium, uelut alibi dixi. Drachmæ uero atticæ siue medicæ octo, unam unciam pendebant. Quanquam si diligenter hæc uerba expendimus, uidemus Galenum plane sibi ipsi contradicere. Primum enim unciam drachmarũ argentearũ octo, aut septem & dimidiæ dixit. Iam uero drachmam argenteã idem quod Romani Denarium, se reliquosque omnes appellare ait. Quare prior locus mihi est suspectus, & si hãc distinctionem unciæ in septem drachmas argenteas siue Denarios integram habere uolumus, nõ erit legendũ, τὴν ἀσκληπιάδου τῶν ἄλλων οὐγγίας μίξαι, ὀκτώ εἰς ὀλκὰς δραχμὰς ἀργυρᾶς η. ἢ ἑπτὰ ἥμισυ. sed pro η substituendum erit ζ. hoc est, non octo drachmæ argenteæ ad unciam constituendam legendæ erunt, sed septem, ita ut δραχμὰς ἀργυρᾶς ζ. ἢ ἑπτὰ ἥμισυ legamus: aut certe nõ δραχμὰς ἀργυρᾶς η, sed simpliciter δραχμὰς η legendum est. Sed nolo tamen quicquam asseuerantius hac parte adstruere, quum promiscuus fuerit usus Rhomæ medicinam exercentibus græcis, ut modo in septem, modo in septem & dimidiam, modo in octo drachmas unciam diuiderent, & maxime quum ipse Plinius hanc distinctionẽ inter drachmã atticam & argenteã siue denariũ argenteũ nõ obseruarit: libro enim uigesimo primo, capite ultimo inquit, Drachma attica (fere enim attica obseruatione medici utuntur) denarij argentei habet pondus. Et Marcellus in ponderibus operi suo præmissis, Denarius argẽteus inquit, est drachma una, quod facit scrupulos tres. Sed & Galenus se opinari dicit ab Asclepiade drachmam argenteam indicari, quæ eadem est cum Denario Rhomano, ut uel hic unus locus suffragio esse possit his qui unciam octo denariorum apud Rhomanos, uelut est octo drachmarum græcis, esse tradiderunt: Quum enim dicat Galenus drachmam argenteam idem esse quod denarium Rhomanum, & supra dixerit unciam octo drachmarum esse, consequens est etiam unciam octo denariorum esse. Quod autẽ hoc loco non multũ referat attica an argentea drachma exhibeatur, uel ex eo clarum fit, quod Galenus hoc pondus ut minimũ, nulla ratione ab Asclepiade proditum dicat, quum ad drachmarum sex pondus exhiberi queat: δόσεως inquit εἰς δραχ. ς ἐξιούσης. hoc est dosi ad drachmas sex progrediẽte. Legitur tamen ἐξισούσης corrupte. Sicut etiã paulo post corrupte legitur, οὕτω γὰρ ἅμα τε περὶ τὴν ἐκ τῆς κοιλίας ἀνάδοσίν τε καὶ φορὰν ἐπ᾽ οὖρα καὶ τὰ περὶ τὰς &c. nulla enim reddetur sententia nisi pro primo περὶ legatur κατάγει, ut sit sententia. Ita enim & distributionem ac delationem ex uentre in urinam deducit, & quæ circa &c. Nisi potius pro ἅμα τε περὶ legendum est ἅμα τε τὰ περὶ, ut tota periodus sic legatur. οὕτω γὰρ ἅμα τε τὰ περὶ τὴν ἐκ τῆς κοιλίας ἀνάδοσίν τε καὶ φορὰν ἐπ᾽ οὖρα, καὶ τὰ περὶ τὰς μήτρας ἐφιστάμενα διαλύει καὶ τέμνει. hoc est. Ita enim simul & quæ circa distributionem & delationem ex uentre in urinã, & quæ circa uteros instãt, secat ac dissoluit, quomodo sane sententiã

Aster inexuperabilis.] In hoc pastillo habetur. Similiter etiam his (reddidi, quæ ab utero suffocãtur auxiliatur, quod in græco est, ὁμοίως καὶ ταῖς ὑστερικαῖς πνιγομέναις βοηθεῖ. Verum ὑστερικῶς pro ὑστερικαῖς legendum est. Plinius hoc malum uuluam conuersam, & uuluæ cõuersionem appellare solet. Sic libro septimo, capite 52 de his qui elati reuixerũt, Fœminarũ, inquit, sexus huic malo uidetur maxime oportunus, conuersione uuluæ, quæ si corrigatur, spiritus restituitur. Paulus libro tertio, capite septuagesimo primo sic describit, ἡ ὑστερικὴ πνὶξ inquit, ἀναδρομὴ τῆς ὑστέρας ἐστὶν, εἰς συμπάθειαν ἀγούσης τὰ κυριώτατα τῶν μορίων, ὡς καρωτίδας, καρδίαν, μήνιγγας. hoc est, uterina suffocatio est ipsius uteri ad superna decursus, agẽs in affectionẽ per cõsensum particulas principalissimas, uelut carotidas arterias, cor, & cerebri membranas. At uero descriptio pastilli huius aliquantulum uariat ab ea quam

ab ea quàm Aetius 9 capite decimo, & Paulus 7 cap. 12 tradunt, ex collatione tamen integram descriptionem quis cõficere possit, nos nihil immutauimus à praescripto exemplaris, tantum hoc quod habetur τὸ σμύρνιον ἢ τὸ συράκιον, legendum putamus, ἡ σμύρνα καὶ ὁ σύραξ, quemadmodum etiam reddidimus. Nisi diminutiuas uoces putare uelimus, quae nobis ob ἀμφίβολον minime placent.

In cap. IIII. Quae Archigene in 1 pharmacorũ secundum genus prodidit, de affectionibus circa stomachum.

A Principio mox huius capitis, exemplaris graeci lectio uitiata est, quam tamen omnino eo quo sentẽtiam reddidimus, modo restituendã censemus. Sic τῶν δὲ περὶ τὸν στόμαχον παθῶν πολλῶν καὶ ποικίλων ὄντων, καὶ τούτων σχεδὸν ἁπάντων ὡς ἐπίπαν ἐξ ἀπεψίας γινομένων, παρὰ τὸ ἔργον αὐτοῦ ἐπισκεπτέον. καὶ εἰ μὲν δι' ὑδάτων, ἢ ἀέρος κακίαν διαλεῖται, ὡς μάλιστα ἐπιδέχεται, μεθοδεύοντας ταῦτα καὶ ἀλλοιώσοντας, ἀπαλλάττειν. εἰ δὲ δι' ἀσυνήθων βρωμάτων, περιαιρουμένους ταῦτα. Ex hac enim lectione sententia sequetur à nobis expressa: ex illa uero quam uulgatũ exemplar habet, nulla alia erui potest quàm haec ipsa, sed tamen locis prius, per typographum ueram lectionem non assecutũ corruptis, restitutis. Sed adscribam etiam ipsam corruptã lectionem, ut ex collatione appareat, typographũ à uera lectione delyrasse. τῶν δὲ περὶ τῶν στόμαχον παθῶν πολλῶν καὶ ποικίλων ὄντων, καὶ τούτων σχεδὸν ἁπάντων ὡς ἐπίπαν ἐξ ἀπεψίας γινομένων, παντὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ ἐπισκεπτέον, εἰ μὲν διὰ ὑδάτων ἢ ἀέρος κακία διέκειται, ὡς μάλιστα ἐπιδέχεται, μεθοδεύοντας ταῦτα ἀλλάσσοντας ἀπαλλάττειν. εἰ δὲ συνήθων βρωμάτων, περιαιρουμένους ταῦτα.

Verum ructu acido affectis coriandrum cochliarij mensura ante reliquum cibum edendum dato, & merum insuper bibendum.] Ructu acido affectos τοὺς ὀξυρεγμιώδεις dixi. Est enim ὀξυρεγμίας uox, ex ὀξέων ἐρυγῶν, id est acidis ructibus composita, quum sint etiam ἐρυγαὶ οὐκ ὀξεῖαι, ructus non acidi, sed nidorosi, quos κνισώδεις graeci dicunt: fiunt autem utrique ructus, ex corruptione ciborum in uentriculo, In calidioribus & biliosioribus natura, & qui uẽtriculum calidiorem habent, ac calidis ac biliosis excrementis refertum, nidorosi. In frigidioribus uero & pituitosis, & qui frigidiorẽ uẽtriculum habent, frigidaq; similiter in ipso excrementa, acidi siue acescentes.

Aut nuces pineas XX. & seminis cucumeris grana XXV. baccas myrti XX. croci obolum dimidiũ, & rosarum duarum folia, ex aqua bibenda exhibeto.] In graeco exemplari huius medicamenti lectio corrupta est, Deest enim foliorũ rosarum numerus, & pondus croci obolorũ duorum, nimiũ ad reliquorum portionem uidetur. Sic enim legitur, κρόκου ὀβολοὺς β. ῥόδων φύλλων μεθ' ὕδατος δίδου πίνειν. Quare hac parte ueterẽ interpretem secutus, sic legẽdum puto, quemadmodum etiam conuerti. κρόκου ὀβολ. ς. καὶ β. ῥόδων φύλλων μεθ' ὕδατος.

Porrò his qui saliuam multam in stomacho aggregarũt, aridam conyzã manducandam dato.] Et hoc unum ex stomachi uitijs est si saliuosus est, multa uidelicet pituita saliuosa in ipso aggregata, σιελισμὸν graeci hoc uitium uocãt, & hoc modo affectos σιελίζοντας. Meminit etiam Paulus lib. 3 cap. 37.

In cibo stomachicis conueniunt.] Supra capite 2 per longum recensuit Galenus, quot & quibus stomachi uitijs appellatio stomachicorum accommodetur. Verum ueteribus stomachici proprie appellantur, qui cibum continere nõ possunt, sed reuomunt, uelut Aetius lib. 9 & Paulus 3 cap. 37 testãtur, πρὸς δὲ τοὺς, inquit Paulus, μὴ κατέχοντας τὴν τροφήν, οὓς ἰδίως οἱ παλαιοὶ στομαχικοὺς ὀνομάζουσι. Caeterum hoc loco Archigenes cibos stomachicis commodos enumerat, atq; inter hos etiam melapia habentur. Sũt autem Melapia mala, quae & malorum & pirorum aliquam speciem prae se ferunt, unde etiam nomen habent ex pomis & piris

compositum, atq; hoc est quod Plinius dixit lib 15 cap.14. Cætera è caussis traxere nomen, germanitatis cohærentia & gemella, nunquã singula in fœtu, coloris serica, cognationis melapia. Neq; enim accipiendum est melappia, (sic enim fere in omnibus exemplaribus legitur) cognationis nomen à gente uel familia accepisse, sed à cognatione quàm ea ipsa mala ad pira habent. ἄπιος enim pirum est græcis, quemadmodum μῆλον malum siue pomum. Quod autem neque Plinius ipse aliter quàm melapia scripsit, & sic ut dixi, accepit, ex eo clarum est, quod in præcedentibus Appianorum malorum mentionem fecit, quæ ex Appio è Claudia gente sunt cognominata, & melapiorum nomen non ex gente, sed ex caussa cognationis, hoc loco tractum esse ait. Cæterum & is ipse locus de Appianis malis corrupte legitur. Eum uero partim alibi in his commentarijs explicaui ac restitui. Nunc autem totum integrum, uelut legendum existimo, adscribam. Ergo habent originem à Matio, Cestioq; & Manlio, item Claudio. Quin & cotoneo insito ab Appio è Claudia gente, appiana sunt cognominata. Porrò hoc Archigenis loco paulò post, teneri lentisci, aut myrti, aut rubi ramuli habentur: sed pro myrti, id est μυρσίνης, in græco σμύρνης expressum est, quemadmodũ paulò post etiam ἀφεψημάτων pro ἀφεψημένων legitur. Sequuntur mox inter olera enumeratæ μηκωνίδες, quas ego meconides lactucas conuerti. Appellãt enim meconis quoddã lactucæ atræ genus, à copia succi ac lactis soporiferi, similitudine quadã ad meconiũ, hoc est papaueris succum, μήκων enim papauer græcis dicitur. Sed de hac re Plinij uerba adscribam, quum non temere apud græcos medicos μηκωνίδων uox occurrat. Plinius 19 cap.8 de lactucis. Est etiamnũ alia distinctio, atræ quæ meconis uocatur, à copia lactis soporiferi, quanquam omnes somnum parere credantur. Apud antiquos Italiæ solum hoc genus earum fuit, & ideo lactucæ nomẽ adeptæ. & rursus libro 20 cap.7 Et amara lactensq;, quam meconidem appellauimus. Sic enim eo loco legi debet. Reliqua animalium, uolucrum, ac piscium genera in hac diæta stomachicorum ab Archigene enumerata, ex Aristotele quarto de animalium historia, & Galeno secundo de alimentis, ac Plinio petere potes.

Deinceps post præscripta Archigenis de fame ingenti, bulimo græcis appellata, itemq; de singultu prodit quæ sequũtur.] βούλιμος græcis ingentem famem significat, quæ tamen non usquequaque perdurat. Nam qui sic affecti sunt, repente animo linquuntur, cum extremarum partium perfrigeratione, & spiritus defectione. Compositio uocis ex βου, intensiua particula est, & λιμὸς constat; quomodo bumastos uua apud Plinium, mammarum modo tumens, & bumelia apud eundem fraxinus in Macedonia amplissima lentissimaq; appellatur. Neque uero idem malum est bulimos & caninus appetitus, de quo supra capite secũdo huius libri Galenus meminit. Caninus enim appetitus, hoc est ὄρεξις κυνώδης, etiam esuritionem magnam excitat, sed ut sic affecti plurima edant, & grauati maxime paulò post uomant, atque sic se leuent, rursusq; expleãt, ac rursus ad uomitum reuertantur. Bulimo autem affecti, si non statim cibum habeant, animo linquuntur, & pleriq; ipsorũ auxilij facultate destituti, ex instanti pereũt. De utrisq; autem seorsim agit Aetius lib.9 cap.6 & 21.

In cap. V de pharmacis quæ forinsecus ori uentris imponuntur.

ASclepiadæ qui philophysicus dictus est, hoc est naturæ studiosus.] Huius Asclepiadæ philophysici appellati etiam supra lib.7 cap.5 meminit hic Asclepiades, ex quo hæc pharmaca Galenus adscripsit: & qui pharmacion à medicamentariorum librorum editione est appellatus, uelut τῶν κατὰ γένη Galenus de quodam

quodã pharmaco ait. ἐπὶ τὸ φάρμακον οὐκ οἶδα τίς ὁ συνθεὶς ἐστὶ, οὔτε γὰρ παρ' ἀσκληπιάδῃ τῷ φαρμακίωνι τὴν γραφὴν εὗρον. Meminit autem utriusq; Asclepiadæ tum pharmacionis, tum philophysici appellati, Galenus supra libro sexto, capite 4 uelut etiam alibi commemini. Quare Asclepiades pharmacion hoc loco, & supra item libro septimo, capite quinto, alterum suum contemporaneum Asclepiaden philophysicum appellatum citat, & ob id in græco exemplari non recte, ὑπὸ ἀσκληπιάδου τοῦ ἐπικληθέντος φιλοσοφικοῦ, legitur. φιλοφυσικοῦ enim pro φιλοσοφικοῦ substitui debet. Cæterum quando iam sæpe in his libris Asclepiades pharmacion citetur à Galeno, & in hoc capite etiam eius pharmaca ex quarto externorum adducantur, Quæ Marcellæ inscribit, semel omnino ostendere operæ precium fuerit, quomodo hoc ipsum accipiendum sit, ex ipso adeo Galeno, qui libro primo comp. pharmacorum, κατὰ γένη, ad finem fere, Asclepiaden hunc decem libros scripsisse dicit, quinque pharmacorũ externorum, quos primum, secundum, tertium, quartum ac quintum Marcellam inscribit, & quinque alios internorum pharmacorum, quos primum, secundum, tertium, quartum, ac quintum Mnasona cognominet. Sed adscribam super hac re ipsa Galeni uerba, quo res quæ alias studiosis obscura esse queat, dilucida fiat. ἐπὶ τὸν ἀσκληπιάδην οὖν ἤδη μεταβὰς, παραθήσομαι τὰς ὑπ' αὐτοῦ γεγραφείσας ἐμπλάστρους λευκὰς ἐπὶ τῷ τέλει τοῦ τρίτου βιβλίου τῶν ἐκτὸς. ἐπιγράφει δὲ αὐτὸς αὐτὰ, πρώτην μαρκέλλαν, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην, καὶ τετάρτην, καὶ πέμπτην. ὥσπερ τὰ ἄλλα τῶν ἐντὸς πέντε, πρῶτον μνάσωνα, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον καὶ πέμπτον. ἐν δὲ τῇ τρίτῃ μαρκέλλῃ κατὰ τὸ τέλος ἔγραψε λευκὰς ἐμπλάστρους. Quare etiam hoc loco falso legi in græco exemplari, ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ἐντὸς, ἃ μαρκέλλας ἐπιγράφει, pro τῶν ἐκτὸς, ex his ipsis Galeni uerbis palàm est.

Malagma Nilo inscriptum.] Hoc malagma facere, & ad exarticulata & luxata dixi, quod in græco habetur, ποιεῖ καὶ πρὸς τρίμματα καὶ λυγίσματα. Verum nõ τρίμματα, legendum est, sed uel παρατρίμματα, qua uoce attrita significãtur à Plinio dicta, aut ex mutuo partium inter se affrictu, aut ex equitatione, aut etiam cinctu, aut calceatu, quidam intertrigines latine appellant: atque si sic legas uertendum erit, facere ad attrita uel attritus: uel quod magis probo, legendum παραρθρήματα, hoc est, ut uerti, exarticulata: hæc enim cum luxatis melius cohærent, quàm attritus, & uidetur altera uox alteram exponere ac declarare, quum παραρθρήματα nihil sint aliud quàm λυγίσματα, nõ tamen perfecta. παραρθρήματα enim à ueris luxationibus quæ ἐξαρθρήματα sunt illi, distinguit, quod hæ sint ἐκπτώσεις, illæ magis παρακινήσεις, hoc est emotiones, atque sic ferè connectere has uoces Galenus solet: sicut secundo comp. pharmacorum, κατὰ γένη, de Moschionis emplastro ad fracturas ποιεῖ inquit, καὶ πρὸς παραρθρήματα καὶ λυγίσματα. Vetus tamen interpres hoc pharmacum ad attritiones & singultum conferre dixit, quanquam pharmacum ipsum nõ subiungat, ut inde appareat, ipsum παρατρίμματα legisse, & per λυγίσματα singultũ accepisse, similitudine uocum λυγμοῦ & λυγισμάτων deceptum. At uero λυγίσματα tametsi à græcis dictionarijs per συγκλάσματα & ἀνακλάσεις exponantur, tamen non confracta & collisa, quæ his uocibus significantur, per λυγίσματα apud medicos accipimus, sed luxata tantum ac intorta, & quæ alias etiam στρέμματα appellare solent. Significat enim λυγίζειν τὸ περιστρέφειν, & intorquere. Constantinus Cæsar libro decimo, capite uigesimonono de agricultura, de malis punicis loquens, χλωρὰ δὲ inquit, ἐπὶ τοῦ δένδρου διαμένουσιν ἕως τοῦ ἔαρος ἐὰν λυγίσῃς τοὺς κλάδους αὐτῶν, τουτέστι περιστρέψῃς, ἅπαξ ἢ δὶς, ὅταν ἀκμάσωσιν, hoc est, si ramulos ex quibus dependent intorseris. Dicuntur & λυγισμοί. Dioscorides libro quarto de personata. ποιεῖ καὶ τὰ ἐκ τῶν λυγι-

σμῶν περὶ τὰ ἄρθρα ἀλγήματα καταπλασσομένη λεία. hoc est, dolores ex luxationibus articulorum obortos trita in cataplasmate imposita sedat. Idem lib.5 de cinere sarmētitio, σὺν ὀξυγγίῳ δὲ ἢ ἐλαίῳ καταπλασθεῖσα, θλάσματα νεύρων, καὶ ἄρθρων λυγίσματα ὠφελεῖ, hoc est, luxatis & intortis articulis prodest, quod ipsum etiam Celsus libro septimo, capite primo testatur.

Malagma Asclepiadæ ex meliloto, Hieroticon, id est pontificiū inscriptum.] Hoc malagma Hieroticon hoc est pontificiū, ut ego uerti, propterea inscriptum uidetur, quòd cyphi ἱερατικόν, quod itidem cyphi pontificum aut sacrificulorum dici potest, recipit. Qualis autem fuerit cypheos confectio, ostendit Dioscorides libro primo ex multis descriptionibus unam recēsens, quam suffumigij loco dijs gratissimā esse, & qua sacrificulos Aegyptios large uti tradit. Habet uero & Paulus libro septimo, capite uigesimo secundo, duplicem cypheos descriptionem, alteram ex 36 rebus cōstantem Niliacam, Alteram ex 28 Seleniacam appellatam, quas ambas item Aetius lib.13 cap.117 & 118 refert. Nec multū dissimile pharmacum est quod Paulus eodē lib. cap.23 recenset Masucha Aegyptia uoce, & à quibusdam Masnaphium appellatum, & Aetius item eodem libro, cap.118 sed diuersa à Pauli descriptione. Habet idem tum cypheos, tum masnaphij usum in malagmate Polyarchio tertio, lib. nono, cap.34 & cap.44 sed hæc posteriore loco masucha appellat, quod priore masnaphiū dixit: quod indicare ob id uisum est hoc loco, ne studiosi in his uocibus peregrinis hæreant, aut eas uitiatas putent. Nam Matthæus Syluaticus pandectarum medicarum autor, se ignorare quid sit masucha fatetur, quod tamen apud Paulum esse dicit, & sanè est libro tertio, cap. 37 fine, ubi pharmacum ad exolutum & debilem stomachum recenset, quod masucham recipit. Porrò hoc ipsum pharmacum Hieroticon appellatū in græco exemplari corruptum est. Nos autem ex Aetij libro nono, cap.16 ueram lectionē restituimus, quam etiam reddidimus. Legitur aūt ῥητίνης τερμινθίνης δραχ. κ. Verum pro δραχ. κ legendum est δραχ. π. Deinde deest in totum oleum cyprinum, post ceræ minam unam adscribendū, sic ἐλαίου κυπρίνου δραχ. ϙκ. Nā & oleū uel hoc, uel aliud consimilis facultatis necessario ammiscetur, & cyprinū tanto pondere ipse Aetius habet.

Polyarchi pharmacum accommodatum.] In hoc polyarchio medicamento ῥητίνης λαδρυγγ@ γο. γ habetur, sed λαρικῆς legendum est pro λαδρυγγ@, resinaq́ accipienda ex larice arbore, quæ qualis sit apud Plinium uidere licet. Dioscorides ex galatia ad alpes sita resinam apportari libro primo dixit, quæ uernacula istius gentis lingua larix uocetur: & paulò post, melli similem eandem resinam dicit. Estq́ omnino larix ex picearum genere, ut etiam resina eius piceæ resinæ facultatem habeat.

Malagma polyarchi ex epistola.] In hoc malagmate ad finem adiectū est, ἐγὼ δὲ καὶ βδελλίου προστίθημι δραχ. α hoc est, Ego etiam bdellij drachmam unam addo. Verum ego non δραχ. α sed μνᾶν α legendum puto. Est enim omnino extreme minutum pondus δραχ. α reliquorū molis comparatione, quę omnia minæ tum simplicis, tum multiplicatæ pondere recipiuntur. Quin & compositio quæ sequitur tertia, ubi ait: Vt ego componere soleo, itidem est in ponderibus corrupta, & primum quidem similiter drachma pro mina expressa est: Deinde in quibusdam rebus μνᾶς δ habetur, hoc est minas IIII. Verum non μνᾶς δ sed μνᾶς τέταρτον legendū est, quum planè nimiū sit quatuor minarū pondus in his rebus, & quarta minæ pars aptissima uideatur, ut eam etiā censeam legendā, non quidem hac parte ex Aetio, aut Paulo, aut etiam ueteri interprete adiutus, (Nam is hunc passum reliquit, & silendo uelut solet, sibi optime cauit) sed coniectura & rei usu inductus

ductus: quam ut itidem studiosi facere possint, ipsum locum corruptũ ut habet, adscribam. ὡς δ' ἐγώ. κυπέρου, καρδαμώμου, ἀμώμου, βδελλίου, λιβάνου, ἀνὰ δραχ. α. κηροῦ μνᾶς ς. ῥητίνης φρυκτῆς ἢ τερμινθίνης μνᾶς δ. κυπρίνου κοτύλην α. κασσίας μνᾶς δ. ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος μνᾶς δ. νάρδου ἰνδικῆς, κρόκου, σμύρνης, ἀνὰ μνᾶς δ. οἶνος ὁ ζωώδης. Vera autem lectio hæc est quam etiam reddidi. ὡς δ' ἐγώ. κυπέρου, καρδαμώμου, ἀμώμου, βδελλίου, λιβάνου, ἀνὰ μνᾶν α. κηροῦ μνᾶς ς. ῥητίνης φρυκτῆς ἢ τερμινθίνης, μνᾶς δ. κυπρίνου κοτύλην α. κασσίας μνᾶς τέταρτον, ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος μνᾶς τέταρτον, νάρδου ἰνδικῆς, κρόκου, σμύρνης, ἀνὰ μνᾶς τέταρτον. οἶνος ὁ ζωώδης. Nec uero tantę religionis res est, ut non quisq; pro sui iudicij modo, harum rerum pondera, tum minuere, tum augere possit.

In caput septimum, de hepate & eius affectionibus.

NOs autem experientiam in omni arte magnum quid posse persuasi, speculationes tum per rationalẽ methodum, tum per rationalem indicationẽ inuẽtas ad ea quæ ab ipsis de iudicationis historia tradita sunt, apponimus, demõstrantes qualem facultatem ad ambulandum utrunq; crus exhibet, talem in medicina, experientiã & rationem habere.] Hæc sententia in græco exemplari corrupta est, sed integra sic legi debet, quemadmodũ etiam à nobis est reddita, ἡμεῖς δὲ τὴν ἐμπειρίαν ἐν πάσῃ τῇ τέχνῃ μέγα τι δύνασθαι πεπεισμένοι, τά τε διὰ λογικῆς μεθόδου τῶν θεωρημάτων εὑρημένα, τοῖς πρὸς κρίσεως ἱστορίας ὑπ' αὐτῶν εἰρημένοις, καὶ τὰ διὰ τῆς λογικῆς ἐνδείξεως προστίθεμεν, δεδειχότες ἐν ἑκατέροις, ὁποίαν δύναμιν εἰς τὸ βαδίζειν ἑκάτερον τῶν σκελῶν εἰσφέρεται, τοιαύτην ἐν ἰατρικῇ τὴν ἐμπειρίαν καὶ τὸν λόγον ἔχειν. Comprehendit itaque Galenus his uerbis tres sectas medicorum, quæ coniunctæ perfecte omnem artem constituunt & absoluunt, Nimirum rationalem speculationem, & rationalem indicationem, quibus si accedat iudicationis per experientiã cognitio, tota res absoluta est. Vocat autem hanc ipsam iudicationis per experientiam cognitionem, ἱστορίαν πρὸς κρίσεως. Sed quum in græco codice τῆς περὶ κράσεως ὑπ' αὐτῶν εἰρημένοις legatur, atq; ita etiam à ueteri interprete uersum sit, fit ut et ab illis, & ab alijs ita uera sententia obscuretur, quam τοῖς pro τῆς, & κρίσεως pro κράσεως lectione substituta feremus. Memini autẽ supra cap. 2 huius libri ἱστορίαν ab empiricis uocari, traditionem ipsam earum rerum, quæ priores empirici per propriam inspectionem cognouissent, ita ut eadem res his qui inspexerunt αὐτοψία dicatur: eis uero qui traditam ab illis legerent, historia esset.

Nam & in hoc hepaticã affectionem dicunt, quemadmodũ etiam in ore uentris affectio, pleriq; medici ac idiotæ stomachicã affectionẽ uocãt.] Quẽadmodũ supra cap. 2 Galen. uaria stomachi symptomata ac uitia recẽsuit, in quibus tamen omnibus æqualiter stomachicorũ appellatio usurparetur, & stomachica in generali affectio appellaretur: sic etiam hic ait, hepaticæ affectionis appellationẽ pluribus hepatis uitijs accõmodari, quæ etiam in contrarijs inter se affectionibus accedunt. Sed desunt in græco aliqua uerba, quibus insertis ea sentẽtia integra fiet, Sic ergo legendum est. καὶ γὰρ οὖν κἀπὶ τούτου ἡπατικὴν διάθεσιν λέγουσι, καθάπερ κἀπὶ τοῦ στόματος τῆς κοιλίας πάσχοντος, οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν τε καὶ τῶν ἰδιωτῶν, ὀνομάζουσι στομαχικὴν διάθεσιν ἐπὶ πολλοῖς συμπτώμασιν, οὐ κατὰ μίαν ἅπασι γιγνομένοις διάθεσιν, ἀλλὰ κατὰ πολλὰς, μιᾷ μέν τινι γνωρισμῷ κοινότητι περιλαμβανομένας &c. Cæterũ ad finẽ huius capitis hãc totã rem omnino planius declarat, hepaticã affectionẽ, & hepaticũ hominem appellari dicens, cũ ipsum uiscus in proprijs actionib. est debilitatũ, atq; hoc ipsum p intemperiẽ contingit, citra manifestũ aliquot malũ, uelut est inflãmatio, abscessus, duricies, aut aliud eiusmodi. His em̃ hepaticorũ appellatio nõ accõmodat. Sed hepatici proprie sunt q ob hepatis debilitatẽ cruẽta, eaq; liquidiora p secessum egerunt, quales sunt loturæ carnium animalium recens mactatorum, quos ipsos ignarum uulgus dysentericos iudicat. At uero hoc loco de contrariorum

rationē subiungit, Contraria eiusdem generis esse dicens, uelut exempli gratia, caliditas & frigiditas, humiditas & siccitas contraria sunt, & tamen eiusdem generis intemperiei uidelicet existunt, atque iuxta hanc rationem, intemperies hepatis una & plures affectiones appellari potest, Vna quidem secundum genus, plures uero secundum generis species; potestq; secundum hunc modum, & calidam intemperiem habens, & ex frigida intemperie laborans æger, æqualiter hepaticus uocari, quum tamen contrarijssimæ hæ sint inter se affectiones, sed generis nihilominus respectu eædem existant.

Fit autem intemperatura iuxta propriam hepatis substātiam, quam Erasistratus putat præterfusionem quandam: parenchyma græce appellat: & non principalissimam uisceris partem esse.] Erasistrati opinio fuit, carnem appellari solum eam quæ in musculis existit. Quæ uero in reliquis partibus est, caro ab ipso non appellabatur: uerum in uisceribus, uelut hepate, rhenibus, splene ac pulmone παρέγχυμα uocabatur. In intestinis autem & uentre, stomachoq; ac uulua, carnem innominatam relinquebat. παρέγχυμα autem præterfusionem significat. Existimabat enim hanc uiscerum prædictorum molem, ex sanguine qui ex uenis effuso omnibus uasis aggeleratur, constitui. Quare etiam hoc loco Galenus ait, Erasistratum propriam hepatis substantiam, non principalissimam ipsius uisceris partem esse putare, sed præterfusionem quandam, quæ ut dixi, ex sanguine ex uenis effuso omnibus uasis circum aggeleratur & concresceret. Quam tamen eius opinionem improbare uidetur ipse Galenus, nam & hepatis carnem in sequentibus sæpe appellat, & ubicunque eius rei meminit, ferè ut opinionem quandam producit, ac nominum potius quàm rerum discrimen esse confitetur, quorum studium ubique est ab ipso improbatum: atque sic sane uidere est apud ipsum decimo methodi fine, & decimi quarti principio. Sed & undecimo simpliciū pharmacorum libro, mox à principio, huius opinionis mentionem facit, non tamen Erasistratum eius autorem indicans, uelut hic palam fecit. Quare locum græce adscribam, quod tota res paucis uerbis à Galeno penitus declaretur, quæ pluribus uix à nobis transigi queat, & quod quosdam studiosos scio libentius græcam sententiam audire. inquit igitur sic. καὶ τὸ ἐσθιόμενον τῶν ζώων ἡ σὰρξ ἐστὶ μάλιστα, καὶ γὰρ καὶ τῶν σπλάγχνων ὁ πλεῖστος ὄγκος ἐκ τῶν κατ᾽ αὐτὰς γίνεται σαρκῶν. ἔνιοι δὲ τῶν ἰατρῶν, τὴν μὲν ἐν τούτοις σάρκα παρέγχυμα καλοῦσι, διότι τῶν φλεβῶν ἐκχεόμενον τὸ αἷμα περιπήγνυται πᾶσι τοῖς ἀγγείοις, ὡς ἐκεῖνοι νομίζουσι. τὴν δὲ ἐν τοῖς μυσὶ μόνην ὀνομάζουσι σάρκα. περὶ μὲν δὴ τῶν ὀνομάτων, ὡς ἀεὶ φαμὲν, ἐρίζειν οὐ χρή. τὴν δὲ τῶν πραγμάτων ἐπιστήμην ἀσκητέον.

Si uero traxerit quidem hepar in seipsum ex uentre & intestinis alimentum, sanguificare autem ipsum præ debilitate nequit.] αἱματοῦν καὶ ἐξαιματοῦν græci medici dicunt, quod nos sanguificare hoc loco reddidimus, hoc est alterare alimentum, & in sanguinem conuertere & mutare, quam principalissimam hepatis facultatem Galenus paulo ante dixit, αἱματοποιητικὴν alias appellatam: Vocatur autem & actio ipsa αἱμάτωσις & ἐξαιμάτωσις, id est sanguificatio, quæ si læsa sit & offensa, ἀποτυχίαν & βλάβην ἐξαιματώσεως appellare solent, hoc est frustratam ac læsam sanguificationis facultatem. Quin & ἐξυδάτωσιν idem malum uocant: hoc est in aquosum humorē commutationem, & ex hoc ipso frustratæ sanguificationis malo, aqua intercus ferè consequitur: quanquam proprie hepatica hæc ipsa sit affectio, & in ipsa sanguinolentus humor per aluum excernatur, cuius imaginem Galenus ad carnium recens mactatæ uictimæ loturam comparat, ut ἐξαιμάτωσις etiam uideri queat hoc ipsum symptoma significare, sanguinis uidelicet per anū excretionē, quomodo

sane ali-

sane aliquot locis Aetius usurpauit, quum certe prima ἐξαιμάτωσις frustrata, alteram ἐξαιμάτωσιν inducat, uelut Galenus manifestissime declarat. Sequitur paulò post. In uentre ciborum ipsorum corruptiones manifeste apparẽt, sed pro διαφθοραὶ id est corruptiones, legitur in exemplari græco διαφοραί. Nec longe post: & euacuatur per uentrem bilis crassa, graueolens, & abunde colorata: habetur. Abunde itaq; coloratã bilẽ dixi, τὴν χολὴν κατακορῆ τῇ χροιᾷ, Galeno dictam. Significat enim κατακορὴς τῇ χροιᾷ, abundans & quasi exsaturatus, nõ de uno aliquo colore, sed planè de omnibus. Sic nanq; Diosc. κυανοῦν τὴν σφόδρα κατακορῆ, hoc est ceruleũ lapidem abunde suo colore exaturatum dixit, & σανδαράχην κατακορῆ appellauit, quanquam hic πυῤῥὰν adiecit, id est abunde ruffam. Interpres tamen Marcellus priore loco crassissimam uertit, τὴν σφόδρα κατακορῆ. & paulo post de ochra quod Diosc. dixit, λεπτέον τὴν κουφοτάτην, καὶ μηλίνην δι' ὅλου, κατακορῆ δὲ καὶ ἄλιθον, hoc est, eligenda est leuissima, & per totum melino colore abunde exsaturata, minimeq; lapidosa: idem conuertit, Probatur quæ leuissima est, & undiq; lutea, non calculosa. atq; uocem κατακορῆ penitus reliquit. Cæterũ quid κατακορὴς uox, & reliquæ cognatæ significent, docet Galenus in glossis Hippoc. sic scribens. κατακορέα, καλεῖ μὲν οὕτως καὶ τὰ ἀκρατοχολῆ διαχωρήματα, καὶ στήθεα κατακορέα, τὰ τοῦ τοιούτου χυμοῦ γεννητικά. τινὲς μέντοι τὰ λάσια ἤκουσαν, ἀλλὰ καὶ κατακορεῖς ἀνθρώπους ὁμοίως ὀνομάζει. φάρμακον μέντοι κατακορὲς, ἢ διὰ τὸ κενούμενον ὑπ' αὐτοῦ χυμόν, ἢ διὰ τὴν ἰδίαν χρόαν. ὀνομάζει δὲ καὶ δίψαν τὴν κατακορῆ, τὴν ἤτοι διὰ τὸν τοιοῦτον χυμὸν γεγονυῖαν σφοδρὰν, ἢ εἰς ἄκρον ἐπιτεταμένην. Hoc est κατακορέα uocat Hippocrates quidem recrementa puræ bilis: pectora quoq; κατακορέα appellat, quæ eiusmodi humorem generant. Quidam tamen hirsuta intellexerũt. Quin & κατακορεῖς homines eadem ratione uocat. Pharmacũ tamẽ κατακορὲς, aut propter euacuatum ab ipso humorem, aut ob propriũ suum colorem appellat. Nominat autem & sitim κατακορῆ, aut propter talem humorem generatã, aut ad summam intẽsam. Quare & hoc loco χολὴ κατακορὴς τῇ χροιᾷ, bilem abunde coloratam significat, & uelut ad plenum suo colore exaturatam, ut fere ad obscuriorem quẽdam nigrorem declinet, qualis in purpura ad plenũ cruore imbuta & exsaturata apparere posset, si extaret. Sic enim ex secũdo libro de elementis discere licet, ubi Galenus uarios colores sanguinis describit, quum sit alius exacte ruber, alius flauior alius nigrior, in alio album quiddã efflorescat, & quidam totus liuidior appareat, & sæpe ad nigrum declinans, uelut purpura exsaturata. Sed adscribam ipsa super hac re Galeni uerba. καὶ μὴν δὴ καὶ ἶνας ἐμφερομένας τῷ αἵματι σαφῶς ἔστι θεάσασθαι, καὶ τούτων ἐξαιρεθεισῶν οὐ πήγνυται τὸ αἷμα, καὶ χωρὶς δὲ τῶν ἰνῶν τὸ αἷμα, καὶ χροιᾷ, καὶ συστάσει διαφορεῖ. τὸ μὲν γὰρ ἐρυθρὸν ἀκριβῶς φαίνεται, τὸ δὲ ξανθότερον τούτου, τὸ δὲ μελάντερον, ἐστὶν ὅτε δὲ ἢ σαφῶς ἐπανθεῖ τι λευκὸν αὐτῷ, καί ποτε πελιδνὸν ἅπαν ἐφάνη, καὶ νὴ δία γε πολλάκις ἐγγὺς τῷ μέλανι, καθάπερ τις πορφύρα κατακορής. Cæterũ quod Galenus sanguinem non coire, nec gelari dicit, cui fibræ sint exemptæ, uel maxime circa sanguiculorum farturas apparet, quando ἀλλαντοποιοὶ summo studio has fibras ex suillo cruore manibus expiscentur ac eliciant, quo ipsos sanguiculorum uentres explent. Quanq; & caprarum sanguine rurales homines uentriculos ipsarũ unà cum pinguedine replere Galenus tradat, uelut etiam de procis Penelopes prodidit Homerus. Sic enim ait x. simp. pharm. de sanguine loquens. τῷ δὲ τῶν αἰγῶν οἱ περὶ τοὺς ἀγροὺς ἐμπιπλάντες αὐτοῦ τὰς γαστέρας ἅμα τῇ πιμελῇ, καθάπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς μνηστῆρας. Interpres tamen rurales, suos uentres sanguine & adipe caprarum implere conuertit. At uero ἀλλαντοποιοὶ sunt qui farcimina faciunt. quæ ἄλλαντες græcis appellantur, siue ex cruore & adipe, siue ex carnium concisarum, itemq; adipis mole, ipsorum fartura constet, φυσκίοις καὶ χορδαῖς excepta. hæc enim intestina

intestina, τὰς γαστέρας Galenus dixit. Ab horum porrò farciminũ ἀλλάντων græcis appellatorum similitudine pellicula altera, quæ duplicata circa eminentiores ipsius fœtus in utero partes incumbit, ἀλλαντοειδὴς uocatur, hoc est farciminalis, uelut nos nuper in uersione librorũ de semine, & libri de uteri dissectione ex Galeno reddidimus, cum hactenus nemo hanc uocem intellexerit, & qui doctissimi hodie in scholis uideri uolunt, talantoidẽ appellent, æque ignorantes & huius uocis significationẽ. Adscribam aũt de duabus pelliculis fœtus, Galeni ex libro de uteri dissectione uerba, quibus tota res clarior reddetur. οἱ δὲ ὑμένες inquit, ὁ μὲν ὅλῳ περίκειται τῷ ἐμβρύῳ, ὁ δὲ ἕτερος ἐπίκειται, διπλοῦς ὢν τὰ ὑπερέχοντα αὐτοῦ, κεφαλήν τε, καὶ γλουτὸν, καὶ πόδας, καὶ ἔστιν ὀνόματα αὐτῶν, τῷ μὲν ἀμνειός, τῷ δὲ ἀλλαντοειδής, ἀλλᾶντι γὰρ ἔοικεν, ὥστε ἀπὸ τοῦ ὢν τὸ σχῆμα ὁμοιότητος τοὔνομα αὐτῷ. Cæterum ἀμνειὸν pelliculam, quæ totum fœtum amplectitur, agninam cõuerti. Videtur enim ab agnellorum teneritudine & candore appellata: Subdit enim eo loci Galenus, ambas has pelliculas esse albas & tenues, ad araneæ telæ formam. Quæ omnia obiter, loco ita ferente, præterire in longiorem studiosorum torturam nolui.

In cap. VII. Quæ pharmaca ad hepaticos ab Andromacho sunt conscripta.

COmpositum est autem ex moderate adstringentibus, & resiccantibus, ac discutientibus uitiosos serosos humores, & corrigentibus humorũ maliciam, & contrariam uim habentibus aduersum putrefactiones.] Græcum exemplar hæc uerba corrupte habet: Desunt enim post uocem ἐπανορθουμένων, hæc uerba τὴν κακοχυμίαν, καὶ ἐναντιουμένων, quæ inserta plenam sententiam efficient, hoc modo. σύγκειται δὲ ἐκ τε τῶν μετρίως στυφόντων καὶ ξηραινόντων τε καὶ διαφορούντων ἰχῶρας μοχθηροὺς καὶ ἐπανορθουμένων τὴν κακοχυμίαν, καὶ ἐναντιουμένων ταῖς σηπεδόσι. Sequitur mox etiam θαυμασίων φαρμάκων, corrupte pro θανασίμων, & ὑπαρχόντων ἰῶν pro ὑπάρχον ἐναντίον. Sic enim legi debet, ἀλλὰ καὶ θανασίμων φαρμάκων, ὥσπερ γε καὶ τοῖς ἰοβόλοις ὀνομαζομένοις θηρίοις ὑπάρχον ἐναντίον. hoc est, uim corrigens lethalium pharmacorũ: quemadmodum & feris uirus eiaculãtibus contrariũ existit.

Nectarea antidotus ad hepaticos & arquato laborantes.] Nectarea uidet̃ hęc antidotus esse appellata ab helenio quod recipit, id ipsum enim Nectarium appellatur, unde & Dioscóridi Nectarites uinum dictum est, ex nectario, id est helenio confectum, uelut idem lib. 5 testatur: Nec uero aliud esse putatur à quibusdam pharmacum quod Helena apud Homerum 4 odysseæ in uinum coniecit, Nepenthes ipsi poetę appellatum, tantam læticiam concilians, ut nec flere queat quispiã aut lugere eo hausto, seu patris seu matris mortem, nec fratris aut filij cædem, etiam ob oculos contingentem. Inquit enim:

αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Plinius certe lib. 21 cap. 21 de helenio loquẽs, easdem uires ei tribui testatur, quas Homerus ad Nepenthes retulit. Attribuũt, inquit, & hilaritatis effectum eidem potæ in uino, eumq́ quem habuerit Nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod eo tristicia omnis aboleatur. Et ob hanc sanè uim Nectarium appellatũ uerisimile est, quod uelut deorum quispiam potus omnes curas disperdat, perpetuamq́ læticiam pariat, quia deos immortales frui ex Nectaris potu poetæ prodiderunt. Habet autem & Constantinus Cæsar uini mulsi præparationem, quam Nectar appellari testatur lib. 8 de agricultura, capite 24.

Antidotus hepatica à Nearcho laudata, radicis panacis, rubiæ &c.] Græcũ quidem exẽplar ὀποπάνακος ῥίζης hoc loco habet, sed legendũ est πάνακος, aut certe ῥίζης uox ad sequens ἐρυθροδάνου referenda est, ut uel priore modo radicẽ panacis

recipiendam

recipiendam accipiamus, uel posteriore lectione per ὀποπάνακα panacis succum intelligamus, qui tamen inter reliquas radices ineptior uideri potest, ut malim priorem lectionem sequi.

In cap. VIII. confectiones hepaticæ ab Asclepiade conscriptæ.

Recitat hoc loco mox à principio tria pharmaca ab Asclepiade prodita, primum succum cichorij, secundum filicis uel anethi succum: tertium picridis recentis aut seridis recentis succum. Legitur tamen secundū corrupte μετὰ μελικράτου ὀβολ. γ pro integro quod nos reddidimus, μετὰ μελικράτου κυάθ. γ Deinde tertiū sic græce habetur, ἴρεως ἁπαλῆς ἢ σέρεως ἁπαλῆς τ χυλῶ, hoc est iridis recentis, aut seridis recentis succi, non esse autem ἴρεως hoc loco legendū, palàm fit ex subiectis ipsius Galeni uerbis, in quibus iridis non meminit, sed exponens ipsum Asclepiadem, cichorij ac seridis facultates explicat: filicis item & anethi, nō taciturus si iridis succi potus hoc loco ab Asclepiade indicaret. Quare pro ἴρεως omnino legendū est πικρίδος, uelut nos reddidimus. πικρὶς enim agrestis seris est, & plane eadem quæ cichoriū antea ab Asclepiade appellata est, & propterea picridis uocis Galenus nullam mentionē fecit, nimirum quod de ipsa sub cichorio proderet. Repetit itaq; Asclepiades in tertio pharmaco cichorij succum, quem in primo prodidit, sed alio nomine appellans, picridis uidelicet aut seridis recentis succi cyathū unum, cum aquæ mulsæ calidæ cyathis tribus bibendū tradens: in primo aūt eundem succum simpliciter, cum aquæ calidæ cyathis tribus bibendum dari iussit. Admonet autem nos huius genuinæ lectionis hoc loco πικρίδος uocis, Aetius lib. 10 cap. 3 πικρίδος σέρεως ἢ ἰντύβων χυλῶ cyathū unum bibedum præbere iubēs: alias suspicio erat, πτέρεως pro ἴρεως legi oportere, ita ut filicis succi potum in secūdo pharmaco proditū etiam in tertio repetiuisset. Porrò seris appellatur tam domesticū quam syluestre intybi genus, & propterea Aetius πικρίδος σέρεως ἢ ἰντύβων dixit, hoc est seridis uel intybi syluestris, quæ pictis appellat. Est autem intybi appellatio latina, ex qua corruptā hodie uulgus medicorum Endiuiam appellatā habet. Quin & τρωξίμων appellatione seris & intubus uenit, uelut Const. Cæsar lib. 12 cap. 28 de agricultura, ubi de seride siue troximis ex Didymo refert, haber. Σέρις inquit ἔντεσι τρώξιμα ἐξ ὄξει βαπτόμενα καὶ ἐσθιόμενα στομάχῳ καταλληλα. Id est seris, hoc est troxima si aceto tinganť, & edantur stomacho grata sunt. Et intyba appellari troxima etiam coaceruator pandectarū medicarū annotauit. Et sic etiā Aetius 9. cap. 48 usurpauit, cum in quodā pharmacho ait, ἀναλάμβανε χυλῶ τρωξίμων, id est succo seridis seu intybi excipe: quanquam fuit tempus cum succū uuarum maturarū siue escariarum & eduliū, per χυλὸν τρωξίμων acciperem, & hoc per Angelum Politianū deceptus, qui lib. 7 epist. τρώξιμον uocē ad uuā duntaxat edulem pertinere scripsit, etiā si uuæ uox non adijciaf: qui sane his locis redarguitur, quibus ad intuba & seridum genus τρωξίμων appellationē spectare ostenditur. Atque haud scio an uel hoc saltem obtinere Politianus possit, quod tamen post ipsum etiā Budæus asseuerauit, ut in pandectis in cap: qui fundum, uox τρώξιμος, quæ deest, ex antiquis quæ uterq; aduocat exēplaribus restituta, integrā Pauli uerborū lectionem faciat, in hunc modū. Qui fundū uendidit pomum recepit, nuces & ficos, & uuas dūtaxat duracinas, & purpureas, & quæ eiusdem generis essent, quas non uini causa haberemus, quas græci τρωξίμους appellat, recepta uideri. Nam cū τρώξιμα priuatim & substātiue appellent intyba, Didymo, Constant. Cæsari, & Aetio: uidetur τρώξιμος uox adiectiua ad nullum genus eorum quæ cruda eduntur pertinere, nisi id ipsum peculiariter exprimatur, tantum abest, ut de uua duntaxat τρώξιμος uox accipi priuatim debeat. Atq; intuba quidem propterea Troxima appellata arbitror, quod cruda ex aceto & oleo

to & oleo, & quondam etiam garo addito, uelut lactuca edantur, cui etiam similem facultatem habent, sed aliquãto inferiorem, uelut in cibo quoq; minus iucunda existunt, Galen. lib. 2 de aliment. uiribus teste. Quare τρώξιμος uidetur etiam appellatus fructus quicunq; crudus editur, uelut est uua, ficus, uua passa, & quicquid adeo eius generis secunda mensa infertur, ita ut τρώξιμοι fructus nihil differant à tragematis et trogalijs alias appellatis. Constant. certè Cæsar lib. 14 cap. 17 τρωκτὴν σταφίδα habet, id est cibariam & edulem, & Galen. in glossis Hippoc. uocem τρωκτοῖς exponit ὠμοῖς ἐσθιομένοις, ut non minus rectè τρωκτῶν uox, quàm τρωξίμων, in relatis Pauli iurisconsulti uerbis legi possit. Artemidorus libro primo, capite sexagesimonono de oleribus. ὅσα δὲ ἀποξύεται τρωκτὰ ὄντα, βλάβην σημαίνει. Id est, Quæcunq; deraduntur & cruda comeduntur.

Quin & sphendamni, id est aceris radix tusa, trita, nã & huius meminit, eiusdem est cum prædictis facultatis, exhibet autem ex ea drach. 1 cum uini mulsi diluti cyathis tribus.] Sic quidem legitur in exemplari græco, sed adscribam ipsa uerba. καὶ ἡ τοῦ σφενδάμνου δὲ ῥίζα κοπεῖσα καὶ λειωθεῖσα, καὶ γὰρ καὶ ταύτης μέμνηται, τῆς αὐτῆς τοῖς εἰρημένοις δυνάμεως, δίδωσι δὲ ταύτης δραχ. α μεθ' ὕδατος κεκραμμένου κυάθων γ. Verum non immeritò dubitandum existimo, an σφενδάμνου uox hic rectè legatur, aut potius σφονδυλίου sit pro ea substituenda, quum ob uicinitatem scripturæ utriusq; uocis facile cõmitti potuerit, ut altera pro altera supponeretur. Et de sphendamno quidem arbore, quam acerem Theodorus ex Theophrasto reddidit, nõ temere reperias hoc auxilium, quod uidelicet drachma radicis eius hepaticis sit bibenda, nam neq; in totum de ipsa mentionem faciunt medici græci in simplicium pharmacorum tractatu, non habet Dioscorides, non Galenus, non Paulus, nõ Aetius. unus Plinius aceris radix inquit, contusa iocineris doloribus utilissime imponitur, nec amplius quicq; de eius usu in re medica dicit, ut meritò dubitandum sit, uelut dixi, an rectè hoc loco σφενδάμνου uox legatur, & non potius σφονδυλίου legi oporteat, quum sphondylij radicem ictericis & hepaticis exhiberi Dioscorides testetur, & Galenus octauo simp. phar. acrem & sectoriã uim ei tribuat, ob quas sanè etiam hoc loco Galenus ipsam ab Asclepiade preditã dicit, nimirũ quod sit eiusdem cum prædictis facultatis, cum filice uidelicet & chamæpity, quæ amaræ qualitatis pharmaca esse, tum hic, tum in eodẽ simp. phar. tradit, ut uel his argumẽtis, sphondyliũ hoc loco legendũ esse adstrui queat. Sed nolui tamen ego publicã lectionem mutare, sed de suspicione mea solũmodo studiosos monere. Et potest fortassis etiã ipsa aceris radix hanc facultatẽ habere, sed testimonio alicuius scriptoris, qui extet, hoc cõfirmare nõ procliue fuerit. Veteris porrò interpretis prudentiã hoc loco non silebo, qui tum pręcedentib. tum sequentibus utcũq; redditis, de hoc auxilio penitus cõsiluit, nimirũ ut ne ignorãtię rei suspicionem de se præberet: & sic reprehensionis culpam declinaret. At uero adhuc aliud est quod nos in hoc pharmaco moratur, nempe quod in græco est, δίδωσι δὲ ταύτης δραχ. α μεθ' ὕδατος κεκραμμένου κυάθων γ. hoc est. Exhibet autem ex ea drachmam unam cum aquæ dilutæ cyathis tribus. Aquam enim dilutam, hoc est, ὕδωρ κεκραμμένον, haud scio quomodo accipere oporteat, quum alias græcis medicis mos sit, οἰνόμελι κεκραμμένον, & οἶνον κεκραμμένον dicere, hoc est uinum mulsum dilutum, & uinum dilutum, per aquæ uidelicet ammixtionem; ut & hoc loco non μεθ' ὕδατος κεκραμμένου, sed μετ' οἰνομέλιτος κεκραμμένου putem legendum: uelut etiam conuerti, & infra in Pasicratis confectione habetur. Nisi aquam aqua diluendam accipere uelimus, aut aquam uino modico temperandã, quod haud scio an κεκραμμένον ὕδωρ dici possit. Quod si quis tamen μεθ' ὕδατος θερμοῦ, pro eo quod legitur μεθ' ὕδατος κεκραμμένου, legere malit, nõ repugno.

Nam &

Nam & præcedentia aliquot pharmaca, cum aqua calida & simul, & insuper bibenda, sunt præscripta. Quin & μετ' οἴνου κεκραμμένου legi queat, Nam cū uino diluto mox sequens pastillus hepaticus exhibetur. Nisi οἶνος κεκραμμένος & ὕδωρ κεκραμμένον eandē rem significant, uelut dixi: nempe quod alias κρᾶμα simpliciter, alias cum additione κρᾶμα οἴνου ὕδατος appellari solet. Nobis lectio μετ' οἰνομέλιτος magis placet, propterea quod ob uicinitatem scripturę cum μεθ' ὕδατος, procliuius subrepere potuit: quanquam & uicinitatē habeat μεθ' ὑδρομέλιτος lectio, sed aquæ mulsæ tamen usus in solis febricitantibus in sequentibus probatur, ut eius lectionē hic non probem, alias possit etiam κεκραμμένου uox ei sic conuenire, ut aquā mulsam dilutiorē acciperemus, quæ alias ὑδαρέστερον ὑδρόμελι appellat.

Alia antidotus accōmodata, facit & ad alias internas affectiones.] In hac antidoto seminis fraxini, & seminis cestri utriusq; uncia una habetur. Seminis autē fraxini in hunc usum Dioscorides nō meminit, Et Galenus de fraxino in totum siluit. Verum Plinius 24. cap. 8. Semen inquit folijs eius inest, quo medentur iocineris & lateris doloribus in uino. Aetius porrò idem medicamentū Asclepiadæ, ex Philagrio citat, & Oribasiū fraxini semen non recipere scribit, additq; fraxini semen, uel fructum, esse arboris ex qua fraxinea ligna quocunque in opere apta ac operæ obedientissima cæduntur. hoc est ἐξ οὗ τὰ ἐργάσιμα μελίινα ξύλα κομίζεται. At uero cestri semen est betonicæ latinè appellatę Dioscoridę, aut gallice, Plinio teste, qui latinè serratulam dictam ait.

In Cap. IX. Quæ Archigenes ad hepaticos in 2. phar. secundū genus scripsit.

SEnecionis decoctum ut ualde commodum exhibeto, Nascirur autem huius caulis maxime in tegulis.] Senecionē esse latinis ἠριγέροντα à græcis dictam ex Plinio constat, Quod autem hepaticis in potu conueniat, idem testatur, Quidam inquit regio morbo cum uino dederunt, & contra omnia uesicæ uitia, item cordis & iocineris. Sed & idem in tegulis nasci, & in muris tradit, uelut etiā hic ab Archigene proditur. φύεται δὲ τούτου ὁ καυλὸς ἐπὶ τοῖς κεραμοῖς. Dioscor. uero, φύεται μάλιστα inquit, ἐπὶ θριγκοῖς καὶ περὶ τὰς πόλεις. hoc est in septis murorū & circa urbes.

Aut dauci & fœniculi radicis utriusq; minam dimidiam cum aceto mulso ad tertias coquito.] In græco exemplari non est expressum pondus minæ dimidię quod ego reddidi, ita enim habetur ἢ δαύκου καὶ μαράθρου ῥίζης τὸ ἥμισυ σὺν ὀξυμέλιτι μέχρι τὸ τρίτον λειφθῇ ἑψήσας. Videtur itaq; omnino τὸ ἥμισυ, id est dimidium, ad præcedens pharmacum referendum esse, ut eius uidelicet dimidium sit accipiendum, sed non quod proxime præcedit: sic enim utriusq; oboli tantum dimidium esset conijciendū, quum præcedat pseudobunij obolus unus, Inepta autem esset tam exigui ponderis coctura in aceto mulso. Quare ad alterum quod pseudobunium præcedit referendum τὸ ἥμισυ existimo, ut uidelicet eius dimidium accipiatur, habet autem hoc ipsum corticis radicis rubi minam unam. quare in præsenti pharmaco dauci & fœniculi radicis utriusq; mina dimidia accipiēda esse uidetur, Nisi omnino sic accipere græca uerba oportet, ut dauci radicis incertū pondus relinquatur, & quantum tandem quis eius pondus accipiat, eius dimidium de fœniculi radice assumendum sit, & in sufficienti aceto mulso coquenda utraque, Nam neq; huius certam aliquam mensuram expressit.

De cataplasmatis.] Inter hæc cataplasmata habetur, Aut palmulam reiecto interno nucleo diligēter tundito, quod grece est, ἢ φοίνικα δίχα τῆς ἐντεριώνης κόψας ἐπιμελῶς, &c. ἐντεριώνην itaq; hoc loco Archigenes pro nucleo siue ossiculo palmulæ dixit, quū alias etiā internā partē cuiusq; rei ἐντεριώνην greci medici dicant, hoc est τὸ ἐντός. Sic ἐντεριώνη & σικύου, & κολοκυνθίδος, & σκίλλης dicitur, quam aliqui medullam uerterunt: quanquam & in palmula os, non male quis medullam

reddat, quemadmodũ Marcel. oliuæ medullã dixit, ipsum uidelicet oliuæ officulum, cap.31. Celsus internã scillæ partẽ dixit, quod aliàs itẽ ἐγκάρδιον appellatur.

In cap. x. Malagmata à Democrate conscripta.

Recenset hoc loco Galenus malagmata quatuor à Democrate uersibus Iambicis conscripta, ex quibus corruptis sententiam à me utcunq; eodẽ uersus genere expressam ac redditam erui, sic tamẽ ut existimem hanc ipsam esse genuinam. Indicabo itaq; lectionem quam sum sequutus, sicubi non putarim esse integram quæ in uulgato exemplari habetur. In primo itaq; malagmate uersum decimumtertium sic lego ξηρᾶς λυπέρω ταυρῆν καλῆς σμύρνης τ᾽ ἴσον. Decimumquintum sic. ἱεράκου δὲ οὐγγίαν μίαν καὶ ἥμισυ. In secundo Malagmate quintum sic lego. πυκνῶς ἀεξιζόντα μετὰ πόνων σφοδρῶν. Septimũ sic. λὺς δὲ τὰς αὐτῶν κατασκευὰς ταχύ. Nonum sic. λίτρας τὸ ἥμισυ, πουλικοῦ κηροῦ τ᾽ ἴσον. Vigesimumprimum sic. ὄξος τε μὴ πολὺ καὶ ποιήσας εὐαφές. Vigesimumsexrum sic. ἐν μείζον᾽ ἀγγείῳ χρῶ μὴ παραυτίκα. In tertio malagmate ultimum uersum sic lego. σπανίως δὲ χρῆσαι καὶ μόνῳ τῷ φαρμάκῳ. In quarto malagmate Nonum uersum sic legendum puto, σίσου δὲ δραχμὰς πέντε, καὶ ἑτέρας δέκα. Duodecimum sic νίτρου θαλασσίου δὲ λίτρας ἥμισυ. Decimũtertiũ & decimũquartum, & XV. sic. συπτηρίας τε σχιστῆς δραχμὰς δώδεκα, μιᾶς τε δραχμῆς ἥμισυ, τριώβολον. βδέλλης ὄνυχός τε τῆς ἴσον συπτηρίας. hoc est, uelut ego reddidi, Aluminis scissi duas supra & decẽ Drachmas, superq; dimidiã, triobolum. Et mox onychis, quod sic uocatur, bdellij Addes parẽ tu aluminis dictum modum. Appellat itaq; Bdellium onycha, optimum bdellium, & quod incensum ac suffitum onychs Indici conchylij testæ odorem referat, tale enim Dioscorides libro primo optimum esse refert, Nimirum ut ipse inquit. εὐώδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἐοικὸς ὄνυχι. hoc est, odoratum in suffitu similitudine onychis. atq; sic sanè libro. 2. de antidotis in Charmidis antidoto, ex eodem Damocrate, à Galeno citatur, hoc uidelicet uersu, βδέλλης ὄνυχός τε τῆς διαυγοῦς ὡς δραχμὴν, id est, Onychisq; Bdellij cape drachmam lucidi. Et infra libro decimo horum librorum quos exponimus cap. 2. in Fabullæ malagmate βδέλλης ὄνυχος λιτρ. β. habentur, hoc est, bdellij onychis lib. II. ut onychis uox quasi appositio sit declarans optimi bdellij speciẽ. Possit tamen fortassis æque rectè Damocratis uersus sic legi, βδέλλης ὄνυχάς τε τοὺς ἴσους συπτηρίας, id est, Onychasq; bdellij pares alumini. Sed in græco exemplari sic expressum habetur, βδέλλης ὄνυχάς τε τὰς ἴσας συπτηρίας, ut genus tantũ uocis ὄνυχος sit mutatum, τὰς ἴσας enim ὄνυχας dictum est quasi ἡ ὄνυξ æque ut ὁ ὄνυξ dicatur, quod tamen uelut ad βδέλλης fœmininum genus relatum accipiendum uidetur, Verum utro horum posteriorum modorum legas, ambiguitas & suspicio orietur, ὄνυχας uocem non ad hanc quam ex Dioscoride ostendi, odoris similitudinem referendam esse, sed ad similitudinẽ ὄνυχος unguis, ut uidelicet ungues bdellij indicari accipiamus, & uersum sic reddamus. Vnguesq; bdellij pares alumini, atq; sic sanè Marcellus Dioscor. locum interpretatus est, nempe ἐοικὸς ὄνυχι, humano ungui colore simile uertẽdo, fortassis ex Plinio inductus qui. XII. cap. 9. Bactriano inquit, nidor siccus, multiq; candidi ungues, quasi ex græco reddidisset, τῷ δὲ βακτριανῷ κνίσσα ξηρὰ καὶ πολλοὶ λευκοὶ ὄνυχες, quod tamen minime credo aliquem grecum scriptorem sic prodidisse. In hodierno certe pharmacopoliorum bdellio nulla similitudo ad unguem cõspicitur, ad onychem uero aromaticam Indici conchylij testam, bdellium accẽsum odoris similitudinẽ habere libentius crediderim, & eius rei periculum etiam facere possimus, si onychem aromaticum haberemus, Nam quæ blattæ Byzantiæ uulgo appellantur, ut supra memini, dubiũ apud me est an ueri onyches existant, qui apud Dioscor. libro secundo describuntur; sicut possibile est etiam Bdellium officinarum non esse sincerum, ut certum

ex

ex ſuffitu utriuſq; experimentũ facere nõ queamus. Sed tamen ego penitus nullam aliam ſententiam Dioſcoridis uerborum eſſe opinor, quàm eam quam a principio dixi, atq; ita etiam Galeni locos à me citatos accipio, quemadmodũ etiam ſum interpretatus. Quid ergo ad Plinij multos candidos ungues dicemus? Neq; enim libẽter errorem eius inuulgamus, excuſaturi pronius, ſi modo bona aliqua ſpecie id fieri poſſit: quanquam ad trecentos locos in hos commentarios retulerimus, qui partim temporum iniuria in admirandum illud totius naturæ opus irrepſerunt, partim præ illius ſtudiorum multitudine, & officiorum publicorũ magnitudine, ex negligẽtia ſunt admiſſi. Videtur itaq; mihi omnino Plinius ex poeta quopiam, & fortaſſis ipſo Damocrate: Nam eum etiam alibi ſequitur & citat, uelut alio loco oſtendi: deceptus, τοῦς βδέλλης διαυγοῦς ὄνυχας (cõcedatur aũt hæc lectio quaſi exemplũ aliquod eius quã ſequutus eſt lectionis) accepiſſe, quaſi hęc uerba candidos bdellij ungues ſignificẽt, Nimirũ διαυγοῦς uoce ad ὄνυχας ab ipſo relata, quũ non ſit accuſandi hic caſus, ſed genitiuus ad βδέλλης uocem pertinẽs. atq; hoc grãmaticum peccatum mirũ uideri non debet, quando alio loco Brabyla uocẽ nominatiui pluralis neutri generis, pro ſingulari generis fœminini agnoſcens, fructum in herbam tranſmutauit, metamorphoſi mira, ſed quali etiam nuper quidam græcorum interpres γίγαρτα deſcribendo arida eſt & frigida, uinaceos in herbam gigartam transformauit. Itaque Plinius multos candidos bdellij ungues dixit, nulla alia ſententia quàm qua exiſtimauit τὸς βδέλλης διαυγοῦς ὄνυχας græcos prodere, quaſi τὸς βδέλλης διαυγεῖς ὄνυχας indicarent, quum non candidi ungues, ſed bdellij pellucidi onyches illis uerbis ſignificẽtur. Et quemadmodum Bdelliũ onyx locutio eſt per appoſitionẽ, ſic bdellij onyches locutio expoſitoria eſt, ne quis ueros onychas conchylij uidelicet Indici teſtam accipiat. & ſic utiq; poſſit æque recte Damocratis uerſus ſic legi, βδέλλης ὄνυχάς τε τὰς ἴσας στυπτηρίας, hoc eſt onychasq; bdellij pares alumini: quãquam prioris lectionis exemplum ex eodem poeta produxerim. Porrò ſi Pliniũ ſic accipiamus, ut qui ungues ὄνυχας reddiderit non humanos reſpiciendo, ſed ipſius bdellij, & candidos pro pellucidis dixerit, ſalua erit & res, & ſententia Pliniana, nec aliud quàm ambiguum, ob uocem multos, in eo reſtiterit momis reprehendendum, à nobis uero benigne illi indulgendum, quum multi candidi ungues, dici poſſint in multa bdellij mole: quod patrocinij loco à me dictũ accipi uolo, ne quis putet nos carpendi Plinium ſtudio, huc progreſſos eſſe. At uero uigeſimus primus Damocratis quarti malagmatis uerſus ſic mihi legendus uidetur. οἴνου τε καὶ τὸ μέτριόν τ' ἰρίνου μύρου. quomodo tum hunc, tum reliquos ſuprà à me iudicatos, pro ſua quemq; ſententia reddidi. Legitur autem in exemplari uulgato ἐρευγμοῦ τε τὸ μέτριον ἰρίνου μύρου, nulla ſana ut opinor, ſententia. Quare pro ὀρεγμοῦ quod tamen ὀρόβυγμοῦ expreſſum habetur, legendum cenſeo οἴνου, Vini enim mox uſus ab ipſo proditur, quod tamen antea ab ipſo recipiendum non eſt præſcriptum, niſi hoc adeò loco, quo ἐρευγμοῦ, id eſt, lomenti fabacei nomenclatura pro uino irrepſit: quanquã fortaſſis neq; ipſum lomentum ineptum in malagma futurum erat, ſi eius uocis lectionem uerſus toleraret: & ſi uinum non deſideraretur, ἐρευγμοῦ pro eo ſuppoſito. Nolo tamen hac parte quicquam pertinacius aſſeuerare, donec melioris exemplaris ſuffragium acceſſerit.

Finis Octaui libri commentariorum.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM IN DECEM LIBROS GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORUM localium, siue secundum locos cōscriptorum, Liber IX

In caput primum De Ictericis.



CTERI morbi qui latinis Regius & Arquatus dicitur, & bilis per totum corpus diffusio describitur, tres præcipuas differētias iuxta triplicem causam, hoc loco Galen. assignat, Nimirum salubrem primam, quando in febribus ratione bonæ iudicationis cōtingit, Alterā uero ex obturatione meatuum uasorū, & Tertiam ex hepatis inflammatione. Aetius & Paulus plures præscripserūt, sed ferè sub his comprehensas. Ad singulas autem species siue differētias certa pharmacorum discrimina mox subdit, quū nō eadem omnibus conueniant. Ad primam itaque ut minime malam leuia auxilia prodit, oleorum uidelicet & ungentorum discussoriorum affrictum, atq; inter ea etiam Crócinum habetur, quod in græco exemplari κροκομαγμίνου est expressum, ut dubium sit an κροκόμαγμα, aut κρόκινου sit legēdum. Quum uero κροκόμαγμα fiat ex ungento Crocino, expressis aromatibus & in massam coactis, non multum retulerit utro quis utatur, quum uiribus inter se non multum distent. Ad reliquas duas species tum singulatim, tum simul coincidētes, fortiora prodit pharmaca, sed tamen ut etiam in his diligētem discriminationem faciat singulorum usus. Si uero coincidant simul, inquit, obturatio & inflāmatio τῶν χαλώντων τε ἅμα καὶ ῥυπτόντων χρεία γίνεται, hoc est & laxantiū & extergentium simul usus erit. Sed in græco exemplari uerba χρεία γίνεται desunt, necessario reponenda. At uero operæ pretium est considerare quæ uera originatio uocis ἰκτερὸς existat, quādo sane alij ab aue ictero, alij ab aue ictino, alij ab ictide mustelæ specie deriuent. Et Plinius quidem 30. cap. 11. contra regium morbum auxilia tradens, Auis Icterus uocatur, inquit, à colore, quæ si spectetur sanari hoc malum tradūt, & auem mori, Hanc puto latine uocari galgulum. Quibus uerbis Plinius auem icterum à colore uocari tradit, Nimirum eo quem icterici habent, quum tamen uicissim Icterus morbus ab icteri auis colore rectius appellatus uideri possit, quando certe auis prior morbo extiterit, sed alio fortassis nomine, galguli uidelicet ut Plinius putat, aut χλωρὶς græce. Theodorus enim χλωρίδα Aristotelis galgulum conuertit, quum Icteron Aristoteles non habeat. Alij uero icteron galbulam uocant & apud Pliniū legunt, ut & χλωρὸς & ἰκτερὸς, & galgulus & galbula eadem auis uideatur, quum Plinius galbulæ non faciat mētionem, sicut Aristoteles icteron reliquit, ut pote quem χλωρίδα appellet, sicut Plinius galbulam galgulū uocat. Et galbula sane satis nota auis est, uel ex xenijs Martialis poetę. Galbula decipitur calamis & retibus ales. Turget adhuc uiridi quum rudis una mero. An uero hæc ea sit quā Plinius galgulum ex ictero reddidit, nō habeo quod pronūciem. Non esse autem galbulam eandem quam ficedulam, iuxta quorundam traditionem, ex eodem poeta eodem libro apparet, ubi de ficedula seorsim sic prodit. Quum me ficus alat, quū pascar dulcibus uuis, Cur potius nomē non dedit uua mihi? Cæterum Aetius serm. x. cap. 17. ait Icterus à similitudine ad animalculum, quod ictis, id est uiuerra appellatur, nominatus est: Est autem mustela syluestris, quæ auricolores oculos habet. Quare plane incerta & inconstans originatio

ginatio est huius appellationis, ut & ad miluũ referri possit, qui item ἰκτὶς & ἰκτῖνος appellatur. Nam & hic oculos giluos ac auricolores habet. At uero nõ referri unde appellatio icteri morbi deducta sit, quũ de re ipsa & morbo cõstet, qui Arquati nomẽ latinis à cœlestis arcus similitudine inuenit, & Regius ob delicatiorem uictũ quẽ is morbus requirit dictus est, ut Celsus lib. 3. cap. 23. testatur. Plin. etiã felle suffusos hoc morbo laborãtes dixit. Porrò nõ solum bilis flaua per corpus diffundi solet, uerũ etiã atrabiliarius humor qui uelut fex sanguinis existit, & ex qua atra bilis gignitur, uelut sequenti capite huius libri Galen. dicit, itidem per totũ corpus fertur ac dispergitur, atq; hic morbus similiter ἰκτερὸς sed μέλας à Paulo appellatur, ut in hoc nulli superiorũ originationũ locus extet, sed adscribam de hoc ipso Pauli uerba. τοῦ σπληνὸς ἕλκειν πεφυκότος ἀπὸ τοῦ ἥπατος τὸν μελαγχολικὸν χυμὸν, ὅστις οἷον ἰλὺς ἐστὶ τοῦ αἵματος, εἰ μὴ ἡ ἑλκτικὴ τούτου δύναμις ἀσθενήσῃ, ἢ πόρος ἐμφραχθείη δι᾽ οὗ τοῦτο πρότερον εἷλκε, μέλας ἰκτερὸς συνίσταται, τοῦ αἵματος ἀκαθάρτου περὶ ὅλον φερομένου τὸ σῶμα. Meminit utriusq; icteri Hippoc. 2. epidem. οἱ ἴκτεροι inquit, οἱ ἀπὸ τοῦ ἥπατος δυσαπόλυτοι, οἱ ὑδατούμενοι οἱ λευκοφλεγματοι. οἱ δὲ ἀπὸ σπληνὸς, μελάντεροι. Galen. de ictero nigro hic nullã mentionẽ facit. Sed Aetius loco paulò ante citato itidem ait atræ bilis humorẽ unà cum saguine ad cutem deferri, atque hãc affectionẽ omnino altera grauiorẽ esse. hic morbus hodie frequẽs apud septentrionales populos ultra citraq; Oceanũ magnũ habitãtes est. uulgo schorbuch appellatus, nec dissimilis multum ab illo est qui in superiore Germania, raro tamen apparẽs, breune uocatur. Sed & Stomacace ac Scelotyrbe apud Strabonem & Pliniũ non dissimilia uitia sunt: quanq; Plinij uerba 23. cap. 3. sic iacent, quasi hæ appellationes non ad affectus ipsos, sed ad fontem pertineant, ex cuius potu dẽtes labefactati intra bienniũ deciderũt, cõpagesq; in genibus solutę sunt.

De pharmacis ictericis ab Asclepiade scriptis in tertio internorũ.] In cẽsura Galeni de his pharmacis mox à principio conuerti, ubi uero omnino nihil apponit, in non febrientibus magis utendũ est, hoc est ὧδ᾽ ἐπὶ τῶν ἀπυρέτων ἐστὶ μᾶλλον χρηστέον. Sed πυρεττόντων falsò pro ἀπυρέτων expressum est. Quemadmodũ paulò post in Nicerati pharmaco ciente urinã, ἀσπαράγων ἑλίων καὶ δίδου ὡς εἴρηται falsò legitur pro ἀσπαράγων ἑλίων τῶν ῥιζῶν χεῖρα πλήρη, σκεύαζε καὶ δίδου ὡς εἴρηται, &c. id est, ut ego reddidi, Asparagorũ palustriũ radicũ manipulũ, pparato ac dato ut dictũ est. Sic aũt legendũ esse ex sequẽti pharmaco apparet, in quo hæc lectio expresse habet.

Quæ pharmaca Archigenes ad ictericos conscripsit.] Principiũ huius tractationis in græco corruptũ est hoc modo. ὧδ᾽ ἐπὶ τῶν ἰκτερικῶν τῇ ἁρμοδίῳ διαίτῃ καὶ ἀγωγῇ διά τε πρὸ πάντων ἱκανῶν, καὶ πολλῆς τῆς ὧδ᾽ τοῖς ἀλείμμασι τρίψεως, ὧδ᾽ δὲ ξηρῶν πυριῶν, χρῶ καὶ τοῖς ὑπογεγραμμένοις. Legendũ est autẽ ὧδ᾽ ἐπὶ τῶν ἰκτερικῶν τῇ ἁρμοδίῳ διαίτῃ καὶ ἀγωγῇ διά τε περιπάτων, &c. efficietur enim hoc modo sententia quam nos reddidimus, & quã sanè ipse Archigen. prescripsit. Ceterũ ξηρὰς πυρίας quas fomẽta sicca reddidi, uarijs modis fiunt, quemadmodũ etiam ex humidis rebus uarie adhibẽtur, uelut in libro περὶ γυναικείας φύσιος uidere est apud Hippocr. Sed & Celsus lib. 2. c. 17. aliqua fomenta recẽset, cuius uerba partim obscura partim corrupta adscribam, ut & is locus studiosis redintegretur. Fomẽta quoq; inquit, calida sunt, miliũ, sal, harena, quodlibet eorũ calfactũ & in linteum cõiectum. Si minore ui opus est, etiam solum linteum, At si maiore extincti lateres, inuoluntiq; panniculis, & sic circũdati. Quinetiam calido oleo replentur utriculi, & in uasa fictilia ad similitudinem quas lenticulas uocãt, aqua conijcitur. Sic quidem legendum opinor, sed in exemplaribus uulgatis lateres uox deest, & quædam nõ lateres sed titiones habent. possunt autem cõmodius lateres fomenti uicẽ præbere quàm titiones igniti & extincti, maxime quũ Hippocr. iam citato loco testas ca-

lentes & ignitas id est, ὄστρακα θερμὰ καὶ διάπυρα in fomentis probet. Quod uero Celsus dixit, & in uasa fictilia ad similitudinem quas lenticulas uocant, aqua conijcitur, sic accipio; ut uasa fictilia indicet ad lenticularum similitudinem formata, in quibus aqua excepta fomenti gratia admoueatur, ut plane ea sint quae φακοὺς τὰ πυριατήρια Aetius. 9. cap. 28. appellat. Fomenta quoque, inquit, adhibenda sunt ex furfuribus, & per pyriateria phacota id est, uaporaria lenticulata, & per uesicas bubulas ex oleo semiplenas, hoc est, διὰ φακωτῶν πυριατηρίων: quanquam non solum φακωτὰ, fomenta dicta fuisse, sed etiam φακοὺς substantiue, id est, ut Celsus dixit, Lenticulas, Galenus ostendat in glossis Hippocraticis his uerbis, ἀσκοὺς, κεράμους τοὺς καὶ πυριατοὺς, καὶ φακοὺς ὀνομάζουσι, Id est, utres, appellat tegulas, quas etiam lateres & lenticulas uocant, Nisi apud Galenum πυρίας φακωτοὺς sit legendum, id est, fomenta lenticulata. Quod si recta est lectio Galeni, φακοὺς omnino Celsus Lenticulas reddidit, sicut πυριατοὺς per lateres, siue titiones expressit, utra tandem uox est apud Celsum genuina. πυριατοὶ enim graecis medicis nõ solum Galeni aetate, sed etiam ante Celsum, dictae sunt reliquiae ab igne exemptae, siue lignorũ siue testarum hae essent partes, quae extinctae & panniculis inuolutae, fomẽti gratia adhibebantur, ut & titiones, & lateres apud Celsum legi possint, ex πυριατοῖς conuersi. At uero aliud est genus πυριατηρίων ξηρῶν ab Aetio serm. 10. cap. 18. proditum, ubi in cura Ictericorum exudationes & ad solem, & in balineis, & ad pyriateria sicca probat, cum nitri & fecis uini inspersione. Vocatur autem idem genus etiã θόλος ξηρός, & à Cor. Celso capitis supra citati principio Laconicũ. Sudor etiam inquit Celsus, duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est, & hatenae ca lidae, & Laconici, & Clibani, & quarundã naturaliũ sudationes, ubi è terra profusus calidus uapor aedificio includitur, sicut super Baias in murtetis habemus: praeter haec sole quoque & exercitatione is mouetur. Laconici autẽ appellatio est à Laconibus, id est, Spartanis, quibus fuit in usu, uelut indicat Martial. poeta lib. 6. epigram. de thermis Hetrusci. Ritus si placeant tibi Laconum, Contentus potes arido uapore, Cruda uirgine Martiaque mergi. Meminit Laconicorũ etiã Columella in praefatione operis sui de re rustica: Mox deinde ut apti ueniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exsuto sudore sitim quaerimus. Ex quibus uerbis palã à citatis autoribus declaratur, quod etiam'num hodie in balneis tepidarijs nostris pyriaterũ, & tholus, & Laconicũ existit. Nimirũ testudo illa, unde uapor siccus egreditur ad sudorem ciendũ, corporibus interim in uicina tabula exudatoria prostratis eum excipientibus: ut mirũ sit quomodo pitylisma aut potius τὸ πιτυλίζειν exercitationis genus, à Galeno lib. 2. ὑγιεινῶν proditũ, Angelo Politiano alias doctiss. & magni in literis iudicij uiro uisum sit, in Laconicũ uaporariũ siue sudatoriũ producere, tanquam uidelicet in Laconico πιτυλίζοντες se exercerent, quum id nullo modo fieri possit, ut aliquis summis pedibus ingrediens, (Sic enim Galen. exercitationẽ eam describit,) protentisque manibus celerrime progrediẽs, alterã retrorsum, alteram prorsum ferens, in Laconico consistat, rotundo, calẽti, ignito, & ad cursum in eo faciendũ inepto: maxime quũ ibidem declaret Galen. eos qui hoc gymasio exercentur, ad murũ consistere, ut sicubi lapsentur, apprehẽso muro facile se erigant, atque ita exercentium lapsus lateant, & ipsa exercitatio leuior existat. Quid quod ibidem Politianus Miscellaneorũ cap. 38. contra seipsum asserit, Laconica fuisse in orbem constructa, ut πιτυλίζοντες penitus in ipsis uersari nõ potuerint. Producit autẽ locum Vitruuij ex lib. 5. de architec. qui sic habet. Laconicon sudationesque sunt coniungendae tepidario, aeque quàm latè fuerint tantã altitudinem habeant, ad imam curuaturã hemisphaerij, mediũque lumẽ in hemisphaerio relinquatur

tur, ex eoq; clypeũ æneũ catenis pendeat, per cuius reductiones, & dimissiones perficietur sudationis temperatura, Ipsumq; ad circinũ fieri oportere uidetur, ut æqualiter à medio flammæ uaporisq; uis per curuaturæ rotundationes peruagetur. Hactenus Vitruuius ostendit Laconicon esse id, cuius imago si non ex toto, saltem magna ex parte hodieq; in balneis nostris uisitur, & quod Laconicon ac Pyriaterium uelut idem Politianus uoluit, rectè appellatur, Sed quod in eo orbe exercere se pitylissantes potuerint, nihil uerisimile habet, neq; credibile omnino existit. Cęterũ Iuuenal. poeta satyra II. quũ ait, Qui Lacedęmoniũ pitylismate lubricat orbẽ. nõ de pitylismate quod Politianus ex Galeno profert intellexit, sed de pitylismate quidẽ sensit, uelut etiã legendũ est, & non pitysmate, uelut quibusdam uisum fuit. Significat autem Iuuenali pitylisma, motũ ac gesticulationẽ manuũ, qua & Senatores & equites Romani Lacedæmoniũ orbẽ, id est, anulos lubricos facere solebant, Quales gesticulatores quosdã etiã hodie uidere est, in magnis hominũ cõuentibus ac cõsessibus uel maxime anulos digitorũ lubricantes, eos detrahẽdo ac digitis rursus addendo: ut hic rectè senserit, & immeritò reprehensus sit è Politiano Domitius, qui per Lacedæmonium orbem anulos, quorum à Lacedæmonijs usus manauit, intellexit. Verum quod idem pitysmate legit, & pitysma irrorationem leuis sputi exponit, quo uidelicet anuli lubricẽtur, hoc certe male cõfinxit. Nam ut demus pitysma hoc significare, tamẽ nõ solum ineptũ sit, sed etiã sordidũ, sputo subinde digitos inquinare, quo anulus lubricus fiat. Et hoc etiã fieri nõ solet, nisi anulus uehementer sit digito impactus. Quũ autem satyrica periphrasi Senatores ac Equites Iuuenal. notare uellet, eos qui anulos manuũ motu ac gesticulatione lubricãt dixit. Quod aũt pitylisma manuum motũ ac gesticulationẽ significet, Hesych. docet, qui uocẽ πίτυλος exponens ait, πίτυλος, συστροφὴ τῆς χειρὸς ὅταν πυκνῶς ὑποφέρηται. Ab hac itaq; uoce formatur uerbũ πιτυλίζω, unde est uerbale nomen πιτύλισμα, à Iuuenale usurpatũ. Sed & exercitario à Galeno prodita pitylisma ab hoc uerbo uocatur. Nam & in ea manuũ extentarũ motus fiebat, uelut suprà ostendi, ut sic à parte aliqua sui, appellationem eam inuenerit. Quare ex his iam relatis omnibus clarũ fit, Politianũ & in Lacedæmonio orbe, & in pitylismate, toto cœlo aberrasse. Domitiũ aũt in pitysmate tantũ. Fuit pterea ueteribus & hoc genus ad exudandũ paratũ. Dolia nãq; parabãtur uaporatoria, in quibus æger desudabat capite extra doliũ extẽto, quo frigidi aeris inspiratio cõtingeret, reliquũ uero corpus omne sudore difflueret, q̃d itidẽ θόλος ξηρὸς, & testudo, à similitudine uocari potest. Eius meminit Aetius ser. II. c. I. eiusq; usus aliquis etiã hodie superest, cupas quasdã nobis obuelãtibus, atq; ita quasi in dolio sedentibus, uapore uel ex herbarũ decocto, uel silicibus ignitis perfusis ad nos ad sudorẽ eliciendũ allato. Meminit eius etiã Paul. lib. 3. cap. 43. καὶ πυριᾶσθαι κελεύειν ἐν τοῖς διαπύροις πίθοις ἐμβαπτομένους τινὰ τῶν νιτρωδῶν σμηγμάτων. Porrò nõ solũ uasa fomentatoria, φακωτὰ gręci appellant, à lenticularũ, ut Celsus dixit similitudine, sed etiã φακωτοὺς ἐκκοπέας, hoc est lẽticulata scalpra habẽt, quorum mentionẽ facit Galen. VI. Meth. libro, quos describit esse eos qui τὸ μὲν φακοειδὲς ὥσπερ τῷ πέρατι προέχον ἀμβλὺ καὶ λεῖον ἔχουσι, τὸ δ' ὀξὺ κατὰ τὸ μῆκος ὄρθιον. hoc est Lenticulata incisoria scalpra sunt quæ lenti similem partem in extremitate præminentem obtusam & leuem habent, acutam uero secundũ longitudinem rectam, hoc modo.

qui autem huius excisorij scalpelli usus sit ibidem Galenus abunde ostendit. Sequitur paulò post. Aut Hyperici drach. I. ex uino mulso propinato, uel aquę mulsæ cyatho uno, sed in greco το. α. unciam I. legitur, quod pondus ut nimium præsertim in cyatho liquoris uno accipiendũ reprobo, drachmãq; legendã existimo:

quemadmodũ cõtra in sequenti mox pharmaco imminuta mensura mellis mihi uidetur, in græco sic expressa, ἢ κυμαίας λεύκης. γο. β. μετὰ μέλιτος. γο. ς. ἐπὶ ἡμέρας. γ. διδου πίνειν. quare pro γο. ς. id est uncia dimidia γο. γ. id est quadrãtem lego, uelut reddidi, Sed & paulò inferius καρδάμωμον pro καρδαμόμου legitur, & ἐν ἡλίῳ ἡλιασμένῳ pro ἐν ἡλίῳ ἡλιασμένῳ. Est enim non ad potionem referẽdum, sed ad ipsum ægrum insolatum.

Aut adiãti & myrrhę eius dimidium ieiuno à balneo exhibeto in uini hemina dimidia.] Hoc medicamentũ sic prodit ut liberum relinquat adianti pondus, ita ut quantũ tandem quis accipiat, eius dimidiũ de myrrha addat, quomodo etiam pręcedenti lib. 8. cap. 9. de dauco & fœniculo accipi posse iudicaui: Sequitur paulò post. Aut adianti drach. I. myrrhæ drach. II. mentæ drach. I. in aquæ heminis duabus coquito, &c. sed in græco codice hoc pharmacũ cũ præcedenti connexũ est, per interuẽtionẽ particulæ ἢ, id est aut, rursus dirimendũ. sed & σμύρνης δραχ. η. id est myrrhæ drach. VIII. expressæ habẽtur. pro quibus ego δραχ. β. id est, duas drach. reddidi; ut sic in græco hoc pharmacum legatur, ἢ ἀδιάντου δραχ. α. σμύρνης δραχ. β. ἡδυόσμου δραχ. α. &c. Addit aũt ad finem huius pharmaci, exhibendũ esse ipsum à deambulatione & frictione, spiritu adbuc sublimiore existẽte, hoc est ἐπὶ μετεωροτέρου τοῦ πνεύματος ὄντος. μετεωρότερον itaque πνεῦμα dixit spiritũ sublimem ab exercitatione deambulationis redditũ. Sic aũt appellare solet tum Hippocr. tum Galen. paruum & ueluti uideri alicui possit, ad fauces usque tantũ modo progredientẽ, non ad profunditatẽ thoracis descendentẽ, uelut lib. 3. de difficultate respirationis ipse Galen. declarat, ostendens ab Hippocrate sublimem spiritũ dici paruum & modice densatũ. Sequitur mox. Aut herbam Orontion appellatã coquito & cum decocto lauato. Quã hic Archigenes Orontion herbam appellat, dubito equidẽ an hic rectè legatur in græco exemplari, ἢ τὴν λεγομένην ὀρόντιον βοτάνην, quũ Orontion herbam apud nullum utriusque linguæ scriptorẽ reperiam, Quare meritò mihi diu locus suspectus fuit, donec tandẽ in eam opinionẽ uenerim, Orontion herbam nullam aliam esse quàm Origanũ aliàs appellatam, & fortassis etiã ὀρίγανον pro ὀρόντιον est legendũ, nisi & hæc una est appellatio qua Origanum significatur: huius enim suspicionis gratia lectionem mutare noluimus, Hoc tamen apertè asserentes, nullam aliã esse ὀρόντιον, siue rectè siue corruptè dictam quàm origanũ, facultatis sectoriæ, attenuatorię & calfactorię à Galeno descriptam, ob quas uires utique hoc præstat, quod hoc loco de ea Archigenes testatur, Nimirũ quod decoctũ eius in balnei usu ictericis uitiatũ colorẽ detrahat, ita ut ipsa decocti aqua statim uiridis reddatur, atque huius rei testimonium nobis ex Diosc. suppetit, qui lib. 3. de Origano sic ait. ἴκτερον δὲ καὶ ψώρας καὶ ἰκτερούς τὸ ἀφέψημα αὐτοῦ ἐν λουτρῷ ὠφελεῖ. Quin & eius rei ego testis esse possum, qui & antea quàm hũc locũ legerim, & postea ac nuper adeò aliquoties ab eius lectiõe, cõfidẽtius eiusmodi decocto pro lotura ictericorũ usus, origani hanc facultatẽ esse sum expertus.

In Cap. II. de splenis affectionibus.

Recenset Galen. hoc loco tria pharmacorũ genera spleni indurato auxiliaria, Attenuantia uidelicet citra calfactionẽ, amara item & austera ad corroborationẽ: & secundũ primã rationem, hoc est ex attenuantiũ citra calfactionem genere, acetũ & acetũ mulsum esse dicit uisceri cõmoda, quibus ualde amara cõmiscent, & aliqua austera, adstringentiũ uidelicet generis. Vltra hęc uero tria genera quædã apponũtur materialia pharmaca, hoc est quibus reliqua excipi queant, & cõmodius applicari, uelut est cera, resina, pix, bitumẽ. sed uerba quibus hæc postrema sentẽtia exprimitur, corrupta sunt in græco exemplari, hoc modo. εἰς δὲ ὕλην χρήσιμον ἢ σκιῤῥωμάτων τε καὶ μαλαγμάτων ποίησιν ἔνια προσίθεμεν. Restituẽda sunt

autem

autem sic. εἰς δὲ ὕλην χρήσιμα πρὸς τῶν ἐπιχρισμάτων τε καὶ μαλαγμάτων, &c. uelut nos reddidimus. Quin & proxima ante hanc sententiã linea ἐκκριθησομένων pro ἐκκριθησομένα habet. & in fine huius tractationis ante Andromachi pharmaca, uox ἐκδόντες deest, quæ inserta & restituta plenã sententiã efficiet, quam ego expressi, ut sic legas, ὃ καὶ τοῖς φαρμακίτισι βίβλοις οἱ πρὸ ἐμοῦ τὴν γραφὴν ἐκδόντες ἐποιήσαντο.

Pharmaca potabilia ab Andromacho ad splenicos conscripta.] In primo ex his pharmacis nasturtij nigri sesquidrachmam cõuerti, hoc est καρδάμου μέλανος δραχ. α∠. Sed in græco exemplari καρδαμώμου μέλανος habetur, qui error ob uicinitatem utriusque uocis non infrequens est in græcis autoribus, uelut iam sæpe indicaui. Esse autẽ Nasturtij nigri, & non cardamomi legendũ, tum ex Dioscoride apparet, qui nasturtiũ σπλῆνα μειοῦν, id est splenem minuere palàm tradit, hoc ipsum de cardamomo ut uiribus imbecilliore penitus silens: tum ex Plinio ostenditur, qui lib. 20. cap. 13. duo nasturtij genera facit, album, & alterum nigrius, cuius sane usum Andromachus hoc loco probat. Quanquam aũt idem Plin. ex cardamomi generibus tertiũ breuius atque nigrius depingat, tamẽ huius usum hic imbecilliorẽ puto, et cardamon, id est, nasturtium iuxta Dioscor. testimonium accipere malo, maxime quum & uetus interpres nasturtij nigri legerit. Quare in sequentibus duobus pharmacis, in primo nasturtij drach. IIII. in secundo. VI. reddidi: quanquam non καρδάμου sed καρδαμώμου in exemplari græco expressum sit.

Pharmaca potabilia ab Asclepiade ad splenem cõscripta.] Inter hęc pharmaca habetur, Aut herbam pelargitin appellatã tusam ac cribratam dato ut prædictũ est, hoc est, ἢ βοτάνην τὴν λεγομένην πελαργίτιν κόψας καὶ σήσας δίδου καθὰ προείρηται. Sed fateor me tamen dubitare an πελαργίτιν uox hic rectè legatur, & si rectè legitur, palàm confiteor me nescire quæ sit hęc herba, quando sanè apud nullum utriusque linguæ autorẽ hanc herbæ appellationem reperiã. Plin. quidẽ daphnoides fruticẽ pelasgũ appellari dicit, sed Dioscor. eo loco πέπλιον habet, ut eo non libeat animũ acclinare quo πελαργῖτις uox ex pelasgi appellatione facta sit, modo quo Attici pelasgos populos pelargos dixerũt, Strabone lib. 4. autore: quum daphnoides ipsum, uulgò laureola dicta, hũc usum nõ præbeat, in quẽ hoc loco pelargitis assumenda proditur. Suspicio est quidem magna potuisse πελαργίτιν pro περικλύμενον irrepere, sed & hæc frutex est potius quàm herba, alias & à Diosc. & Galeno, itemque Paulo ac Plinio lienem eliquare & absumere prędicatur, certo dierũ spacio drachmæ pondere ex uino tum semine, tum folijs eius acceptis, ut hic locũ habere possit, nisi neque seminis, neque foliorũ, neque eius ponderis mentio fieret, sed totius herbæ tũdendæ ac cribrãdæ, & in potu exhibẽdæ, uelut dictum est. Dictũ est autem ab eo in præcedenti pharmaco, cochlearia duo fructus myricæ cum aceti mulsi cyathis tribus exhibenda esse, ut & hæc herba eadẽ mensura ex eodẽ liquore sit accipienda. Quare in re incerta nihil pronunciare ausim. Est & suspicio πελέκινον pro πελαργῖτιν forte legendũ esse. proditur enim pelecinos, hoc est securidaca appellata herba, aut frutex potius, uiscerum obturationes expurgare, ob uim amarã & subacerbã, atque hęc uis & in semine eius, & in ramulis cõtinetur Galeno teste. Quin & λογχῖτις & φρυγῖτις uoces, similitudinẽ ad πελαργῖτιν herbam habent, ut hæc pro altera earum supposita uideri possit. Est autem utraque appellatio aspleni, quæ & scolopendria, & hemionitis uocatur. atque hæc omnium aptissima hoc loco existat, & suprà ab Andromacho, & ab ipso etiam Dioscoride ac Galeno splenem absumere prædicata. Nihil tamẽ pronũciamus, liberam relinquẽtes iudicationem, quũ fidem nostram in interpretando præstiterimus, præscriptam πελαργῖτιν herbam fideliter reddentes.

Pastillus splenicus tumorem eliquat.] Hunc pastillum drachmæ unius pondere

dere ex tribus aceti mulsi cyathis dandum conuerti, sed in greco exemplari διδόνται δραχ. γ. καὶ ὀξυμέλιτος κύαθοι γ. habetur, hoc est Dantur drachmæ III. & aceti mulsi cyathi tres. Esse autem drachmarum pondus nimiũ uel hoc indicat quod antea ex pharmaco pastilli drachmales formari iubẽtur, hoc est ut ipse ait, γίνονται τροχίσκοι ἀνὰ δραχ. α. ἄγοντες. hoc est fiunt pastilli drachmæ pondere, quorũ uidelicet unus pro uice exhiberi debet: aliàs haud dubie trium drachmarum pastillos effingere iussisset, si trium drachmarum pondus pro uice sumi oporteret. Sed & Aetius sermone 10. capite 11. hoc pharmacum bis recensens utroque loco drachmam unam tantum, cum aceti mulsi cyathis tribus propinat. Quin etsi δραχ. γ. rectè legeretur, oportebat etiam διδόνται legi pro δίδοται, quod quum non fiat, certum est numeri ternarij notam. γ. pro unitatis numero α. irrepsisse, & suppostititiam esse.

Chrysermi pastillus splenicis, hydropicis, cit urinam, mollit aluum.] Hic pastillus Archigenis nomine ab Aetio loco iam indicato citatur, ijsdẽ penitus per omnia uerbis & sentẽtia, nisi quod seminis dauci simpliciter uncia una habetur, pro qua hoc loco δαύκου σπέρματος ὀξύβαφον, ὅ ἐστι. γο. α. hoc est seminis dauci acetabulum, quod est uncia una legitur: & uerba quæ sequuntur, ἔχει δὲ καὶ τραγακάνθης μνᾶς. δ. Aetius in totum non habet, quæ etiam nos ut superflua & huc non pertinẽtia reliquimus. Sed & quod diximus, erui moliti chœnicem, id est ὀρόβων ἀληλεσμένων χοίνικα, Aetius farinæ erui uncias XVI. habet. Quod itaq; legitur ὀξύβαφον ὅ ἐστι. γο. α. penitus falsum est, quum oxybaphum siue acetabulum non unciam unã capiat neq; mensuralẽ, neq; ponderalem, neq; liquidarũ, neq; aridarũ rerum, sed sesquicyathũ, uelut alibi ex Paulo & Galeno ostẽdi, & iuxta diuersos liquores, põderalis libræ diuersas partes. Habet enim acetabulũ olei drach. XVIII. id est, uncias duas, drach. II. Vini uero drach. XX. id est uncias duas & dimidiã. Mellis drach. XXVII. hoc est unc. III. drachmas tres: quemadmodũ item suprà à nobis ex ijsdẽ autoribus est cõmonstratum. Quin & iuxta diuersitatẽ rerũ aridarum diuersas item libræ partes acetabulum pendit, sed tamen ferè olei pondus drachmarũ ut dixi, XVIII. ipsi attribuitur. Quare omnino uitiata & falsa est hæc lectio, pro qua iuxta Aetiũ uncia quidem una est restituenda, sed oxybaphũ penitus reijciendũ. & ut hac parte sententiam meam explicem, opinor ὀξύβαφον uocem pro ὀκτὼ δραχμὰς irrepsisse. si enim sic legas, δαύκου σπέρματος ὀκτὼ δραχμὰς ὅ ἐστι. γο. α. id est seminis dauci octo drachmas, quod est uncia una, habebis omnino pondus in Aetio expressum: & hoc ipsum octo uidelicet drachmas unciam unam efficere, ab ipso Galeno est declaratum suprà lib. 6. cap. 1. ubi & nos ponderum rationem explicauimus. quod si quis tamen ὀξύβαφον non delendum cõtendat, necessario penitus eius capacitatem pro superius indicata ratione ex Paulo augebit, sed hoc faciens Aetij lectionẽ non sequetur, qui tum huius seminis, tum sequentium anisi, seselis, radicis panacis, iridis, singulorum unciam unam habet, quam ego sequutus seminis dauci drachmas VIII. hoc est unciam unam, conuerti, uitiata lectione ueluti dixi reprobata. At uero quod erui moliti Chœnix hic præscribitur, cuius loco Aetius uncias XVI. habet, magna ponderis & mensuræ diuersitate dictum est: quãdo iuxta Pauli sentẽtiam Chœnix sextariorum duorum est. Sextarius autem unciarũ XVIII. ponderalium olei ponderis, iuxta eundem existat. Quare suspicionem habeo quod χοίνικα uox pro ξέστην supposita sit, quẽadmodũ in Aetio idẽ aliquoties cõtigisse suprà memini. Sextarij enim mensura duab. tantũ uncijs Aetij põdus superaret, cuius nulla ratio in hoc pharmaco habẽda esset. Quanq; si iuxta Galeni traditionẽ sextariũ expẽdere uelimus inueniemus in sextario Attico uncias mensurales XVIII. ponderales uero XV. & in

Romano

Romano sextario mẽsurales uncias XX. ponderales XVI. drach. V. scrupulum I. Tradit enim libro quinto pharmacorum τῶν κατὰ γένη compositionis, Cotylam atticam pendere drachmas LX. utpote quæ unciarum nouem Italicarum mensuralium existat, quæ nouem unciæ mensurales, septem & dimidiã ponderales uncias pendant, quæ drachmas LX. efficiant, uncia una octo drachmatum constituta. Sed adscribam de hac re ipsa Galeni uerba. ὁ μὲν γὰρ ἦρας ρπ. δραχμὰς ἔγραψεν, εἰς σταθμὸν ἀνάγων, οὐκ εἰς μέτρον τὸ ἔλαιον, ὡς ξ. δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτύλης. καὶ γὰρ ἕλκει ἡ γε ἀττικὴ θ. οὐγγιῶν οὖσα τῶν ἰταλικῶν. ἕλκουσι γὰρ αἱ θ. οὐγγίαι ἰταλικαὶ, αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασιν, ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικὰς, αἵτινες ξ. δραχμαὶ γίνονται, τῆς μιᾶς οὐγγίας η. δραχμὰς ἐχούσης. Iuxta hanc itaque ratiocinationem sextarius Rhomanus uncias XVI. drach. V. scrupulum I. ut dixi pendit, & Atticus uncias XV. Vtrum uero pro chœnice hoc loco legas & accipias, non longe à XVI. uncijs erui moliti ab Aetio præscriptis aberrabis. Nolo tamen alicui autor esse mutandæ lectionis, quãdo etiam ipse iuxta exemplaris præscriptũ, chœnicem conuerterim, diuersitatem tantum lectionis indicare uolui, ut studiosos ad similia diligentius æstimanda excitem. Quod uero Chœnix duorum sextariorum sit, Paulus libri 7. fine de aridorum mensuris explicat, quem locum etiã hic adscribam integrum, ut quum suprà & pondera & mensuras liquidorum ex eodem explicarim ac restituerim, etiam hic locus integer & explicatus, atque sic tota põderum & mensurarum ratio, habeatur.

περὶ μέτρων ξηρῶν.

ἡ Αἰγυπτία ἀρτάβη ἔχει, μο. γ. ὁ δὲ μόδιος ὁ αἰγύπτιος καὶ ὁ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας. η. ἡ δὲ χοίνιξ. ξ. β. ὁ δὲ ξέστης ἡμίξεστα β. ἃ δὴ καὶ ἡμίνας προσαγορεύουσιν. ἡ δὲ ἡμίνα ἔχει κυάθους. η. ὁ ἀττικὸς μέδιμνος ἔχει ἡμίεκτα. ιβ. τὸ δὲ ἡμίεκτον ἔχει χοίνικας. δ. ὥστε τὸν μέδιμνον ἔχειν. μο. ς. χοίνικας. μη. ξ. ϙς. τούτων δὲ τὸν σταθμὸν εἰπεῖν οὐκ εὔδηλον ὅτι τῶν ξηρῶν οὐσιῶν ἄπειρός ἐστιν ἡ κατὰ τὴν ῥοπὴν διαφορά. Hoc est.

Aegyptia Artaba continet Modios III. Modius Aegyptius & Italicus habet Chœnices VIII. Chœnix sextarios II. Sextarius habet semisextarios duos, qui sanè & heminæ appellantur. Hemina aũt habet cyathos VIII. Atticus Medimnus continet Hemiecta XII. Hemiectũ uero seu Semodius chœnices IIII. Quo fit ut Medimnus habeat modios VI. chœnices XLVIII. sextarios XCVI. Ceterum pondus harum mensurarũ nõ facile est proferre, quod immensa diuersitas rerum aridarum iuxta lancis momentum & inclinationem existat.

Alius Eugerasiæ.] Hic pastillus à nobis ad uerbum redditus est, sed sic tamen ut lectionem quam exemplar præscripsit, quam uidelicet expressimus improbemus, atque sic legendum putemus, non quidem ex Aetio qui eum non babet, aut ueteri interprete qui ipsum pro more suo transiliuit, sed rei æstimatione commoti, non quidem alicuius iudicio præscribentes, sed rem in communi æstimãdam proponentes. Sic itaque legendum puto. ἄλλο εὐγερασίας, σκίλλης ὀπτῆς κεκαθαρμένης μνᾶς δύο, βρυωνίας ῥίζης μνᾶς. β. πεπέρεως λευκοῦ τὸ ἴσον, πετροσελίνου τὸ ἴσον, δαυκοῦ κρητικοῦ σπέρματος τὸ ἴσον. ὀρόβων ἀληλεσμένων τὸ ἴσον, κεδρίδων. ξ. ς. βρεχέσθω εἰς ὄξους γο. κ. ἴρεως, πάνακος ῥίζης, σμύρνης, ἀνὰ. γο. γ. οἴνου φαλερίνου εἰς ἀνάληψιν ὅσον ἐξαρκεῖ. ἀνάπλαττε τροχίσκους, καὶ ξήραινε ἐν σκιᾷ, δίδου δραχ. α. μετ' οἴνου κεκραμμένου κυαθ. γ. Hoc est. Alius Eugerasiæ. Scillæ assatæ depuratæ minas II. radicis bryoniæ minas II. piperis albi tantundem, petroselini tantũdem, seminis dauci cretici tantundem, erui moliti tantundem, cedridum sextarium dimidium, macerentur in aceti besse, iridis, radicis panacis, myrrhæ, singulorum quadrantem. Vini falerni quod satis est his excipiẽdis, & in pastillos cogendis. Formatos autem pastillos in umbra desicca, & drach. I. cum uini diluti cyathis tribus exhibe.

Epithemata & emplastra eiusdẽ Asclepiadæ.] Hæc medicamẽta ferè omnia bis à Galeno relata sunt. Nam mox post horum enumerationem rursus præscribitur titulus, pharmaca ab Asclepiade in quarto externorum cõscripta: & consequenter eadem pharmaca omnia repetũtur, aliquibus tamen interiertis & additis, fortè quod in quarto externorum hæc postrema dictionis Asclepiadæ series contineatur, & alio quopiã loco priora pharmaca ab eodem Asclepiade sint perdita, aliás temere eadem in eodem libro bis inculcarentur. In prima itaq; enumeratione pharmacũ quo usus est Tryphon Gortyniates habetur, sed idem in secũda enumeratione repetitũ, Critoni Gortyniati Cretensi inscribitur. Quare κρίτωνος pro τρύφωνος, aut uicissim hoc pro illo est suppositum, Tryphonis tamen inscriptionem utrobiq; legi & reddidi. In prima insuper enumeratione plura simplicia in idem pharmacum recipiuntur, & usus ipsius certus præscribitur. In secũda uero ea ipsa quæ in prima sunt, deesse exẽplaris uitio puto, ut primam descriptionem rectam et sinceram existimem, nisi quod uerba quæ reddidi: pharmacum autem impositum fasciolis complecte, & obliga, in græcis corrupta habentur, hoc modo. ἐπιθεὶς τὸ φάρμακον καταλαμβάνεται ἰδίοις. Sunt autem sic restituenda uelut expressi, ἐπιθεὶς τὸ φάρμακον καταλάμβανε ταινιδίοις. Porrò in præcedenti ante hoc pharmaco ad finẽ, uisci trientem conuerti, sed in græco ὄξους το.δ. habetur, id est, aceti trientem. ἰξοῦ itaq; pro ὄξους restituendum est, uelut in eodem pharmaco in secunda enumeratione repetito habetur. Quin & in sequenti pharmaco καρδαμώμου pro καρδάμου falsò expressum habetur. quod in secunda enumeratione rectè καρδάμου scriptum legitur, & legẽdum esse in his omnibus pharmacis suprà ostẽdi. Quod uero ad finem huius pharmaci præcipitur, Tertia die gymnasijs utendum esse, quæ spiritũ acutum reddere ualeant, hoc est ἀρξύνειν τὸ πνεῦμα δυναμένοις, sic accipiendũ est, ut non desinant ab exercitijs priusq̃ anheli fiant, spiritu ipsorũ acuto reddito, hoc est uehemẽter paruo & denso, talis enim ὀξύπνουν πνεῦμα appellatur, uelut in III. de spirãdi difficultate ipse Gal. declarat.

Malagma ex Cedria splenicis, hydropicis, medicamẽtum accommodatum.] Pharmaca quæ in hoc malagma recipiuntur, in pellem albam infarta affectis locis imponere iubet, quomodo etiam in priori enumeratione idem pharmacum, sed ex calce & uisco solum cõstans, alba pelle infartum imponere iussit. Sic enim habet, ἐμπλάσας εἰς δέρμα λευκὸν ἐπιτίθει. Verum hoc loco ἐμπλάσας εἰς δέρμα λευκὸν, τὸ ἀπ' ἀκάνθης λεγόμενον, ἐπιτίθει expressum est, atq; haud scio qua significatione accipiendum sit, τὸ ἀπ' ἀκάνθης λεγόμενον, & dubito an hic rectè ea uerba legantur, & non suppostitia existant, maxime quum suprà simpliciter pellis albæ meminerit, Nam quæ pellis ἀπ' ἀκάνθης, id est, à spina detrahi possit non uideo. Sed tamen quum non pellem à spina detractam dicat, sed à spina appellatam, suspicatus sum δέρμα τὸ ἀπ' ἀκάνθης λεγόμενον, esse pellem Herinacei, quem ἀκανθίωνα appellari, Galenus huius operis libro. I. cap. I. fine testatur. At uero quum pellis aut cuticulæ Herinacei hunc usum esse, nusquam proditum sciam, ambigo an Herinacei pellem albam hoc loco accipere oporteat, quam ustam sanè alopecijs prodesse, & Galenus loco iam citato, & reliqui ferè omnes medici græci ac latini meminerunt. Possit fortassis alterius alicuius animalis pellicula accipiẽda indicari, sed quis de hac diuinare queat aliter quam ego iam diuinaui? Quare si cui diuinatio mea placet, eam pro libito sequatur, Ego ut fidem meam in uertẽdo præstarem, pellem albam à spina appellatam, conuerti. liberum relinquens ut accipiat quisq; quã uelit. Si quis tamen Herinacei pellem accipiat, habet satis euidentem appellationis rationem. Est enim δέρμα ἀπ' ἀκάνθης λεγόμενον, idem quod δέρμα τοῦ ἀκανθίωνος, ut fortè non minus rectè, sed tamen minus ænigmatice, δέρμα λευκὸν

λευκὸν τὸ ἄνω ἀκανθίωνος legi queat, quod tamen pharmaci scriptori nõ placuisse palàm est, ut qui rem ultro illis uerbis obscurare uoluit.

Aliud Fabullæ cõpositum ualde præclarum.] Ad finem huius pharmaci habetur, pharmacum est tusile, id est, quod cõtunditur, quod in græco exẽplari sic habetur, κοπτόν ἐστι τὸ φάρμακον. Appellant itaq; κοπτὸν φάρμακον quod non coquitur, sed tunditur, ac liquoribus modice adstillatis ad malagmatis formam redigitur, nisi res tũdendæ per se moderate humectæ existant. Estq; hæc locutio, κοπτόν ἐστι τὸ φάρμακον eiusdẽ significati, sicut quũ dico κόπτεται τὸ φάρμακον. Suntq; ambæ loquutiones multi apud græcos medicos usus. Paul. lib. 4. cap. 55. ad contractos articulos emplastrũ refert, de quo ad finẽ dicit κοπτόν ἐστι τὸ φάρμακον. ἔστι δὲ καὶ ἄκοπτον ἀγαθὸν διαλυόμενον ἰρίνῳ, ἢ κυπρίνῳ, ἢ δαφνίνῳ, id est, Tusile est pharmacũ, Est autem & nõ tusum bonum, si irino, aut cyprino, aut laurino dissoluatur. Sic enim apud Paulum legitur. Possit tamen fortassis rectius, pro ἄκοπτον legi ἄκοπον, ut medicamentũ lassitudinem eximens accipiamus, quorũ usus est ita cum ungẽtis dissolutorum, per mollem & perseuerantem affrictũ, uelut ibidem Paulus subiungit.

Pharmaca ab Archigene ad splenicos in primo medicamentorum secundum genus cõscripta.] Inter cataplasmata hic ab Archigene tradita habet. Aut Capparim maceratam aceto ac tritam cerato cyprino exceptã. hoc est. ἢ καππάριν βεβρεγμένην ἐν ὄξει λείαν ἀνειλημμένη κηρωτῇ κυπρίνῃ. Sed in græco ἀναλειφομένης pro ἀνειλημμένη habetur. Paulò post habetur. Aut lepidij folia imponito. hoc est, ἢ κατάπλασσε λεπιδίου φύλλοις. Sed in græco legitur, ἢ κατάπλασσε πιδίου φύλλοις. Porrò tum in his, tum in præcedentibus sæpe, retrimenta ab expressa myrobalano reliqua, conuerti τὸ πίεσμα μυροβαλάνου. Neq; enim aliud accipiendũ his locis uidetur; quanq; & succus ipse πίεσμα uocetur aliquando, uelut libro 1. ostendi. Cæterum quod ad finem capitis de uena retro sinistrã aurẽ secanda legitur, in græco exemplari corrupte habetur hoc modo. τὴν ὑπὲρ τὸ ἀριστερὸν οὖς ἀν φλέβα λύσας. Legendũ autẽ est sic. τὴν ὑπὲρ τὸ ἀριστερὸν οὖς κειμένην φλέβα λύσας. uelut ex Aetio ser. 18. cap. 11. palàm uidere est qui idem auxilium prodit.

In Cap. III. de hydrope siue àqua inter cutem.

INter pharmaca Asclepiadę ex quarto externorum Marcellæ inscripto: quanquam falsò τῶν ἐντός, id est, internorum pro τῶν ἐκτὸς legatur: mox à principio habetur. Farris quod zeam uocant, moliti sextarios II. id est, φάρρεος ὃ καλοῦσι ζέαν, ἀληλεσμένου ξ. β. Far itaq; & zeam his uerbis pro eadem re Asclepiades agnouit, quũ tamen sint diuersæ, uelut suprà lib. 2. abunde ostendi, Sed quæ aliquãdo inter se confundantur, maxime quum eundem usum præbeant. Zea enim propriè est ex qua fit alica, sicut far ex frumento fiebat. Iam quum res factitiæ pro naturalibus usurpentur, & factitiæ etiam inter se, itemq; naturales inter se, ob similitudinẽ appellationes mutuentur, uelut ibidem indicaui, fit ut far res factitia primum pro frumento ponatur, & mox etiam pro zea quæ frumẽti species existit. Quanquam hanc græci exemplaris lectionem, à me ut habet redditã, corruptam existimem, & non φάρρους ὃ καλοῦσι ζέαν, esse legendum, sed φαρὸς καλουμένου κλουσίνου, ἀληλεσμένου ξ. β. quo modo sanè Aetius ipse, sermone 10. cap. 22. apertis uerbis habet. ubi planè idem Epithema recẽset, Quomodo autẽ fieret far Clusinum alijs locis ostendi, in quibus item eius lectio fuerat extincta, & à nobis denuo est restituta. Siue igitur hanc Aetij lectionem sequeris, siue farris & zeæ expositionem quam ergo retuli acceperis, rectam sententiam habebis. Nimirum ut farris farinæ sextarios duos in pharmacum assumas.

Aliud ex Critone, fœnigræci moliti ac cribrati sextar. II.] Ad finẽ huius epithematis in græco exẽplari, post uerba. χοῦ καὶ ἀσέρα ἐκ τῆς ὑπογεγραμμένη σκευασία,

sequuntur uerba. ἱερὰ λίτρ. α. πίσσης ξηρᾶς λίτραν μίαν, τὰ τηκτὰ κατὰ τῶν ξηρῶν, quæ penitus sunt delenda, utpote quæ neq; ad præcedens neq; ad sequens pharmacum pertineant, neq; per se pharmacum iustum nobis præscribant. Quod autem dicit, utere subscripta confectione, de malagmate ipoterio accipiendum est, quod proxime sequitur. quãq; non μάλαγμα τὸ ἱπωτήειον legatur quomodo conuerti ex Aetij præscripto, sed μάλαγμα τὸ ποτήειον ἐπιγραφόμενον, id est, Malagma poterium inscriptum. esse autem hanc nõ rectam lectionem, ex Aetio persuasus sum, qui ἱπωτήειον habet. & ex secundo ipoterio mox sequente, cui præscriptum est. ἄλλο γυνάιον ἢ ποτήειον φάρμακον, ita ut ἢ uocem connectendam putem cum uoce ποτήειον, ι. tamen in ι. commutato, & legẽdum ἄλλο γυνάιον ἱπωτήειον φάρμακον uelut reddidi, Aliud præclarum Ipoterium pharmacum. Nisi quis penitus nobis persuadeat, ποτήειον dictum esse hoc medicamentum, quod instar poculi resorbeat humiditates ex alto, nam & hęc uerba pharmaco sunt adscripta, Nempe ἀναπίνει τὰς ἐκ βάθους ὑγρασίας. Ipoterij appellatio autorẽ potius referre uidetur.

Aliud Bithynum appellatum.] In hoc emplastro, farinæ loliaceæ libram dimidiam conuerti, sed in græco exemplari ἀλεύρου ἰρίνου λίτρας, ς. habetur, hoc est, farinæ irinæ siue iridis. Et sane iris tum in præcedens tonsoris emplastrum, tum in sequẽs ex seminibus recipitur, ut & hic aptissima esse uideatur. Sed quum tamen in illis emplastris non ἰρίνου ἀλεύρα, sed ἴρεως simpliciter & ἰλλυρικῆς legatur, uisum fuit mihi hoc loco non ἰρίνου esse legendũ, sed αἰρίνου, quum lolio ut semini ἀλεύρα id est, farinæ appellatio potius conueniat quàm iridis radici, quanquam apud latinos Plinius sane omniũ rerum pulueres farinas appellare soleat. Habet autem tum lolium, tum iris uim calfactoriam & resiccandi, sed lolium iride amplius, iris autem magis tenuium partium existit. Sequitur paulò post aliud emplastrũ, in quo iridis illyricæ minæ quartam partem, hoc est, drach. XXV. conuerti, sed in græco codice drach. XXX. habentur, asterisco tamen adiecto, indice lectionis dubiæ & quam typographus nõ sit assequutus, hoc modo. ἴρεως ἰλλυρικῆς μνᾶς τέταρτον, ὅ ἐστι δραχ. λ. Videndum igitur de minæ pondere, ut inde ueram lectionem assequamur. Minæ itaq; triplices medicis græcis in usu fuerunt, Attica, Medica, & Alexandrina. Attica drachmarum centum fuit. Medica drach. CXXVIII. Alexandrina drachmarum. CLX. Si itaq; Atticam hoc loco accipere uelimus, minę quarta pars drachmæ. XXV. erunt. Si medicam, drachmæ. XXXII. Si Alexandrinam, XL. Videtur autem omnino mihi accipienda esse Attica Mina, cuius quarta pars hoc loco drachmæ. XXV. legendæ sunt hoc modo. ἴρεως ἰλλυρικῆς μνᾶς τέταρτον, ὅ ἐστι δραχ. κε. ita ut. ε. character sit elapsus. & κ. in λ. transmutatum, atq; huius coniecturæ meæ hanc rationẽ habeo. Totũ hoc pharmacũ ex rebus cõstat, quæ aut minæ põdere aut minę dimidiæ, aut minæ quartæ partis recipiũtur, preterq; piper, quod drachmarum XII. & dimidiæ pondere accipitur. Ex hoc itaq; coniecturam facio, drachmarum. XII. & dimidiæ piperis pondus, esse dimidium pondus quartæ minæ partis, & totius minæ octauã. Nam alias non tam exacte dimidiã drachmam ad. XII. drachmas addidisset, nisi drachmarũ XXV. hoc est, quartæ minæ partis medietatem uoluisset indicare, ut ita à mina integra ad octauam eius partem symmetria simplicium rerum in medicamẽtum receptarũ descendat ac progrediatur. Et iuxta talẽ plane modum Galen. ipse libro. 5. τῶν κατὰ γένη Icesij emplastrũ Critonis descriptione recensens, ipsumq; cum Heræ descriptione coferens, coniecturam facit, Minam ab ipso Critone drachmarum cẽtum usurpari, quum Heras centum drachmas pro mina exprimat, & consequenter ubi Crito minæ quartam partẽ habet, ibi Heras drach. XXV. scribat: additq; Galenus eodem loco dissensionem eorum qui de ponderibus & mensuris scripserunt, quorum ali-

qui

qui unciarum XVI. aliqui unciarum XX. minam prodiderunt, Sed tamen Critonem solere Minam centum drachmarum pondere usurpare, quæ uncias XII. & dimidiam efficiunt. Sed adscribam Galeni de hac re uerba, ex quibus tota res clarior reddetur. διαπεφώνηται δὲ τοῖς περὶ τῶν σταθμῶν καὶ μέτρων γεγραφόσιν, ὁπόσος ἐστὶν ὁ τῆς μνᾶς σταθμός, ἐνίων μὲν ἑκκαίδεκα λεγόντων οὐγγιῶν εἶναι τὴν μνᾶν, ἐνίων δὲ εἴκοσι, ἐνίων δὲ καὶ διορίζομένων, καὶ τὴν μὲν ἀλεξανδρινὴν εἴκοσι φασκόντων εἶναι οὐγγιῶν, τὴν δὲ ἄλλην ἑκκαίδεκα. καὶ τοῦτο μὲν ἔτι μικρότερον. ἀλλὰ τῶν εἰς δραχμὰς ἀναγόντων τὴν μνᾶν, ἔνιοι φασὶν ἑκατὸν εἶναι δραχμῶν, ἔνιοι δὲ πλειόνων, ἐπειδὴ καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναι φασίν, ἔνιοι δὲ. ζ. μόνον, ἕτεροι δὲ. η. τούτων οὕτως ἐχόντων, πόσων δραχμῶν χρὴ λογίσασθαι τὴν ὑπὸ κρίτωνος ἐγγεγραμμένην μνᾶν εἶναι, χαλεπὸν εὑρεῖν. φαίνεται δὲ καὶ ἐν ἄλλοις. ρ. δραχ. βουλόμενος εἶναι τὴν μνᾶν. καὶ εἴπερ τοῦτο οὕτως ἔχει, &c. expendit enim consequenter Critonis descriptionem cum Heræ compositione eo quo dixi, modo. Quod autem dicit Galenus, Quidam Alexādrinam unciarum XX. & aliam XVI. statuisse, uel ex Paulo Aegineta palàm fit, qui uice uersa Aegyptiam & Atticam unciarum XVI. facit, Romanam uero unciarũ XX. uelut suprà à nobis loco producto est ostensum: quanquam suspicor in Paulo ἰατρικὴ pro ἀττικὴ legendum esse, quum Galenus iam citato loco Atticam palàm centum drachmarum pronunciet, & aliam, quam Medicam accipio, unciarum sedecim. Nisi fortè nec ipsa Attica certo centum drachmarum pondere, hoc est unciarum XII. & dimidiæ ab omnibus fuit æstimata. Porrò sicut hoc loco secundum hanc coniecturam, minam Atticam accipiẽdam iudico, pondus uidelicet centum drachmarũ, Sic in alijs quibusdã pharmacis reliquæ minæ usurpantur, tum in his libris, tum in alijs, de comp. pharmacorum κατὰ γένη conscriptis, ut hac parte studiosos rei medicamentariæ diligentem æstimationem facere oporteat, quæ Mina singulis locis sit accipienda, atq; hac parte plerunq; etiam ipse Galenus nobis exemplo esse potest, exacte diligẽs uir in priorũ medicorum cõpositionibus expẽdendis.

Ex Archigenis secundo libro pharmacorũ secundum genus.] Inter hæc pharmaca habetur: Porrò per omne curationis tempus unam aliquã ex his potionibus ipsis propina, cotyledonis drach. I. scillæ aridæ mũdæ drach. I. in uino mulso diluto quotidie exhibe: sed in græco σκίλλης καθαρᾶς ξηρᾶς λίτραν α. legitur, pondere palam nimiũ aucto. Sed & cõsequenter ubi habetur, καὶ κνεώρου ἣν ἔνιοι χαμαιλαίαν καλοῦσι δραχ. γ. χυλίσας, &c. legendum est, ἢ κνεώρου ἣν χαμελαίαν ἔνιοι καλοῦσι χυλίσας, &c. ueluti conuerti. Quin & quod sequitur pharmacũ hoc modo. Optime facit & hoc, Cancri fluuialis sicci triti, pedibus ac eminentijs omnibus amputatis, drach. I. asari drach. I. misceto aqua ex ipso flumine unde cãcri extracti sunt, accepta: & propinato. Aliquando uero pro asaro, opobalsami par pondus additur. In græco sic habetur. κάλλιστα δὲ ποιεῖ τοῦτο. καρκίνου ποταμίου ξηροῦ χωρὶς τῶν ποδῶν καὶ χηλῶν λελειωμένου δραχ. α. ὀπίου ὀβολὸν. α. μίξας ὕδατι ἐξ αὐτοῦ ποταμοῦ ὅθεν οἱ καρκῖνοι, δίδου πίνειν. ἐνίοτε δὲ ἀντὶ τοῦ ὀπίου, ὀποβαλσάμου προσβάλλεται ἴσον. Pro ὀπίου itaq; ὀβολὸν. α. legendum est ἀσάρου. δραχ. α. Sic enim Aetius decimo, capite 36. legit: quanquam pondus utriusque rei, & cancri & asari, libra una sit expressum in Aetio, quod hic drachma una habetur rectius omnino, nisi in Aetio etiam de utraque libra singulas drachmas exhibendas esse accipiamus, quod omnino est necesse. Sed & Asari esse uim calfactoriam, urinam cientem, & ob id hydropicis commodam, Dioscor. & Galenus testatur, quæ uires in opio non sunt, pharmaco somnum cõciliante, & dolore sedante, quibus auxilijs hydropici non habent opus. Sequitur paulò post. Hydropicos in balneo cum sale & oleo illinendos esse, & solis testibus exudãtibus ablutis, educendos esse, primum linteis, deinde etiam reliquis amiculis contectos, hoc est ut in græco habetur. πρῶτον λεντίοις,

ἄτα τοῖς λοιποῖς πεδιλολαίοις συσκιάσας. Sunt itaq; λύντια hoc loco uoce latina ab Archigene usurpata, sed uocalibus syllabarum trāspositis, λύντια enim lintea ap pellantur. Vsurpat eam uocem etiā Constan. Cæsar lib.20.cap.22. λέα inquit ποιοῦσι κολλύρια καὶ πεδιλάμια ασπέρματα, ἢ λέντια ἄκρωσα. Hesych. πεδιλώματα exponit, quemadmodum etiam paulò post latina uoce usus est, φερνίτης ἄρτος, id est, fumaceum panem, edendum dare iubens. Quomodò autem furnaceus qui aliâs græcis ἰπνίτης est, à clibanite differat, alibi indicaui. Sed & uinum nigrum Italicum aut Spicatum hoc loco mox sequitur. Spicatum itaq; eum dicere puto, ex spica nardi factum, Nardites Dioscoridi lib.5. appellatum, & hydropicis uelut etiam alia eius generis, commodum ab eo proditum, quod ipsum paulò post Archigenes uinum Nardinum uocat: Nisi potius ἰταλικὸ pro σπικάτω legendum est, ut Hispanum uelut Italicum gentilitia appellatio existat.

Inflatos uero maxime locos, uesicis magnis probe inflatis quotidie continenter pulsato.] Hoc auxilium item Aetius 10.cap.29. prodit ex Herodoti & Archigenis autoritate. Meminit etiam Celsus.3.cap.21. Autoresq; multi sunt inquit, inflatis uesicis pulsandos tumores esse. Sequitur mox de Scarificatione talorum, & gestatione in lectica, quod in græco sic est. ἀιελὼν δὲ τὰ σφοδρὰ αὐτῶν, ἢ καὶ χαλᾶς ἐν φορείῳ αἰωρεῖ. Verum pro σφοδρὰ substituendum est σφυρὰ, & efficietur sensus quem ego expressi. Sequitur ad easdē affectiones, Confectio Biennij, quam ego hoc loco supposititiam existimo, ut quę ad sequentis capitis finem pertinet, ubi etiam rursus scripta habetur. Nolui tamen eam hic expungere, sed iuxta præscripti exēplaris itidem adscribere. Legitur autē infra cōfectio Breniti, id est, βρενίτε, hic uero Biēnij, id est, βιεννίε, altera lectione corrupta, uel fortassis utraq;. Nam infra lib.10.cap.1. βιεννίτε habetur de qua tamē nihil habemus quod pronūciemus, quū obscurus nobis sit hic autor, uelut etiā alij plerięq; in his libris citati, & sane ad autoritatis rationem non multū referre ad pharmacorū facultatem, iam sæpe dixi.

In Cap.IIII. De pharmacis dolorē sedātibus anodynis & Colicis appellatis.

Distinguit hoc loco Galenus inter pharmaca dolorem sedantia, duplicia existentia. Altera enim tussientibus commoda sunt, de quibus supra egit. Altera Colicis tantum conueniūt, de quibus hic pertractar. Est autem lectio uerborum quibus Galen. hæc dicit corrupta, quæ duplici modo restitui ac legi potest. Vel sic. ἃ μὲν ὂν τῶν ζιότων φαρμάκων σωθεὶς τοῖς βηχικοῖς ὀνομαζομέναις ἀλεξίσειν εὑρηνται. Vel sic quomodo etiam reddidi. ἃ μὲν οὖν τῶν πιότων φαρμάκων σωθεὶς ἐν τοῖς βηχικαῖς ὀνομαζομέναις δυνάμεσιν εἴρηνται.

Philonis Antidotus.] Hæc antidotus à Philone penitus ænigmatice uersibus elegiacis prodita est, quorum tamen sententiā ipse Galen. abunde declarat, ut hic me longiorē cōmentationem affuere nihil sit opus. Reddidi aūt eodem carminis genere eadē item ænigmatica obscuritate custodita, ad quam tamen æque ut ad græcam intelligendam, Galeni expositio sufficiēs existit, ad quā etiam hæc superaddam. Versu quarto pro δυσυσίν, quam nos difficile lotium reddidimus, uetus Interpres legit δυσεντερίαν. & sane utraq; lectio recta est, quum & ad dysuriam, & ad dysenteriam, antidotus hæc cōmodet, uelut etiam Marcellus medicus in empiricis cap.22. docet. Quare si dysenteriæ lectionem quis malit uersum quartum latinum nostrū sic legat. Siue lapis uexet, siue dysenteria. Decimus ex ordine uersus sic legendus est.

βῆχά τε καὶ πνιγμὸν, λύγγα τε καὶ κατάρρουν.   hoc est,
Tussim, singultum, destillantesq; fluores
 Sisto, etiam si quid strāngulet excipio.   Verum exemplar habet.
βῆχά τε καὶ πνιγμὸν, λύσσαν τε καὶ κατάρρουν.

Pro

Pro λύσσαν itaq; legendũ est λύγγα, quũ λύσσαν rabiei significationis, uersus non ferat. λύγγα autẽ itidem ut λυγμὸν dici, palàm est ex multis locis, Sed & Diosc.lib.5. de facultatibus uinorũ, Vinũ sincerũ immixtum natura austerũ ad λύγγα στομάχου facere dixit, Verum Interpres eius pro sua sapiẽtia dicit λύγγα pro singultu, hoc est, ἀντὶ λυγμοῦ nõ reperiri, Imò uocẽ λύγγα nihil significare, mutatq; temerarius lectionẽ, λύσιν στομάχου legendũ adstruẽs, magna suę ignorãtię proditione, quũ λύγξ γος, æquè ut λυγμὸς.οῦ. etiã in uulgatis græcorũ dictionarijs singultus significationem habere prodatur. Versu deinde 19. πυρώδεος legẽ pro πυρώδεος. Et 24. ἑνὶ pro ἑνὶ à uerbo ἑνόω, id est, unio. Reliqua recte habent. At uero quod dixi,

Inde Menœtiadæ occisoris ponito drachmam,
Qui pecoris densis uentribus excipitur. In græco est,

καὶ τρίτον ἐν τρώεσσι μενοιτιάδαο φονῆος
δραχμὴν τὴν μήλων γαστὴρ σωζομένην. Hoc est ad uerbum.

Et tertio loco conijce drachmã occisoris Menœtiadæ, id est Patrocli, qui occisor in uẽtribus ouiũ seruatur, estq; hic occisor nullus alius quàm Euphorbus, qui uidelicet Patroclum occidit, Homero 16. Iliados teste, uelut ipse Galenus declarat. Sed hic Euphorbus ænigmaticè pro Euphorbio positus est, quod uẽtribus ouiũ excipitur & seruatur. Menœtiaden autem uocat Patroclum patronymica appellatione, hoc est Menœtij filiũ, Sic enim Homerus ait. μενοιτίου ἄλκιμον υἱόν. Videtur tamen mihi in primo uersu, καὶ τρίτου potius quàm κ̓ τρίτον legẽdum esse, ut sit hæc sententia. & tertij inter Troianos occisoris Menœtiadæ drachmam ouium uentribus seruatam. Hoc est enim quod ipse Patroclus Hectori postremo suo occisori obijcit, quod uidelicet prius à deo Apolline, & uito Euphorbo læsus sit. Sic enim apud Homer. 16. Iliad. ait.

ἤδη νῦν ἕκτωρ μεγάλ' εὔχεο, σοὶ γὰρ ἔδωκεν
νίκην ζεὺς κρονίδης καὶ ἀπόλλων, οἵ μ' ἐδάμασσαν ἠηιδίως. Id est.

Nunc te iacta Hector, tibi quod uictoria cessit,
Qui Ioue sic iaceo facile atq; ab Apolline uictus. Et paulò post.

ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ λητοῦς ἔκτανεν υἱός
ἀνδρῶν δ' εὔφορβος, σὺ δέ με τρίτος ἐξεναρίζεις. Id est.

Sed me parca ferox, Latonæ & filius aufert,
Atq; uir Euphorbus, post quem tu tertius instas.

Estq; ipse Euphorbus hoc modo tertius occisor Patrocli à Philone dictus nõ ad ordinẽ, sed ad numerũ respiciẽte, Ioue tamẽ & parca, id est, fatis exceptis. Porrò quod Euphorbiũ per Euphorbum indicatũ, ouiũ uẽtribus excipere oporteat, itemq; seruare, etiã Diosc. lib. 3. tradit, Iubæ regis tẽpore inuentũ esse perhibens, Sed Galen. hic amplius Iubæ regi de Euphorbio libellũ paruũ scriptũ esse testatũ. Plin. Euphorbiũ ab Euphorbo Antonij Musæ fratre appellatũ, per ipsum Iubã regẽ Mauritaniæ tradit: eo enim medico rex usus est, uelut Augustus Cæsar Antonio Musa. Sic enim ait lib. 25. c. 7. Inuenit & patrũ nostrorũ ætate rex Iuba quã appellauit Euphorbiã, medici sui nomine & fratris Musæ, à quo diuũ Augustũ cõseruatum indicauimus. & addit. Iidem fratres instituere à balneis frigida multa corpora adstringi, &c. ut certum sit Euphorbiũ Musę fratrem, & utrosq; medicæ artis doctos fuisse. Cæterum uersus qui sequitur.

Viginti & drachmas candentis conijce flammæ, In græco sic habetur.

ἄλλας δ' ἀργυνόιο πυρώδεος εἴκοσι βάλλε.

Appellauit itaq; candentem flammam, ipsum piper album, à flammeo feruore quẽ habet, unde etiã πυρώδες ἀργυνόν, quasi ignitũ candidũ Philo dixit. Tria aũt piperis genera uulgò nota distinguit & Dioscor. & Galen. hoc modo, ut primus

germinantis fructus longũ piper sit, Verũ qui uelut immaturus fructus est, albũ piper est nigro acrius, quũ nigrum uelut superassatũ sit, & iam superresiccatum. Discordat tamẽ hac parte à Diosc. Galen. Diosc. enim τὸ δὲ μέλαν ἥδιόν τε καὶ δριμύτερον τοῦ λευκοῦ καὶ εὐστομαχώτερον habet. et paulò post. τὸ δὲ λευκὸν καὶ ὀμφακίζον, ἀσθενέστερον τῶν προειρημένων. Gal. uero 8. simp. phar. ὁ δ' οἷον ὄμφαξ καρπὸς, τὸ λευκόν ἐστι πέπερι, δριμύτερον ὑπάρχον τοῦ μέλανος, ἐκεῖνο γὰρ οἷον ὑπερωπτημένον ἐστὶν ἤδη καὶ ὑπερεξηραμένον. Itẽ hoc loco. ἔστι δὲ εὐστομαχώτερον καὶ δριμύτερον τοῦ μέλανος. Diosc. itaq; nigrũ piper acrius & stomacho gratius esse dicit: legitur tamen in exemplaribus uulgaris εὐστομάτερον, id est, ori gratius. Galen. uero contrà, album piper acrius & stomacho cõmodius prodit. Porrò quemadmodũ Philo piper album hoc loco ænigmatice πυρῶδες ἀργεννὸν dixit. Sic Andromachus senior in Elegiaco carmine, quo Theriacam ex uiperis describit, à Galeno primo libro de antidotis relato, idem piper album ἀγλαΐην appellauit, à nitore uidelicet quem habet. Sic enim ait.

καὶ λίβανον μίσγοιο, καὶ ἀγλαΐην στήσαιο
ἄμμιγα κυανέῳ κατθέμενος πεπέρει. Id est.

Thuraq; miscebis mox, aglaiamq; nitentem
Cum nigro mixtam iunxeris hinc pipere.

Quod ipsum tamẽ neq; à Galeno animaduersum esse, meritò mirũ uideri debet, qui aliàs ad unguem singula quæ in eius Theriacæ cõpositionem recipiũtur expendit, collatione eorũ carminũ ad pedestrem Andromachi Iunioris descriptionem, & ad uulgatã usq; ad eius seculum cõponendi rationẽ facta. Hos enim uersus exponens inquit, nõ quærere oportere de aglaia, tanq̃ alterius alicuius pharmaci nomen sit, quũ neq; in pedestri iunioris Andromachi descriptione, neq; in ea quæ ad eius ætatẽ per successionẽ peruenit, alicuius pharmaci nomẽ aglaia reperiatur, & ea omnia quæ hoc pharmacũ sex drachmarũ pondere recipit, consonè tum seniori, tum iuniori Andromacho sint relata, & omnino nihil extra illa additũ sit, ad quod Aglaiæ nomen referendũ quis putet, ut fortassis aglaiam epitheton thuris, elegiæ autori apponere uisum fuerit. Sic Galen. de aglaia Andromachi iudicat. Sed adscribam ipsa uerba studiosis rei medicamentariæ diligentius trutinanda. ἐφεξῆς δὲ γράφοντος τοῦ Ἀνδρομάχου, καὶ λίβανον μίσγοιο, καὶ ἀγλαΐην στήσαιο, τὴν ἀγλαΐην οὐ χρὴ ζητεῖν ἡμᾶς, ὡς ἄλλου τινὸς φαρμάκου ὄνομα, διά γὰρ τῆς πεζῆς γεγραμμένης τῷ νεωτέρῳ Ἀνδρομάχῳ συνθέσεως τῆς ἀντιδότου, καὶ διὰ τῆς ἄχρι νῦν εἰς ἡμᾶς καθηκούσης παραδόσεως, οὔτε φαρμάκου τινὸς ὄνομά ἐστιν ἡ ἀγλαΐα, καὶ τὰ ς. δραχμῶν ἕλκον τῷ σταθμῷ τὸ φάρμακον πάντα συμφώνως εἴρηται, τῷ τε πρεσβυτέρῳ καὶ τῷ νεωτέρῳ Ἀνδρομάχῳ, καὶ οὐδὲν ἔξωθεν ἐκείνων πρόσκειται, καθ' οὗ τὸ τῆς ἀγλαΐας ὄνομα λέγεσθαι τις ἡγήσεται. ὡς ἴσως τὴν ἀγλαΐαν ἐπίθετον τοῦ λιβάνου τῷ συντιθέντι ἐλεγείαν ἔδοξε προσθεῖναι. His itaq; uerbis Galen. planè indicat Aglaiam nullius pharmaci nomẽ esse, & ne quærendũ quidẽ de ea censet, satis absurdo dicto, ab eo qui aliàs omnia ita studiosè rimatus: neq; minus absurda suspicio est, thuris epitheton aglaiã opinari, ut meritò de hoc loco admirari possimus, adeò supine ab ipso explicato. Nos itaq; omnino rem inquirendã, & quidẽ attetius duximus, & sanè repertã etiam nobis feliciter speramus. Aglaiam enim Andromachus senior nihil aliud quàm piper album, uelut dixi, appellauit. piper autem album aliàs in uersibus Andromachi non habetur, quum tamen iunior Andromachus ipsum ponat, sed ita ut hac parte uarient hæ huius antidoti descriptiones, aliàs nulla re differentes, quod uidelicet senior piper longum in principio XXIIII. drachmarum pondere posuit, & eo loco pro eo Iunior piper nigrum habet eodem pondere: hoc uero loco inter res quæ sex drachmarum pondere recipiuntur, senior album & nigrum piper posuit, Iunior uero album & longum retulit, ita ut diuersitas tãtum in nigro

in nigro & longo pipere sit, quorũ alterum alter. XXIIII. drachmarũ pondere, alter sex recepit. album uero in utroq; inter res sex drachmarũ pondere ammixtas habetur, & ἀγλαΐα à seniore appellatur. Cæterũ reliqua in Philonis antidotum recepta sufficienter ab ipso Galeno explicantur, & ex collatione uersionis nostræ intelligi possunt. Verũ Natarũ tauri texturã, hoc est, νᾶμα θυγατέρων ταύρων, dixit ipsum mel, propterea quod ex putrescentibus tauris apes generantur, quæ mel rexunt ac conficiunt, quod etiam Nicander in Theriacis testatur hoc uersu.

ἵπποι δὲ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν. hoc est.

E tauro nascuntur apes, uespæq; caballo.

Idem tamẽ uersus in primo epigrammatum græcorũ ex Pallada citatur. A Mar. autem Varrone lib. 3. de re rust. ad Archelaum refertur. Verum quomodo hæc apum generatio ex bubulo corpore putrefacto fiat, luculentiss. docet Constant. Cæsar de agricultura lib. 15. cap. 2.

De Colicis pharmacis ab Andromacho conscriptis.] Inter hæc Colica pharmaca habetur, Colica Cassij, cuius descriptio põdere tamen uariante, est itẽ apud Scriboniũ compositione. 119. Sequitur postea, Colica admirabilis qua utor, cuius descriptio est genuina Philonis, quomodo etiam Aetius eam habet. Verum pondus in ipsa duplicatum est ad superiorẽ in elegia descriptionem. Deinde ὀπίου δραχ. ς. in græco habentur, quum ὀπίου δραχ. κ. legendum est, uelut conuerti. Non longe post sequitur, Colica ut Scribonius, quam iuxta exemplaris præscriptum reddidi, sed non integram, ut apparet ex descriptione Asclepiadæ non longe post sequente. Quin & quod continenter ab eo sequitur pharmacum. Colica qua utebatur, præscriptum habens, non integra est, quæ itidem ut prior, postea integra inter Asclepiadæ pharmaca refertur.

Quæ Asclepiades ad coli affectus prodidit.] Inter medicamẽta Scribonij Largi pharmacũ antea ab Andromacho relatum continetur, sed integrius quàm supra uelut dixi, ut uel ex Aetio apparet, qui. 9. cap. 31. penitus eandẽ descriptionem ad uerbum habet. Verũ in Scribonij libello latino uulgato hæc compositio non habetur, neq; hac, neq; superiori descriptione. At uero quæ paulò post sequitur, Paccij Antiochi cõpositio, in eo ipso Scribonij libro continetur, compos. 122. sed tam longis uerborum inutilium ambagibus, ut uel inde appareat libellum eum à Scribonio non esse latine conscriptũ, sed ab aliquo translatũ qui forte de suo aliqua adiecit. Aetius iam citato loco descriptionẽ hanc nostrã habet in paucis euariantem. Porrò quod dixi uino falerno per saccũ nõ excolato affuso, in græco est, οἴνου ὧδ᾽ ἐμβαλλομένου φαλερίνου ἀδιϋλίστου. ἀδιΰλιστον itaq; non defecatum est, & non excolatum, quod per saccum fieri solebat, & ob id σακκίζειν appellabatur, uelut alibi memini. In Scribonij libello, hoc ipsum uinum falernum non saccatum uocatur. Aetius tamen falernum mari mixtum accipere iubet.

In caput. V. de dysentericis.

SVprà libro 8. cap. 6. Galenus indicauit qui propriè hepatici appellarentur, quo loco etiam id à nobis additum est, plerosq; falli qui hepaticos pro dysentericis agnoscunt. Quare etiã hoc loco Galen. ueros dysentericos esse ait, in quibus neq; hepar affectum est, neq; alia affectio adest, præterquam ulceratio intestinorum uel nuda uel cum putrefactione depascendo proserpente, nome græcis appellata. Cæterum signa dinotionis fluxus hepatici ab excretione dysenterica, longius ab Aetio serm. 9. cap. 43. & Paulo. 3. cap. 42. produntur. Galen. uero ea ipsa hic reliquit, ut qui propositũ habeat, nõ ipsas affectuũ dinotiones docere, sed rei medicamentariæ cõpositionem affectibus cõmodam præscribere: quanq;

neque duodecimo methodi, cuius hic meminit, illam partem fusius tractarit. Vox ipsa δυσεντερίας, malignam intestinorū affectionē indicat. Unde etiā latini Tormina intestinorū dixerunt, neutra appellatione satis indicante ipsius morbi affectum ulcerosum.

Quæ ab Andromacho ad dysenteriā scripta sunt.] Recenset Andromachus confectionē ex ordine secundam ex fructibus constantem, sed cuius descriptionem corruptam haud facile sit restituere, quòd hi fructus quos in hoc pharmacum recipiendos censet, nobis non extent, & ne nominibus quidē satis noti sint. expendemus tamen omnes diligenter quorū antea in his cōmentarijs non meminimus, ut aliquam saltem cognitionē adipiscamur. Et primū quidem uidebimus quæ sint sorba Ephetina ab ipso appellata, quorum duos sextarios recipere iubet, habet enim οὔων ἐφετινῶν. ξ. β. Videtur itaque nobis ἐφετινῶν uox corrupte legi, & pro ea aut ἐφεσινῶν substituendū esse, ut patriam intelligamus esse appellationem: quanquam de Sorbis Ephesinis me nusquā legisse meminerim: aut ἐφεκτικῶν, ut accipiamus sorba cohibentia, aluū uidelicet fluxiones: hanc enim uim præcipue habent, ob τὴν σύφουσαν in ipsis facultatem. ita ut ἐφεκτικῶν uox idem quod σταλτικῶν significet. Verum ut hanc in ipsis facultatem esse cognoscamus, & qui sint fructus sorba appellata discamus, locū de his ex 2. libro Galeni de alimentis adscribemus, ubi de mespilis & sorbis simul agit, his uerbis. καὶ τούτων ὁ αὐτὸς λόγος ὅσπερ τῶν προειρημένων. στύφει μὲν γὰρ ἄμφω, πολὺ δὲ μᾶλλον ὅσον τε μέσπιλα, διὸ καὶ συμφερώτερον ἐδέσμα ὅτι ῥεούσῃ γαστρί. ἀηδῆ δ' αὐτῶν πρὸς ἐδωδὴν τὰ οὔα, τὴν ἀρχὴν γὰρ οὐ τι στρυφνὸν ἔχει τοῖς μεσπίλοις ὅμοιος, ἀλλ' ἐστιν ὁ κατ' αὐτὰς χυμὸς αὐστηρὸς, οὐδὲν τοῦ στρυφνοῦ ἔτι. Plinius porro lib. 15. cap. 21. quatuor sorborum differentias siue genera facit, & de quarto sic inquit. Quartū genus Torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduū prouētu, minimūque pomo, &c. Quod itaque Torminale uocari Plin. dicit, uehementer suspicor id esse genus quod Andromach. hoc loco ἐφετινῶν appellauit: ut quemadmodū Ephectīcorum appellatio à sistenda aluo est, sic Torminalium à commoditate quam torminosis, hoc est dysenteritis exhibet, sit deducta. Reddidi tamen Ephesinorum appellationem, non quidem asserens sic esse legendum, sed in medio relinquens ancipitem lectionem, nullius iudicio hac parte præscribens. Sequuntur mox in eodem pharmaco pira Terentiana xx. hoc est ἄπιοι τερεντιανοί. κ. Sed & hic dubito an Terentiana pira rectè legantur, quum Plinius in pirorum nomenclaturis explicandis diligentissimus, Terentianorum pirorum mentionem non faciat. Suspicor itaque Tarentina legenda esse, hoc est ἄπιοι ταραντινοί. Plinius enim libro 15. capite 15. inter pira quæ patriæ nomina habent, græca & in his Tarentina recenset. Nisi forte apud Plinium Tyranniana pira falsò pro Terentianis legantur paulò ante hunc locum, ubi ait, Sed confessis urbis uocabulis autores suos nobilitauere Decimiana, & ex eo tractum quod Pseudodecimianum uocant. Dolobelliana longissimi pediculi, Pomponiana cognomine mammosa, Liceriana, Seueriana, & quæ ex his nata sunt Tyranniana, longitudine pediculi distantia. Sequuntur mox Mala Cestiana xxx. de quibus alio loco dixi, sicut etiam de siliquis, id est, κερατίοις quæ mox sequuntur. Sed in græco exemplari falsò habetur, μῆλα. ὧν ἄλλω κυδώνια κεστιανὰ. λ. pro quo ego legendum censeo, μῆλα κεστιανὰ. λ. de cotoneis enim antea meminit. At uero quemadmodū in hoc pharmaco Sorba Ephesina, & pira Terentiana, nobis obscura & ignota leguntur, Sic in sequenti mox pharmaco item ex fructibus constante, & appellato, Mala Hermiblaca nobis ignotissima habentur, quādo sanè inter tot malorum nomina, neque ipsorum Plinius mentionem facit. Habemus tamen fortissimā suspicionem ex characterū similitudine, Orbiculata hoc

lata hoc est ὀρβίκλατα pro ἑρμίβλακα legendum esse. Hæc enim Plinius ait ex figura orbis in rotunditatẽ circũacti, esse appellata, additq́;. Hęc in Epiro primũ prouenisse, argumento sunt græci, qui Epirotica uocant. Quare etiam ἠπειρωτικὰ pro μῆλα ἑρμίβλακα legẽdum esse, cuipiam uideri possit. Sed ego cõiecturas meas indico, nihil definio. Quod si uero pharmacũ hodie nobis parandũ esset, tum pro malis Hermiblacis appellatis, tum pro piris Terentianis, ex malorũ ac pirorũ genere multũ adstringentia accipere nõ dubitaremus, quũ in his non aliud spectetur quàm adstringẽdi facultas, per quã dysentericis fluxionibus, eas sistendo, mederi possunt. Porrò hi fructus nõ solum dysentericis fluxionibus cõmodant eas restringendo, Verũ etiam cibum nõ cõtinentibus cõmode in cibo exhibentur, stomachi adstringẽdi ac corroborandi, itemq́; proritandi gratia, uelut Scribon. numero uulgatæ editionis 104. tradit, qui locus quũ sit corruptissimus, in studiosorum gratiã à nobis adscribetur restitutus, nõ quidẽ ex cõiectura, quã tamen partim adhibuimus, sed iuxta Marcelli medici præscriptũ, qui hunc locum sicut plerosq́; alios, ex Scribonio mutuatus est, cap. 20. Sic itaque utrobiq́; legendum est. Atq́; ita uarietate ciborũ & perunctionis stomachum proritare, ita ut reficiãtur halica ex mulso, aut malorũ cydoneorũ succo, uel ex granis punicis facto, aut si quos magis delectabit, frigida posca, secundũ quæ sumpta & hapala proderunt oua, & intubi cocti, uel nõ cocti ex aceto dati, itemq́; lactucę, & caules haplosiles ex posca decocti, aut ungula porcina excocta & madida: uulua quoq́;, & murices, & pelorides plurimũ iuuant, & pomorũ pręcipue sorba, & mala orbiculata, & pira scauriana, crustumina, signinaq́; in olla reposita, Item prosunt uuæ ex olla sumptæ, &c. At uero Scribonij corrector admonuit pro uulua, Volema pomorum legendũ esse, ex cõiectura ut apparet, inductus ut de Volemis piris appellatis Virgilio & Catoni, poma faceret, memoriæ uidelicet lapsu, eiusdem deinde coniecturæ cõfidentia, Scandiana legisse uidetur, nimirũ pomorũ Scandianorũ apud Plin. & Columel. respectu. Verũ in Marcello à nobis inuulgato, Pira Scauriana eo loco apertè habẽtur, quorũ tamen mentionẽ Plinius nõ facit, nisi Seueriana pro his supposita sunt apud Plin. aut cõtra Scauriana pro Seuerianis apud Marcellum. Cęterum caules Haplosiles pro teneris rectè legi apud Marcellum, & legendos esse item apud Scriboniũ, nõ dubitandũ existimo, quũ lectio Scribonij uulgata facile potuerit ex hac uera nõ intellecta fieri. Dixerunt autẽ Haplosiles gręca uoce in latinã formã reducta, pro Hapalis uidelicet, quomodo etiã oua Hapala, quàm tenera aut mollia, uocare maluerũt. Sunt porrò Haplosiles caules, idẽ qui & prototomi, & asparagi appellantur, uelut etiã alibi in his cõmentarijs indicauimus. Et sanè nõ leue argumentũ ex eo habemus, quod non longe post eandem diætam repetens Marcellus, Edulia inquit, quoq́; prosunt hęc, Intubi, lactucæ ex aceto, brassicæ, &c. brassicas enim hic quas suprà Haplosiles caules dixit.

Infusa dysentericis cõmoda.] Inter hæc infusa Faustianũ habetur, quod non aliud est quàm ex pastillis Faustini cõstans, quorum descriptio eodem planè modo ut hic, habetur apud Aetiũ serm. 9. cap. 49. & Paul. lib. 7. ponderibus tamen aliquantulũ uariantibus, rebus nihil mutatis. Quod aũt dicit hic Andromachus, infundendũ esse cum plantaginis succo, in quo spissamẽta incocta sunt, Per spissamenta sanè accipiẽda sunt pharmaca adstringendi ui prædita, uelut est rubus, myrtus, flores mali punici, folia salicis, coma cupressi, Rhus, radix symphyti, & alia huiusmodi quæ in plantaginis succo incoquenda esse hic dicit. Aetius uero non plantaginis succo hæc incoquenda esse prodit, sed eorũ decoctum simplex ex aqua accipiendum, & cum ipso pastillum infundendum. Sequitur mox, Infusum quo utor Athenæi, cõcordans Harpocræ, Magno Philadelpho, Aristolao, &c.

lao, &c. Hoc itaq; infusum cõcordare ait cũ infusis siue pastillis infusilibus Harpocræ, Magni Philadelphi, Aristolai, Horum autem descriptiones habẽtur partim apud Aetium, partim Paulum locis iam citatis.

Si uero non moretur pharmacũ retentum, ante eius usum polygoni succũ aut muriã infundito.] Hæc uerba sic habentur in græco, ἐὰν δὲ βραδύνῃ, προένεις πολυγόνου χυλῷ ἢ ἅλμῃ. Lego autem sic, ἐὰν δὲ μὴ βραδύνῃ, uel ἐὰν δὲ μὴ κρατέῃ. Quod autem Muria præsertim oliuarum albarum hunc usum præbeat, itemq; sal ammoniacum, etiam Aetius 9. cap. 49. docet, eodemq; loco testatur, Quod si quis infusum non contineat, sed statim ipsum reiectet, omnino morti propinquum esse iudicandum, ueluti sæpe se expertum asserit.

Infusum quo utor Aphtha appellatum.] Hoc infusum siue pastillus infusilis planè is pastillus est qui διὰ φελλῶν ab Aetio & Paulo appellatũ, propterea quod suber recipit, Sicut ἄφθα appellatio indita ex eo uidetur, quod ἀφθαῖς, id est, ulcerationibus penitus inflãmatis & incensis confert. Variant tamen aliquantulum descriptiones. Nam λευκίδων κεκομμένων pro κεκαυμένων in Galeno falsò legitur, sicut etiã φελλοῦ κεκαυμένου δραχ. νε. falsò pro δραχ. λε. habetur, ueluti ego reddidi. Rhoem itẽ Syriacum neq; Aetius, neq; Paul. habet. Aetius autem & omphacij drach. IIII, & fecis uini ustæ drach. V. habet, quorũ neutrum Andromachus aut Paulus ammiscet. Nam quod in Paulo σφελλοῦ κεκαυμένου legitur, φελλοῦ κεκαυμένου legendum est, aliàs pharmacum διὰ φελλῶν appellationẽ non ferret, si φελλὸν nõ reciperet. Iubet aũt Aetius φελλοῦ ἐκ κεραμίου οἴνου παλαιοῦ κεκαυμένου, id est suberis ex uase siue dolio uini ueteris accepti ac usti, accipere: cuius usum item Paulus ad eruptionem sanguinis ex utero præscribit lib. 3. cap. 62. ὁμοίως δὲ inquit, καὶ τὸν φελλὸν τὸν ἀπὸ τοῦ ἰταλικοῦ κεραμίου, καυθέντος αὐτοδία ἀρήγει προστιθέμενον. Meminit & Plinius lib. 24. cap. 4. Quod autem suberis usus in dolijs ac cadis obturandis fuerit, Plin. lib. 16. cap. 8. declarat his uerbis. Vsus eius ancoralibus maxime nauium, piscantiumq; tragulis, & cadorum obturamẽtis, præterea in hyberno fœminarum calceatu. Quamobrem non infacete græci cortices arborũ appellant. atq; hanc quidem lectionẽ magis probo, quàm quod quidã corticis arborem legunt. Est enim maior facetia in eo quod suber arbor per se, arborũ cortex appellatur, quàm si suber corticis arbor dicatur. Puto autem Pliniũ apud grecum aliquem scriptorem legisse, φελλὸν appellari item δενδρόφλοιον, quę uox arborum corticem significat. Nisi φελλόδρυν insinuasse potius putandum sit. Nostra certè lingua suber corrupta ex cortice uoce, Corck appellatur. Sicut calceamenti genus quoddã, soleam ex subere habẽs, Pantophellum uocamus, corrupta ex græcis uoce, qui πατηφελλόν, ἀπὸ τοῦ πατεῖν τὸν φελλόν, hoc est ab eo quod calcetur suber, nuncupauerunt. At uero quem Andromachus in hoc pharmaco panem Alexandrinum appellat, Aetius & Paul. simpliciter ἄρτον ξηρὸν κεκαυμένον dicunt. uidetur itaq; Alexandrinus ab ipso Andromacho probari, quem ego nauticum accipio, & quem hodie nautæ biscoctum appellant. Est enim is uehementer siccus ob duplicem uidelicet cocturã, per cuius beneficiũ etiam à carie & mucore illæsus, per multum tempus asseruatur. Ceterũ uelut hic panis recte bis coctus est, & appellatur, Sic non recte apud Galenum 7. Meth. aqua biscocta legitur, & reddita est ab interprete Linacro, uelut alibi in his commentarijs ostendi. δεκοκτα enim legendum est, & non δισοκτα uel δικοκτα, accipiendáque decocta, de qua à se inuenta; Nero in extrema rerum desperatione, aquam ex subiecta lacuna potaturus, hauriens dixit, Et hæc est Neronis decocta, Suetonio in uita eius autore. Verum quum ille ipse Galeni locus non hac parte tantum corruptus sit & obscurus, eum denuo adscribam totum, & exponam hoc loco, quum nullo alio id fieri

fieri cōmodius potuerit in his commentationibus. ἐθεάσω γοῦν καὶ σύ τινας μετ' ἡμέρα μιᾶ, μᾶλλον δ' ὥρα ψυχροῦ πόσει θεραπευθέντας, ὧν ἐνίοις μὲν οὐ μόνον τὸ πρόσφατον ἔδωκα πηγαῖον, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ χιόνος ἐψυγμένον, ὡς ἐν ῥώμῃ σκευάζειν ἔθος ἔχουσι, προθερμαίνοντες τὴν κατασκευήν, ἣν αὐτοὶ προσαγορεύουσι διεκόκταν. ἐδέσματά τε τὰ οὕτως ἐψυγμένα πολλάκις ἐθεάσω συγχωροῦντά με λαμβάνειν αὐτοῖς, ἐν οἷς ἐστι καὶ ἡ μέλκα, τῶν ἐν ῥώμῃ καὶ αὐτῶν ἐν εὐδοκιμούντων ἐδεσμάτων ὥσπερ καὶ τὸ ἀφρόγαλα. Hæc uerba sic reddidit Linacer. Vidisti igitur & tu quosdam uno die, uel potius hora, frigida potione leuatos, quorum alijs non aquam modo dedi fontanam recentem, sed etiam quæ niue esset refrigerata, uelut Romæ præparare solent, præcalfaciēs scilicet prius, quam ipsi biscoctam appellant. cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere uidisti, in quibus est & quam melcam uocāt, unus is quoq; Romæ laudatorum ciborum, ueluti etiam aphrogala. Primum itaque biscoctam pro decocta falsò legit, & uertit. Deinde Melcam appellatam non explicauit qui cibus esset, quum tamen alias obscuriorum uocum declarandarum gratia, quædā interserere soleat, extra græci exemplaris præscriptū. Videtur autem Romanam uocem putasse, quod tamen Galenus nō dicit aperte, nisi quod quum inquit esse & hoc unum ex laudatissimis edulijs Romæ, uideri potest Romana appellatio esse. Cæterū in libro περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας Galenus apertis uerbis prodit Melcam Romanam uocem esse, eiusq; cibum æstatis tempore conuenire, quamquā non ex toto usum eius multum probet, his sanè uerbis. καὶ σικύς δὲ καὶ πέπονος οὐ πολὺ προσενέγκασθαι τηνικαῦτα, καὶ μηλοπέπονος ἔτι τε τῶν πραικοκκίων ὀνομαζομένων ἢ περσικῶν ἐγχωρεῖ, καθάπερ γε τῆς καλουμένης παρὰ ῥωμαίοις μέλκης ἐψυχρισμένης ἀφρογάλακτός τε, καὶ τῶν διὰ γάλακτος ἐδεσμάτων. Hoc itaq; loco Galenus Romanā uocem esse Melcam apertè dicit, & quum amplius eam cum aphrogalacte, id est, lactis spuma, & alijs ex lacte edulijs proferat, Melcam ex lacte edulium esse ostendere uidetur, quod ipsum etiam Paulus libro. 3. cap. 37. testatur, ubi eis qui ex calida intemperie cibum fastidiunt, refrigerantes cibos exhibere iubens, inter eos etiam melcam recēset, quam obsonium ex lacte esse ipse exponit. Sed adscribam eius uerba. τοὺς μὲν οὖν διὰ θερμὴν δυσκρασίαν ἀνορεκτοῦντας διὰ τῶν ἐκψυχόντων διαιτᾶν, καὶ μάλιστα τῶν δι' ὄξους. ἄρτον τοίνυν ἐξ ὀξυκράτου διδόναι τούτοις, καὶ αὐτὸ πίνειν τὸ ὀξύκρατον, τό, τε ὀξύγαλα, καὶ τὴν παρὰ ῥωμαίοις καλουμένην μέλκαν, ἔστι δὲ ὄψον τὸ διὰ γάλακτος. Videtur itaq; nobis Paulus μέλκαν ex Galeno transcripsisse, & tanquam per se refrigerans pharmacū prodidisse, quod tamen Galen. non dicit, sed Melcam & reliquos cibos per niuem refrigeratos se obtulisse in calidis intēperaturis: ut ex Paulo asserere nequeamus, μέλκαν apud Galenū rectè legi, aut si rectè legitur, adhuc integre intelligere nequimus, qui cibus sit qui ab utrisq; indicetur, quū Melca uox nullū eduliū siue ex lacte, siue ex alijs rebus cōstans, latinis significare reperiatur. quare hic locus nō immeritò nobis est suspectus. Apud Germanos certe Melca uox lactis significationē habet: quanq; ex græco ἀμέλγειν facta uideri potest, Sed Galen. & ex eo Paulus, Romanam uocē esse dicunt, quod mirū uideri debet, quū nemo ex latinis scriptoribus ante Galenū aut post, quod sanè sciā, Melcā uocē ullius alicuius rei significatiōe usurparit. Quare quid de hoc sentiā, studiosis æstimādū in mediū proponā. Aut igitur Melca uox est nō quidē latina, sed ex Germanis mutuo accepta, quę Galeni tēpore Romanis in usu esse cœpit, pro edulio ex lacte cōstante aut solo, aut etiā uino addito, itēq; ouis, & fortè pro hoc ipso q̄d etiā hodie Menestrā, & quibusdam, ut audio, locis adhuc melcā per Italiā appellant, ut sic eius uocis ut uulgaris & barbaræ, nemo latinus mētionē fecerit. Aut pro melca legendū est meta, latina uox edulij cuiusdā ex lacte significatione, sed appellatione ex formę similitudine

facta

facta quam hoc edulium ex presso lacte, ad metæ ac turbinis inuersi similitudinem habet. De hoc Martialis lib. 1. Rustica lactantes nec misit fiscina metas. & lib. 5. de uilla Faustini.

Nec uenit inanis rusticus salutator,
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis Sassinate de sylua.

Porrò metæ uox Germanis item in usu est etiam hodie, pro eiusmodi edulij genere, sed s litera amplius ad caput uocis adiecta, Smetam enim metam appellant, præsertim apud Missinenses, quibus hic cibus est familiaris. Cæterum ut Metam non esse legendum putem, sed melcam uocem rectam & genuinam his locis legi opiner, Constantinus Cæsar facit, qui libri. 18. de agricultura fine, Melcam ex Paxamo sic fieri prodit. μέλκης σκευασία σύνθεμα, παξάμου. ἡ καλουμένη μέλκη αὐτοσχέδιος καὶ καλλίων ἔσται, εἰ κεραμαίοις ἀγγείοις καινοῖς ὄξος ἐμβάλῃς δριμὺ, καὶ ὑποθῇς αὐτὰ θερμοσποδιᾷ, ἢ πυρὶ μαλθακῷ, τουτέστιν ἐπ' ἀνθρακιᾶς, καὶ ἐὰν ὀλίγον ἀναζέσῃ τὸ ὄξος, ἵνα ἀπὸ τῶν σκευαρίων ἀναποθῇ, ἑλκύσας ἀπὸ τῆς ἀνθρακιᾶς, εἰς τὰ αὐτὰ σκευάρια βάλλε γάλα, καὶ θὲς αὐτὰ εἰς κιβωτάριον, ἢ μαρμάριον, ἢ ἔνθα ἀκίνητον μένει, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἕξεις πολλῷ καλλίους μέλκας τῶν πολλῇ τέχνῃ κατασκευαζομένων. τὰ μέντοι σκευάρια μετὰ πρώτην ἢ δευτέραν χρῆσιν ἄλλασσε. Ex quibus uerbis apparet Melcam simpliciter lac esse in feruentes ollas, quæ acetum ebulliens absorbuerunt, infusum ac repositū, atque sic acetosum redditū, ut fortassis non latina hæc uox sit, sed græca Asiæ familiaris, ex qua etiam Germani suam lactis appellationem deductam habent. At uero possit aliquis per Melcam, ipsam lactis spumam accipiendam esse suspicari, nisi de hac cōsequenter ab illa utroque loco indicato, mentionē fecisset Galenus, ἀφρόγαλα ipsam appellans. Hanc uero lactis spumā, hoc est concretionem lacti superstantem, Nicander in alexiphar. ad ixiæ uenenum in potu probat, sic inquiens.

ἠὲ γάλακτος . πηγνυμένου κορέοιτο νεημέλκτου ἐνὶ πέλλῃ. Id est,

Aut concrescente superne Lacte satur fiat, quod mulctra calens retinet dum.

Nihil enim aliud eum innuere quàm lactis spumā aut adeò ipsum lac, ex eo clarum est, quod Dioscorides, Aetius & Paulus eo loco, simpliciter γάλακτος uocē habent. ut ridiculus sit hac parte, uelut toto ferè opere exponendo, græcus eius autoris interpres, qui caseum recens coactum à Nicādro indicari tradit. Sed & ex Plinio apparet: quāquam uiscum pro ixia falsò reddiderit, & lactis genus ad speciem asinini lactis contraxit, libro 28. cap. 10. sic inquiens. Asinino lacte poto uenena restinguuntur, peculiariter si hyoscyamū potum sit, aut uiscum, aut cicuta, &c. Porrò admonuit me nuper multæ lectionis & experiētiæ uir Gulielmus Reyffenstein ἀφρόγαλα quod spumam lactis dixi, ita ut hac appellatione concretionem lacti uelut spumam superstantem intelligam à Galeno indicatā, hoc est pingue & opimum, quod etiam ἐπίπαγος appellari potest: sibi non uisum esse ea significatione à me dictum in uersione Aetij, sed existimasse se per spumā lactis, ipsum uidelicet aphrogala, me indicare lac ex multa concussione adeò spumescens redditū, ut ferè nihil nisi spuma uideri queat: sic enim in quibusdam locis cōquassare solent. & sanè scrupulum iniecit mihi hac sua opinione, ut etiam ipse dubitare cœperim, an ne Galenus per ἀφρογάλακτος uocem potius hoc spumosum lac indicare uoluerit, quàm quod spumam lactis ego dixi. Certe nusquam apud Galenum, aut aliquem alium græcum medicū explicatum reperio, quid propriè ἀφρόγαλα significet, sicut neque rei rusticæ scriptores latini Cato, Varro, Columella, Palladius, Plinius de eo meminerunt: ex græcis enim nullum superesse scio, quū tot citentur à Varrone & Columella, adeoque Constantino Cæsare, quem solum græcum mihi uidere contigit: sed tamen neque hic ἀφρόγαλα quid sit

prodit

prodit, quum Melcam ut fieret diligenter uelut indicaui, prodiderit: aliâs quod ad usum attinet, in quem à medicis græcis præscribitur, nihil refert utrum porrigas, spumosum ne concussione redditum, an spumā etiam inconcusso superstantem, nimirum ad calidam uentriculi intemperaturā per hæc refrigerata corrigendam. Quem usum præstare possit etiam oxygala, à Columella ac Plinio quomodo fiat descriptum, ut melca ex Constantino à me recitata eius species quædam uideri queat. At uero ᾠόγαλα quod lac ouis permixtū reddidimus, cibus est dysentericis commodus, tum ab Aetio 9 cap. 45 tum Paulo 3 cap. 42 proditus, ad acredinem humorum cōtemperandam, supra nutrimentum quod abunde inde corpori accedit: quare etiam ut resocillandis uiribus defectis congruens, ab eodem Aetio 11 cap. 18 præscribitur. Sed satis euagatum est, ad propositum itaque pharmacum reuertamur, in quod panis Alexandrini sicci usti drach. XV recipere iubet, hoc est nautici bis cocti uelut ego accipio. Recipiunt porrò & gallarum ustarum, id est κεκαυμένων drach. XV in hoc pharmacū iuxta Pauli & Aetij præscriptum. Verum hoc loco Andromachi κεκομμένων, id est tusarum habetur, facili lapsu ob uicinitatem uocum: quare & nos ustarum cōuertimus, quum etiam reliqua usta recipiantur, & Aetius ac Paulus ita præscribant, quos sequuti etiam suberis usti drach. XV reddidimus, licet φελλοῦ κεκαυμένου δραχ. ϛ. exemplar Galeni habeat. Sed & hic facilis est lapsus ϛ. pro ιε. substituendi.

Infusum Nicostrati ad dysentericos quo Menander usus est.] Ad finem huius infusi ait, res quæ in ipsum recipiuntur in pastillos cogendas esse cum uino, eosq; reponēdos reliquijs ab expresso uuarū succo restantibus stipatos, ne transpirent: hoc est uti ipse ait. ἀποτίθεται ἐν στεμφύλοις ξηροῖς ἵνα μὴ διαπνέῃ. στέμφυλα itaque ξηρά, reliquias ab expresso uuarum succo restantes reddidi: omnes enim solidas reliquias tum acinorum, tum radicum racemorum unde uuæ ipsæ dependent, ab expresso ipsarum succo restantes, ea uox significat, uelut etiam alibi memini. In has reliquias, pastillos ipsos reponere iubet, ne uidelicet transpirent; atque sic integriores perseuerent. Verum eiusmodi reliquiæ non hunc tantum usum præbent, sed & ipsis uuis seruandis commodæ sunt, ueluti Galenus secundo de alimentis tradit, triplicem seruandarum uuarum modum præscribens, primum pensilium, secundū in mustum coniectarum, & tertium in ollas nouas inditarum, ita ut hæ ollæ uuarum expressarum reliquijs imponantur & adobruant, qui postremus modus cum sit etiā Columellæ ac Plinio indicatus, de hac re ipsa Galeni uerba adscribam, ut collatis locis res ipsa facilius intelligatur. καὶ χρῶνταί γε περὶ τὸν τῆς ὀπώρας καιρὸν ἀποτιθέμενοι πολυειδῶς. καὶ γὰρ εἰς γλεῦκος ἐμβάλλουσιν αὐτάς, καὶ χύτρας καινὰς πληροῦντες ἀποτίθενται τοῖς στεμφύλοις. καλῶ δὲ στέμφυλα, τὰ στερεὰ λείψανα τῆς σταφυλῆς, ἐπειδὰν ἐν τοῖς ληνοῖς ἐκθλιβῇ πᾶς ὁ χυλὸς αὐτῶν, ἃ καὶ αὐτὰ συντιθέασιν ἐν πίθοις οἱ ἄνθρωποι, σφίγγοντές τε καὶ πιλοῦντες ἰσχυρῶς, ὀνομάζοντές τε τρύγα αὐτὸ τοῦτο, ὅπερ ἐγὼ στέμφυλον ἐκάλεσα. εἰς ταύτην οὖν τὴν τρύγα τὰς καινὰς χύτρας πλήρεις τῶν σταφυλῶν ἐντιθέασι, πώμασι στεγνοῦντες ἀκριβῶς, ὡς μηδαμόθι παραπνεῖσθαι, ἐκεῖθι συμβάλλει γε τὸ πῶμα τῇ χύτρᾳ, πίτταν ἐπαναλείφουσιν, ἁπάσας τὰς διαπνοὰς ἐμφράττοντες. εἶναι δὲ χρὴ καὶ τὴν χύτραν αὐτὴν ἐξ εὐώδους τε πηλοῦ καὶ τελέως ὠπτημένην. στομαχικὴ μὲν οὖν ἐκλύτου γαστρὸς ἡ τοιαύτη σταφυλή, καὶ τοὺς ἀνορέκτους ἐπεγείρει πρὸς ἐδωδὴν σιτίων, οὐ μὴν ἐπέχεταί γε περὶ γαστέρα, κἂν εἰ πλείων βρωθείη, κεφαλῆς ἅπτεται. ταύτης δ᾽ ἔτι μᾶλλον ἐστὶ κεφαλαλγής, ἣν ἀποτίθενται περὶ τὸ γλεῦκος. ἡ μέντοι κρεμασθεῖσα κεφαλὴν οὐδ᾽ ὅλως βλάπτει, γαστέρα δὲ οὔτ᾽ ἐπέχειν, οὔτ᾽ ἐπιτρέπειν εἰς διαχώρησιν πέφυκε. Plinius porrò plures modos conseruandarum uuarum libro 15 cap. 17 prodit, sed eum qui ollis uuis plenis in uuarum expressarum reliquias impositis fit, eo loco non prodit. Sic enim ait. Liguria maritima alpibus proxima, uuas sole siccatas iūci fascijs

inuoluit, cadisq; conditas, gypso includit. Hoc idem græci platani folijs, aut uitis ipsius, aut fici, uno die in umbra siccatis, atq; in cado uinaceis interpositis. Quo genere Coa uua & Berytia seruantur, nullius suauitati postferendæ. Quidam ut has faciāt, in cinere lixiuio tingunt protinus quàm detraxere uitibus, mox in sole siccant, tum folijs ut supra dictum est, inuolutas uinaceis stipant. Quod itaque in cado uinaceis interpositis, uuas prius folijs inuolutas seruari dicit, non est is modus quem Galenus indicat, sed qui lib. 14 cap. 1 ab eo proditur, cum ait, aliæ in sua tantum continentur anima ollis fictilibus, & insuper dolijs inclusæ, stipatæ uinaceis circumsudantibus, quod ut clarius intelligatur, ipsa de hoc modo Columellæ uerba adscribemus: Vuæ inquit ternæ aut etiam quaternæ pro capacitate uasorum in ollas demittūtur, & opercula diligenter pice obturantur, ne humorem transmittant, tum uinaceorum pes bene prelo expressus proruitur, & modice separatis scipionibus, resolutaq; intrita folliculorum in dolio substernitur, & deorsum uersus spectantes ollæ componuntur, ita distantes ut interculcari possint uinacea: quæ quum diligenter conspissata primum tabulatum fecerunt, aliæ ollæ eodem modo componuntur, expleturq; secundum tabulatum, deinde similiter dolium completur tabulatis ollarum, spisseq; uinaceis inculcātur, mox usq; ad summum labrum uinacea condensanť &c. Atq; hic sane est modus quem Galenus tradit, sed quod has ollas tabulatim in dolium componere oporteat, ex Galeni uerbis colligi non potest. Aliæ itaq; sunt uuæ folijs inuolutæ, & sic in dolijs siue cadis uinaceis stipatæ: aliæ ollis inditæ, atq; cum ipsis ollis dolijs inclusæ, & uinaceis obseptæ ac conspissatæ. atq; hanc diuersitatē nosse expedit, ut eiusdem Plinij locum lib. 23 cap. 1 intelligamus, quem etiam subscribam. Innocentiores, inquit, quæ decerptæ diu pependere, qua uentilatione etiam utiles fiunt stomacho ægrisq;. Nam & refrigerant leniter, & fastidium auferunt. Quæ aūt in uino dulci cōditæ fuerunt, caput tentant. Proxime sunt pensilibus in palea seruatæ. Nam et uinaceis seruatæ, & caput, & uesicā, & stomachum infestant: sistunt tamen aluum, sanguinē excreantibus utilissimæ. Quæ uero in musto fuere, peiorem uim etiam nū habent, q̄ quæ in uinaceis. Sapa quoq; stomacho inutiles facit. Saluberrimas putāt medici in cœlesti aqua seruatas, etiāsi minime iucundas: sed uoluptatē earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine iecoris fellisq; uomitiōe, in choleris, hydropicis cum ardore febriū ægrotantibus. At in ollis seruatæ & os & stomachū & auiditatē excitāt: paulo tamen grauiores existimant fieri uinaceorū halitu. Hactenus Plinius. Porrò Mart. poeta lib. 7 de Sanctra cœnarū fure, cum ait:

Dulci placenta sordidam linit mappam,
Illic & uuæ collocantur ollares:

ollares uuas eas mihi dixisse uidetur, quas Galenus in ollis cōditas, reliquijs ab uuis expressis restantibus imponi dixit. Scribonij interpres easdem, uuas ex olla appellauit. Sicut etiam Celsus, Aetius 9 cap. 12 σταφυλὴν τὴν ἀπὸ στεμφύλων, καὶ τὴν κρεμαστὴν, id est uuam quæ ollæ indita uuarum retrimentis interposita seruatur, itemq; pensilem probat: & eiusdem sermonis seu libri cap. 45 dysentericis σταφυλὴν τὴν ἀπὸ χύτρας ἢ ἀπὸ στεμφύλων, id est uuā quæ in olla, aut uuarū expressarum retrimētis interposita seruatur, cōcedit: quo item loco τὴν ἀπὸ χύτρας, & τὴν ἀπὸ στεμφύλων eādem esse opinor, iuxta Galeni traditionem. Sed & Diosc. lib. 5 ubi ait. αἱ δὲ ἐκ τῶν στεμφύλων, καὶ ἐκ τῶν βικῶν, εὐστόμοι, δυστόμαχοι, κοιλίας ἐφεκτικαὶ, κύστεως δὲ καὶ κεφαλῆς ἅπτονται. Vuas ex uinaceis siue uuarum retrimentis, & ex ollis pro ijsdem dixit. Nimirum quæ ollis inclusæ uuarum retrimentis imponuntur & adobruuntur. Quod enim αἱ ἐκ τῶν βικῶν non sunt accipiendæ pro eis quæ in mustum seu uas uinariū coniectæ sunt, ex sequētibus palam fit, cum inquit, ὅμοιαι δ' εἰσι καὶ αἱ εἰς τὸ γλεῦκος ἐμβαλλόμεναι.

Infusum

Infusum ad dysentericos Thamyræ.] Hoc infusum cũ sapa aut passo hispano recocto in pastillos cogere iubet. Sic em̃ ait. ἀναλάμβανε τροχίσκους ἑψήματι ἢ γλυκεῖ ἰσπανῷ. Legitur tamen in exemplari ἑψήματι ἢ γλυκεῖ ἢ σπανῷ. Quod uero ad finem reddidi: facit item in potu acceptum pro uiribus ad cochlearij plus minus mensuram ex frigida aqua: in græco satis ancipiti sensu legitur, Num ad aquam frigidam, aut ad medicamentũ, cochlearij mensura referri debeat, ego tamen ad pharmacum referendam puto. Sic autem legitur. ποιεῖ δὲ καὶ πινόμενον πρὸς δύναμιν μετὰ ψυχροῦ ὕδωρ κοχλιαρίου ἔλαττον ἢ πλέον.

Quæ ab Asclepiade ad dysentericos scripta sunt.] In primo horum pharmacorum uini myrtitæ sextarios III conuerti, sed græcum exemplar οἴνου μυρτίτου δραχ. γ. habet manifestario errore, ex reliquorum collatione patente. Quare pro δραχ. γ. legendũ est ξ. γ. uelut conuerti, uel certe κοτύλας γ. ut uini heminæ tres accipiantur, quanquam hæc mensura ad tertias redacta minor mihi uideatur q̃ ut mellis attici libra sibi incoquenda opus habeat.

Pastillus sedãs dolorẽ, præclare inducẽs somnũ, ad inueteratos dysentericos.] Inueteratos dysentericos dixi τοὺς κεχρονισμένους δυσεντερικούς, nõ ad ætatem ægri, sed ad diuturnitatem morbi respiciendo. Plinius lib. 23 capite primo, sic dixit ueteres ægros ut utroque modo accipi possit, quum ait. Quod ad febrium ualetudines attinet, certum est non dandum in febre, nisi ueteribus ægris uinum, nec nisi declinante morbo. Sic etiam libro uigesimo secundo, capite uigesimo, de anchusæ radice. Sanat ulcera in cerato præcipue senum, item adusta, quo loco Dioscorides habet, ποιοῦσι πρὸς κατακαύματα καὶ παλαιὰ ἕλκη σὺν ἀφεψομένῃ κηρῷ καὶ ἐλαίῳ. Cæterũ quod ad finem dixi. Vsus iuxta apponderationis uariationem fit, secundum quod ægri subtili aut hebete sensu præditi, id tolerare possunt, in græco corruptum est hoc modo. ἡ χρῆσις τ' ἐν τῇ συστάσει ἀπαλλαγῆς πρὸς τὰς εὐπαθείας καὶ δυσπαθείας τῶν καμνόντων. restituendum est autem sic, & continget sensus à nobis expressus. ἡ χρῆσις τ' ἐν τῇ συσταθμίᾳ ἐπαλλαγῆς πρὸς τὰς εὐπαθείας. Porrò in sequenti mox pharmaco ad finem dixi: & ex eo ad summum cyathi sex infundãtur, quod græce est, ὥστε εἶν᾽ αὐτῷ πλείας ἐνέσεως κυάθους ς. sed tamen ἐνώσεως pro ἐνέσεως in uulgato græco exemplari excusum est.

In cap. VI de affectionibus & uitijs sedis.

MEdicamenta sedis seu ani ab Andromacho conscripta.] Quod supra libro secundo à me annotatum est, peculiare id omnibus grecis medicis uitium esse, & partim latinis, ut ὕσσωπος pro οἴσυπος, id est hyssopus pro œsypo legatur, id uel maxime in omnibus his sedis pharmacis uidere est, quando sanè perpetuo ὑσσώπου pro οἰσύπου expressum est: sed nos tamen lectione in integrũ restituta, œsypum utique pro hyssopo reddidimus, cum hyssopi herbæ nullus sit hic usus, & œsypus ab omnibus medicis græcis, ut pharmacum ulcera explens ac molliens, præsertim quæ circa sedem & uuluam cõsistunt, prodatur. Sic enim de ipso Dioscorides libro secundo ait. δύναμιν δ' ἔχει θερμαντικήν, πληρωτικὴν ἑλκῶν, μαλακτικήν, μάλιστα τῶν περὶ δακτύλιον καὶ ὑστέραν. possit tamen etiam alicui docto imponere sextum ex ordine pharmacum, tanquam non œsypum sed hyssopum accipere oporteat, quum ad finem eius habeatur. λέαινε τὰ ξηρὰ οἴνῳ φαλερνῷ ἐν σκιᾷ, ἐπιπάσσων ὑσσώπου, &c. hoc est, Arida in umbra cũ uino falerno terito, hyssopumq́ inspergito. Verum ego non ἐπιπάσσων legendũ censeo, id est inspergens, sed ἐμπλάσσων, id est infarciens, atque ob id uerti. Arida in umbra cum uino falerno terito, œsypum infarcito. Indicaui aũt alio loco has uoces itidem ob similitudinem solere mutuo supponi. Quod autem certum sit œsypum esse legendum & non hyssopum, etiam ex nono ex ordine pharmaco palàm fit, ubi habetur: ue-

rum Hetas pro œſypo, adipem anſerinum pari pondere coniecit. Neque enim poteſt adeps anſerinus pro hyſſopo ſuccedere, cum qua nullam habet ſimilitudinem: pro œſypo autem ſuccedaneus eſſe poteſt, cum ſint ambo hæc medicamenta molliendi & rarefaciendi ui prædita. Porrò ad finem ſeptimi horum pharmacorum uerti, excipe peſſo cum ſyriaco, in reliquis cum roſaceo, quod in græco eſt, πεσσῷ μετὰ συριακοῦ, τῶν δὲ λοιπῶν μετὰ ῥοδίνου. Quibus uerbis indicat in peſſi uſum ſyriacum unguentum adhibendum eſſe; utpote uuluis commodius, in reliquis uero roſaceum præſtare. Quæ autem medicamēti forma ſit peſſus, & quod ungentum ſyriacum appelletur, alijs locis declaraui.

Alia pinguis Galli.] In hac Galli lipara ſiue pingui confectione, olei myrtei drach. quatuordecim conuerti, id eſt μυρσίνου δραχ. ιδʹ. Verum in exemplari μυρσίνης δραχ. ιδʹ. habetur manifeſtario errore. Similiter autem & in ſequenti Cleophanti compoſitione. Olei myrtei, lentiſcini, roſacei, ſingulorū drach. XVI uerti. & poſtea. Vini ueteris Italici ſextarium dimidium. Sed in græco exemplari oleorum ἀνὰ δραχ. ς. id eſt ſingulorum drach. VI & uini ξ. ς. id eſt ſextarij ſex leguntur, altera parte pondere minuto, altera uero menſura nimis aucta, reliquorum reſpectu quæ in pharmacum recipiuntur: ut eam quam reddidi ueram & genuinam putem lectionem, ut uidelicet oleorum ἀνὰ δραχ. ις. & uini ξ. ς. legatur. potuit autem facile elabi character denarius ι. & character medietatis in ſenarium tranſire. In ſequenti porro deinceps Enneapharmaco ad finem uerti, aliqui & ricinini partem I. id eſt ἔνιοι δὲ καὶ κικίνου αʹ. Verum exemplar κικέως falſo pro κικίνου habet, ut uel ex Pauli deſcriptione liquet, lib. ſeptimo, capite uigeſimoquarto relata, in qua aperte κικίνου habetur, & aliàs res omnes liqueſcibiles ſunt, hoc pharmacum conſtituentes, ut ricini neq; ſemen, neq; folia, apte miſceri queant. Variant tamen paululum ab hac deſcriptione, Pauli Enneapharmacum, itemq; Celſi lib. 5 cap. 19 quam ubi de œſypo tractaui emendatam adſcripſi.

Alia ad obturationes, & alia ſedis uitia.] Quas in hoc loco, itemq; paulo poſt ſequenti pharmaco, obturationes dixi, φίμους Andromachus appellat; uidetur autem nihil aliud per φίμους indicare quàm obturamenta calloſa & dura in ano cōtingentia. Ad ea enim laxanda pingues eiuſmodi illitiones ſufficere poſſunt, quanq; à natura etiam recens natis anus aliquando ἄτρητος exiſtat, & aliquando ex ulcere non probe curato adultis cōcreſcere ſoleat, quod uitium chirurgiæ ſubiacet. Sunt autem φίμοι etiam oſculi uteri in muliebri ſexu obturamēta & coarctationes, uelut Paulus libro tertio, cap. 73 explicat, oſculi uteri coarctationem aut propter ulcerationem prægreſſam, aut ob inflammationem induratam contingere tradens. atque hic ſane φίμος aliquādo etiam chirurgiam requirit, quemadmodum ἄτρητοι appellatæ fœminæ quarum partes genitales perforatæ non ſunt, curantur, uelut idem Paulus lib. 6 cap. 72 prodit. Sed & uitium quoddam in maſculis fit ex cutis ſuper glandē tam arctato tegmine, ut nudari glans nō poſſit; quod uitiū φίμον & φίμωσιν appellari, etiam Celſus lib. 7 cap. 75 teſtatur: quo loco etiā huic contrariū uitium, quando uidelicet cutis curta aut retro abacta glandem tegere non poteſt, refert, quod malum græci παραφίμωσιν appellant: quanq; non παραφίμωσις, ſed περιφίμωσις tum in Paulo lib. ſexto cap. 55. tum in diffinitionum græcarū libro, Galeno falſo adſcripto legatur: & pleriq; omnes qui eum locum citāt, ſic recte legi putent, uocabuli ipſius uim non cōſiderantes, quæ contrarium φιμώσει uitium indicat. Eſt autem diffinitio talis. παραφίμωσις ἐστιν ἀποσυρέντος τοῦ τῆς βαλάνου δέρματος, ὡς μηκέτι ἐπισύρασθαι τὴν πόσθην δύνασθαι. Porrò quod in ſecūdo horum duorum pharmacorū dixi: Roſacei heminæ quartā partem, hoc eſt ſeſquicyathū, hoc eſt ſextantem & unciam dimidiā; in græco ſic habetur: ῥοδίνου

κοτύλης

κοτύλας δ´. τουτέσι λίτρας ας. ὁ ἐστι γο. ϛς. Estq; omnino supputatio iusta, si mensurarum pondera secundũ Pauli præscriptum à nobis supra lib.5 relatum expẽderis. Habet enim acetabulum quæ quarta heminæ pars est, & sesquicyathũ capit, uncias duas & dimidiam, sicut cyathus sesquũciam & scrupulos quatuor, sed non olei liquoris, uerum uini quod oleum nona parte ponderis exuperat: ut & hic liquorũ pondera inter se cõfundantur, quemadmodũ isthic etiam Critonem pondus olei cum mellis pondere confundere demonstraui. Additur postremum ad hoc medicamentũ: facit & ad contractos articulos, hoc est ποιεῖ καὶ πρὸς ἀγκύλας. Esse aũt græcis ἀγκύλας nihil aliud q̃ articulos cõtractos, Cor. Celsus lib.5 cap.18 in malagmate Euticlei testatur. Aetius ser. 12 cap. 42 ἀγκύλας exponit, τὰς τῶν ἄρθρων καθοχὰς id est articulos stupore occupatos & contractos. Ita etiam Paulus.

In cap. VII de hæmorrhoidibus.

Haemorrhoides à sanguinis fluxu græcis appellatæ sunt: Sunt autem uelut dilatatio quædam uasorum quorundam in sede oscula aperta habẽtium, quæ progressu temporis callosiora redduntur. Et ex hæmorrhoidibus sanè quædam cæcæ sunt, aliquæ contra apertæ. Et cæcæ quidẽ omni tempore inflatæ sunt, nihilq; excernunt, & maiorem dolorem inducunt. Apertæ uero quibusdam temporibus sanguinem effundunt. Ad cæcas itaq; & non apparentes, aperiendas ac extrahendas, ἐκσρόφα appellata pharmaca primum præscribit, quo post eorum usum, reliqua pharmaca hæmorrhoidibus tollendis apta, commodius adhiberi possint. At uero hæmorrhoidas non ex toto tollendas esse, sed unam relinquendã, purgationis uidelicet gratia, Paulus lib.3 cap.59 tradit, ex Hippocratis ut apparet autoritate. Hic enim sexto aphor. XII sic ait. αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία διαφυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι ἢ φθίσιν. hoc est hemorrhoidas inueteratas sananti, si non una fuerit seruata, periculum est hydropem aut tabem succedere. Quæ uerba exponens Galenus ait, Impossibile esse hæmorrhoidas fieri citra apertionem osculorum uenarum quarundam, ob sanguinis multitudinem & crassitiem, Nimirum hepate in ipsas fecosum & atrabiliariũ sanguinẽ deponente. Si quis igitur præcludat ipsi hanc uiam, hepar simul durũ reddit, simulq; multitudine & crassitie grauans, caliditatem ipsius extinguit. Contingitq; simile quiddam ei quod circa externas flammas accidere uidemus, in quibus multa ligna ac cumulata ignem suffocant & extingunt. Si igitur per calorem naturalem sanguis generatur, manifestum est calore extincto amplius generari non posse, & sic hydropẽ fieri, qui nihil aliud est q̃ sanguificatio frustrata. Si uero hepar ualeat multitudinẽ sanguinis à se depellere in pulmonis uenas, isthic rupto uase tabidi fiũt. Quare meritò consulit Hippocrates unam hæmorrhoidem seruare, quo per hãc feculentus & uitiatus hepatis humor euacuet, præsertim in quibus longiori tempore per has uenas excerni cõsueuit. Hæc Galenus. Sed Aetius hanc Hippocratis sententiã plane contrario sensu accipit, & pro ἢν μὴ μία διαφυλαχθῇ, quod Galenus legit & exponit, ἢν μὴ φυλαχθῇ legens, nullam penitus hæmorrhoidem relinquendam esse asserit. Verum quum præter receptum uulgo ab omnibus medicis sensum, & præter Galeni expositionem, Aetius hæc prodat, locũ ipsum integrum adscribam, ex sermonis decimi quarti, capite quinto, cuius fragmẽtum tantum habuimus, ut eum librum cum octauo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, decimotertio eius sermonibus nuper à nobis conuersis, inuulgare non potuerimus, atque propterea etiam hunc locum libentius in studiosorum gratiam proferemus. Sic autem ait, de hæmorrhoidibus sedis tractans. ἡ δὲ διάθεσις αὕτη κακῶν πλείστων ἀνθρώποις αἰτία γίνεται, καὶ γὰρ ἀπρέπειαν ἐμποιοῦσι, καὶ τὸ κακῶς ζῆν, πολ

λοὺς δὲ καὶ τὴν ζωὴν διαφθείρουσιν. ἀπρεπεῖς μὲν διὰ τὴν ἐκ τῆς κενώσεως αὐτοῖς συμβαίνουσαν κακοχροίαν ἐν παντὶ τῷ σώματι. κακῶς δὲ ζῶσι διὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἀτονίαν. ποτὲ δὲ εἰς τὸ ζῆν κινδυνεύουσιν, ὅταν διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν κένωσιν καταψυχόμενον τὸ ἧπαρ, ὕδερον ἐργάζεται. προσήκει τοίνυν προδιαιτήσαντας τὸν πάσχοντα, καὶ προφλεβοτομήσαντας, ἐπιχειρεῖν τῇ ἀναιρέσει τῶν αἱμορροΐδων, καὶ μηδεμίαν καταλιπεῖν, καθώς τινες βούλονται. δυνατὸν γὰρ περιγενέσθαι τοῦ ἀρίστου τέλους τῆς θεραπείας, μετὰ τὴν τῶν αἱμορροΐδων ἀναίρεσιν, ἔν τε τῷ δέοντι καιρῷ φλεβοτομοῦντας, καὶ τῇ προσηκούσῃ διαίτῃ διαπαντὸς χρωμένους, καθὼς Ἱπποκράτης βούλεται. ἔφη γὰρ αἱμορροΐδας ἰωμένῳ χρονίας, ἢν μὴ φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν. οὐ γάρ, ὥς τινες νομίζουσιν, ἔφη ἢν μὴ μία φυλαχθῇ αἱμορροῒς πρὸς τὴν τοῦ αἵματος ἔκκρισιν, ἀλλ᾽ εἶπεν, ἢν μὴ φυλαχθῇ, τουτέστιν ἢν μὴ προσηκόντως διαιτηθῇ. ὅτι δὲ οὕτω βούλεται ὁ Ἱπποκράτης, αὐτὴ ἡ ἐν τῷ ἀφορισμῷ διαστολὴ δηλοῖ. ἔφη γὰρ ὁ ἀνήρ, αἱμορροΐδας χρονίας ἰωμένῳ. ἔστι δὲ ἡ ἴασις, ἡ τελεία ἀπαλλαγή, καὶ ἡ γνήσιος θεραπεία, ὥστε κατὰ τὸν Ἱπποκράτην, οὐ δεῖ καταλιμπάνεσθαί τινα τῶν αἱμορροΐδων, ἀλλὰ πάσας ἀναιρεῖσθαι, καὶ μετὰ τὴν τούτων τελείαν ἴασιν, τῇ προσηκούσῃ διαίτῃ, ὡς προείρηται, εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἄγειν τὸ τοῦ θεραπευθέντος σῶμα, καὶ φλεβοτομεῖν τὴν ἐν ἀγκῶνι, κατὰ τὸν προσήκοντα καιρόν, πρὸς τὴν τοῦ ἀθροιζομένου ἐν τῷ σώματι αἵματος ἔκκρισιν. Hæc quidem sunt Aetij uerba, Verum non pigebit eorum sententiã etiam latine adscribere, tum in gratiam eorum qui græca ad plenum non adsequuntur, tum quod Italus interpres qui nobis in reliquis Aetij libris siue sermonibus successit, aut potius nos anteuertit, Aetij sententiam neque intellexit, neque expressit, quum tamen ueram & planè nostram lectionem habuisse uideatur. Hæc affectio malorum plurimorum caussa hominibus existit. Nam & deformitatem, & miseram uitam hæmorrhoides inducunt, multos uero etiam uita priuant. Et deformitatem quidem, propter coloris totius corporis uitiationem ex euacuatione succedentẽ. Miseram uero uitam, propter corporis imbecillitatem. Quandoque autem & de uita periclitantur sic affecti, cum ob excedentem euacuationem perfrigeratum hepar, aquam inter cutem operatur. Conuenit igitur recta diæta & uenæ sectione præmissa, hęmorrhoidum extirpationem moliri, & nullam penitus relinquere, quemadmodum quibusdã uisum fuit. Possibile est ẽm incolumes euadere, optimũq; curationis finẽ asseq post hæmorrhoidũ extirpationem, eos qui oportuno tempore uenæ sectione, & conuenienti diæta semper utantur, quemadmodum Hippocrati placet, Inquit enim hæmorrhoidas sananti inueteratas si non adseruetur, periculũ est hydropem aut tabem succedere. Non enim uelut quidam opinantur, dixit, si non una fuerit seruata hęmorrhois, ad sanguinis excretionem, sed dixit, Si non adseruetur, hoc est si non conuenienti dięta utatur. Quod autem sic uelit Hippocrates, ipsa aphorismi distinctio ostendit, Ait enim hic uir, Hæmorrhoidas inueteratas sananti. Est autem sanatio perfecta liberatio, & legitima curatio. Quare iuxta Hippocratem non oportet aliquam hæmorrhoidem relinquere, sed omnes exscindere, & post perfectam ipsarum curationem, per conuenientem ut dictum est, diætam, ad naturalem statum corpus curatũ reducere, incidereq; cubiti uenam tempore oportuno, quo uidelicet coaceruatus in corpore sanguis euacuetur. Hęc Aetius ratione satis ualida tradit, cum & diæta, & cõueniens uenæ sectio, idem præstare possint, quod Galenus unam hæmorrhoidẽ seruatam efficere posse putauit, et quum Hæmorrhois relicta, nõ tã hoc opis quod Gale. ait, afferre queat, q̃ hepar ipsum diutiore fluxione indies amplius ampliusq; perfrigerare, ex quo nõ minus aqua inter cutem quam ex totali præclusione oriri potest. Cornelius Celsus lib. 6 cap. ult. neq; unius hæmorrhoidis seruãdæ, neq; omnium tollendarũ meminit, sed tamen non tutò in quibusdã sanguinem supprimi tradit, his uerbis. Atq; in quibusdam parũ tutò supprimitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt, Ha

bent

bent enim purgationẽ hanc,non morbũ. Ideoq; curati quidã,cum ſanguinis exitum nõ haberent,inclinata in præcordia ac uiſcera materia,ſubitis & grauiſſimis morbis correpti ſunt &c. Fiunt autem aliquando etiam in ore uuluarum hæmorrhoides,uelut ibidem Celſus,& Paulus lib.3.cap.75 meminerunt.

Aliud ex ſcriptis Largi quod uix pronuentes extrahit hæmorrhoidas.] Hoc pharmacũ eſt in uulgato Scribonij libello latino,ſed deeſt * character circa centaurij ſuccũ,& abſinthij ſuccus * P.duũ iſthic amplius habetur, qui ex hoc Galeni loco uel deperditus eſt,uel iſthic abundat. Eſſe autem abſinthij ſuccum non ineptũ ex præcedentibus medicamentis patet,in quæ fuit receptus.Scribonij locus ſic habet, quem ut cum noſtro conferri queat integrum ex Marcello adſcribam,nam apud Scribonium corruptiſſime,ſicut pleraq; omnia habetur.Hæmorrhoidas ſic curare oportet, primum ut totæ prodeant, quod ut fiat, anus medicamento hoc perungatur.Centaurij ſucci * II hæc herba latine fel terræ dicitur,& ubiq; in agris naſcitur, Eſt autem tenuis multorum ramorum in rectum ſurgentium, florem habet exiguũ purpureum abſinthij ſucci * II aluminis liquidi. * II herbæ pedicularis * unum,miſyos * unum,mellis quãtum ad comprehendenda ea ſatis erit.Hoc peruncto interius ano,aut lana tincta interius truſa,cum deſederint ad ſellam,& apparuerint totæ, medicamento rurſus bene tangendæ ſunt undiq;, & præcipue radices earum, quas baſeis dicunt,&c. Hactenus enim cum Aſclepiade præſcripto conuenit.Porrò uerba quæ in græco exemplari poſt hoc pharmacũ habentur, ad ſequens medicamenntũ pertinentia, corrupta ſunt ut nullam ſententiam eruere liceat, hoc modo ἐπειδὴ ὑπὸ τῶν ἰσίτων ὑγχίσεων τῶν ὑδάτων ἐκστρέφει,ἀναγκαῖον ἀναγράφειν σκευασίας παρὰ νικοδήμου τοῦ γε ῥώμη διαφέρειν.Quare iudico ea ſic reſtituenda eſſe,ac legendum etiam quomodo reddidi. ἐπειδὴ δὲ ὑπὸ τῶν ἰσίτων ἐγχίσεων τῶν ὑδάτων ἐκστρέφει, ἀναγκαῖον ἀναγράφειν σκευασίας, οἷον καὶ τὸ παρὰ νικοδήμου τοῦ ἐν ῥώμῃ ἰατρεύοντος διάφορον.

Succus itẽ echini facit ad inflãmationes et prolapſam ſedem.] Gal.lib.6 ſimp. phar.Echini herbæ ſemen acerbũ eſſe tradit,& propterea repulſoriã & reſiccatoriam facultatẽ habere,ut eius uſus oculorũ fluxionibus cõmodet,& ad aurium dolores. Ob has itaq; facultates etiam hoc loco ad inflammatã & prolapſam ſedem ſuccũ eius illini Aſclepiades iubet. Cæterũ quæ Galeno echinos dicta eſt,eadem à Dioſc.erinos appellatur.Nam & erino Dioſc.eadem quæ Galenus echino adſcribit:& alias Dioſc.echinon nõ habet,ſicut Gal.erini nõ meminit.Paulus tamẽ Aegineta lib.7 ſeorſim de erino agit,quædam ei ex Dioſc.adſcribens, & ſeorſim de echino,Galeni uerba de eo prodẽs.Porro ab echino hæc diuerſa eſt, echion & Alcibiadion Dioſc. itemq; Paulo deſcripta. Plinius tamẽ pſeudanchuſam deſcribens,nõ aliam ꝙ echion Dioſc.indicare uidetur,quanq; etiã lib.25 cap.9 alteram echion planè eandem quã Dioſc.habet depingat,nimirũ cui capitula uiperæ ſimilia eſſe dicit, Galen.uero neſcio quomodo de echio in totũ cõſiluit,niſi de anchuſis agẽs,eam ſpeciẽ quæ Alcibiadion dicitur,pro echio nobis prodidit. Quo magis mirum eſt cum & anchuſa altera,& ipſa echion, alcibiadion appellentur, Plinium 27 cap.5 ſcribere,alcibion qualis herba eſſet apud autores nõ reperi,cũ tamen & foliorũ, & radicis eundẽ planè uſum ſubdat,quẽ Dioſc.tum de altera anchuſa,tũ de echio prodidit,nimirũ ꝙ contra ferarũ & maxime uiperarũ ictus auxiliaris ſit.Porro Nicander in theriacis,echio alcibij appellationẽ ab inuentore attribuit hoc uerſu,

ἐσθλὴν δ' ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν. Id eſt,

Alcibijq; echios radicem quære potentem.

appellauitq; non echion ſed echin, fabula Alcibij per eam à uiperæ morſu ſanati adiecta.

In cap. VIII ad pudendorum affectiones.

PORrò quæ circa uterum aut uesicam sunt ulcerationes iisdem pharmacis indigent, sed instrumentis insup opus habent, quæ ipsa intrò mittant, quæ metrenchytæ & catheteres græcis appellantur.] Verborũ horum sententia in græco nõ est integra, sic enim habetur. αἱ δὲ περὶ τὴν μήτραν ἑλκώσεις ἢ κύστιν, τῶν αὐτῶν δέονται φαρμάκων, ὀργάνων χρήζουσι τῶν εἴσω παραπεμπόντων αὐτά, διὰ τῶν μητρεγχύτων καλουμένων. Quare pro διὰ τῶν τικτῶν καλουμένων, uerbis nihil huc pertinẽs significantibus, legendum est τῶν μητρεγχύτων καὶ καθετήρων καλουμένων, quemadmodum etiam conuerti. Sunt autem μητρεγχύται instrumẽta ab ipso usu appellata, quem infusis uteri exhibent: Sicut καθετῆρες ab immittendo & infundendo simpliciter sunt dicti quasi infusoria instrumenta, & tamen horum usus soli uesicæ competit, sicut clysteris instrumenti usus proprius est intestinorũ crassorum, uelut Galenus libro quinto methodi tradit his uerbis. ὀργάνοις γοῦν ἐνίοτε χρώμεθα διὰ τὴν ἰδιότητα τοῦ μέρους, ἄλλοις μὲν ἐπὶ μήτρας, ἄλλοις δὲ ἐπὶ κύστεως, ἄλλοις δὲ ἐπὶ τῶν παχέων ἐντέρων ὑστέρων. ἐς τοῦτο μὲν γὰρ διὰ κλυστῆρος, ἐς μήτραν δὲ διὰ μητρεγχύτου, τῶν ἐπιτηδείων τι φαρμάκων ἐνίεμεν, ὥσπερ γε καὶ ἐς κύστιν, διὰ τῶν ἀδυνστάτων καθετήρων. Quibus uerbis palam indicat Galenus, instrumentorũ usum pro situ & ratione partium uariari, etiam si pharmaca eadem sint, quę ex partium curandarum substantia, & ex ipso affectu adhibenda iudicantur. Porro καθετῆρα non pro hoc instrumento fusorio, sed pro linamento torto, dixit Hippocrates, Galeno in glossis teste, ἀπὸ τοῦ καθιέναι, in secũdo γυναικείων. μοτῷ ὠμολίνου καθετῆρι, id est, linamẽtũ ex crudo lino indens. Cæterũ qui fit utẽdi & applicãdi catheteras modus, tum ad eluẽdam ulceratam uesicam, tum ad proleciandã suppressam in ipsa urinam, similitudine quadam ad siphonas instrumenta fusoria, quibus aqua hauriri & emitti in incendijs solet, Paulus lib. 6 cap. 59 docet, legitur tamen συμφώνων corrupte pro σιφώνων. Meminit eorundẽ etiã serm. 13 cap. 7. Galen. meth. 5 & sepe alias.

Ad pudendum intumescens, foliorũ uitis tenerorum drach. I.] In græco habetur, ἀμπέλου φύλλα, λιβανωτοῦ δραχ. α. Nõ esse aũt hanc rectam lectionẽ palam est ex eo, q & si folia uitis, & thus, utraq res drachmę unius pondere accipienda esset, necessariò uox ἀνὰ addita esset, uelut etiam alibi indicaui huius uocis usum esse, Quare legendũ est, ἀμπέλου φύλλων ἁπαλῶν δραχ. α. Sic enim Paulus quoq habet lib. 3 cap. 59 qui ad uerbum pharmacum hoc transscripsit.

In cap. IX de priapismo.

PAlàm est igitur non oportere membra ipsa excalfacere, sed leniter refrigerare per ceratũ rosaceum in aqua conquassatũ, itemq per chamęmelinum ceratum, tum pudendo, tum lumbis impositũ. Horum uerborũ lectio corrupta est in græco, quam sic restituendã postrema sui parte censemus, uelut etiã uertimus. καὶ τῇ διὰ τοῦ χαμαιμηλίνου τῷ τε αἰδοίῳ καὶ ταῖς ψόαις ἐπιτιθεμένῃ. Aut sic ex toto, ἀλλὰ ψύχειν ἠπίως, τῷ ῥοδίνῳ κηρωτῷ μεθ' ὕδατος ἀνακοπτομένῳ, καὶ τῷ διὰ τοῦ χαμαιμηλίνου, τῷ τε αἰδοίῳ καὶ ταῖς ψόαις ἐπιτιθέντα. At uero quod sequitur. Quod si euacuatione uti libeat, per uomitũ id fiat, in græco item corrupte legitur. λυθῆναι δὲ χρώμενον δι' ἐμεμάτων. pro ἐμεμάτων itaq, id est infusis substituendũ est ἐμέτων, id est uomitibus. Velut etiam ex sequentibus manifestũ fit, in quibus euacuationes per uentrem inferiorẽ improbat, ut fluxiones uicinarum partium commouentes.

Ad eos qui se in somno pmingunt.] Inter hæc pharmaca habetur, & leporis testiculus in uino odorato feruefactus, atque ita potatus. Sic enim græca uerba iacent. ποιεῖ δὲ καὶ λαγωοῦ ὄρχις ἐπὶ ζέννυμένος οἴνῳ εὐώδει. Sed tamen Aetius 11. cap. 25 ὄρχιν λαγωοῦ ξηρὸν ἐπιξύσας οἴνῳ πότιζε habet, hoc est leporis testiculũ siccũ in uinum deradito, & bibendũ præbeto. Sicut etiã Paulus 3. capite quadragesimo octauo,

ὁ λαγωοῦ

ἢ λαγωοῦ ὄρχεων ὠπτοξύλων εἰς οἶνον ζύωδη δὶς πιεῖν. Legendum est tamen pro ὠπτοξύλων, ὠπτοξύλων, aut ut Aetius habet ὠπτοξύλας.

In cap. X ad uteri affectus.

AD uuluæ igitur strangulatus cõuenit agarici drach. I in potu accepta ex uino.] In græco hoc loco non δραχ. α. ἀγαρικοῦ legitur, sed γο. α. quod falsum esse, & non recte legi, uel ex Dioscoride apparet, qui lib. 3 de agarico ait, καὶ ὑστερικαῖς πνιξὶ καὶ κατοχορίαις δραχ. α. δίδοται. Sequitur mox onyx detractus ex conchylio potatus. Ostendi autem supra lib. 5 quod onyx conchylij Indici testa sit, ut hic non sit opus rem altius repetere. Declarandi itaque eius onychis gratia ipse Galenus hoc loco dixit, ὄνυξ ὁ ἐκ κογχυλίου πινόμενος, ne quis onychẽ lapidem accipiat, de quo eodem libro à me dictum est, aut onychem bdellij, de quo libro octauo, horum commentariorum egi. Legitur tamen in exemplari græco hoc loco ἐκ κογχύλης pro ἐκ κόγχης, uel ἐκ κογχυλίου.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

COMMENTARIORVM MEDICORVM, IN DEcem libros Galeni de Compositione pharmacorum localium, siue secundum locos cõscriptorum, Liber X

In Cap. I de Nephriticis.



ONFECTIONES Rhenales ab Andromacho ad rhenum & uesicæ affectiones conscriptæ.] Inter hæc pharmaca habetur. Alia ad calculosas, qua Bassa uxor Marij curata est, hoc est, ὡς Βάσσα ἡ μαρίου ἐθεραπεύθη. Sic enim legendum puto, Nam & uetus sic habet, & alias Rhomanũ nomen Marij existit, cuius uxorem Rhomæ eo pharmaco curasse uerisimile est Andromachũ, aut certe aliũ aliquem medicũ, unde hoc pharmacum Andromachus descripsit. Verum græcum exemplar ὡς Βάσσα ἡ μανίου ἐθεραπεύθη habet. At uero in ipsum medicamentum recipitur lapidis Syriaci masculi drach. I aut fœminæ drach. I Opinor itaq; ego non esse aliũ Syriacum appellatũ lapidem, quàm Iudaicum Diosc. ac Galeno descriptum, tum quod calculosis hoc loco Syriaci usus præscribitur, qui usus planè ab ijsdem de Iudaico lapide proditur, tum quod neuter ipsorũ Syriaci mentionẽ faciat, utpote de quo sub Iudaici appellatione prodiderunt. Quib. accedit & hoc quod Galen. lib. 9 simp. phar. ait in palestina Syria nasci. & Iudaicum à regione nominari. Quemadmodũ igitur Iudaicus à regione, sic etiam Syriacus & palestinus nominari posse uidetur, uelut hic ab Andromacho, & apud Aetium lib. 11 aliquoties appellatur, quanq; Aetius eodem loco aliquoties Tecolithon etiã eundem lapidem appellet, ab eo quod lapidẽ tum rhenum, tum uesicæ liquefacit, de qua tamen efficacia, Galenus ei testimoniũ non præbet, qui eum frustra in uesicæ calculis exhibuit. Esse autem τηκόλιθον lapidem eundem cum Iudaico Paulus libro 7 testat̃ his uerbis. ὁ δὲ ἰουδαϊκὸς καλούμενος τῶν ἐν νεφροῖς λίθων ἐστὶ θρυπτικός, ὅθεν καὶ τηκόλιθον αὐτὸν οἱ νεώτεροι προσαγορεύουσιν.

Alia ad calculosos frangens & paulatim expellens &c.] Hanc confectionẽ ex Andromacho recitat & Aetius undecimo, cap. 13 ex ijsdem penitus rebus, sed diuerso pondere constantem. habet enim seminis dauci, anisi, &c. cuiusque sesquidrachmam, & cassiæ, cinamomi, nardi celticæ singulorum drachmam unam, ita ut priorũ quinq; rerũ ad posteriores hemiola proportio existat, Quare etiã hoc loco priorum rerum non ἀνὰ γο. ς. id est singulorum sexuncem, sed ἀνὰ δραχ. ς.

id est, singulorum drachmæ sex legendū existimo: fiet enim etiam hoc modo Hemiola proportio drachmarum sex priorum rerum, ad posteriores quæ drachmarum quatuor pondere accipiendæ præscribuntur. Habet porrò eandem confectionem etiam Scribonius in eo latino libello qui extat, sed & rebus & pondere, & autore medicamenti corruptis, quod ut iudicare facilius sit, ipsum locum totum cōpositione CLII adscribam. Ad calculosos, cucumeris seminis, dauci, anisi, apij, petroselini, myrrhæ, singulorum * P. trium & uictoriati, cassiæ daphnitidis, cinnami, nardi, singulorum * P. unius, aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. Ex aqua dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentum quum componitur, pilum ligneum sit, qui cōtundi tanulum ferreum non habeat. Hæc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus, qui adfirmauit multos se hoc medicamento sanasse. detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quædam lapidū quasi arenam. Hactenus Scribonius, et eodē plane modo habet, ex eo ut apparet descriptū, capite XXVI Marcellus. Ceterum & apud Aetium, & apud Scribonium ac Marcellum priores res VI numero habentur, ut suspicer ex Galeni exemplari σελίνε σπέρμα, id est apij semen excidisse, quod uterqꝫ ipsorū inter priores res expressum habet, & ego sane adderem, si pharmaco essem usurus, nō tamen ut elapsum cōuerti, sed itidem iuxta exemplaris præscriptum reliqui.

Nephriticæ compositiones ab Asclepiade conscriptæ.] Inter hæc pharmaca habetur. Aliud ad calculosos inspersile, seminis balsami partem unam &c. id est, βαλσάμου καρποῦ μέρος α. Sed in græco exemplari βαλσάμυ καρπῦ μέρη β. habetur. Manifestum est autem hoc falso legi, quum reliquorum quæ sequuntur omnium tantūdem accipere iubeat, hoc est partem unam. Quod si uero partes duas legas, necesse sit esse alia quæ uel maiore uel minore portione in medicamētum recipiantur. Sed & in sequenti mox pharmaco, struthij radicis partem unam reddidi, ubi simili modo σρυθίου ῥίζης μέρ. α. legi debet, pro eo quod expressum est, σρουθίε μέρ. Radicem autem struthij maxime in usum medicum adsumi Galenus testatur, & Dioscorides lapides atterere prodit. Plinius decimonono, capite tertio, radiculam struthium appellauit. At quę uocatur radicula, inquit: lauandis demum lanis succū habet, id quod Dioscorides dixit, ᾧ οἱ ἐριοπλύνται χρῶνται πρὸς καθαρσιν τῶν ἐρίων, & idem Plinius lib. 29 cap. 5 quum ait. Non opus est lanas in hoc usu radiculis esse curatas: quanquam ex grammaticis quidam uulgo non inceiebres, rudiculis pro radiculis eo loco legendum esse falso pronuncient. Alibi uero etiam lanariam herbam idem Plinius struthium uocat.

Catapotia Heraclidæ Tarentini.] In hæc catapotia recipiuntur succi Libyci drachmæ duæ, hoc est uelut in græco codice habetur, ὀπῦ λιβυκῦ δραχμὰς β. Videtur itaque mihi succum Libycum dixisse cyrenaicum alias appellatum, qui uidelicet in Cyrenaica Libyæ regione prouenit. Nam de hoc testimonium Dioscorides quoque præbet, quod cum pipere & myrrha potatus menses ducat quod quum faciat, multo facilius ei fuerit urinæ stillicidium propellere, & simul uesicæ tofos dissoluere, quod de eo hoc loco Asclepiades ex Heraclida prodit, si cum pipere & myrrha, addito simul galbano, in catapotia coactus accipiatur. Quando uero opij usus etiam in præcedentibus pharmacis habitus est, uideri possit etiam hic opium recipiendum esse, doloris leniendi gratia admixtum, dictumque hoc loco Libycum, quod alias hispanum appellari solet, de quo alibi mentionem feci, ita ut non ὀπῦ λιβυκῦ, sed ὀπίε λιβυκοῦ legeretur. Vetus certe interpres opij albi hoc loco uertit, tanquā qui ὀπίε λδυκῦ legisset, & sane etiā ego persuaderi possem opium accipiendū esse, ut quod sit per myrrha, à læsione

à læsione quam inferre potest, satis munitum, nisi si opium accipias, non habeas aliud in hac compositione pharmacum, quod uires dissoluendi tosos, & leuandi stillicidij habeat, quæ facultates in Cyrenaico succo existunt, quem & accipiendum iudico, & ob id Libycum succum iuxta exemplaris præscriptum reddidi. Sequitur mox aliud catapotium, ad cuius finem habetur, tria deuorāda dato, ita ut uini dulcis quadrantem insuper propines: quod in græco est, δίδου τρία, καὶ οἴνου γλυκέος ὑπέρροφητω τεταρτημόριον. τεταρτημόριον itaque pro quarta sextarij parte mihi dixisse uidetur, hoc est pro cyathis tribus. Aeque enim duodecim cyathi in sextario sunt, uelut duodecim unciæ in libra. Hoc ipsum itaque τεταρτημόριον quadrantem dixi, quomodo etiam Celsus libro tertio, uini quadrantem pro tribus cyathis dixit, uelut etiā alibi ostendi. Posit autem aliquis & de quadrante libræ τεταρτημόριον dictum esse putare, hoc est pro uncijs tribus: sed cum non sit alias ei usitatum uncijs in liquorum mensura uti, cyathos omnino accipiendos existimo, quorum usum & in præcedentibus, & in sequentibus habet, in passi ac uini cæterisq; liquoribus dimetiendis. Porro quemadmodum hic τεταρτημόριον pro quarta sextarij parte dictum est, sic ab eodem Asclepiade ex Philoxeno, in quarto pharmacorum secundum genus Galeno citante, tres quartæ minæ partes, hoc est dodrans minæ τριατέταρα appellantur: sic enim habet, ἐγτίνης τερμινθίνης δραχ. οε. ὃ τριατέταρα ὑπάρχει. Nisi forte τρία τέταρτα legendum est, uelut alibi τὸ τέταρτον usurpari ostendi. Quum enim centum drachmæ in mina sint, LXXV. drachmæ tres quartas partes efficiunt, quæ sunt planè tres quadrantes libræ Romanæ, nisi quod in Libra Quadrans est drachmarum uiginti quatuor. In Mina uero drachmarum uigintiquinque. Nam Mina quatuor tantum drachmis libram excedit: atque ea est Dodrātis significatio, quod uidelicet detracto quadrante, totum pondus ac mensuram libræ, uel assis, uel pedis, uel cuiuscunq; rei mensurabilis per ipsum significetur. As enim omnesq; ipsius partes, pro omnium rerum mensurabilium partibus accipiuntur, uelut etiam alibi ostendi. Sic hæreditas, inquit Imperator Iustinianus libro secundo de hæredit. institu. plerunque diuiditur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent etiam hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem, sextans, quadrās, triens, quincūx, semis siue sexunx, septunx, bes, dodrans, dextās, deunx, as. Sic enim locus ille legi debet. Sic & dierum & noctium quadrantes & dodrantes dicuntur: reliquæq; partes similiter, imò & horarum dodrantes, tres quartæ partes appellantur: sicut uncia una duodecima horæ pars, & semunciæ pars horæ uigesima quarta. atque sic accipiendus est Plinij locus lib. 2 cap. 14 de lunæ motu. Lucere dodrantes semuncias horarum ab secunda adijcientem usq; ad plenū orbem, detrahentemq; in diminutionem. Vult enim Plinius lunam à secūda die usq; ad pleniluniū quotidie tres horæ quartas, & uigesimā quartam horæ partē addere, tātumq; lucis rursus detrahere quotidie usq; in diminutionem. Verū tota hæc res diuisionis horarū in XII partes, apertissime declarat à Const. Cæsare lib. 1 cap. 7. de agricultura nuper à nobis latine cōscripto. Sed hæc ἀπαρτίσμους & in digressu satis sit nos indicasse tantum, ac leuiter saltem delibasse.

Pastillus ciens urinam, detrahit lapillos &c.] In hoc pastillo, acori, seminis ani si, seminis dauci, apij montani, carpobalsami, tragacāthæ, singulorum drachmas duas conuerti, hoc est ἀκόρου, ἀνίσου σπέρματος, δαύκου σπέρματος, ὀρεοσελίνου καρποῦ, βαλσάμου καρποῦ, τραγακάνθης, ἀνὰ δραχ. β. Sic enim puto legendum, & non ut expressum habet. ἀκόρου, ἀνίσου σπέρματος, δαύκου σπέρματος, ὀρεοσελίνου καρποῦ, βαλσάμου, τραγακάνθης καρποῦ, ἀνὰ δραχ. β. Hæsisse autem typographum circa lectionem asterisco notatum est.

Quæ Af-

Quæ Archigenes ad renum affectiones scripsit.] Quod mox à principio horum Archigenis uerborum reddidi, Cæterũ Antiochus apud Phricen Linophobum ualde iuxta naturalem cõtrarietatem auxilio fuisse ait, ad mali euersionem, prototomi caulis decocti cyathos duos, ieiuno ad dies nouem exhibitos: ex mera diuinatione à me sic redditum est, quando græca uerba ita corrupta sint, ut nullam cuipiam eruere sententiam liceat. Sic autem iacent. σφόδρα ἔφη ἀξιολόγως ὁ περὶ τῶ φρίκη λινοφόβω ἀντιπαθῶς βοηθεῖν εἰς ἀνασκευὴν πρωτομῶ καυλοῦ ἀφεψήματος κυάθ. β. νῆστ διδομένους ἐπὶ ἡμέρας θ. Hæc itaq; uerba quamuis nullam sententiã nobis exhibeant, minime tamen putamus nobis prætereunda, sed omnino hoc modo restituenda, uelut etiam reddidimus. σφόδρα δὲ ἔφη ἀντίοχος ὁ περὶ τῶ φρίκην λινοφόβω ἀντιπαθῶς βοηθεῖν εἰς ἀνασκευὴν πάθους, τοῦ πρωτοτόμου καυλοῦ ἀφεψήματος κυάθ. β. νῆστ διδομένους ἐπὶ ἡμέρας θ. Non obniremur tamen contentiose si quis meliorem lectionem ostendat. Primum itaq; quod pro ἀξιολόγως, nomen ἀντίοχος restituendum duximus, non necessarium est, ita ut non etiam aliud quoddam proprium nomen eius loco poni possit. Est enim obscurus autor, qui hoc auxilium prodidit, & sane autoritatis rationem non multum referre, etiam alio loco dixi, ut hic nullũ uel saltem leue crimen sit, ignorare quis fuerit Antiochus, qui apud Phricen Linophobum hoc testimonium de eo auxilio perhibuit, quanquam suspicer Paccium Antiochum hunc esse cuius aliquoties mentio fit in Scribonij libello latino, & cuius compositionem colicam supra recensuit Asclepiades libro nono, capite quarto. Nõ dubito autem quin & uerba ὁ περὶ τῶ φρίκην λινοφόβω corrupte legantur, sed ea tamen ut habent reddidi, quod uelut dixi, non referro omnino aliquid à quo, & circa quem, auxilium fuit admotum, modo ipsum auxilio integrum nobis constet. Quod sane prototomi caulis decoctum esse minime dubito, etiam si eius lectio sit corrupta, uelut ostendi. Sunt autem prototomi caules brassicæ teneriores, qui & asparagi Galeno libro 2 de aliment. appellantur, & à Marcello caules haplosiles, à teneritudine græca appellatione, dicti sunt, cap. 20 uelut alibi ostendi, quando uidelicet ad excretionem seminis augescunt, qui succiduntur & in ciborum usum ueniunt, unde sane prototomi, à prima cæsura, uocantur. Meminit eorum & Martialis poeta.

Et faba fabrorum prototomiq; rudes.

Hic itaq; cauliculus brassicæ prototomus, etiam κύημα quasi fœtura à Dioscoride dicitur. quidam tamen κῦμα dicere malunt, quæ uox Galeno uidetur per synæresim ex trisyllabo κύημα contracta, quanquam Plinius non in neutro genere cymata usurpet, sed in fœminino cymas appellet. De hoc sane κυημάτων πρωτοτόμων genere Diosc. lib. 2 ait. τὸ δὲ αὐτῆς κύημα εὐστομαχώτερον μὲν, δριμύτερον δὲ καὶ οὐρητικώτερον. id est, Brassicæ cyma stomacho commodior quidem est, uerũ acrior & magis urinam ciens. Quare uel ex hoc loco uidetur mihi confirmari posse, auxilij ab Archigene præscripti efficacia, quanquam ipsum auxilium hoc loco sic referatur, ut non per aliquam facultatem hanc uim habeat, sed per naturalẽ quandam contrarietatem ἀντιπάθειαν græcis appellatam, ut non oporteat nos esse curiosos iuxta quam facultatem prototomorum brassicæ caulium decoctum, ea efficacia præditum existat.

In cap. 11 de ischiade coxendicum morbo, podagra, & morbo articulari siue arthritide.

EX genere arthritidis est tum ischias, tum podagra.] Arthritis id est articularis morbus, uelut genus quoddam est omnium morborũ articulos ac neruos occupãtiũ: Estq; nihil aliud q̃ debilitas articulorum cum longa fluxione, quæ uicinos neruos tendit aut laxat, ac dolore affligit. Quãdo enim in multis articulis

ticulis hic affectus hæret, Arthritis appellatur: quando uero in una aliqua coarticulatione siue corporis parte, ab illa ferè nomenclaturam sortitur. Sic Chiragra in manibus, podagra in pedibus, & in coxendicibus Ischias siue coxendicū morbus appellatur. Quidam adhuc plures particulares species fecerūt, quæ tamen omnes partim barbaræ, partim inutiles ac superfluæ sunt, quum omnes eiusmodi affectiones in prædictis nomenclaturis comprehendantur. Quidam amplius sub hoc genus etiam σπασμὸν, hoc est conuulsionem cum suis speciebus referunt, quæ sunt πρόστονος, ἐπίτονος, seu potius ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, & τέτανος, à distentione partium iuxta differentias locales appellationes suas sortitæ, Item παράλυσις & ἀποπληξία. Cæterum humoris influxum Galenus ut plurimum pituitosum esse ait, aut si quis exactius dicere uelit crudū, quem ipse describit esse crassum, ad similitudinē puris crassioris, ex quo etiam diutius in articulis moram trahente, callosæ cōcretiones duriciesq; ac tofi, πῶροι græcis appellati, generantur. Aristoteles tamen in quarto de animalium historia, sanguinē in pus conuerti, ex pure uero callosam duriciem, id est, πῶρον fieri dixit.

Ita ut in manibus & pedibus pharmacis fluxionē repellentibus utamur.] In Podagra & Chiragra, inquit Galen. repellētia fluxiones adhiberi posse, in ischiade uero nō, propterea quod in alto sita sit coxendicis iunctura, atq; sic per repellentium usum sanguis ex uicinis uasis ac musculis ad illam cōpellatur, Sic enim Aetius ait, ἐν βάθει γὰρ οὔσης συνελαύνεται τὸ ἐκ τῶν περιεχόντων ἀγγείων αἷμα καὶ μυῶν πρὸς ἐκείνην. Verum in Galeni exemplari, συλλαμβάνεται, id est concipitur, pro συνελαύνεται, id est cōpellitur, habetur: non multū diuerso sensu; sed tamen clarius res ipsa uerbo συνελαύνεται indicat, ut συλλαμβάνεται suppositititiū in Galeno putē.

Et purgatio per efficaciora infusa, quale est quod ex colocynthide cōstat] Horum uerborum sensus in græco codice corruptus est hoc modo. καὶ ἡ διὰ τῶν καθαρτικῶν γίνεται ἐκλυσμάτων, ὁποῖος ἐστι καὶ διὰ τῆς κολοκυνθίδος. legendum est autem sic. καὶ ἡ διὰ τῶν δραστικωτέρων κλυσμῶν κάθαρσις ὁποῖος ἐστι καὶ ὁ διὰ τῆς κολοκυνθίδος. quomodo sanè etiam conuerti.

Cōpositiones ab Andromacho cōscriptæ ad Ischiadicos.] Prima ex his compositionibus in græco exemplari penitus manca est. Desunt enim aliquot simplicia reponenda, quod uel ex ipsius Galeni uerbis manifestum fit, ubi consequenter pharmaci ipsius facultates singulatim per omnia quæ in ipsum recipiūtur exquirit ac expendit. Recenset enim quorundam simplicium uires, quæ in præposita Andromachi descriptione non habentur. Quare nos integre à nobis restitutam lectionem reddidimus, quomodo in græco exemplari legi debet, nimirum hoc modo. πηγάνου ἀγρίου σπέρματος δραχ. δ. σιλφίου δραχ. δ. ἀφρονίτρου δραχ. δ. δαφνίδων δραχ. δ. ἀβροτόνου δραχ. δ. κολοκυνθίδος ἐντεριώνης δραχ. δ. καρδαμώμου δραχ. δ. ἄμεως δραχ. δ. πηγάνου χλωροῦ μνᾶς ὄγδοον. τινὲς τούτων ἀνὰ δραχ. η. καὶ πίσσης τερμινθίνης, μυρτίνου, κηροῦ, ἀνὰ τὸ ἴσον. στέατος ταυρείου, ἴσον. χαλβάνης δραχ. ς. ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος δραχ. ς. ὀποπάνακος δραχ. δ. θείου ἀπύρου δραχ. δ. Porrò sequuntur mox uerba Galeni quibus hæc lectio confirmatur, in quibus tamen ἀγρίου πηγάνου φύλλα falsò, pro ἀγρίου πηγάνου σπέρμα habetur. At uero uehementer dubito an cardamomum rectè in hoc pharmacum, itemq; sequentia, tum ab Andromacho, tum ab Asclepiade prodita, recipiendum legatur, & non potius pro καρδάμωμον, sit legendum κάρδαμον, id est, nasturtium, tum quod calidius aliquanto sit nasturtium quàm cardamomum, tum quod à Dioscoride Nasturtium Ischiadicis in cataplasmate auxiliari proditur. Nolui tamen publicam immutare καρδαμώμου lectionem, sed eam retinui, libentius utique ipse in hæc pharmaca nasturtium recepturus, si usus ita ferat.

Alia Ischiadica, hac usus sum in Frontino.] Hæc cōpositio habetur etiā apud Aetium lib.12.cap.5.sed tum cedriæ, tum olei cyprini cyathi dimidiū isthic habetur, utriusq; autē hoc loco, κοτύλης τὸ ἥμισυ, id est, heminæ dimidium, est expressum: error autem exscribentis est, qui uel istic κυάθου.ς. pro κοτύλης.ς. uel hic uice uersa κοτύλης ἥμισυ pro κυ.ς. expressit, ex similitudine characterum κυ. & κο. deceptus. Videtur enim Galeni lectio rectior esse, heminæ uidelicet dimidiæ, hoc est cyathorū triū mensura: præsertim olei, ut in ipso reliqua dissoluantur. At uero & nitri drach.II. tantū adijciendę in Aetio leguntur, hic uero quinq; expressæ sunt.

Quæ pharmaca Asclepiades in 4. externorum prodidit. Inter hæc pharmaca habetur Malagma Antiochidis præparatū Fabullæ Libycæ, id est, ἐσκευασθὲν φαβύλλῃ λιβυκῇ. Videtur tamen mihi hæc lectio nō recta esse, & Fabullam non Libycam, sed Liuiam legendū esse, hoc est ἐσκευασθὲν φαβύλλῃ λιυΐᾳ. Est enim malagma hoc Antiochidis mulierculæ eius, nisi penitus fallor, ad quam Heraclides Tarentinus scripsit, uelut alibi indicaui, quæ ipsa Antiochis Romæ medicata non Fabullam Libycam, sed Liuiam appellatam, ex Liuia uidelicet gente, uelut opinor, hoc pharmaco curauit: quanquam ut sæpe iam dixi, nō referat multum quis uel quæ medicamenti autor sit, si de pharmaco constat, quod integrum sit, & experimento approbatum, Habetur autem in ipsa compositione, retrimenti ab expressa myrobalano reliqui libra una, id est, μυροβαλάνου πίσματος λίτρ. α. Dixi uero alio loco πίσματος uocem aliquando pro succo expresso, aliquando pro retrimento ab expresso succo reliquo, apud grecos scriptores medicos usurpari, qua posteriore significatione, etiam mihi hoc loco dicta uidetur, tum quod inter reliqua succulenta & liquescibilia, hoc retrimentum quasi corpus futurum sit, tum quod Dioscorides libro quarto ipsam ungentariam glandem, id est, myrobalanum, cataplasmatis uice ad podagricos cum aqua mulsa usurpari dicit, ut etiam hic cum reliquis ammixtis ad ischiadicos apta ac commoda uideatur, quum succus & liquor ab ipsa expressus, olei uicem præbeat alias in pretiosa ungenta, eodē Dioscor. multis locis attestāte. Sequitur mox aliud Malagma Fabullæ compositum, In quo bdellij onychis libræ duæ habentur, hoc est βδέλλης ὄνυχος λίτρ. β. Memini autem suprà quomodo accipiendum sit quod bdelliū onyx, & bdellij onyches dicatur, quū sit & onyx lapis, alias Alabastrites appellatus, & onyx conchylij Indici testa, de quibus item à me in his commentarijs abunde dictum est. Quin & aliæ res præter istas, à similitudine quadam onyches, id est, ungues appellantur. Sic Aetius sermone undecimo, capite undecimo in medicamento quopiam lapidem expellente, alliorum frustula siue segmenta, σκόρδων ὄνυχας id est, unguiculos alliorum dixit, quos Galenus subinde πυρῆνας, hoc est nucleos dicit, & Paulus libro quarto, cap.33. σχελίδας. Sunt autem naturalia hæc oblonga segmenta siue spicæ, in quæ alliū finditur, ubi ipsum decorticamus, quod ipsum ἐξονυχίζειν appellari potest, hoc est in unguiculos disparare: quāquam huius uerbi usus est & de his quæ ad unguem inuestigamus, & quasi unguiculis exscalpimus, ueluti etiam simplicis ὀνυχίζειν. Artemidorus lib.4. de somniorū interpretatione principio. μικρὰ μὲν καὶ οὐ πολλῆς ἄξια φροντίδος, ὅμως δὲ ἀναζητούμενα ὑπὸ τῶν ὀνυχιζόντων πάντα. & lib.1.cap.17. βλάβην τινὰ κοινὴν νομίζομεν, τὸ μὴ οὐχὶ περὶ ἑκάστου ἀκριβοῦν καὶ ἐξονυχίζειν. Porrò de rosarū unguibus, hoc est ῥόδων ὀνύχων, rosisq; exunguibus, hoc est ὠνυχισμένοις & ἐξωνυχισμένοις alibi à nobis dictum est.

Malagma quod & aurei coloris appellamus.] In hoc malagmate habet, Hæc liquefacta frigesieri sinimus, & erasa tritis ammiscemus. Hoc est ταῦτα τήξαντες ἐῶμεν ψυγῆναι, καὶ ἀναψήξαντες ἐμβάλλομεν τοῖς λειανθεῖσι. Legitur tamen in exemplari ἀναψύξαντες falso, quod refrigerantes significat: pro eo itaq; ἀναψήξαντες

id est

id est eradentes, à uerbo ψήχω rado, aut ἀναξύσαντες à ξύω legendum est, uelut conuerti. Nam is modus eradendi iam frigefacti medicamenti, iam sæpe habitus est in his libris. Sic libro octauo capite primo, τηκέσθω δὲ ἐν ἀγγείῳ διπλῷ, κἄπειτα τὴν ψυχθεῖσαν κηρωτὴν ξύων μίγνυε τοῖς λελειωμένοις ἀκριβῶς, hoc est liquefiat in duplici uase, atque ita refrigeratum & rasum ceratum, cum tritis reliquis probe permisce. Sic etiam infra in malagmate ex cicuta & agarico, octauo à fine totius operis habetur: liquescibilia uero eliquato & frigefieri finito, & erasa aridis committito, hoc est, εἶτα ἐάσας ψυγῆναι, καὶ ἀναξύσας, ἐπίβαλλε τοῖς ξηροῖς. Sed in uulgato tamen exemplari pro ἀναξύσας expressum est ἀνοίξας falsò & nulla penitus huc pertinente significatione.

Andreæ malagma, compositio admiranda ad ea quæ uelis perforare, dissoluere, expurgare, ac uelut excolare.] Hæc uerba in græco exemplari ita habētur, δύναμις θαυμαστή, πρὸς ἃ βούλει κατατρῆσαι, διαλύσαι, ἐξιπῶσαι. ἐξιπῶσαι itaque dixi expurgare ac uelut excolare. Ea enim huius uerbi significatio existit. Vnde etiā in his quæ exprimi debēt eius usus familiaris est, uelut supra lib. 1. cap. 8. de achoribus habetur. σκίλλαν εἰς κάμινον ἐγκρύψας, ὥσπερ κολοκύνθην, ὅταν μαλακὴ γένηται ἐξιπώσον. hoc est, Scillam in fornace uelut cucurbitam cinere obruito, quumque mollis fiet exprimito. Aetius 13. cap. 2. de emplastris ad demorsos à cane uel urso, aut alijs animalibus. καὶ γὰρ τὸν ἰώδη χυμὸν ἐξιποῦσι καὶ ἐκτυλοῦσι τὸν τῶν ὀδόντων ἐπίπαγον. id est, uenenosum humorem expurgant & uelut exprimunt ac excolant, id est, καθαίρουσι καὶ ἐκπιέζουσι. Quare apud Galenum. 7. κατὰ γένη. pharmaca discutientia inspissatum humorem, non tamen fortiter, neque aceruatim, uelut διαφορητικὰ appellata facere solent, ἐξιπωτικὰ & ἐπισπαστικὰ appellari traduntur. Verba Galeni hæc sunt, Loquitur de induratis in scirrhum, non tamen penitus, sed ita ut sensus adhuc adsit, sed obscurus. θεραπεύεται inquit, τοῖς τε διὰ φαρμάκων διαφορούντων μὲν δηλονότι τὸ παχυμερὲς ὑγρὸν, οὐ μὴν ἰσχυρῶς γε καὶ ἀθρόως τοῦτο ποιούντων, ὡς τὰ διαφορητικὰ ποιοῦσι φάρμακα, καλοῦσι δὲ ἐπισπαστικά τε καὶ ἐξιπωτικὰ τὰ τοιαῦτα. Sequitur porrò mox de eodē malagmate. Facit etiā ad corrosa ac corrupta, educit enim aliena. hoc est, ποιεῖ καὶ πρὸς τὰ λιπανθέντα, ὥστε ἀνάγειν τὰ ἀλλότρια. Quæ igitur λιπανθέντα dixit, ego corrosa ac corupta reddidi. Est enim uerborum λιπαίνειν ac λιπαίνεσθαι ea significatio ac usus apud medicos præsertim, ut corrūpere ac corrumpi significent, quemadmodum lib. 3. cap. 1. ostendi quo loco λελιπασμένον τὸ τοῦ ὠτὸς ὀστέον habetur.

Aliud eiusdem Epithema, Ischiadicis & arthriticis auxiliatur cōfestim.] Ad finem huius epithematis dixi. Cæterum si in terendo pharmacum induretur, ex liquore quantum sufficit addimus, Liquor autem tantus sit, ut tractile cataplasma reddatur. Liquorem itaque intelligit ex fœnigræci decocto addendum, ut ex eo uidelicet tractile cataplasma reddatur, Nimirū ut mollius & tractabilius fiat, hoc est ὥστε γενέσθαι ὁλκιμώτερον. Verum in græco exemplari, non ὁλκιμώτερον, sed ἀλκιμώτερον, id est, non tractilius, sed robustius habetur. Ego tamen ὁλκιμώτερον legere malo, quod & reddidi: quemadmodum etiam supra libro 7. cap. 2. ὅλκιμον pro ἄλκιμον legendum indicaui.

Ischiadicorum cura à Democrate conscripta ex Iberide.] Iberis herba à Damocrate hoc loco Iambicis uersibus descripta, à regione Iberia appellationē inuenit, & uelut Galenus testatur, eadem est quæ lepidion græcis appellatur. Quo magis mirum est Dioscoridem ad finem primi libri seorsim de iberide tradere, & in secundo seorsim de lepidio, ut herba in ciborum usum ueniente: quamquam fane de lepidij folijs testetur, eorum esse uim acrem & exulceratoriam, ut ea gratia ischiadicis commodum cataplasma exhibeant. De Iberidis autem radicibus

prodit plane auxilium hic à Democrate præscriptum, quod uidelicet cum adipe suillo tœpe ischiadicis impositæ conducant. Paulus tamen Aegineta libro tertio, cap. 77. iberidem, & lepidium, & agriocardamon, pro eadem herba agnoscẽs, item foliorum usum ischiadicis præscribit, & si eo tempore quo usus eius expetitur, folia non sint, tum demũ corticẽ radicis cum axungia ad emplastri formam tusum, imponendum Ischiadicis dicit. Damocrates autem foliorum Iberidis in hunc usum non meminit, sicut neque Aetius duodecimo, capite secundo, qui plane hos uersus Damocratis, sed tamẽ lege carminis soluta prodit, & Iberidem etiam Cardaminen appellari dicit, propterea quòd odorem, & saporem, & figuram cardami, hoc est nasturtij habeat, Id quod etiam Galenus libro septimo simplicium pharm. de lepidio testatur. λεπίδιον inquit, ἐκ τῆς τετάρτης ἐστὶ τάξεως τῶν θερμαινόντων, ὅμοιον τῷ καρδάμῳ κατὰ τὴν ὀσμὴν, καὶ τὴν δύναμιν ὑπάρχον, ἧττον δ᾽ αὐτοῦ ξηραίνει. Quare eadem est herba, lepidion, Iberis, cardamine, & agriocardamon, siue nasturtium syluestre appellata. In Dioscoride tamen ἴβηρις ἤτοι καρδαμαντικὴ pro καρδαμίνη, falsò legitur. Sicut descriptio quoque apud eundem corrupta est, μῆκος δὲ ὅσον πηχιαῖον ἢ ἔλαττον. Deest enim καυλοῦ uox, & πλέον, ut sic legatur, μῆκος δὲ καυλοῦ ὅσον πηχιαῖον πλέον ἢ ἔλαττον, & sit sententia uersuum Damocratis qui sic habent. καυλῷ δὲ αὐτή ἐστι μῆκος πήχεος,
μικρῷ τ᾽ ἔλαττον καὶ πάλιν μικρῷ πλέον. Id est.
Caulem cubitalis longitudinis gerit
Paulò minorem aut rursus ampliorem, &c.

Nam & Aetius sic describit. Sed & quod ad finem eius capitis in Dioscoride habetur, καὶ ἐλαίῳ μετ᾽ ἐρίου τοῖς τόποις ἐπιχριέσθω, corrupte legitur, pro καὶ ἔλαιον μετ᾽ οἴνου τοῖς τόποις ἐπιχριέσθω. hoc est oleum cum uino locis illinatur. Sic enim faciendum esse, apertè hic docet Damocrates, & Aetius loco citato habet. Sed & Plinius libro 25. cap. 8. Postea oleo & uino corpus perungatur dixit. Verum quando Plinius eo loci ex ipso Damocrate hoc auxiliũ herbæ Iberidis recenset, eius locum totum adscribam, quum eius uerbis hi uersus ad unguem declarẽtur. Inuenit nuper, inquit, & Seruilius Democrates primus medẽtium, quam appellauit Iberida: quanquam ficto nomine inuẽtioni eius assignato carmine, Nascitur maxime circa uetera monumenta, parietinasque, & inculta itinerũ. Floret semper folio nasturtij, caule cubitali, semine tam paruo, ut uix aspici possit, Radici odor nasturtij, Vsus æstate efficacior & recenti tantũ, tunditur difficulter, coxendicibus & articulis omnibus, cum axungia modica utilissima, uiris plurimũ quaternis horis, fœminis minus dimidio adalligata, ut inde in balneum descendatur in calidam, & postea oleo & uino corpus perungatur, diebusque uicenis interpositis idem fiat: si qua admonitio doloris supersit. Hactenus Plinius. Porrò Galeni exemplar, & ipsi Damocratis uersus aliquoties corrupti sunt, Sic ergo restituẽdos locos mancos censeo. Primũ quod dixi. De primo igitur in Ischiadicorum curatione in eo libello sic scripsit in græco corrupte habetur sic. περὶ πρώτης οὖν τῆς τῶν ἰσχιαδικῶν. θεραπείας ἔγραψεν ἐν τῷ βιβλιδίῳ τούτῳ. Lego autẽ ueluti cõuerti etiam sic. περὶ πρώτου οὖν ἐπὶ τῆς τῶν ἰσχιαδικῶν θεραπείας ἔγραψεν ἐν τῷ βιβλιδίῳ τοῦτο. Deinde tertiũ ex ordine uersum sic lego. ἢ καὶ περὶ ὁδοῖς ταῖς πάλαι τετριμμέναις. Sextum sic. ἔαρος μὲν εὐθαλῆ τε καὶ μείζω πολύ. Versum 37. & 38. sic. ἄρας τ᾽ ὀθόνναις ἱκμάδα τ᾽ ἅπαν λίπος. σκέπασον τὸ κῶλον κνφοτάτοις ἐριδίοις. Id est ut ego cõuerti, Ac mox madore terso & pinguitudine, Totũ teges crus mollibus tu uelleribus. Sic enim & Aetius habet. Et humore cum aspero panno deterso, crus ipsum cum leuissimis lanis cooperito. Versum deinceps 44. sic lego, ὁ χρῇζον ἄλλα συμβαλεῖσθ᾽ αὐτῷ τινός. Cæterũ quod mox post Damocratis uersus Galenus subiungit. Hoc sane

utendi

utendi modo & inueteratos capitis dolores, & alias omnes quacunque corporis parte inueteratas & ægre solubiles affectiones ac resolutiones se curasse ait, in græco sic habetur. τούτῳ τῷ τρόπῳ τῆς χρήσεως καὶ κεφαλαλγίας χρονίας καὶ ἄλλα πάντα καθ᾽ ὅτι δύνημερος ἀλγήματα χρόνια, καὶ δυσλύτους διαθέσεις, καὶ παραλύσεις τεθεραπευκέναι φησί. Pro καθ᾽ ὅτι δύνημερος ita legendũ est, καθ᾽ ὅλον ἢ μέρος, & sententia integra erit, quã uidelicet reddidi. At uero quod dicit huius auxilij eundem usum esse, qui alias sinapismorum est, & pharmaci ex thapsia, facile colligere est sic habere, ex his quæ alibi de sinapismorum usu dixi, & quæ ipse Galenus libro secundo capite secundo de Thapsiæ & sinapis usu produxit.

In cap III. De podagricis & arthriticis affectionibus.

PHarmaca ab Asclepiade ad prædictas affectiones in quarto externorũ prodita.] Inter hæc pharmaca habetur. Aliud, Seminis cicutæ expressi drach. VI. Id est, κωνείου σπέρματος ἐκτεπιεσμένου. δραχ. ς. Videtur itaque mihi expressum probare, ut minus noxium futurũ succo ablato, & in ipso non existente. Tradit autẽ Plin. lib. 25. cap. 13. Succũ ex semine cicutæ trito expressum, & sole densatũ in pastillos, necare sanguinẽ inspissando. Sequitur mox Epithema podagricorũ, arthriticorũ, &c. In quo quod uerti, Usus uero tẽpore chœnicis quartã partem inde accipito, & passo tritam in uas fictile non picatũ cõijcito, & addita fecis uini aridæ quarta heminæ parte, ad prunas posita diligenter mouendo coquito, &c. in græco exemplari corrupte legitur, hoc modo. ἐν δὲ τῇ χρήσει, λαβὼν χοίνικας τέσσαρας, ἢ λεάνας, καὶ βαλὼν εἰς ἄγγος κεραμεοῦν ἀκονίατον, ἐπίβαλλε τρυγὸς ξηρᾶς κοτύλας τέσσαρας. &c. Restituendũ est autẽ uelut reddidi sic. ἐν δὲ τῇ χρήσει, λαβὼν χοίνικος τέταρτον, ἢ γλυκεῖ λεάνας, ἢ βαλὼν εἰς ἄγγος κεράμεον ἀκονίατον, ἐπίβαλλε τρυγὸς ξηρᾶς κοτύλης τέταρτον. Similiter quod paulò post dixi, Postea uero eo ablato, excitatas bullas acubus perforari oportet, In græco corruptũ est sic, καὶ μετὰ ταῦτα αἴροντας τὸ ἐπίκεμα τὰς ἐπαναστάσας φλυκτίδας, ταύτας γὰρ βελόναις δεῖ κεντεῖν. Lege autẽ sic. καὶ μετὰ ταῦτα αἴροντας τὸ ἐπίκεμα, τὰς ἐπαναστάσας φλυκτίδας βελόναις δεῖ κεντεῖν.

Aliud eiusdẽ, hoc pro cucurbitis & hirudinibus utimur.] In hoc pharmaco, Lomenti fabæ nigræ molitæ sextarius unus habetur, hoc est, ἀλεύρου ἐρεγμένου τοῦ μέλανος συναληλεσμένου ξέστης εἷς. Fabę itaq; farinã lomentũ siue ἄλευρον ἐρεγμένον dici alibi memini. Adiecit autẽ συναληλεσμένου, ut nõ crassas ἐρεγμοῦ partes intelligeremus, sed omnino farinã cõmolitam. Videtur aũt mihi omnino fabarum nigrarum farinam magis probare, ut quæ magis reliquis maturuerunt, & ob id fortiori exiccandi ac extergendi ui prædítæ existunt, qua gratia podagricis imponuntur, & propterea τοῦ μέλανος dixit. Sequitur mox pastillus podagricis, arthriticis, In quo thuris non secti trientem cõuerti, id est λιβάνου ἀτόνου γο. δ. Sic enim legendum est, & non λιβάνου ἄρτου, uelut exemplar habet. Possit tamen non minus recte λιβάνου ἄῤῥενος, id est, masculi legi. Idem enim Thus est quod & masculum, & non sectum appellatur, uelut alibi declaraui. Sequitur non longe pòst, aliud tertium à fine malagma, in quo aqua lixiuij figulini habetur, quæ qualis sit abunde libro primo à nobis est ostensum. Atq; hactenus quidem de locis, in decem libris Galeni de compositione pharmacorũ localium, partim corruptis, partim obscuris, & non temere occurrentibus, commentari uisum fuit.

Finis decimi & ultimi libri commentariorum.

BASILEAE EX OFFICINA FROBENIANA, PER HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM MENSE AVGVSTO.
M. D. XXXVII.

SERIES CHARTARVM.

a * b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z &. Omnes sunt terniones præter a, ac & duerniones, * & z quaterniones.




FRO
BEN